Digitized by Google



Don à l'Etat
de

SANCTORII SANCTORII IVSTINOPOLITANI MEDICI AC PHILOSOPHI,

METHODI VITANDORVM errorum omnium qui in arte Medica contingunt

LIBRI QVINDECIM,

Quorum principia ſunt ab auctoritate Medicorum & Philoſophorum principum deſumpta, eaque omnia experimentis, & rationibus analyticis comprobata.

Nunc primùm acceſſit eiuſdem Authoris

DE INVENTIONE REMEDIORVM LIBER.

Cum triplici INDICE, I. *Librorum*, II. *Capitum*. III. *Rerum notabilium*.

GENEVÆ,
Apud PETRVM AVBERTVM, Reipublicæ & Academiæ Typographum.

M. DC. XXX.


BIBLIOTHÈQUE CANTONALE
LAUSANNE
ET UNIVERSITAIRE

FERDINANDO AVSTRIAE ARCHIDVCI

SERENISSIMO, ET INVICTISSIMO.

PLENDOREM *profectò, & gloriam, Inuictissime FERDINANDE, perennes lucubrationes, & præclara studia consequuntur, quæ in hanc lucem nomine Inuictorum Principum virtute, atque excellenti religione præfulgentium, eduntur. Præsens contemplatio aduersus infinitos Empiricos instituta, cùm sermonem illis sit datura, non erat in conspectum hominum promenda sine celebratissimo defensore, sine immortalis Tui nominis splendore, qui cæteris auctoritate, & virtute antecellis, & miro præterea artis medicæ amore teneris. Hac via forsitan infrænari poterunt ingenia factiosa, & tetro liuore contaminata,*

audaces nimirum, & teterrimi Empirici, qui pallio medico laruati, magnam cladem veræ medicinæ inferunt, qui in curandis ægris aleam ancipitem subeunt, qui experti secretorum vanitatem nunquam resipiscunt, & quos demum sola pecuniæ libido stimulat, neque vllus errandi metus moderatur. Ad coercendam istorum temeritatem, si affulserit splendor nominis, & auctoritas Celsitudinis Tuæ, cuius eximiæ virtutis decus, & ornamentum in summo apice emicat atque rutilat, & per Italiam, per Vrbem, & per totius Europæ tractus radiorum instar solarium præfulget, beneficium consequar perpetua omnium memoria recolendum. Neque in hoc paucorum verborum contextu, neque in craßißimis voluminibus summi applausus, & supremæ laudes, quas summis vocibus omnes Celsitudini Tuæ attribuunt, possunt Encomiis extolli, tùm quia humanæ conditionis modum excedunt, tùm quia nec stylus, nec oratio suppetit. Verumtamen ne videar omnia transilire, hoc vnum de excellenti erga Deum pietate, quod Te ad Celsißimum gloriæ fastigium extulit, quod Tibi gloriam nunquam intermorituram peperit, omitti vix potest: dum obsidione Turcarum quoquo versum cinctus, simul audacem hostium faciem repreßisti, & animarum luem diuturnam in omnes illas prouincias ferè dispensatam eluisti, & tanquam beluam diram & immanem extemplò fugasti; ex illis quidam territi, & animo consternati, ob animi tui constan-

tiam

tiam, & vigorem abierunt; quidam diuino cooperante Spiritu statim mutarunt opinionem, & supplices se Tibi ad genua prouoluerunt. Voluantur annales omnium gentium, non inuenietur, in Vrbe fuisse vnquam auditum, quod tam velociter extincta fuerit inueterata, & vt ita dicam, conclamata ægritudo. Innumerabilia recenserem, nisi mihi inijceretur metus, ne dum res gestas conspicuas, & prænitentes explicare voluero, eas ingenij mei tenuitate videar potius imminuisse. Accedit, quod innumerabiles sint, qui altiori, & feliciori spiritu animi Tui & corporis ornamenta, quotidiè in cœlum ferunt, qui nimirum prudentiam, artium liberalium scientiam, & Tuam erga studiosos singularem beneuolentiam, & egregiam Munificentiam percelebrant; & in posterum quando immenso rerum OPIFICE *auspice in id eueheris supra quod ascendi non potest, vbi non solùm Germania, sed vniuersa Christianorum Respub. digni animi tui domicilium fiet, resurgent qui illam dignitatem, & gloriam in excelso locatam in cœlum efferent. Itaque ad tantum Patrocinium Celsitudinis Tuæ, tanquam ad decus, & præsidium meum confugio, & Opus hoc qualecumque sit, Tibi consecro, ac si quid in illo boni sensus fuerit, pro conseruanda sanitate id totum* TVÆ CELSITVDINI *dico, dedicóque: etenim nulla meæ opinionis tutandæ cupiditate, sed vnica Philosophia incensus, quæ in magna consilij angustia de re medica mihi vi-*

ſa ſunt cum ratione conſentire, edere ſum conatus, cùm ad commune beneficium ægrotantium, tùm ad ſpem promerendæ ſaltem apud poſteros honeſtæ laudis, quod faxit Deus.

Sereniſſimæ CELSITVDINIS TVÆ

Seruus Humilliſſimus

SANCTORIVS SANCTORIVS.

INDEX

INDEX LIBRORVM.

INDEX CAPITVM.

Capita primi libri de affectuum ideis perquirendis.

XXIX.

CAPITA SECVNDI libri de affectuum idiopathia & sympathia.



CAPITA TERTII libri de modo inueniendi specificas affectuum differentias.

ram

CAPITA QVARTI libri de metiendis morborum ideis.



CAPITA QVINTI libri de perquirendis humoribus per propria signa.

Præfatio Logica.

CAPITA SEXTI libri de perquirendis humoribus per signorum syndromem.

CAPITA SEPTIMI libri de misturis humorum perquirendis.

VI.



CAPITA LIBRI octaui de initiis reconditarum qualitatum.



CAPITA NONI libri de quantitate peccantium humorum.

CAPITA DECIMI libri de motu locali peccantium humorum.



CAPITA VNDECIMI LIBRI DE PRINCIPIIS METHODI MEDENDI.

CAPITA DVODECIMI LIBRI DE ANALOGISMIS, & EXPERIMENTIS.



CAPITA DECIMITERTIJ LIBRI DE ADMINISTRANDIS REMEDIIS.

VI.

CAPITA DECIMIquarti libri de reuulsione, & deriuatione.

CAPITA LIBRI DEcimiquinti de indicantium æquilibrio.

Finis Indicis Capitum.

SAN-

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani

METHODI VITANDORUM errorum omnium in morborum & symptomatum ideis perquirendis,

LIBER PRIMUS.

Præfatio vniuersalis. CAP. I.

ONSTARE arbitror in arte Medica curatrice infinitos committi errores posse vel in cognitione morbi; vel causæ; vel in auxiliorum inuentione; vel in præsagiendo; vel postremo in remediorum administratione. In hæc capita, tanquam in summas partes tota medicina, quam θεραπευτικὴν Græci vocant, distribuitur: & alia in hoc exordio accommodatiora, circa quæ omnes medicorum errores, & mali medendi vsus contingunt, nec mente fingere, vel comminisci possumus. Varia tamen sub iis & specifica magis continentur capita: quibus cunctis vel diligentissimè certa methodo præuisis, infiniti medicorum errores vitari, & præcaueri poterunt. Cæterum, cum hæc tempora malum hunc casum subeant, vt nostratum plerique pluries malam in omni negotio medico doctrinæ sementem faciant, & nullum penè relinquant locum errandi tam in cognoscenda, quam in facienda medicina; proinde decreui in hac contemplatione insistere, & pro meo virili, non solum aliquot nostratum errorum stirpes, principiis medicis suffultus, elidere: verum etiam physiologicis, & analyticis initiis adiutus, semina omnium errorum, qui fieri possunt in hac medicina curatrice, extinguere: ad certissima & propin-

quissimà capita, certa, & infallibili quadam methodo (nisi me fallit opinio) cuncta transferre errata, quod perbelle præstabimus, si cum iis altioribus principiis methodi cognoscendi, & medendi principia in vnum quasi complexum copulabimus, vt consequamur hunc exoptatum finem: quibus pollicitis ni frustrabimur, lectorem ad extremam huius methodi coronidem sicuti manu apprehensum deferemus; & tunc ipse tanquàm ab alto, & excelso loco munere analytico excitus, laqueos nostratum, & Syrtes innumeras oculis penè videbit, & inde pernoscet optimos medicos, qui defixi in præstantissimarum artium studio, qui diuina exculti sunt arte, qui nunquam vllo temporis puncto mentis aciem à vera Hippocratis, & Galeni physiologia deflectunt, eosque secernet ab iis, qui pallio medico tantummodò sunt laruati, qui summa ipsorum incuria multos decipiunt, quippe consiliis, & medicinis, miseros ægrotantes totis horis lacerant, & ad necem vsque deuerberant.

De totius operis partitione, & intentione.

CAP. II.

PRÆSTABIT ergo vniuersam hanc Methodum, quam in conspectum, & lucem hominum in præsentia promere placuit, in tres vniuersales partes distribuere. In prima quarum quatuor librorum Compaginem de affectuum omnium Ideis parauimus; & tali artificio dispos︎uimus; vt priusquam de erroribus, qui fieri possint in expendendis morborum, & symptomatum formis, ageretur; illarum omnium Methodorum inquisitio præcederet; quæ ad altissimam idearum, vel formarum affectuum præter naturam cognitionem nos eleuare potis esset: quia alius sanè vitandorum errorum omnium modus non datur; nisi profundè prius cognita veritate, quæ sola, vt ait Aristoteles text. 85. primi libri de anima, est sui, & obliqui index. Ad hos igitur quatuor primos libros in hac prima parte, ac ad quatuor suprema capita tanquam ad viuum singillatim errores omnes (ni fallor) qui possunt contingere, & ipsos imaginari possumus in Librandis morborum, & symptomatum essentiis, hoc Methodorum opificio resecari, & corrigi poterunt. In primo libro agentes de tribus Methodis, & in primis de Methodo resolutiua, quæ nos à symptomatibus secundi ordinis ad actiones læsas ducat; & ab iis ad illud, quod est in facto esse; & quod indicat, & quod medium allicit; Exin de Methodo, quæ per signa propria ad cognoscendas morborum omnium formas genericas procedit; & tandem de Methodo, quæ per communium signorum syndromen sufficientissimam procedit: Quarum Methodorum virtute, & affectuum ideas præter naturam vniuersas commodè inquirere, & errores, dum omnium morborum, & symptomatum formæ confundi solent, anteuertere poterimus. Sicuti dum morbos in mala compositione rudiores crederent, esse in intemperie, vel vice versa: In quo primo libro hoc supremum caput de vitandis erroribus, qui fiunt in affectuum ideis, præter enarratas Methodos, tam variis omnium generum affectuum splendescere exemplis curauimus; vt lector,

nisi fuerit mente obcæcatus, illis excitus, atque commotus falli, neque ægros fallere poterit. Cæterum in exacta morborum essentia pernoscenda non satis est cognoscere formas; sed expedit vlterius philosophari; an morborum, & symptomatum cognitæ, & perspectæ ideæ, vel formæ; læsis corporis partibus, per essentiam, vel consensum competant. Scire enim optime possumus ventriculum intemperie aliqua conflictari; sed nunquid per essentiam, vel per consensum ab aliis visceribus sit facta, & adhuc fiat; hoc in primo non elucet, sed tenebrarum velo, ibi est obuolutum: cum sæpenumero adsint, qui rectè affectuum formas cognoscant, & millies huic impingant scopulo, nescientes an per essentiam, vel per consensum viscus aliquod ingrauescat. Proinde erat opus de hoc tanto initio statim in secundo libro verba facere; & perquirere aliquam Methodum, quæ de affectibus vniuersis promptè doceret, quando per essentiam; & quando per consensum viscera essent iactata, atque concussa: & quæ affectio esset Idiopathia; & quæ Prothopathia, & de omni Sympathia, quæ in hac humana fabrica obseruari possit, examen diligentissimum instituere: ad quem librum multis exornatum Methodis vitandorum errorum omnium de Sympathia in musculis, & neruis longis obseruata, plurima reuocamus errorum exempla: quorum luce admoniti, expeditius cæteros infinitos eandem sortem subeuntes tradita arte cognoscere, & vitare poterimus. His de formis genericis, & de Sympathia affectuum peractis, mox in tertio libro dirigitur philosophandi spiritus ad exquirendam Methodum magis particularem, quæ nos docere posset specificas & vltimas affectuum differentias, & quæ esset ex propriis, & non ex communibus, & genericis affectuum principiis: quoniam qui ex ratione vniuersali, vel ex medio tantum generico specificam haurire cognitionem volunt: vel ex medio termino, qui sit vniuersalior conclusionis prædicato, quæ in idem recidunt, syllogizant; non possunt committere quin paralogismo ex affirmatiuis in secunda figura illidant; cuius consequentiæ redduntur monstruosæ, & irreducibiles ad bonam figuram, ob hanc nimirum vnicam, & singularem rationem; quia continentia non possunt fieri contenta, nec versa vice: Ideo Methodum hanc particularem cognoscendi propria, & specifica affectuum principia constituimus, esse processum à locorum affectorum conditionibus, quæ sunt illæ, quæ definiunt, & constituunt specificas affectuum formas; quia propriorum omnium passionum naturam, & essentiam alio modo consequi non possumus imaginetur quis quantum volet, si Aristoteli credendum 1. post. quam per earum subiectum, quod solum definit passiones proprias: Hinc est quod genericus affectus transit in specificum, quando iungitur partibus nostri corporis, & aliquo proprio fulcitur subiecto: Hinc dolor, vt dolor; naturam quandam genericam exprimens; expensus tamen in aliqua corporis particula; euadit specificus: Sic in membrana euadit pungitiuus, in carne laceratiuus, & sic de aliis doloribus: similiter si vlcus consideratur sub genu, potest illud esse cauterium aliquod salubre, si illudmet in Pulmone, vlceris differentia euadit funesta, ac deplorata, vt specificæ differentiæ partium nostri corporis sunt illæ, quæ coarctent affectus communes, & specificos reddant, & constituant:

Ex medio vniuersali, attributũ minus vniuersale inferre, semper est paralogismus, & cur.

Vnde sit quod specifica affectuum differentiæ à locis affectis solum trahãt ortum.

quæ ſpecificæ differentiæ (vt hic breuibus agam) ad has decem, vniuerſæ reducuntur, ad ſitum, meatum, figuram, compoſitionem, exordium, ſubſtantiam, temperaturam, progreſſum, numerum, & officium: & harum quælibet ſpecificum facit affectum, & ob harum diligentiſſimam inquiſitionem omiſſam in plurimos oſtendimus nos perlabi poſſe errores. Cæterum cum differentiæ antedictæ partium corporis aliquæ, vt temperatura, meatus, ſitus, & figura, aliquando alterentur, & mutentur; & præter ſtatum primigenium à primis generationis exordiis comparatum, ſubire poſſint aduentitium introductum ab aſſidua ſex rerum non naturalium conſuetudine; quæ ſi callum obducit in debilibus, & ſenibus non ſit mutanda; neceſſario agendum relinquitur in quarto libro de hoc aduentitio ſtatu; vt ſecundum conſiderationem primigeniam, & aduentitiam conditiones partium corporis enarratas contemplemur; quia ab iis tantummodo metimur receſſum morbificum, & ſpecificæ formæ affectuum formantur, ideo de hoc ſtatu aduentitio, & de conſuetudine ereximus librum: vnde infinitam propemodum errorum ſobolem detegere & vitare poterimus. Iis omnibus viſis, quorum potentia infinitos Empiricorum errores in ſymptomatum, & morborum Ideis genericis, & ſpecificis perquirendis cognoſcere, & obliterare poſſumus: Exinde animum conuertimus ad enodandos lapſus, qui fieri poſſunt in humoribus omnibus præter naturam contemplandis: Quinque generaliſſimos modos, vel quinque ſuprema capita, circa quæ claudicant, atque vacillant Empirici in perquirendis humoribus præter naturam, afferimus: cum neque plura, neque pauciora eſſe poſſint: Vt primum ſit, dum Medicus noxiam prædominantis humoris ſpeciem neſciret; Secundum, cùm perpetuò humores deteriorem qualitatem nacti cæteros inficiant, iiſdemque miſceantur; & inde ſic mixti, & ſimul confarcinati inferant noxam: hoc ſupremum errandi genus prodit, cum ſint mixti, neſcire an mixtura intus facta ſit vel foris. Cui ſcopulo quam ſæpe rudiores impingant, vobis expendendum, dijudicandumve ſuo loco relinquam. Tertium, cum humores tota ſubſtantia aliquando peccare poſſint, & præter manifeſtas qualitates, ſint aliquæ abditæ, quæ concutiant atque patientes feriant; de iis, quæ tota peccant ſubſtantia agitur, & de reconditarum qualitatum primis initiis; Quartum quà quantitate ægros euadant humores: vbi tradita eſt duplex Methodus, qua in quantitatis humorum cognitionem ducimur; Quintum & poſtremum fallendi genus, eſt, dum aliquem humorum peccantium motus, fugeret, atque lateret. Ad quæ ſuprema capita (ni fallor) errores, qui poſſunt fieri in humoribus præter naturam ſcrutandis, aptiſſimè conferimus omnes: vt in ſex libros ſit diſpoſitum totum hoc negotium; vt primus ſit de Methodo cognoſcendi peccantes humores, per ſigna propria, qualia ſunt (& alia non inuenimus) ſapores, colores, & Typi: Secundus liber eſt de communibus ſignis coarctandis per ſyndromen, in tantum, vt ſubrogentur propriis: Tertius eſt de omnium mixturis; Quartus de iis, quæ peccant ſubſtantia, & de reconditis qualitatibus; Quintus de quantitate peccantium humorum; Sextus, & poſtremus de pertinentibus ad motum localem. Denique perceptis exordiis iis errorum omnium, qui fieri poſſunt, tum in perquiren-

dis

dis formis, tum efficientibus affectuum præter naturam: & traditis illis initiis quorum opificio philosophantes ad veritatis fastigium deferimur. Inde conuertimur ad omnia illa instrumenta, quæ ad solertiam, & inuentionem remediorum in medendis ægrotantibus conferre possunt. Cæterum vt laqueos omnes, & Empiricorum multorum lapsus in tanto negotio aperirem, & ob oculos collocarem, altius erexi spiritum, & me ad Logicam, & ad illa prima initia humanæ cognitionis contuli, quæ solum æternas, & infallibiles sciendi normas tradunt, & quæ animos ligant, atque deuincunt. Hinc extat in hac tertia parte de inuentione remediorum, primus liber de principiis methodi medendi à fonte logico exhauriendis, & confirmandis. Vbi indicantium veræ conditiones elucent: Vbi constituimus caput supremum: Quomodo medicus in cognoscendis indicationibus analytica doctrina excultus non possit in errores incidere. Secundus extat liber de inuentione remediorum per analogismum & experientiam, vbi ostenditur quando analogismus, & experientia sint inepta argumenta sciendi, & medendi. Tertius est de recta administratione remediorum, & ad tria capita ibi reducuntur errores omnes, qui committuntur, in remediis administrandis; Quartus est de erroribus, qui fiunt in humoribus quatenus loco mouentur; agiturque de reuulsione, & deriuatione. Quintus, & postremus est de indicantium omnium æquilibrio; & de erroribus, qui contingunt dum male librantur hæc tria, vrgentia videlicet, causæ fouentes, & impedimenta; ad quæ omnia indicantia, siue sint sumpta à virtute, siue à causa, siue etiam à morbo, vel à symptomatibus reuocantur: vbi præcedit subtilis inquisitio, cui ex illis tribus prius coniectos oculos habere præstet: De hinc erunt libri de præsagiis ferendis, vbi errores vniuersi quippe qui in humanam mentem cadere poterunt, ad certa, & generalissima capita transferri poterunt, & quo pacto sit agendum, vt labirinthi vitentur, tales afferuntur infallibiles propositiones, & regulæ æternæ veritatis, vt (nisi me fallat opinio,) sperandum est perfore, vt lectores non improbent; Demum sequuntur quatuor libri de abusu materię Chirurgicæ. Primus est de phlebotomia. Secundus de cucurbitulis, & hirudinibus. Tertius de vesicantiis, & postremus de iis, quæ igne parantur: postremò quinque sunt libri in lucem edendi de lapsu Empiricorum circa siluam pharmaceuticam. Primus erit de malo vsu porrigendi lenientia. In secundo quod perpetrantur abusus in alterantibus proponendis. Tertius est de catharticis: Quartus est de aperientibus. Quintus de omnibus auxiliis Topicis. His adiungendi sunt quatuor libri circa fontem diæteticum, sicuti est liber de cibo, & potu: liber de somno, & vigilia. Liber de venere, & exercitio; & demum liber de balneis. Quibus omnibus exactè cognitis, & animaduersis ad apicem, & totius artis curatricis Cardinem Lectores (ni fallor) manuductos videbimus.

Cæterum, vt *omnibus numeris* absolutum hoc nostrum reddatur opus, non modo in arte medica conferens; sed in omni disciplinarum genere: ob oculos quemlibet errandi modum, quo quiuis discurrendo errare possit; cum innumeris Empiricorum exemplis, quod erit tanquam *huius operis* idea, proponam; vt ab hinc neque definiendo, vel discurrẽ-

do in hac, & in quauis facultate trium librorum in limine propositorum lumine ductus; à vero deflectere possit; omnibus locis à Thesauris Aristotelis (vt verum fatear) in diuitias meas congestis, sunt enim illi tres libri diuinis philosophi præceptis referti: Et videntur esse totius philosophiæ exemplaria; quia ad ipsos tanquam ad Lydium lapidem, & ad Tribunal veritatis, quælibet propositio, quælibet definitio, & quiuis discursus, an rectus, & concludens sit transferri potest.

Vnde sit quod quatuor tantum sint suprema genera, ad quæ reduci possint omnes errores qui fieri possint in scrutandis affectuum præter naturam Ideis.

Capvt III.

CVm mihi ergo sit in animo in huius operis exordio ad quatuor certa, & suprema genera errores omnes, quos in expendendis affectuum præter naturam formis imaginari possumus; præstat in primis hic contemplari, vnde quaternus hic numerus suum trahat initium; Dicimus ergo hac orationis necessitate dispersos, atque dissociatos errores, qui fieri possunt in speculandis essentiis, in quatuor capita suprema finiri, & coalescere. Dicentes quod errantes vel eò cadimus, vt rei de qua instituta est contemplatio, nesciamus naturam genericam, transcendentes de genere in genus; vel secundo loco philosophantes decipimur in attributis; postquam scilicet cognita est natura, & forma generica; attamen erramus credentes illam naturam genericam conuenire alicui ægrotanti per se, cum per accidens competat: vel tertio loco contingit errare, nescientes nos differentiam specificam, à partibus metientes recessum secundum primigenium statum: vel quartò nescientes differentiam specificam confundentes aduentitium statum cum primigenio: Ad ista quatuor capita errores omnes circa affectuum formas contingentes, reducuntur, & plures; imaginetur quis quantum volet, non inueniet modos: Sed conferamus hos quatuor generalissimos modos in stilum medicum; dicentes primum modum errandi esse, dum affectus præter naturam ideam, & formam genericam confundimus, verbi causa, dum crederemus affectum aliquem internum esse intemperiem; nihilominus esset mala compositio, vel vice versa, & sic de omnibus morbis; ad eundem modum in symptomatibus scrutandis, veluti in exeunte aliquo, vt in alui fluore iudicaret imperitus, symptoma illud esse in actione retentrice diminuta; Vnde vellet astringentibus vti; attamen symptoma esset in actione naturali expultrice irritata; quod deberet tolli non astringentibus; sed potius refrigerantibus, & aperientibus; quem modum errandi ne in Syrtes incidamus, trium methodorum virtute in hoc libro anteuertere sumus conati: vt prima sit de resolutione symptomatum ad id quod est in facto: secunda sit de signis propriis; tertia de syndrome sufficientissima communium signorum. Secundum errandi modum esse, dum affectum per sympathiam, & per consensum; credimus per essentiam ægrotantes lacessere: Tertium esse dum expendimus affectus alicuius specificam differentiam, quæ talis facta sit ab vnica ex decem illis specificis partium

diffe-

differentiis ab ortu comparatis, cum dixerimus affectum genericum fieri specificum per differentias partium specificas, dum illas vel perperam, vel neutiquam expendimus; postremum dum omittimus aliquam specificam differentiam partium aduentitiam, temporis cursu per consuetudinem sex causarum non naturalium acquisitam: vt hinc in lucem, & in conspectum vestrum, lectores, quatuor primos ediderim libros, quippe qui tot præceptionibus, & variis relucent exemplis, quæ sum expiscatus, vt hæc noua Methodus cum primis exemplorum luce splendescat: Et hac methodo exemplis exornata, atque illustrata meritò incedendum duxi, quoniam hæc mentis aciem excitant, hæc scientiæ igniculos in animum iuuenum mittunt, & hæc sunt efficacissima monumenta, vt errores omnes quispiam anteuertat, & fugiat, & quæ magis semel docere possunt, quam perenis causarum contemplatio.

De suprema omnium morborum diuisione.

CAP. IV.

CVM in librum hunc illa Empiricorum errata, dum transcendunt de genere in genus, & ideas confundunt; non percepta affectuum præter naturam forma, & Idea congesserimus. Par est exordiri à summa omnium morborum generum, & symptomatum diuisione in suas species, & hanc vniuersalissimam à doctrinæ Galeni vbertate haurire, & strictim eam colligere; & merito postquam ab aliis libentissimè est supposita atque probata: propterea à nobis erit recipienda tanquam specimen, & exemplar præsentis cognitionis; & eò libentius, cum præuideam nostri temporis sycophantas saltem non reclamaturos aduersus Galenum, qui merito ab omnibus extollitur ad sydera, & cuius laus ita edito loco est collocata, ad quem obtrectatores, vel inuidi pertingere minime potis erunt; aggrediamur ergò morborum supremam diuisionem, deinde symptomatum, ex Galeni sententia.

Morbi erunt vel intemperies, vel mala compositio, vel soluta vnitas. Intemperies erunt simplices, vel compositæ; simplices, vt calida, frigida, humida, sicca; Compositæ, calida sicca, calida humida, frigida humida, & frigida & sicca: Octo ergo erunt intemperantiæ: nec mihi objiciant, præterea dari intemperies cum materia, quoniam nullus error magis à veris initiis, & fundamentis analyticis abhorret, quam in diuisionibus transcendere de genere in genus, & vitiosam proponere diuisionem; transcendimus, dum intemperierum fieret diuisio in simplices, & cum materia, à genere formarum, in genus causæ efficientis: intemperies enim sunt formæ; humores vel materiæ facientes intemperies sunt causæ efficientes; ostendimus, vbi egimus de humoribus, efficientes causas: quare non est, vt de intemperiebus cum materia loquamur, & incidamus in talem laqueum tam manifestè ab Aristotele explosum 2. libro post. Octo igitur enarratarum, quælibet vel esse potest in primo gradu recedens à temperato; vel in secundo, vel tertio, vel quarto; sic enim antiquis Medicis placuit ad quartum vsque diuidere: & quemuis gradum diuidere in

Dum diuidunt intemperiem quod alia sit cum materia, alia sine materia, transcendunt de genere in genus.

tres mansiones: quare intemperantiæ expensæ secundum suas ideas, & formas (dimisso illo vitioso transitu formarum in efficientes causas) si enumerabimus mansiones, erunt 24.12. in simplicibus & 12. in compositis & omnes enumerabuntur nonaginta sex mansiones recedentes à temperatissimo, hæc enim sunt supposita atque probata, & non decet perpetuo à primis exordiis litigia suscitare, sed supponenda tanquam initia præsentis contemplationis.

Mala compositio erit, vel in numero, vel magnitudine, vel mala conformatione. Numerus vel deficiens, vel superfluus: deficiens erit, dum abscinditur pars, dum vritur, dum putrescit, vel ob congelationem contrahitur; superfluus, vt pterygion in oculo: lumbrici; lapis in vesica: Magnitudo aucta, & diminuta.

Mala conformatio quatuor sub se habet subalterna genera, vel est figura vitiata; vel asperitas; vel læuitas; vel cauitas.

Figura vitiatur vel in vtero, vel foris, vnde nasus simus, acutus, oculi concaui; scapulæ in alarum modum; conuulsiones, tabes, elephas, &c.

Asperitas, veluti dum ob acres humores aliquando in ossibus fit; vel ob medicamenta abstergentia; vel in oculis ob puluerem, vel fumum.

Læuitas, veluti ob humorem viscosum, & pinguem in ossibus, & aliis partibus: vt in ventriculo, in lienteria.

Cauitas habet duo genera; aliud quod est in angustia, vel in patefactione nimia, sub angustia quinque sunt species; coalescentia, subsidentia, obstructio, compressio, & occlusio; coalescentia fit dum coalescunt partes; subsidentia ob frigus, vel ob nimiam siccitatem, & dum expultrix facultas immodicè mouet; obstructio vel à lentis, crassis, vel copiosis humoribus, compressio, vt ob tumorem; occlusio ob carunculam.

Sub patefactione, vel nimia apertione tria sunt: diæresis, diapidisis, anastomosis.

Solutio vnitatis vel ab humoribus internis; vel ab externo ictu. nemo imaginabitur aliquam speciem, seu ideam morbi, quæ sub iis non contineatur, & quamuis Gal.3 de Crisibus capite quarto dicat, ad rationem morbi pertinere hæc quatuor, ideam videlicet, magnitudinem, motum, & morem, attamen præter ideam; illa tria magnitudinem, motum, & morem, potius dicimus esse consequentia essentiam morbi, quoniam nos non vocamus essentiale illud, quod perpetuò saltem non conueniat, Mos, vel magnitudo, modo vni morbo conuenit; modo nequaquam, vt propterea cum non sint de omni; non erunt per se, vel essentialia: vt valeat in analyticis consequentia à de omni, ad per se negatiuè, dicendo, non est de omni, ergo non est per se: quia argumentum est à destructione consequentis, ad destructionem antecedentis; & valet, quia reducitur ad secundam figuram in baroco, vel in camestres sic: Omnis aqua est elementum, sed non est elementum, ergo non est aqua: similiter omne per se, est de omni; sed non est de omni, ergo non est per se, vel essentiale, quod idem est; quare coacti dicimus, per essentiale Galenum intelligere lato modo, per illud quod, vt plurimum accidit: alioquin ego nescirem ipsum defendere.

- Intemperies ſunt octo.
  - Simplicium, ſunt quatuor genera.
    - Calida.
    - Frigida.
    - Humida.
    - Sicca.
  - Compoſitarum ſimiliter quatuor.
    - Calida ſicca.
    - Calida humida.
    - Frigida ſicca.
    - Frigida humida.

Qualibet intemperies habet 4. gradus, & quilibet gradus tres manſiones.

Vt nonoginta ſex manſiones intemperierum præter naturam à medicis cognoſcantur, & non plures.

- Mala cõpoſitio in
  - Numero
    - Defficiente
      - Dum abſcinditur pars.
      - Dum vritur.
      - Dum putreſcit.
      - Dum vehementiſſimè refrigeratur.
    - Superfluo
      - Pterygion in oculo.
      - Caro in aure.
      - Lumbrici.
      - Lapis in veſica.
  - Magnitudine
    - Aucta.
    - Diminuta.
  - Cõformatione
    - Figura.
      - In vtero.
      - Vel foris.
      - Ab obſtetrice vt
      - A Chirurgo.
      - Vel ab aliis.
        - Naſus ſimus.
        - Acutus.
        - Oculi concaui.
        - Scapulę in alarum modum. Conuulſiones, tabes, elephas.
    - Aſperitate.
      - In oſſibus.
      - In oculis.
      - Ob medicamentum deterſorium.
      - Vel ob puluerem.
    - Læuitate. Cauitate. A.
      - In oſſibus. In Vẽtre.
        - Ob humorem viſcoſum vel pinguem.

- Cauitas. A.
  - Angustia.
    - Coalescentia.
      - Dum coalescunt partes per cicatricem.
    - Subsidentia.
      - Ob frigus.
      - Ob nimiam siccitatem.
      - Et dum retentrix immodicè mouetur.
    - Obstructio.
      - Ab humoribus lentis.
      - Crassis.
      - Copiosis.
    - Compressio.
      - Tumor.
  - Occlusio.
    - Caruncula quæ etiam dicitur in numero.
  - Apertio.
    - Dieresis.
    - Diapidisis.
    - Anostomasis.
- Solutio vnitatis.
  - Interna.
    - Dolores omnes, vlcera.
  - Externa.
    - Vulnera,& similia, vt Contusiones,& mille alia.

Hæc referunt specimen omnium formarum morborum, ad quod si quispiam spoliatus sanitate angitur morbis; necessario debent ad has ideas,& formas genericas omnes reduci.

De Symptomatum omnium diuisione breuissima.

Cap. X.

SYMPTOMATA omnia in tria genera diducta sunt: cum aliqua sint exeuntia,aliqua qualitates mutatæ:aliqua sint actiones læsæ:Et actio, quæ debet esse radix symptomatum omnium tam in qualitate mutata, quam in exeuntibus mutatis, sola in suas species debet partiri: cum ad actiones, tamquam ad symptomata primi ordinis omnia exeuntia symptomata, & omnes qualitates resoluentur: actio ergo erit vel naturalis, vel animalis,vel vitalis: naturalis sub se continet alteratricem, expultricem,retentricem, & attractricem, & quælibet ex iis esse potest vel ablata,vel diminuta,vel deprauata: animalis quæ sub se continet rectricem, sensitiuam,& motiuam, & quælibet ex iis potest esse vel ablata, vel deprauata,vel diminuta: verbi causa, animalis rectrix deprauata erit delirium,est affectus pertinens ad discursum. Et sic de aliis. Sensitiua continet quinque sensus: Motiua,sicuti motus totius,sicuti inquietudo: tremor,vel motus partis,vt respiratio, quæ ad pectus: singultus, qui ad stomachum, vomitus ad ventriculum, Tussis ad pectus, vitalis dum vires languent.



Qua Methodo symptomata primi & secundi ordinis reducantur ad vnum quod est in facto esse & per se, vel quod indicat & Medicum allicit.

CAP. VI.

CÆTERVM altius de symptomatibus est agendum, methodum resolutiuam tradendo, quomodo à qualitatibus mutatis, ab exeuntibus, vel à retentis immodicè ad actiones læsas, & ab iis ad primas radices sit incedendum. Dicas ergo, si est exiens mutatum, vel retentum immodicè, vel qualitas mutata; hæc, quæ vocantur symptomata secundi ordinis necessario insequi actiones læsas; tanquam symptomata primi ordinis. Dicas ergo, est exiens, ergo insequitur actionem retentricem diminutam, vel ablatam: nihil enim potest egredi ex corporibus nostris, quod immediatè non fiat ob actionem retentricem diminutam, vel ablatam; alioquin non exiret; sed retineretur, & viceuersa, si aliquid nimium retinetur; dicas; ergo insequitur expultricem diminutam, vel ablatam, non enim posset plus debito retinere, si facultas expultrix valeret. Dicas similiter, est qualitas mutata, ergo insequitur actionem læsam; & cum qualitas non veniat in conspectum Medicorum, nisi exeat, & non exeat sine subiecto; quemadmodum exiens perpetuò supponit retentricem diminutam, ad eundem prorsus modum qualitas mutata insequetur immediatè actionem retentricem læsam, vel diminutam, vel ablatam; quoniam dum est ablata retentrix, humor qui fert qualitatem mutatam, subito diffluit: & tale quippiam accidere potest, dum retentrix est diminutæ virtutis.

Sed vlteriùs, nostrum est disquirere, & animum ad primam ideam, & primam causam transferre, dicentes, sicuti in ægrotante symptomata exeuntia insequuntur necessariò retentricem diminutam, vel ablatam,

tanquam primam radicem: simili modo actiones retentrices omnes læsæ, tanquam causam insequi possint alia symptomata, quæ sunt primi ordinis, & hæc sunt expultrices, & alteratrices deprauatæ, & diminutæ; quoniam solet accidere, quod retentrix vel sępissimè non detineat, ob id, quia expultrix irritata sit ab obiecto mordaci, & inde expellat, & tunc dicimus retentricem læsam ex accidenti, non per se; quatenus nimirum non detinet ratione expultricis irritatæ; itidem retentrix lædi potest ratione alteratricis non cōcoquentis, vnde lubricum, & viscidum illud incoctum læuitatem facit: ut in ossibus, & in intestinis lienteriam aliquando fieri vidimus. Ad eundem modum progredimur in symptomatibus illis, quæ consistunt in retentis immodicè, potest enim esse, quod aliquid immodicè retineatur; non quod læsa sit retentrix per se, sed ex accidenti, quatenus nimirum expultrix non fungatur suo officio; veluti in arquato feces diutius morantur in intestinis, non ob læsam retētricem; sed ob expultricem diminutam; quatenus porus felleus occlusus sit, & bilis cū non transeat, non vellicet, atque lancinet intestina; Vnde vires expultricis fatiscunt; vt perpetuò in expendendis symptomatum formis, atque ideis liceat resecare formas ad viuum; vt proprium genus peruestigemus, distinguentes per accidens, ab eo quod est per se; quoniam nimirum errarent, quos lateret vera idea, veluti si quis alui fluore prę meretur, & diceret: est exiens mutatum, ergo retentrix diminuta; ergo astringendum, quod non sequitur, nisi excutias nodum, hoc modo videlicet contemplando, an retentrix læsa sit per se, vel per accidens: læsa inquā sit per accidens, quatenus expultrix irritata sit in causa fluoris, tunc erit obiectum irritans demulcendum; quod nō erit astringens remedium, sed potius aperiēs: sicuti est serum lactis; læsa sit per se, veluti dum retentrix læditur ob fibras orbiculares, & rotundas destinatas retinendi muneribus viribus confractas, & flacidas, tunc nisi aliæ aduersentur indicationes, erit astringēdum: nouimus hactenus ergo initia symptomatum, & coordinationem inter primum, & secundum ordinem, vt videlicet exeuntibus, & qualitatibus mutatis, prior sit retentricis lęsio, retentrici prior esse possit expultricis lęsio; & expultrici alteratricis vitium; & immodicè retentis expultricis diminutæ labes, vel demum expultrici prius sit vitium alteratricis, quando adeo esset perdita, vt omnino incoctum gigneret; quod ex partium debilitate, & ex superfluo quodam madore faciliter possemus animaduertere.

Cur erreut Empirici dū inferunt, retentrix est diminuta ergo astringēdum.

Cæterum ingrui necessitas altius adhuc expēdere; & ad primos carceres resoluere symptomatum omnium contemplationem; siquidem re vera symptoma non potest per se aliud symptoma procreare; cūm nimis clarum, atque apertum sit, symptomata omnia esse in fieri, & quod est in fieri nihil agere, cum de ratione agentis sit per se existere, & in facto esse: & melius; cum symptomata sint accidentia atque ex Aristot. 4. method. tex. decimoseptimo, accidens non sit accidentis accidens, sed eius cui primo inhæreat, quare si exiens prodit à retentrice diminuta, & retentrix ab expultrice deprauata, & hæc ab alteratrice corrupta; omnes istæ functiones necessariò debent prodire ab aliquo principio, quod sit in facto esse; quo ablato statim abeant, & euanescant symptomata, alio-

Altius probatur symptoma nō facere symptoma, & non indicare, & omnia symptomata esse in fieri.

alioquin nihil esset factum præter naturam, & nihil fieret; quoniam ad hoc, vt aliquid fiat, requiritur rei forma, & efficiẽs causa, quæ facta sunt, & habent permanentiam; & hæc facta sunt talia, vt symptomata ab ipsis perpetuò in fieri pendeant, vt vmbra à corpore, erit morbus, & causa, quæ habent esse, & permanentiam separatam, & ambo sunt in facto esse, cum agant diuersas, & dissociatas radices; sæpissimè enim vidimus post causam ablatam relinqui morbum, & iure merito, cum morbus sit partium nostri corporis permanentis tam similarium, quam dissimilarium mala cõstitutio; quod numquam visum fuit ablato morbo & causa, symptomata relinqui, cum symptomata non sint in facto, nec vllam habeant permanentiam, & propterea non indicent neque efflagitent curationem. Nec objiciat quis ex Gal. de differentiis Morb. & alibi, dari symptomata in habitu, vt est icteritia, & plurimæ qualitates mutatæ, quæ symptomata sunt in facto esse, non in fieri, quia occurrimus, dicentes, esse in habitu, non colorem, quem vocamus icteritiam; sed bilem effusam per corporis ambitum, quæ est causa: colorem verò semper pendere in fieri à bile, vt vmbra à corpore. Similiter nec mihi objiciant, dolorem indicare, & propterea me falso tutari, symptomata non indicare: quia occurrimus, dicentes, anodyna non desumi à dolore, vt symptoma, sed à parte dolente, quæ est in facto esse: sic Narcotica desumuntur, ut destruantur partes: digerentia, vt resoluantur causæ: Emplastica, vt partes emolliantur vel contemperentur spiritus animales, vel ipsorum radij. Sed redeamus ad symptomata, vnde digressi sumus, & in pauca conferamus hunc symptomatum omnium ordinem: cum meum hic non sit reuocare examen vel diligentissimum de symptomatibus, cum illud præstiterim in libro de indicatione, secundum leges logicas inuenta.

Anodyna nõ indicari à dolore, sed à parte dolente

Cum igitur symptomata omnia aliqua sint primi ordinis aliqua secundi: & primi sint actiones læsæ: secundi sint exeuntia, & qualitates mutatæ: haurire possumus tali pacto necessarias consequentias ordine resolutiuo: est exiens præter naturam, ergo erit retentrix læsa, diminuta videlicet, vel ablata: est retentrix læsa: ergò poterit esse læsa vel per se: vel per accidens: si per se, est Gal. sententia 3. de sympt. causis primo, vel lædi læsa facultate, vel ob errorem externum, si per accidens læditur, verbi gratia, retentrix, erit ob læsam expultricem irritatam, & expultrix læditur per accidens ob læsam alteratricem vel ablatam, vel corruptam: & hæ omnes læduntur demum ab aliquo per se, quod est vel ab obiecto externo, vel à læsa facultate: vt obiectum externum, & læsa facultas sint initium, & suum per se, vt seruetur famosa illa propositio: omne per accidens esse recessum à suo per se: & posse reduci ad suum per se: Vt per se actiones omnes lædantur ab obiecto, vel à facultatibus: intelligentes nos tunc læsam esse facultatem, quando eius instrumentum læsum est, & per eius instrumentum intelligimus constitutionem partium similarium, & dissimilarium, in quibus stant intemperantiæ, malæ compositiones, & solutæ vnitates: quæ sunt prima initia omnium symptomatum, sed in primis actionum læsarum, tam naturalium, quam animalium, & vitalium: & deinde ab iis exeuntia & ab exeuntibus, qualitates mutatæ

prodeunt, & per obiectum intelligimus humores, vel tale quippiam, quod esse potest causa efficiens malæ constitutionis. Vt primæ radices symptomatum omnium sint vel malæ constitutiones similarium, & dissimilarium, vel causæ efficientes internæ; vnde malæ constitutiones habent primum exordium; verbi causa, retentrix erit diminuta ob malam constitutionem similarium, tunc alia non potest esse intemperies, quæ causset diminutam, vel ablatam retentricem per se, quam humida, quæ facit fibras in orbem positas adeo flaccescere, vt nulla polleant retinendi virtute.

Radices symptomatum omnium sunt mala constitutiones vel caus. efficientes interna.

Si retentrix erit diminutæ virtutis ob malam constitutionem dissimilarium; erit nimia apertio; vt anastomosis, quæ fieri potest Galeno iudice, vel ob acrimoniam humorum, vel ob nimiam copiam, vel ob debilitatem, & debilitatem prodire à qualibet intemperie, dum calidum natiuum est viribus perditum, & demolitum: si denique retentrix erit læsa ob malam constitutionem similarium, & dissimilarium, erit diæresis: idest soluta vnitas. Et quod diximus de retentrice: simili modo est dicendum de expultrice, quod lædatur, vel per se, vel per accidens, & per se esse, vel ob læsam constitutionem naturalem, quæ est verum facultatis instrumentum, vel ob causam efficientem externam: veluti sunt humores malam qualitatem & illam mordacem nacti: vel læditur expultrix per accidens, quatenus alteratrix corrumpitur, & generatur bilis tunc expultrix ratione alteratricis læditur per accidens, ratione obiecti lædentis, quod est bilis, læditur per se, vel si alteratrix adeo est diminuta, vt sit collapsa, atque collisa, tunc cadit in ἀπεψίαν, & cum non generetur bilis, obtunditur facultas expellendi: Sed quomodocunque lædatur actio ex accidenti: semper per accidens debet reduci ad suum per se: quia per accidens est recessum ab eo quod est per se, & non licet philosophando quiescere, quousque ad aliquod per se mens sit euecta. Verbi causa, retentrix est in statu salubri ex se, attamen non fungitur suo officio retinendi, quia expultrix irritata à mordacibus succis tanto cum impetu expellit; vt non possit retinere: Similiter expultrix læsa est à mordacibus per se, sed accidit, vt irritetur tunc expultrix, quia alteratrix sit deprauata, & talem malam sobolem sibi parauerit biliosam. Tandem ergo desinere oportet in veram causam omnium malorum, quæ sit primo, & per se, & hæc erit ob læsum instrumentum, id est ob malam constitutionem similarium, vel dissimilarium, quæ est vera radix omnium, quæ ex accidenti contingunt ægrotantibus. Concludimus ergo qualitates mutatas esse non posse, nisi vitium sit in exeuntibus, vel retentis immodicè, & hæc non esse, nisi actiones retentrices, vel expultrices aliquæ læsæ sint, & has non lædi, nisi alteratrices prius conflictentur, & demum alteratrices non angi, vel corripi, nisi instrumenta facultatis, quæ sunt constitutiones similarium, & dissimilarium læsæ sint, & hæc erunt intemperantiæ, malæ compositiones, & solutæ vnitates, quæ erunt initia omnium symptomatum.

Osten-

Ostenditur virtute Logica neminem posse per viam diuisiuam, quamuis progrediatur à generalissimis affectuum differentiis ad subalternas, & ab iis ad specificas, occultum aliquem affectum inuenire. Cap. VII.

AB hac suprema omnium affectuum præter naturam diuisione iam tradita, & à resolutione symptomatum omnium in suas radices capiendum erit exordium cognitionis ideæ, vel formæ cuiusque affectus in corporis latebris delitescentis. Cęterum ad explorandam alicuius rei formam ignotam diuisio omnium affectuum ex se tanta non pollet pręrogatiua, vt mentis aciem transferat ad morborum ideas penitiores, ac latentes. Quandoquidem hoc officium notificandi, quod est sua natura ignotum, viæ syllogisticæ est demandatum. Arist. 2. priorum & secundo post. circa finem mandauit memoriæ, quod nulla sit via, quæ adumbrata, & caligine aliqua obruta in lucem efferat, quam syllogistica: vt meritò Arist. reiiciat illos, qui partes definitionis ignotas crediderunt, sola methodo diuisiua pernoscendas: Perutilis tamen adeo est diuisio in venandis specificis differentiis, vt Gal. 1. ad Glauc. in limine libri, eo vsque Mnesitheum Atheniensem fuisse euectum litteris tradat, vt nemini fuisse secundum in medendo ferat, quia à generalissimis (conditione rectæ diuisionis seruata) ad subalterna, & ab his specifica descendebat, dixítque quod, qui in diuidendo est adeo exactus, quantum permittitur viribus, medendo non errabit; attamen non credant Lectores, viam diuisiuam solam nos ducere posse ad aliquid, quod sit ignotum; quoniam semper si cum diuisione non coniungimus demonstrationem à posteriori, incidimus in principij petitionem, quod vitium est explodendum ab omni diligenti inquisitione, diuisio enim tantum disponit, in ordinem redigit: & ante oculos è vestigio collocat, quæ sunt pernoscenda, nihil tamen concludit, quod sua natura ignotum sit: verbi causa, sint menses suppressi ob angustiam: tunc si diuidimus angustiam in suas species: dicentes, quod angustia vel erit ob subsidentiam, vel coalescentiam, vel obstructionem, vel compressionem, vel occlusionem, tunc ante oculos objicio, quæ illico sunt libranda: & deinde aliqua demonstratione à posteriori inferre possum reconditum, & alioquin occultum, probando non esse ob subsidentiam, quoniam forsitan habitus erit carnosus, & fortis, non siccus, vel frigidus, omnis enim subsidentia ob tres causas obtingere solet, vel ob nimium frigus, vel ob nimiam siccitatem; vel dum retentrice immodicè mouente, innanita reddita sint vascula: probando similiter non ob coalescentiam, cum non præcesserint cicatrices, non ob compressionem: cum tumor non extet: non ob occlusionem, cum caruncula aliqua non præcesserit, ergo erit ab obstructione exorta angustia: ecce quod in argumento ex sufficienti partium ennumeratione probando, & secludendo aliquo signo, vel demonstratione à posteriori; concludimus quoque quod sua natura est tenebrarum velo absconditum, vt diuisio adducat in medium omnia specifica membra pernoscenda, & ante oculos collocet, quæ expendēda veniunt, nil tamen aperiat, quod ex se

Petūt in principia qui vtuntur argumēto ex sufficienti par. enumer. sine alia demonstratione.

ſit deliteſcens: ſic nil concludit: cum ſolum ſyllogiſticæ viæ delegatum ſit munus hoc inferendi, & quamuis aliquando diuiſio videatur in lucem ferre, quod antea obtutū oculorū fugiebat; veluti vbi quis neſciret, quodnam ſymptoma eſſet gonorrhæa, ſtatim dum ſymptomatum genera diuidit, quod aliqua ſint exeuntia, aliqua mutatæ qualitates, aliqua actiones læſæ; ſtatim inquam ſine demonſtratione facta diuiſione, cognoſcit gonorrhæam eſſe ſymptoma in genere exeuntium: quoniam differentiæ hæ notæ ex ipſis ſe manifeſtant: nihilominus ſi diuiſio fieret in rebus obſcuris, tunc nulla fieri poterit concluſio ſine petitione principij: ceu aliquis diceret primo cognitum eſt ſingulare, vel vniuerſale, quodnam ex iis ſit, nullas diuiſio ex ſe dat nobis in pernoſcendo manus: vel ſi quis diceret, principium indiuiduationis eſt materia, vel forma, vel Heceitas Scoti, & ſic de omnibus abſconditis: expedit inſudare, & venari demonſtrationes, quæ tanta quęſita apetiant, quoniam in his ſi diuiſio à demonſtratione à ſigno ſaltem ſeiungitur, petit principium perpetuo. Amplius dum inferimus ex membris diuiſis conſequentiam, tunc eſt peccatum in forma ſyllogiſtica à poſitione conſequentis, ad poſitionem antecedentis: quoniam eſt illatio à genere ad ſpecies, veluti eſt animal, ergo eſt homo, eſt febris continua, ergo maligna, quæ ſunt abſurda: verbi cauſa, ſi diuidimus febrem continuam in malignam, & ardentem: ſi volumus colligere per diuiſionem, eſſe malignam, tunc genus id eſt febris continua per aduerſarios eſſet medius terminus, quare imaginemur omnes modos propoſitionis formandæ, & ſyllogizandi: vt error detegatur: eſſet ergo vel facienda hæc maior, omnis febris continua eſt maligna: & ſic eſſet in prima figura: quoniam febris continua, quæ eſt medius terminus, ſubiicitur in maiori, ſed cum apertè falſa ſit, alium modum formandi maiorem experiamur: ſic, omnis maligna eſt continua febris: & hæc erit in ſecunda figura, quoniam medius prædicatur in maiori, & argumentum fiet ex duabus affirmatiuis in ſecunda figura, quod non ſequitur, & argumentum reddetur ridiculum. Formemus iterum, vt experiamur omnes modos ſyllogizandi, tali pacto, aliqua febris continua eſt maligna, & hæc eſſet in prima figura cum maiori particulari, quod eſt monſtruoſum, quoniam maior debet eſſe perpetuo vniuerſalis: quia continere debet minorem, & quando non continetur minor ſub maiori, argumentum non ſequitur, vt de hoc luculentius egimus in libris de indicatione: ecce ergo, quod per diuiſionem generis pocedentes ad ſubalternas, & ab iis ad ſpecificas ideas, nos ſemper in occultis, & ignotis differentiis petimus: quoniam ſemper argumentum ex ſufficienti part. enumeratione, dum vtimur ipſo ſine demonſtratione aliqua in rebus inquirendis: petit turpiter principium: Hinc Ariſtot. 1. priorum: & in fine ſecundæ ſectionis concludit, ex diuiſione conſequentias eſſe prauas, vel ſi conſequens eſt bonum: illud non colligi ex præmiſſis: quia à genere ad differentias nulla eſt illatio.

Ex membris diuiſis inferre conſequētiam ſemper eſſe paralogiſmum.

Ad hæc quod diuiſio generaliſsimi ad ſpecifica nullas in hauriendis conſequentiis opes ferat, patebit non ſolum, quia peccet ſemel in forma, verum etiam non correſpondet variis Ariſtotelis præceptis, veluti ſecundo periher. à coniunctis ad diuiſa non valet conſequentia: ſicuti

in ſyl-

in syllogismo diuisiuo duplante colligitur, dicentes, omnis febris continua vel est benigna, vel maligna, hæc est continua, ergo benigna, vel maligna: iste est syllogismus duplans, at nil concludit, nisi quod est in maiori propositione. Ex hoc sunt tamen qui inferunt, non maligna, ergo benigna: iste processus à coniunctis ad diuisa, nullus est sine demonstratione; quia est in diuerso sensu in coniuncto, quam sit in diuiso, veluti febris continua est benigna, vel maligna: hæc non est vera, dum vero dicimus sine probatione, est maligna, est alter sensus, & non sequitur. Demum diuisione occulta inuenire, est peccatum in materia quod committitur circa vniuersale admonitum ab Arist. 1. post. cap. de tribus erroribus circa vniuersale, & peccatum est attribuere ex diuisione inferendo inferiori, quod superiori esset attribuendum, veluti vt insistamus in eodem exemplo: febris continua vel est benigna, vel maligna: hoc attributum, esse benignam, vel malignam aptissimè tanquam proprio subiecto conuenit febri continuæ, quia continua est vel maligna, vel benigna: at dicere febris, vt febris, est continua, & ex hoc tantum inferre, quod sit maligna, est attributum specificum, & non inferendum, cum inferiori subiecto conuenire debitum sit, adest in primis febris continua tanquam genus, sub hac continentur maligna, ardens, & variæ species, & vni ex omnibus attributum illud, quod sit maligna, conuenire debet: quare attribuere inferiori, quod superiori esset attribuendum, est error in materia non excusandus. Concludimus ergo diuisionem sine demonstratione nos decipere, & nihil vtilitatis in hauriendis afferre, & hanc summam vtilitatem venandi incognita esse deferendam demonstrationi, quæ sola obstrusa, & recondita splendescere facit, & in arte Medica per demonstrationem à posteriori, & per signa propria, vel communia coarctata; vt in hoc libro, & in 6. vbi docuimus, quomodo syndromes signorum communium sit facienda, quæ propriis signis subrogari possit.

Sillogismus peccat in materia si ex membris diuisis infertur cõsequentia.

Methodus quæ potest haberi de signis propriis affectuum omnium præter naturam à quinque fontibus exhauriendis.

CAP. VIII.

CVM ergo diuisio generalissimi in subalterna, & subalternorum in specificas affectuum præter naturam differentias vtilis quædam via sit: sed à demonstratione seiuncta, ob petitionis vitium in cognoscendis occultis affectuum ideis, mutila & insufficiens; optimum factu existimaui, in præsentia signa aliqua morborum tradere; & Methodum aliquam demonstratiuam condere: quæ post factam sufficientem affectuum enumerationem, vel diuisionem, principij petitionem tollat, & nobis commodè, & perpetuò manifestet, quo morbo vnusquisque patiens sit iactatus, atque perculsus. Cæterum, quia Medicus est sensatus philosophus, idcirco per signa, & à posteriori coactus est, quæ sua natura aliquo sunt obtenebrata velo, in lucem promere. Age, ostendamus, quænam sint hæc signa, quæ vim demonstratiuam obtinere videntur. Dicimus ergo, aliqua esse propria, quæ à determinatis fontibus, & separatim

ex vnico tantum vnicum signum proprium aliquando colligere possumus. Sed, cum humana hæc conditio vix ferat, nos in morbis contemplandis, atque indagandis signa propria inuenire, cum reuera perpauca sint, vt in centum affectibus vix vnicus sit, qui per vnicum signum proprium splendescat, ideò methodum certam de signis propriis tradere non possumus, cum de illis, quæ non sunt semper, nulla methodus, vel scientia detur. Verumtamen in capite proponimus illos fontes, ad quos (si aderunt) propria signa reducuntur, & per quos poterimus in morbis cognoscendis vagari, & philosophari; an vnicum existat proprium signum, vel an fontes illi suggesserint nobis aliquod propriũ; exinde fontibus iis explicatis, spiritum dirigemus ad Meth. de signis communibus, quæ abundantissimè à qualibet re scaturiunt, de quibus, & Methodus, & scientia dantur: aliqua ergo præter propria erunt communia, sed eò vsque illa certa methodo coarctari possunt, vt propriis bellissimè subrogentur, quem modum Arist. ita extulit 2. lib. post. circa finem, quemque adeo obseruat, dum delitescunt propria signa, vt doceat syndromen signorum communium aliquando vicem subire propriorum, sicuti exemplificat Arist. de animalibus habentibus tres ventres, quæ careant dentibus superioribus, & gestent cornua, hæ duæ proprietates coarctant animal habens tres ventres: & quæ conuertuntur cum subiecto, ac vnica esset conuertibilis proprietas & sicuti nos in venandis causis efficientibus, in medium adduximus syndromen nostram communium signorum à sex fontibus hauriendorũ, infallibilem, æternæ veritatis, & scientificam.

Si verò de propriis est colloquendum; Dicas ergo, quod si aliqua quandoque signa propria aderunt pro morbis cognoscendis, erunt haurienda ex aliquo ex iis 5. fontibus, vt primus hauriatur ex actione aliqua læsa, quod est immediatum symptoma: Secundus ab exeunte mutato: Tertius à qualitate mutata: quæ mediata symptomata appellari merentur, quia exeuntia, vel qualitates mutatæ non fiunt, nisi prius actio aliqua lædatur, quam deinde sequuntur: Quartus fons erit à motu morbi: motus verò morbi est vel vniuersalis, vel particularis: vniuersalis est Cronicus, vel acutus: particularis, sunt periodi & paroxismi: Quintus & postremus à iuuantibus & lædentibus: à quibus seorsum expensis, atque libratis, non in syndromen collectis, aliquando signum aliquod proprium maxime expiscari possumus, neque alios præterea fontes, vbi propria signa collocari contingat, imaginari possumus: quoniam omnia quæcunque nexum aliquem necessarium tenent, vel pendent per se à mala corporis constitutione: & erunt symptomata, quæ constituunt primos tres fontes: vel à contentis, quæ propriè motum periodicum faciunt: vnde quartus fons: vel sunt iuuantia, & lædentia: cætera vero omnia ad hos reducuntur, vel si non reducuntur, sunt accidentalia, & paralogismos constituunt, veluti est illud à nobis alibi reiectum à simili, vel à proportione: quod proponitur ab Argenterio & facit vel syllogismum in quatuor terminis, vel agumentum in 3. figura cum conclusione vniuersali, vel similia sequuntur inconuenientia de quibus alibi. Sed redeamus nos ad nostros fontes, dicentes, in primo fonte actiones collocari: quare si expendemus actionem animalem, vel sæpissimè ab hoc solo, & vnico fonte

fonte depromere possumus, quo morbo aliquis angatur, & corripiatur; sicuti exempli causa, in animali functione principe, & non principe: in principe, si memoria est deperdita; dicimus, ergo est intemperies frigida (vt multis placet) somnus nimium longus, ergo cerebrum est frigidum: & humidum: In non principe, aliquis fame intempestiua laborat; ergo affectus oris ventriculi erit siccus: similiter in actione vitali; pulsus ægrotantis erit valde tardus, ergo colliges esse affectum frigidum cordis, & plura quæ vnico signo sine syndrome optimè cognoscuntur: Ad eundem modum, si de exeuntibus instituimus sermonem; quàm primum pus vidimus, inferimus, ergo est vlcus, si cartilaginem tussi eiectam, ergo vlcus tracheæ, nulla interposita difficultate, certas has consequentias ex ex vnico signo, sine aliqua syndrome, morbum vel affectum internum colligere possumus: Itidem si in lotio caranculam spectamus, illico affectionem renalem comprehendimus, & si in vrinis sedimentum multum, & album sine aliquo vrinæ colore, depromimus affectionem frigidam, & humidam: tale quippiam in qualitatibus: si album inspicimus colorem, intemperiem frigidam, & humidam; si flauum & icterum, obstructionem pori fellei; si nigrum, siccitatem, & melancholiam. Ecce ergo, quod non à multis symptomatibus, sed ab vnico tantum, & seorsum expenso, euecti sunt prisci altissimam, & latantem affectionem genericam. Adhæc præter symptomata, adest motus vniuersalis, sicut cronicus affectus, affectionem frigidam ostendit, adest quoque motus particularis, vt periodus: nam ille qui alternis diebus ingrauescit, valetudinem calidiorem; qui de quarto in quartum inualescit, affectus non adeò caloris feraces, & qui mouentur vesperi, melancholicos, qui sæuiunt noctu, pituitosos; qui commouentur matutinis horis, sanguineos; & qui scintillant in meridie, effrenes biles portendunt. Postremo ex iuuantibus & lædentibus, aliquod propriissimum signum comprehendimus, nulla facta symptomatum contemplatione, veluti si morbus in immensa caligine versaretur; & symptomata adhuc sub iudice essent collocata; an videlicet vnum magis, quàm alium affectum ostenderent; peruenies saltem ad cognitionem aliquam genericam, dicendo iuuant calida, ergo affectus debet esse frigidus, & viceuersa; frigida manus dant, ergo calida affectio, veluti dum in aliquo variis oppresso affectionibus videbis febrem magnas suppetias ferre, aliud nõ poteris dicere, nisi quod affectus debeat esse frigidus; hinc Galen. 6. aphorism. 9. nouimus febrem illis tantum morbis conferre, quæ ex frigiditate sunt sola, vel cum humoribus crudis, & flatuosis spiritibus, & Hippocrates in Aphorismis, febris tollit conuulsionem; quare valebit semper dicere, febris opitulatur patienti, ergo valetudo erit frigida. Hæc signa in exempla adducuntur; cum plura signa propria alicuius affectus possem in has meas diuitias congerere, quæ cum apud practicos nostros excellentissimos, vt apud excellentissimum Eustachium Rudium, quem honoris causa nomino, innumera legi, & obseruari possint, non par est elegantissimè, & summo eloquentiæ ornatu in conspectum hominum ædita huc transferre, ne in maiorem molem volumen crescat: non conuenit inquam, quia hic tantum meum non est propositum, methodum de signis propriis promere à quinque fontibus

expiſcandis, ſed meum præcipuè eſt, methodum de ſignis communibus contrahendis in ſyndromem, tradere, quod fiet in ſequenti capite; Non enim eſt laborandum in proprijs colligendis: quia ſi in vnico morbo vnicum proprium colligimus, in centum affectibus, vt dixi, vix vnicus erit, qui in lucem ferat proprium, & per illud cognoſcatur affectus. Quocirca cum ſcientia debeat eſſe æternorum, & propria non poſſint inueniri ſemper: inſudabimus, vt inueniamus methodum obſeruandam in quolibet morbo cognoſcendo, quæ erit per communia ſigna contrahenda per ſyndromen, in cognitionem æternam, & infallibilem.

Methodus de ſyndrome ſignorum communium affectuum à ſex fontibus tantum colligenda.

CAPVT IX.

PLANVM eſt, in cognoſcendis internis morborum ideis, non perſæpe latere morbi differentiam; quoniam proprium ſignum, quod nos ad illam affectus naturam ducere poteſt, eſt obtenebratum, & eadem caligine, qua morbus obductum, & ſæpenumero circumſeptum; ratio vero tantæ obſcuritatis eſt, quia omnis morbus fermè eſt compoſitus, ideo per plura ſigna fere ſemper in cognitionem venimus. pleuritis, verbi cauſa, eſt inflammatio, eſt morbus mixtus, adeſt intemperies calida, & putredo. vnde febris, adeſt ſolutio continui in tunica, vnde dolor pungitiuus, adeſt magnitudo aucta, vnde difficultas reſpirandi, adeſt humorum confluxus in pectus, vnde tuſſis, eadem in mille aliis vidimus: idcirco ſumma debemus abundare ſolertia, ſyndromen aliquam ſignorum communium parandi, quæ in tantum contrahat, & conuertibilem cognitionem pariat, vt ad penitiſſimos illos affectus corporis peripheriæ vallo circumuentos, nos commodè deferat. Cæterum cum ſigna communia ſint propemodum infinita, nos illa amplecti dumtaxat conſtituimus, quæ immediate inſequuntur cauſas antecedentes, & ſubſequentes; quæ in vim propriorum ſubrogari, & ſcientiam infallibilem in animos noſtros cõferre poterunt; quæ omnia aptiſſimè ad ſex fontes hos transferre poſſumus: vt in primo fonte videlicet ſint omnia illa, quæ à procatarticis cauſis hauriuntur. In ſecundo, quæ à diſpoſitione patientis. In tertio collocabimus, quæ à cauſis efficientibus internis trahunt initium. In quarto, quæ à ſymptomatibus ſcaturiunt: In quinto, quæ à locis affectis. In poſtremo ſint illa ſigna, quæ per iuuantia, & lædentia, nos poterunt excitare, & commonefacere, quo morbo quis in altiſſimis corporis partibus concutiatur, atque iactetur. Quod vero nec plures, nec pauciores eſſe poſſint fontes, à quibus ſigna communia poſſint in hunc vſum colligi, talis ingruit neceſſitas; ſiquidem factu eſt poſſibile, hominem in morbum corruere, niſi ſex non naturalium rerum allectamentis aliquibus accerſitus, ac delinitus vel aliis externis cadat. Similiter qui fit, vt quiſpiam in malam valetudinem cadat, niſi corpus ipſius ſit diſpoſitum, atque paratum? vt hinc Galenus in hiſtoria Sileni dicat, vtique Silenus non incidiſſet in morbum grauiſſimum ob externos errores, niſi antea diſpoſitum corpus fuiſſet,

Cur à ſex fontibus tantum ſyndromes ſignorum communium colligi poſſit.

fuisset, ad eundem modum requiritur, vt morbus fiat, causam aliquam efficientem internam sæuire, à qua petenda sunt signa, vt fuimus executi pro virili nostro in 6.lib. similiter morbus non habebit permanentiam, nisi extemplo sequantur symptomata, vt hinc fons quartus ortus sit; vnde signa petenda erunt à symptomatibus. Demum cum morbus non possit esse nisi sit locus affectus; à locis affectis depromemus notas; & postremo à iuuantibus, & lædentibus, quo fonte vtimur, vt est abundans rei probatio, vt luculentius discussimus in libro 6. quem poteris adire, vt merito vber hæc materies alibi luculentissimè acta, hic in pauca sit collata.

Descendamus ad primum fontem, & quenque seorsim expendamus: procatarticæ omnes causæ ad has reducuntur, ad aërem: ad cibum, & potum; ad somnum, & vigiliam; ad motum, & quietem; ad animi passiones, & ad coitum, vel ad inanitionem, & repletionem, vel quod magis placet cum Galeno libro de tuenda sanitate, & alibi, ad quatuor capita, ad quæ hæc, & plura alia, vt alibi diximus, possunt reduci, & hæc sunt, quæ assumuntur, quæ fiunt animo, vel corpore; quæ foris adhibentur: & demum quæ excernuntur & retinentur; Istæ causæ extrinsecæ longo aliquo temporis tractu, temperamenta immutant; & ita altas (si corpus dispositum est) imprimere valent orbitas, vt inferant plagam in viscera, & parum disposita corpora disponant, & ad labem ducant. Quare si de aëre loquimur, potest calefacere, refrigerare, exsiccare, & humectare, & ad omnes intemperantias corpus deducere: si præcessit æstuosus aër, igne penè emicans, facile erit colligere morbum calidum subsecutum esse: Si verò præter æstum, aër non sit perflatus; sed ventis australibus expositus: tunc dupliciter calefacit, per se, & ex accidente: per se quatenus calidus; ex accidenti, quatenus obstruens meatus insensibiles: vnde retinentur perspiratus illi halituosi, vt tandem incrassentur, & in melancholiam degenerent, veluti si loca erunt palustria, & cænosa crassas adeo exhalationes spirantia; horum locorum incolæ vbi se colligent in aërem perflatum boreali spiritu, tunc tristitia, quæ est melancholiæ caracter, exui affatim sentient, quod obtingere solet Venetis melancholicis dum è suis palustribus in rura secedunt; vt ego addere soleam carminibus illis Lucretij 6. de natura. *De primo fonte signorũ communium à procatarticis colligendo.*

Est Elephas morbus, qui Nili flumina propter
Gignitur: Aegypto in media, neque præterea vsquam
Atthide tentantur gressus oculique in Achais
Finibus.

Quod est lippitudinem Acheis; podagram Athenis: elephantiasim Ægypto, sæuire, & Venetiis melancholiam hypocondriacam præcipuè vigere: quare si præcessit aër æstiuus, morbi calidi sequuntur: si nubilosus, melancholicus ille effrenis; sic de cæteris frigidis humidis, & hæ qualitates poterunt per se, & per accidens variis modis officere, vt nimius feruor per accidens quatenus resoluat, frigefaciat: nimium frigus quatenus obstruet, calefaciat: vt perpetuò spectanda sint eà, quę per resolutionem, & suffocationem contingunt, non modo in aëre; verum etiam in qualibet procatarctica causa. Si vero, ea, quæ ex aëre colligere poteris, in vnum

complexum coalescent cum cæteris fontibus, & cum iis, quæ pertinent ad eundem; tunc facta syndrome colligere poteris morbum. Nam si de alimento loquimur, tunc ex Galeno in iis, quæ ad Glauconem, nonne habemus in Alexandria, & in Mysia, æquè cochleas, carnes salitas, & lactem, homines comedere, verumtamen quia in Mysi aër est gelidus, & in Alexandria summo æstuant æstu: idcirco in Alexandria affectus elephanticus grassatur, atque scintillat, quippe in Mysia, & in Germania non videtur sæuire, vt maiorem vim obsideat consequentia, si aëri adiungimus alimentum; præcessit enim aër feruidus, & cibus calidus; ergo affectus subsecutus erit calidus, & quod de calidis affectibus inferimus, de omnibus subaudiendum erit. Si vero aëri, & alimento adiuncta esset vigilia, vt æque respondeat, atque cohęreat, certiores adhuc consequentias hauriemus; Vigilia exsiccat, somnus humectat; vnde ex Galeno, somnus demulcet sitim, & lassitudinem illam vlcerosam ex bile factam: somnus nimius ad frigidos morbos; Vigilia ad calidos, & feruentes transferunt corpora; Si præcesserunt exercitia, & motus insignes, calidos morbos. Si vero vehementissimum anteiuit exercitium, tunc poteris, si aliis fontibus correspondeat hoc signum, colligere frigidos morbos ob resolutionem caloris, & quod de motu colligere valemus, de quiete contrarium esset inferendum: secludendo semper id quod est per accidens, ab eo quod est per se; per accidens enim in procatarcticis variæ sunt causæ operantes, vt suffocantia, & resoluentia vniuersa, ad eundem modum animi pathemata omnia calefaciunt, ex Galeno in methodo medendi habemus nō solum iram, sed mærorem, & mœstitiam ad motum, vt ad causam efficientem caloris reduci; sic in iram excurrens, vel percitus furore, furit adeò, vt flammeus scintillet feruor; eodem modo mœrore enecti concentrant spiritus: quippe arctè vniti solida adeò quatiunt, & vibrant humores, vt ardore & illo infestissimo melancholico miserrimi promptè præmantur. In calidis ergo affectibus hauriendis, & præcognoscendis passiones animi maximam præbent notitiam. Postremo si in hoc fonte, coitus quoque conspirat, eò certior euaderes; Coitus enim calfacit, sed imbecilla corpora refrigerat; Gal. de morb. vulg. con. text. 23. Coitus calfacit; sed corpora imbecilla refrigerat: refrigerat enim debilitando, veluti habet Gal. 6. aphor. 28. dicens, multam vini potationem debilitare, vt coitus, qui debilitat corpora, quæ robore non ita præstant, & exsiccat vsque ad hecticum tabum, vt hinc Galenus de Satyro dicat 8. de morb. vulg. 38. ob eiaculationem seminis repetitam tabidum factum fuisse, vt ex coitu nimio possis in diuersa corporum conditione, & contumacissimum, & effrenem colligere calorem, & summam haurire siccitatem; & debilitatem quoque aliquando, & aliquando frigiditatem inferri posse, quoniam omnes externæ causæ, nisi suffocent, & resoluant, per se agunt: inferas ergo breuibus: aërem calidum, alimentum calidum, vigiliam, motum, passiones animi, & coitum, nisi resoluant, vel suffocent, calidos morbos: sin minus, frigidos parere: aërem frigidum, alimentum frigidum, somnum nimium, quietem per se refrigerare, ex accidenti (quatenus obstruere valent) calidos morbos facere posse.

Coitus quando calfaciat, & quādo refrigeret.

Qua

Qua methodo per viscerum dispositionem præcedentem ducamur ad cognoscendos affectus internos.

CAP. X.

EX traditis in primo fonte in satis rectam semitam duci poterunt inuentores morborum, at nulla necessitate hactenus inferre aliquid valent, nisi ad secundum fontem, quem voco à proprietatibus, vel dispositionibus corporis conferant mentis aciem. Iam diximus neminem affectibus præter naturam posse illaqueari, atque irretiri, nisi præexistat in corpore illa dispositio, vt Sileno contigit, & has dispositiones ante oculos expedit collocare, vt illis admoniti, ocius internum & occultum præcognoscamus affectum: Aliquæ ergo erunt dispositiones antecedentes, aliquæ subsequentes: in feruidis affectibus antecedentes erunt, esse oriundum à parentibus, qui fuerint perpessi eundem affectum, qui hæreditariè eandem receperint luem. Ex ætate: in iuuene scimus corpus dispositum esse ad ignitos affectus; senum ad frigidos: Ex intermissa aliqua euacuatione, nam intermisso sanguinis per hæmorroidas melancholicum affectum; intermissio bilis ardentem, & sic de cæteris: Ex corporis conditione, nam obæsum in frigidos, macilentum corpus in calidos est obnoxium. *De secundo fonte signorũ communium in dispositione viscerum collocato.*

Ex physionomicis signis; qui habent frontem rotundam, in bilem: qui maxillam inferiorem magnam, in pituitam: qui habent venas latas, in calidos: exiles, in frigidos sunt proni. Varia deinde obseruantur consequentia, quæ eandem dispositionem portendunt; quia si animales spectamus functiones, vt esse vigiles, mutabiles in sententia, celeri ingenio, in somnis videre arma, vel quæ iram incutiunt, esse agiles in motu, bilem ostendunt. Ex vitalibus, si sunt iracundi, & sint ϑυμώδεις in Venerem præter modum excurrant sed μικρόψυχοι, & pulsus sint veloces. A naturalibus, cibum non esse molestum, bilem sortiri multam, optimè digerere, & male coquere, excrementis esse exutos, vt saliua carere, & bilem in auribus esse plus debito, hæc omnia calidos affectus ostendunt.

Si verò contraria obseruantur: vt sint in sententia constantes: aquam in somnis videant: tardo sint motu, non ϑυμώδεις sed ἄϑυμώδεις, pulsus molles: & fere suffocati, & coitus nimia sit abstinentia, quæ ex Galen. 6. de loc. aff. 5. disponit ad sex mala, ad grauitatem capitis, ad cibi fastidium, ad periculum febris, ad coctionem diminutam, ad torporem, & ad timorem: Cibus paulo plus debito sumptus valde molestus, abundantia saliuæ, somnus longus, non sitire. frigida corpora ostendunt, & si carent moribus (cum pituitosi ex Gal. libro de natura humana non habeant mores) tanto magis frigidum, & pituitosum corpus indicaretur. Hæc & similia debent expendi, vt corporis dispositio cognoscatur; quoniam vt probabimus ex Galeno, solùm disposita corpora in ægritudines procumbunt: propterea si exhauries signum aliquod à primo fonte, & coniunges cum aliqua ex iis dispositionibus, non erit difficile expergefieri, & cognoscere quo morbo quis iactetur: & tanto magis si hæc cum *Abstinentia coitu ad sex mala disponit.*

inferioribus fontibus coniunges, tunc certam comparare poteris cognitionem.

De tertio fonte signorũ communium ab humorib. peccantibus colligendo.

Sequitur tertius fons, qui est ab humoribus, nullus enim reuera potest esse morbus, neque hecticus, qui corpora hæc nostra vexare solet, quin alterentur humores. Sed quoniam de humoribus omnibus peccantibus in 5. & 6. libris fuimus in illa speculatione admodum soliciti, cum duo libri in hunc finem editi sint, idcirco consulto omittimus hanc contemplationem cum illuc commodè adire possis.

De quarto fonte signorũ communium à symptomatibus colligendo.

Quantum igitur ad quartum fontem spectat, vbi per symptomatum cognitionem procedimus ad latentes affectus cognoscendos: ante oculos collocanda sunt omnia ægrotantium symptomata, eaque expendenda, & ad prima initia, vt superius sumus executi, sunt transferenda, dicentes, quod omnia symptomata vel sint primi ordinis, vel secundi: si primi erunt actiones læsæ, quæ immediatè insequuntur morbum; si erunt secundi erunt exeuntia, & qualitates mutatæ: quæ mediatè sequuntur morbum. Attamen primum exordium symptomatum est morbus, cum omnis lęsio actionum, & omne exiens malum, vel qualitas mala aliquam constitutionem insequantur, sicuti superius probauimus, vt non sit quod hanc rem authoritatibus Galeni & Arist. confirmemus: supponendum igitur erit symptomata esse in fieri, & perpetuo pendere, eaque tolli non posse, nisi quæ sunt in facto esse adimantur; quoniam nil fit, nisi supposito subiecto, & efficiente, quæ sunt in facto esse, & veram permanentiam habent; resecemus ergo symptomata ad sua prima principia, & exordiamur hac methodo resolutiua. sunt exeuntia mala, ergo retentrix est diminuta vel ablata; dicas deinceps, vt peruenias per semitam infallibilem ad veritatis apicem, est læsa retentrix, ergo vel per se vel per accidens, quæ distinctio ambit omne genus entis, & omnia cadunt sub hac vniuersalissima diuisionis consideratione: si per se, est Galen. 3. de sympt. causis primo, causas lædentes per se retentricem, vel expultricem, vel cæteras corporis functiones esse facultates læsas, vel obiecta externa; læsa enim est facultas, dum instrumentum eius læsum est, quod est constitutio præter naturam, quæ prædicatur de partibus similaribus, & dissimilaribus. Vnum igitur genus, quod per se causat retentricem diminutam, vel ablatam, erit mala constitutio similarium, vel dissimilarium, si erit mala constitutio similarium, erit intemperies humida, quæ reddere potest fibras in orbem locatas eo vsque flaccidas, vt nulla retinendi vi polleant, si verò erit mala constitutio dissimilarium lædens hoc modo retentricem, erit nimia apertio vel per anastomosim, vel per diæresim facta, anastomosis vero vel ob acrimoniam, vel ob copiam, vel ob imbecillitatem fit, & diæresis quoque ob tres causas fieri solet, ob acrimoniam videlicet, ob copiam, vel ob externum ictum. Aliud verò genus, quod lædere potest per se operationes potest esse obiectum externum, nulla etiam facta in facultatibus læsione, sicuti ob humiditatem ex continuis potationibus collectam: per accidens lædi potest retentrix, quatenus expultrix irritata præmit tanto cum impetu, vt nulla naturalis virtus optimæ retentricis possit resistere: ad eundem modum de expultrice dicendum, quod per se, vel per accidens lædatur, per se irritatur à mala constitutione similarium,

Causæ anastomosis, & diæresis quæ sint.

rium, veluti esset intemperies calida & sicca transuersarum fibrarum; per se diminuitur ab intemperie frigida & humida: læditur, & corrumpitur ab obiecto per se, dum effrenes biles pungunt, & vellicant transuersas fibras, quæ sunt instrumenta facultatis expultricis, vel per accidens læditur expultrix ratione alteratricis diminutæ; quæ esset adeo viribus exuta, vt non generaret bilem, tunc partes similares, & dissimilares destinatæ huic officio expellendi, possent optimam valetudinem sortiri, attamen expultricem in suis obeundis muneribus deficere propter læsam alteratricem, quæ est omnium functionum naturalium tanquam princeps, & domina, & quæ immediatè constitutiones in primis similares, & deinde dissimilares respicit.

Hæ igitur functiones cum aliquæ sint diminutæ, aliquæ ablatæ, & aliquæ deprauatæ; dicas si erunt diminutæ, vel ablatæ functiones naturales, tunc per se indicare passionem frigidam, quæ potest esse vel in obiectis, vel in constitutione similarium partium. Nos autem tunc cognoscemus esse in obiectis, quando ex tempore sine aliqua præcedenti corporis dispositione videbimus functiones diminutas, vel ablatas reddi; Cognoscemus deinde passiones frigidas esse in constitutione similari, quando corpus longo temporis tractu ad malam valetudinem redditur dispositum; quoniam ex Galeno passim intemperies, quæ sunt malæ constitutiones similarium, neque cito fiunt, nec cito desinunt: dicas deinde, si erunt functiones naturales deprauatæ, tunc per se indicari calidam passionem, quia contrariorum eadem est ratio, quæ similiter affectio calida erit vel in obiectis, vel in constitutione, & cognoscemus esse in obiectis, quando sine præcedentibus dispositionibus deprauatæ obseruantur: in constitutione verò, quando tractu temporis corpus ad illas passiones erit obnoxium. Quantum verò spectat ad actiones vitales, & animales; diminutæ vitales vel frigidam passionem indicabunt esse in similaribus partibus, vel indicabunt esse angustiam in dissimilaribus, hinc pulsus plus debito tardus affectum frigidum ostendet, & pulsus inæqualis affectum in angustia, quæ pertinet ad dissimilarem partem, vt propterea Galen. 4. de loc. affectis vlt. cognouerit Antipatrum Medicum ex inæqualitate pulsus, & ex difficultate respirandi, habuisse angustiam in magna arteria. Si verò de functionibus vitalibus, & animalibus deprauatis loquimur, aliquando calidos affectus significant, & aliquando frigidos, & præcipuè functiones animales deprauatæ, sicuti obseruamus in Epilepsia, vbi deprauantur functiones animales, attamen affectus à frigidis oritur causis, & in phrenesi vbi actiones animales deprauantur, nihilominus affectus est calidus. Si verò de functionibus animalibus diminutis loquimur, hę potius frigidam passionem ostendunt, vt valeant hæ consequentiæ in diminutis functionibus animalibus: est memoria deperdita, vel diminuta, ergo est intemperies frigida & humida: est caius, ergo frigida intemperies: est mēs hebes, ergo frigida intemperies; quare diminutæ functiones animales potiùs frigidum affectum, quàm calidum; deprauatæ verò ali-

quando frigidum, & aliquando calidum: calidum inquam non solum in phrenesi, sed in aliis affectionibus, vt quæ obseruantur in illis, qui sunt vigiles, qui obloquuntur, vel nugantur, qui totis horis sunt sitibundi, & à cibo abhorrentes, hæ omnes affectiones sunt in genere actionum deprauatarum, & biliosos succos ostendunt, vt Galenus docet, de Historia Cleonactidis verba faciens, de quo ægrotante dixit, quod quamuis malam febrem habuerit, & biliosa vomuerit, quoniam nec sitiebat, nec abhorrebat cibum, & non erat insomnis, ex iis tamen colligebat Galen. Cleonactidem ardenti febre esse oppressum, abundare tamen potius frigidis quàm calidis humoribus, vt sitis intensa, vigiliæ, calidos affectus significent: colligimus ergo ex læsis actionibus primas affectuum radices & quando aliqua actio nos dubios reddet, nos confugere debere ad primum fontem vbi ex procatarticis aliquid colligere possumus. Et ad secundum fontem, vbi ex dispositionibus antecedentibus, & consequentibus, qui sint affectus cognoscere valemus, & demum ad locos affectos, & ad iuuantia, & lædentia, vt simul vniti fontes possint certissimam reconditi affectus cognitionem afferre.

Qua Methodo ducamur ad cognoscendos locos affectos.

Capvt XI.

De quinto Fonte signorum communium à locis affectis cognoscendo.

POSTREMO libranda sunt ea, quæ ad quintum fontem spectant: ex Galeno recepimus quinque loca, quæ ad cognitionem reconditæ, & delitescentis partis affectæ, nos vehere possunt; quorum locorum primus est ab excrementis; Secundus ab actione læsa; Tertius à situ accidentiũ, vt à situ doloris, caloris, tumoris, vel grauitatis: Quartus à propriis accidentibus; Quintus à doloris proprietate; ab ijs locis, & per hæc principia nos aptissimè locos affectos cognoscere valebimus: quibus percognitis non erit arduum, affectus internos, & penitissimos haurire; & quemadmodum aliquãdo ex vnico loco affectum locum consequimur, aliquando ex pluribus: similiter ex loco affecto, quod est per vnicum fontem procedere morbum sæpè comprehendimus, nulla alia facta syndrome. Age, exempla, quæ animos lectorum demulcere satis possunt, proponamus: diximus ab excremẽtis locum affectum quandoque pernosci, veluti vbi sanies eijcitur per vomitum sine tussi, tunc dicimus ventrem esse vlcere afflictum: sed hactenus latere, an œsophagus sit pars affecta, an ventriculus; vt hoc pernoscatur cõfugimus ad alia loca, vt ad sitũ doloris, dum cibum videlicet ingerunt: si antequam ingestus sit, puncturæ sentiantur, est in œsophago: post immissum cibum excitentur puncturæ, est in vẽtriculo: aliis pergamus exẽplis in locis affectis internis cognoscendis, cũ non deceat, alia exempla proponere, quam reconditorũ locorũ; iterum ab excrementis exordientes: est pus permixtum valde cum lotio, dicas ergo

renes

renes sunt affecti; quoniam ob distantiam locorum pus valdè permiscetur. Cæterum non præstat infallibilem cognitionem, nisi ad alia loca confugiamus; quoniam etiam hepar in parte gibba potest esse vlcere oppressum, & inde per vrinam pus mixtum prolabi. Situs ergo exoluere videtur nodum: nam si dolor est circa lumbos, est in rene: si in regione hepatis, est in hepate: præterea si in lotio caruncula conspicitur, renes esse affectos, solum hoc signum posset omnes discutere tenebras, quemadmodum, dum aliquis patitur vlcus tracheæ arteriæ, tunc si per tussim ejicitur cartilago, hoc mirum in modum nos cogit ad credendum vlcus esse in trachea. Diximus quoque ab actionibus læsis affectos locos nos assequi posse, vt hinc pulsus inæqualis, atque intercisus, quatenus est actio vitalis, membra spiritalia esse affecta, certò significet; sin verò pulsui intercisio addatur difficilis respiratio, certissimam habebimus cognitionem tunc magnam arteriam afflictari, vt obtigit Antipatro medico magnæ arteriæ angustia correpto, quippe, & pulsum intercisum & difficilem respirationem habebat. A situ cognoscere quoque poterimus affectos locos: veluti si durities in dextro hypocondrio esset, quæ lunæ bicornis specimen & exemplar emularetur, tunc iecur tumore affici esset dicendum. Sin verò hypocondrij durities in longum esset exporrecta, tunc non in hepate, sed in musculis rectis affectio collocaretur. Ecce quod à situ tumoris inferre valemus affectum locum, & deinceps internum, & reconditum affectum expeditius consequimur. Ad eundem modum, vt in eadem exemplorum luce insistamus, de Empiemate verba facientes, dicemus, locum affectum nunc esse partem pectoris dextram, nunc sinistram, quando mirabili illo Auicennæ experimento obseruabimus in qua parte collectum pus delitescat, quod fiet si linteum madore suffusum superponatur pectori. Indeque post dimidiæ horæ tractum videamus lintei partem aliquam ocius exsiccari, tunc si dextra citius madore exuitur, in parte illa dicemus pus esse collectum; causa verò quod exsiccetur, & promptius humor lintei in auram abeat, est calor mordax à pure prodiens: ecce quod præter excrementa, & actiones læsas, situs valde conferre potest ad locum affectum cognoscendum: adsunt tamen præterea propria accidentia, & dolorum proprietates. Hinc diximus flauitiem, vt in arquato, significare obstructionem, vel angustiam quatenus canales, & ductus ferentes bilem ad cistim felleam, sunt occlusi. Similiter per propria accidentia cognoscimus vesicam calculo opprimi, veluti dum scalpunt pudenda: nihilominus nisi hanc proprietatem alia signorum syndrome castigemus, sicuti per situm, per actionem aliquam læsam, hæc non prædicabitur per se: dicendum igitur præter pudendorum pruritum in calculo vesicæ, grauitatem quandam esse circa pubem; ecce quod situs adiunctus illi proprietati ostendit magis vesicam esse læsam, attamen hactenus non consequimur infallibilem affecti loci cognitionem, quoniam obtingere posset grauitatem circa pubem à mola, à pudendorum scalptu, & ab aliis causis prodire, quare ad rectam syndromen faciendam meritò pro cal-

culosis iis cognoscendis, adiungimus mixtionem modo esse deprauatam à perpetuo vrinæ ardore, modo esse ablatam, dum patientes isti ex tempore improuisa suppressione illaqueantur: ecce quomodo variè in cognoscendis occultis locis affectis distrahenda est animi acies, & per plures fontes sit incedendum, qui tanta pollent virtute docendi affectus, ac signa essent propria, & conuertibilia: postremo proprietates dolorum cum primis valent, nam pulsatiuus dolor arteriam, pungitiuus membranam, vt in pleuritide discussum est, sola hac doloris proprietate distingui inflammationem hepatis à vomica. Similiter dolor conuellens tendines, & neruos esse affectos significat: contundens dolor, & profundus ossium membranam, quam periostium vocant: laxus dolor, siue laceratiuus carnem affici significat: grauis dolor significat viscus aliquod quod sit sensus hebetioris, vt sunt renes, hepar, pulmo, mesenterium; hæc igitur erūt illa signa, quæ tantam efficaciam in cognoscendis locis affectis habent, vt aliquando vnicum ex iis signis in affectæ partis suspicionem nos adducere possit, & tanto magis omnia simul vnita: vt inde cognitis locis affectis in cognitione affectus delitescentis perueniamus, vt ab initio inquirendum proposuimus.

De sexto fonte signorum communium à iuuātibus, & lædētibus colligendo.

Quinque ergo animaduersis fontibus, qui ad effectus penitissimi fastigium nos ducunt: sequitur sextus fons, dum per iuuantia, & lædentia incedimus. Cæterum, vt alibi diximus, ad internam rem cognoscendam quinque tātum fontes methodus nostra continet, & non plures, vt contineatur hic sextus fons in quinque antedictis: quoniam illa tantum antecedentia, & consequentia sunt cognitioni conferentia, vel quæ res producunt, vel quæ res ipsas consequuntur: veritas enim est æquatio rei ad intellectum, & res sicut se habent ad esse, ita ad cognosci. Quæ constituunt morbum quemuis sunt causæ extrinsecæ, dispositiones patientis, & humores interni. Quæ consequuntur, & à re prodeunt, sunt symptomata, suntque loci affecti: quare iuuantia, & lædentia sunt quid extrinsecum: attamen pro illis, qui non sunt vel diligentissima scientia exculti, & qui amethodum sectam colunt, cum primis conferre poterunt; eritque perinde, ac lydius calculus in probi auri experimento, quare erit abundans rei probatio, & confirmatio: verbi gratia, vt omnia exemplorum claritudine emineant, atque splendescant, vt nullomodo fluctuet, & pendeat animus; proponamus casum. Erit aliquis lassitudine conflictatus: vis scire quænam sint ex illis tribus ideis, phlegmonodes videlicet, tensiua, vel vlcerosa? tunc si confugies ad iuuantia, & lædentia, & videbis ieiunium conferre, inferes lassitudinem esse tensiuam, non vlcerosam, vel si videbis ieiunium aduersari, ergo (dices) esse vlcerosam; ex Galeno valet hæc consequentia secundo de ratione vict. 33. nocet huic ieiunium, ergo bilis peccat. Sed adeste animis, quod hæc iuuantia, & lædentia pertinent ad secundum fontem, qui est de dispositione patientis, quod iste patiens forsitan talem sit sortitus naturam, vt à ieiunio lædatur, vel pertinet, & magis propriè ad tertium fontem, vbi de causis efficientibus

morbo-

morborum agitur; nam bilis vbi alicui corpori lassitudinem, vel alium morbum infert, tunc nimia inedia est fugienda: & contrarium obseruatur in pituita, quæ tensiuam tantum parere poterit lassitudinem. Quocirca ex animo expendere oportet quinque illos primos fontes, quoniam omnia signa ad illos bellissimè reduci possunt: tale quippiam in lassitudine tensiua, si videamus cibi paucitate sitim tolli; & alimenta sicca nullam inferre sitim; tunc non cognoscimus lassitudinem propterea esse tensiuam, sed quia cognoscimus efficientem, quia cognoscimus esse pituitam, vel bilem: est Galeni præceptum 6. de morb. vulg. 3. text. 28. biliosos succos cibi paucitate sitim intendere, & lassitudinem: pituitosos contrarium; vt hæc sint attributa causę efficientis, bilis videlicet, & pituitæ; vt percurrere per iuuantia, & lædentia non sit per alios fontes, quam per quinque propositos versari: similiter videbimus acetum prodesse in calida intemperie, tunc propterea confert; quia illius dyscrasiæ causa erit bilis, quæ est causa efficiens intemperiei; Vnde ex Galeno 3. de ratione vict. 38. quibus amara bilis, exsuperat acetum prodest, ab ipso enim dissoluitur, & degenerat in pituitam: valebit ergo inferre, iuuat acetum, ergo bilis, tunc enim bilis præbet fomentum intemperiei calidæ. Possem plura alia exempla afferre, quod fons per iuuantia, & lædentia sit per quinque propositos dispersus, sed in re manifesta non est vlterius eundum, recipiatur igitur fons iste sextus, ac si esset lydius lapis, quo fieret breue, & immediatum experimentum pro cognoscendis occultis affectibus, veluti faciunt aurifices, qui habent ingenia cognoscendi aurum igne, dum illico vero, & sine labore, & igne volunt experiri, adeunt calculum, & breuiter experiuntur.

Quomodo cognoscatur veternus affectus per syndromen signorum à sex fontibus collectam.

CAPVT XII.

PRÆSTAT in præsentia Methodum iam traditam experiri, numquid in affectibus præter naturam inquirendis illud emolumentum afferat, quod superius sumus polliciti: Age in examen veternum affectum conferamus. Sit aliquis igitur coinquinatus lethargo; vis certo scire (si hæsitas) affectum esse lethargum? ad fontes confugias, iam nosti, lethargum esse inflammationem cerebri pituitosam, dicaş ergo, quo ad primum fontem, vbi collocatæ sunt extrinsecæ non naturales causæ, ægrum non potuisse pituitæ copiam colligere, nisi in rebus illis non naturalibus deliquisset, & nimium prolixius poculentis, & esculentis pituitosis forsitan indulxisset; pituitæ enim magnus aceruus non colligitur sine aliquo errore in causis non naturalibus pituitam colligentibus, & in corpore, nisi esset collecta pituita nullo modo in lethargum caderet.

Expendas deinde secundum fontem, vbi dispositiones patientis

ſunt propoſitæ, quæ vel ſunt antecedentes, veluti eſſe ortum à ſimilibus parentibus pituitoſis, eſſe ſenem, eſſe obæſum: vel ex aliis ſignis cognoſces(de quibus in 6.libr.cap.de pituita)corpus eſſe multo phlegmate circumfuſum; vel ſunt conſequẽtes diſpoſitiones,ſicuti quando eſſet intermiſſa pituitæ euacuatio per vomitum, per nares, per vrinam, per aluum, vel per alias partes, vel aliqua tantum ex iis diſpoſitionibus contingeret, quę oſtenderet pituitoſum ſanguinem, ſine quo eſt impoſſibile veterno, ſiue lethargo affectu conflictari: quare ſi coniunges primum fontem de cauſis extrinſecis cum hoc ſecundo de diſpoſitionibus patientis, ſuaderi incipies affectum eſſe pituitoſum, quia vel maximè poſſunt errores externi, vniti cum diſpoſitionibus, indicare affectum. Oſtendit Galen. primo ad Glauconem, neminem incidere in acutiſſimum morbum ob errores in procatarcticis tantum, niſi antea corpus eſſet diſpoſitum ad illum affectum, & Ariſt. 1. phy. non vult formam educi, niſi è ſubiecto diſpoſito, & ſimul priuato cum neceſſaria adeptione aduenientis formæ.

Sequitur Tertius fons, quod præter diſpoſitiones corporis, conferentes ad pituitam colligendam, debeat eſſe in ſanguine pituitoſi ſucci dominium, quod perbellè cognoſces ex methodo tradita in 5. & 6. libris: quoniam lethargus non poteſt fieri ſine pituitæ dominio.

Accedit deinde quartus fons, qui eſt de ſymptomatibus, quæ à poſteriori declarant, an quis ſit obſeſſus lethargo, & quinque afferuntur, quæ ſola ferme vim habent docendi lethargi præſentiam, & exiſtentiam.

Primum enim ſymptoma erit memoria diminuta, & deficiens.

Secundum erit ſomnus, ſed minus profundus quàm in Caro: in caro pituita non putreſcit, neque irritat, vt in lethargo. Hinc eſt quod profundior eſt ſomnus, & memoria magis deficiens in caro, quàm in lethargo. Hinc ſequitur.

Tertium ſignum, quod in lethargo interrogati, aliquando reſpondent, in caro nequaquam.

Quartum ſignum cognoſcitur lethargus ex anhelitu tardo, quia facultas motrix eſt ſopita. Hinc quoque eſt, quod ob pituitæ putredinem addatur.

Quintum ſignum, quod pulſus ſit magnus, donec perſeuerat irritatio pituitę putreſcentis, quem non obſeruamus in comate, eſt quoque tardus ob diſtantiam cerebri à corde, & ob pituitæ lentorem; ecce quàm bellè hæc poſteriora ſigna lethargum circumſcribunt. Verumtamen quando deeſſent cauſæ extrinſecæ, quæ non generaſſent pituitoſos humores, & non eſſet ſubiectum ad hoc diſpoſitum, parum tuta & conſtantia eſſent illa ſigna conſequentia, quæ forſitan poſſent aliqua occaſione ſuſcitari, & tractu vnius diei euaneſcere: quemadmodum dum ob inſignem errorem in procatarcticis occaſionibus naſcitur in corpore non diſpoſito ad truciorem morbum ephemera, vel aliquod aliud ſymptoma duorum, vel trium dierũ, vt placuit Galeno, in corpore non diſpoſito ad labem, & ſtatim ceſſant omnia mala ſigna,

vt

vt ſit neceſſarius omnium fontium concurſus; quia in re ipſa conſtituenda, antecedentia neceſſario præcellunt, & in re conſtituta conſequentia ſequuntur. Demum quo ad quintum fontem, qui eſt de locis affectis, in lethargo locus affectus eſt cerebri ſubſtantia, non membrana, ſicuti docet Gal. 4. de cauſ. pulſ. & alibi: cognoſcitur enim eſſe cerebrum, locum affectum à propriis accidentibus, & ab actione læſa, actio læſa, qui obtuſus ſenſus eſt, cum cerebrum careat ſenſatione: membranæ vero acutiſſima præditæ ſint. Cætera accidentia, & ſymptomata ſunt propria. Ex iis igitur quinque fontibus in exemplum lethargum expendentes, cognoſcemus methodi noſtræ veritatem, atque præſtantiam.

Quomodo cum noſtra ſyndrome cognoſcatur Empyema. CAP. XIII.

COgnoſcimus aliquem eſſe empyemate affectum ex antecedentibus, & conſequentibus; & ne longius iuſto euehar, ſtrictim quæ ad ſummam methodi noſtræ ſunt conferentia, proponamus. Ex procatarcticis, ſi aliquis nimis comeſſationibus, & ſympoſiis ſe tradidiſſet, vel ſe ventis auſtralibus expoſuiſſet, vel veneris ſtimulis eſſet incitatus, & libidinis blanditiis fuiſſet accerſitus, promptéque in maximam viſcerum debilitatem incidiſſet, patientis huius viſcera, vt ventriculus, caput, vel pectus, viribus fracta, tali pacto redderentur diſpoſita, vt in empyema facili negotio incurrere poſſent.

Ex ſecundo fonte colligimus, caput reddi deſtilationi obnoxium, & tali pacto diſpoſitum, vt peregrinos malos humores miſſos à ſubiectis viſceribus omnibus reciperet, & inde pectus aptiſſimum redderetur ad recipiendam ex capite pulſa recrementa, vnde tuſſi inciperet angi, & ad empyema diſponi, vel malas viſcerum diſpoſitiones reciperet ab exordiis naturæ, vel quia aliqua fuerit intermiſſa euacuatio excrementorum.

Ex tertio fonte, ex cauſa efficiente nimirum, patiens eſſet talis, vt pituitoſis ſcateret ſuccis.

Quartus demum ſe offert fons, in quo hæc conſequentia ſymptomata collacantur, vt

Primum ſit, ſenſum grauitatis in profundo thoracis perſentire, quod fiet ob copiam confluxi humoris.

Secundum ſit, tuſſis in primis ſicca, & paulo poſt purulenta.

Tertium ſit, fluctuatio ob pus confectum, & in pectore retentum.

Quartum, difficultas reſpirationis cum fœtore ob pus collectum in pectore.

Quintum, maciem hecticam habeat, quatenus ob vapores puris obrepentes cor, natiuum robur in ruinam cadat. Ex iis conſequentibus ſymptomatibus certam cognitionem habemus, ſed certiorem comparabimus, ſi cum cæteris fontibus omnia iſta conferemus.

Et postremò quintus fons esset, quod cognosceretur locus affectus experimento Auicennæ, superposito nimirum linteo madefacto pectori, quia pars, quæ citius exsiccabitu, rerit affecta; cum pus suo calore peruadens exsiccet extrinsecum linteum, qui locus affectus cognoscetur ex situ. Nunquid peruisis omnibus iis, absolutam omnibus numeris cognitionem consequeris, patientem illum empyemate conflictari?

Quomodo per syndromen nostram cognosci possit Peripneumonia.

Cap. XIV.

INflammatio hæc pulmonis est à sanguine potius pituitoso, ad differentiam pleuritidis, quæ fit à sanguine bilioso: ergo externæ causæ fuerunt illæ, quæ sanguinem pituitosum colligere fecerunt; is peripneumonia correptus antequam corruat in hoc vitium raptus, victus forsitan fuit, eduliis crassioris & tenacioris succi, vnde impressum fuerit aliquod vestigium huius morbi; & inde sit hoc modo dispositus pulmo: quoniam sine hac dispositione, vt dicit Galenus, nec gladius scinderet, nec ignis cōbureret, quæ dispositiones, vel sunt antecedentes veluti si esset ortus à parentibus similem affectum patientibus; vel consequentes, velvti si aliqua intermissa esset euacuatio sanguinis pituitosi. Sequitur tertius fons in quo collocantur peccantes humores, dicimus quod in corpore dominetur sanguis pituitosus, quem cognoscere poterimus ex signis traditis in quinto, & sexto libris, & demum consequentia omnia symptomata ob oculos erunt collocanda. Primū sypmtoma erit difficilior respiratio, quàm sit in pleuritide; quia maior est necessitas euentandi calorem, cum pulmo sit latius, qui occupat omnes partes thoracis. Secundum, erit dolor grauatiuus occupans omnes partes thoracis, tum quia pulmo omnes thoracis partes implet, tum quia pulmo est obscurissimo sensu præditus. Tertium, tussis est magis molesta, quam in pleuritide, quia pulmo in peripneumonia afficitur per se, in pleuritide per accidens, vel per consensum. Quartum est, facies rubicunda, tum ob euaporationem impetentem caput, cum totus pulmo inflammatione pituitosa sit obuallatus, tum quia tunica pulmonis per tracheam perreptat ad os, vt maximus quoque ratione illius tunicæ sit consensus inter pulmonem, & faciem: tum quia arteriæ surculus vestiens faciem oritur immediatè à magno arteriæ trunco, qui valde afficitur in peripneumonia.

Quomodo cognoscatur phthisis nostra syndrome.

Cap. XV.

ALlectamenta non naturalia exsiccantia, quæ prima imprimant vestigia, præcedere debent, sint obsonia, aër, vel coitus, sint in turbulenta animi passione excursus, vel excandescentiæ; præterea dispositum

positum corpus, vt omnes sciunt, ad patiēdam tantam cladem, & tam trucem, & scelestum affectum, requiritur: dispositum est, si sunt alati, quos Græci vocant πτερυγώδεις, atque vbi externæ causæ, & dispositiones viscerum ad hunc sæuissimum affectum conspirarent, sine humore exedente pulmonem, non fieret Phthisis. Debet igitur esse humor acris, vt pituita salsa, vel commixta cum bile vel cum melancholia: de quibus humoribus in propriis libris, quomodo quilibet humor sit præcognoscendus, egimus. Postremo à quarto fonte symptomata scaturiunt. Et Primum symptoma est tussis vehementissima, quia ob vlcus vel maximè irritatur pulmo. Secundum est pus sine signis empyematis. Tertium signum affectus est sine dolore, cum pulmo non sit tanto sensu præditus, vt manifesti sentiantur dolores. Quartum sit hectica febris. Quintum sunt animi deliquia, & varia consequentia ab aliis symptomatibus pendentia. Sextum signum à locis affectis desumitur, cognoscitúrque locus affectus dum per tussim eiicitur pulmonis parua particula. Hæc morbum depositum, & conclamatum portendunt, quem soluere nec Gorgonei fontes defluuia sufficerent, vel Chironia manus; cum vsque adeò sæuiat in robur cordis collectum pus, vt propterea medicus confertim videat in his ægrotantibus virtutem collabi; vt omnia intentent mortem præsentem, & excidium certissimum minentur, & certo certior è corporeis vinculis patiens exilire debeat.

Quomodo ex nostra syndrome dignoscatur Tumor ventriculi à Flatu.

CAPVT XVI.

SI de extrinsecis loquimur, in primis præcesserunt ex necessitate causæ gignentes flatus. Si de secundo fonte, id est de dispositione subiecti loquimur, requiritur vt antecellat hunc morbum ventriculus calore suo depauperatus, in quo chylus ingestus non arctè complexus, & malè dedolatus, in flatus, & clydones abierit, vel tali pacto à procatarcticis dispositus, vel ex capite viscidi humores pulsi in ventrem procumbentes ad flatus disponerēt stomachum, vel ob alias causas talis facta sit ventriculi dispositio: sine his obtensionem à flatu ortam ventriculus non ingrauescet. Sequitur demum tertius fons de cognoscendis flatibus per propria signa, quæ traduntur in proprio capite sexti libri. Demum signa à symptomatibus colliguntur. Primum symptoma tumoris ventriculi à flatu orti, est in regione ventriculi tensionem habere. Secundum non sentire sensum grauitatis. Tertium ventrem esse actu frigidum, & patientem sentire in ventre frigiditatem, quia flatus sua natura frigidi sunt. A quinto fonte à locis affectis nimirum, vbi sit humor, colligitur tali pacto; si dum cibus ingeritur crescit dolor, tumor est in parte interna, & ratio est, quia per

fibras rectas cibus attrahitur, si vero post quinque vel sex horas, quãdo videlicet cibus stomachum relinquit, & restagnat in pylorum, & meseterium, dolor crescit, tunc in tunica externa erit tumor; quia fibræ transuersæ, quæ expellunt, sunt in tunica externa, & eò magis; quia dum spiramenta mesenterij sunt referta chylo; tunc mesenterium imbutum suaui cibo, comprimit externam partem vẽtriculi qua si est tumor, ibi est dolor, si non est dolor, non est tumor. A Sexto fonte si discutientia flatus iuuant; certo certior eris, tumorem ventriculi à flatulentis causis ortum esse: videas ergo quam necessario conferant nostri sex fontes in cognoscendis internis affectibus præter naturam.

Quomodo eadem Methodo per syndromen communium signorum cognoscatur vlcus ventriculi.

Caput XVII.

Externæ causæ essent veluti dum aliquis vteretur cibis acerrimis; sicuti dum se nimium obrueret alliis, cæpis: vel tale medicamentum hauriret, euacuandi causa, quod corroderet, quale est euphorbium: vel cantharides pro mictione ablata essent ei exporrectæ. Ex secundo fonte, quod sit corpus dispositum, vt plagam faciliter recipiat; adsunt enim nonnulli habitus, qui tanta pollent resistentia, vt cantharides tunicas ventriculi non exederent, quoniam tunicæ obduxere iam callum, vt strutij Cameli ventrem emularentur; corpus quoque dispositum habent, vt Hepar virosos, & exedentes humores gignat; quod germẽ tam effrenem, & trucem qualitatem nactum, ventriculum exinde corroderet: vel demum à capite salsus catharrhus missus in ventrem id efficiat, vel ab aliquo alio foco in viscere interno scintillante hoc virosum efficiens, proluens parietes ventriculi sauciat, & vlcerosam plagam iniiciat, & sine iis dispositionibus nil fit in corpore hoc nostro: Sequitur tertius fons de acri humore, quem cognoscemus in capite de biliosis succis, & melancholicis, quæ capita adire poteris. Sequitur quartus fons de signis consequentibus. Primum signum dum aliquid cibi descendit in ventriculum, & fit dolor pungitiuus, nisi forte haberet anodynam virtutem. Secundum symptoma fit magna inappetentia. Tertium est Sitis, quia saniei spiritus exsiccat stomachum. Quartum sunt ructus fœtidi ob pus. Quintum est sanies, quæ per vomitum eiicitur. Ex quinto fonte vbi sit vlcus cognoscitur, vt diximus de tumore ventriculi: nam immissus cibus in ventriculum si illico pungit, est in tunica interna, si pungit post 5. vel 6. horas, quando nimirum chilus erit egressus ventriculo, in tunica externa vlcus erit: si vero vlcus esset in œsophago, vel in gula, dolor erit in posteriori parte inter spatulas videlicet, & à colo vsque ad pectoris initium; & dolor intendetur tempore deglutitionis. Si vero dolor erit circa vmbilicum, & infra, vlcus erit in intestinis, & non erit dolor dum

cibus

cibus missus erit in ventrem, vel dum coquitur. Quare ex lædentibus quæ in sexto sunt collocata fonte cognoscere poterimus locũ affectũ.

Quomodo cognoscatur nostra syndrome vlcus Renum.
CAPVT XVIII.

CVM vlcus à corrodentibus humoribus fiat, & humores acres exordium sumant à Iecore, & à Renibus, & ab aliis; ideo caloris feracissima debent esse viscera, vel sic à parentibus orta, vel ob intermissam euacuationem biliosi succi, vel aliqua occasione externa sic disposita, vel ab aduentitio temperamento introducto à consuetudine sex rerum non naturalium, quæ Viscera, & omnia facultatum instrumenta alterare solet, vt inde in tantum vitium essent prolapsi Renes, vt vlcere violarentur. A primo fonte ergo tanquam à primis occasionibus initium capiunt Renum vlcera, vel ob calidissimos cibos, vel ob libidinem ardore sæuientem, atque furentem, vel demum ob animi passiones, dum quis ira percitus furit, & excandescit extra rationis limites, vel dum mœrores multo temporis spacio antecellant, vel qui præmant altum corde dolorem, & summam iactent pectore commotionem, quæ omnia procatarctica adeo viscera interna calfaciunt, vt in corrodentem humorem gignant: Et à secundo fonte colligimus corpus esse dispositum ab externis causis enarratis, vel tale esse ortum à parentibus, vt non sit mirum si tanti caloris vestigia imprimantur in viscera, & in omnes humores, quibus si renes vtrinque obducti atque obuallati redduntur, vellicantur, & mox exeduntur, & in vlcus cedere coguntur. Requiritur ergo contemplatio circa tertium fontem, quinam sint isti humores corrodentes, cognoscendi in capite de bile, & melancholia. Et postremo signa consequentia colliguntur: Primum symptoma; pus mingitur per plures dies: quoniam per paucos dies posset esse abscessus sine renum exulceratione, de quo nõ loquimur. Secundum est dolor circa lumbos. Tertium cum dolore excernuntur arenulæ. Quartum, pus non admodum fœtet; quia ibi est maior calor, vnde pus melius coquitur, quam in vesica, & per consequens minor fœtor. Quintum, pus est maximè permixtum cum lotio ob viarum distantiam. A quinto fonte, qui est de locis affectis: si qua renum portio excernitur per vrinam, quamuis raro id fiat, certissimum signum est, & solum ad iudicandum sufficit, renes esse vlcere affectos. An vero vlcus sit in parte profunda renum, vel extima, & in superficie, cognoscemus hoc modo, si erit in profunda renum parte pus erit copiosum, & permixtum cum sanguine; Si verò erit in superficie renum, pus erit paucum & sine sanguine.

Quomodo cognoscatur vlcus iecoris.
CAPVT XIX.

VLcus iecoris, vel à gallica lue, vel à succis acribus prodit, vel succedit inflammationi, quę ad suppurationem sit perducta. si igitur

nostra methodo expendemus hunc casum, erunt externæ, & procatarcticæ causæ depromendæ à primo fonte, quæ variæ esse possunt: vel infectio tabi gallici: vel causæ non naturales, quæ ingentissimum focum, & alta in iecur ardoris vestigia immittant, sicuti sunt cæpæ, & meracissima vina: vel quæ inflammationi præbent fomentum, sicuti sunt, quę amplè valetudinarios nutriunt: ex iis antecedentibus extrinsecis coniicimus, addi aliquid ad generationem vlceris iecinoris. Corpus dispositum quoque conspirat: adsunt enim plures gallico spiritu circumuenti, & qui sunt hepate eodem tabo illaqueato, attamen parenchyma ad vlcus recipiendum non est dispositum, tum quia à fortissimis parentibus sit deductus patiens, tum quia temperamentum minus infestetur humoribus exedentibus, & demum omnia viscera alioquin robore donata ad resistendum sint aptissima, quamuis diutissime gallicum morbum patiens tulerit; corpus ergo, vel ortum à debilibus parentibus, vel biliosum, & parum resistens erit ad vlcus proportionatum subiectum. Quo ad tertium fontem de humoribus, iam suo loco diximus. Ad quartum fontem, vbi consequentia signa continentur, eo adire expedit: sit ergo primum symptoma desumendum ab exeunte cruento, & sanioso per vrinam, vel per aluum. Secundum erit grauitas sensus in regione Hepatis. Tertium erunt puncturæ ratione membranæ, in regione Hepatis, quæ distinguunt vlcus iecoris ab aliis affectibus, quoniam cruenta sanies posset ostendere dysenteriam, vt hinc decipiantur plures credentes vlcus Hepatis esse dysenteriam. Quo ad locum affectum, si sanies cum cæteris signis egreditur per lotium est in gibba, si per aluum; in sima; grauitas enim sensus est illud signum, quod determinat esse in Hepate.

Quomodo cognoscatur per syndromen calculus vesicæ.

CAP. XX.

VOLENS exempla affectuum cognitu difficilia tradere; videret mihi quasi ab officio descíscere, si desererem modum cognoscendi calculos tam vesicæ quam renum; præcesserunt ergo antequam fiat in vesica lapis, externi errores: edulia nimirum crassa, & peruicacissimæ coctionis, & vini polypheri seu generosi haustus, at nil fit nisi dispositum esset corpus ad exitialem hunc casum; non enim sat est crassis esse onustos humoribus, vel calore renum præmi, nisi dispositio esset in partibus dissimilaribus, vt videlicet meatus essent laxi, & debito maiores, vt habet Galen. de qua re alibi instituta est oratio; quot sunt quæso homines infarctu coinquinati crassorum humorum insidentium in imis corporis partibus, & qui renes calidissimos sortiti sint; attamen nullus sequatur lapillus, & adsint, qui in renibus & Hepate ob extremam senectam habeant repres-

ſum, & ferè extinctum calorem, qui gignere poſſunt lapidem. requiritur ergo diſpoſitio, quæ apud me eſt laxitas, & apertio meatuum, quam cognoſcimus in vrinis dum cito, & multa, & craſſa, vel ſæpiſſime excernuntur, quoniam humores renes, & veſicam ſolicitant ob hanc apertionem, & laxitatem: ſed ad conſequentia deſcendamus. Primum ſignum eſt grauitas, circa pubem, vt in mola dum præcipuè per loca inæqualia ſcandunt, vt per ſcalas, & montes Secundum ſcalpunt pudenda vel ſæpiſſimè. Tertium mictio arenularum. Quartum ardor lotij perpetuus; quia ſemper mingunt cum dolore. Quintum cum candela perſentitur quod vnicè affirmat. Sextum vrina repente ſupprimitur, & liberantur ſuppreſſione ſi iacebunt ſupini, id verò contingit quia lapis relinquit meatum ceruicis, & deinde ſuppreſſione liberantur.

Primum exemplum de origine errorum Empiricorum, dum cauſam generationis morborum referunt externis erroribus, quando præuiæ diſpoſitioni eſſet referenda.

CAPVT XXI.

TRADITA methodo, eaque exemplis illuſtrata, par eſt in præſentia errores illorum preponere, qui in perquirendis affectuum ideis, huic propoſitæ methodo & veris Medicinæ fundamentis aduerſantur; & in primis valde conuenit errorem illorum Empiricorum, vel circulatorum reiicere, qui in tractandis ægrotantium morbis omnium morborum generationem acceptam ſolent referre ſolis cauſis externis, & ab ipſis ſolis in cognoſcendis morbis iudicium ſumunt, & indicationes curatiuas colligunt, nullo facto præcedentis diſpoſitionis viſcerum examine, quod mirum in modum Galeno, Ariſtoteli, & methodo noſtræ reluctatur: quoniam præter procatarcticas cauſas in generatione cuiuſlibet affectus, requiritur diſpoſitio ſubiecti, vnde omnia, quæ fiunt, & ſecundum naturam, & præter naturam ſuum trahunt exordium. Altius igitur de viſcerum diſpoſitione eſt repetendum, quoniam, vt aliquid fiat, niſi ſubiecta ſint diſpoſita, & ſimul priuata aduenienta forma, cum neceſſaria, & immediata adeptione nouæ formæ, nullum agens, quacunque virtute polleat exinde terminato ſubiecto, potens erit alterare, transmutare, vel loco mouere, & qui aliter ſentiunt abhorrent ab Ariſtotelis phyſiologia, & ab optima Galen. doctrina, cum non vno loco memoriæ tradat Galenus, antecedentem cauſam neutiquam morbum gignere, niſi ſubſit præcedens diſpoſitio: Adeamus ergo Galenum primo ad Glauconem capite ſecundo: ſæpius quidã ab antecedente cauſa, vt à nimia vini potatione, aut ab aduſtione ſolis, aut ab ira, & à cæteris incidũt in graues morbos, arbitrati multi totũ morbũ

consistere in antecedente causa, neque aliam subesse dispositionem, & aberrant: hoc est quod nonnulli videntur deflectere in perquirenda morborum essentia, dum vident aliquem in morbum labi ob nimiam vini potationem, vel ob æstum solis, vel ob alias causas, autumãt principia, & origines totius lapsus solas esse externas causas, illas in medium ferunt, illas detestantur, & totum ipsis acceptum referendum putãt: nihilominus toto notus in orbe Galenus, occasiones has disponentes viscera ad labem, noluit vocare causas, sed occasiones, cum affectus prçter naturam neque immediatè, neque necessariò trahant ortum ab iis, neque istæ præbeant fomentum principale dum fit, vel factus est morbus, cum nullam teneant permanentiam; sed fluant, & refluant: quod enim occasiones, & nõ causæ debeant vocari, seriem verborum Galeni audiamus, tertio de morb. vulg. com. primo text. 15. quæ hoc ornatu ædita sunt. quæ tamen ad labem disponunt viscera, non vocari causas, sed occasiones, vt græcè vocarentur ab Hippocrate προφάσεις, quia sensim, & sensum magis disponunt viscera, & talia imprimunt vestigia, & dispositiones in ipsa, vt in morbos tandẽ erumpant, non propter occasiones externas, sed ob internorum viscerum dispositionem præcedentem, & ob morbosum apparatum, vt tota vis procatarcticarum haud potis sit vnicum moliri morbum (abiecta viscerum dispositione) prætet ephemeram, vel symptoma aliud breuissimum, vt placuit Gale. primo de morb. vulg. com. 3. text. 19. vbi de Sileno habet hæc: quando corpus non est ad morbum paratum, propter errores incidit in diariam, sed in Sileno erat prçparatio morbosa: Quare corpore non præparato, vbi summo æstu conflictarentur ægroti, vbi poculis, præpotente maluatico ventriculum infarcirent, & omnia hypocaumata, quantitate, & qualitate peccantia essent ingesta, tunc non proditet affectus vllus præter naturam: quoniam quodlibet non fit ex quolibet, sed ex suo determinato: incidit enim in hanc sententiam Galenus, vt occasiones externæ dumtaxat diariam, vel tale quippiam breue symptoma gignerent, diariam, quoniam spiritus iugiter sint dispositi, cum sint perenni motu moti, & alterabiles, aptissimi, vt afficiantur: Et hinc est, quod labes spirituum ex templo cessat, cum quæ cito fiant, cito quoque (libentissimis omnibus philosophis) desinant.

Redeamus ergo ad Silenum, cuius historiam Galen. adeo obseruat: dicit, quod ob potationes, & exercitium insigne, incidit in grauissimum morbum, quia erant præparatæ viscerum dispositiones, quæ sunt apparatus illi morbosi, quippe sunt origines, & radices generationis morborum, in quibus fundatur principium ex quo, vel terminus à quo, & priuatio; quæ licet apud Aristotelem sit principium per accidens respectu rei genitæ, attamen respectu generationis est per se. Isti inquam apparatus (liceat mihi digredi) diuersi sunt in similaribus, & dissimilaribus partibus: Verbi causa, Silenus in malignam febrem prolabitur, tùm sua natura conspirante, tum ob multas procatarcticas causas, quibus comparauerat feruorem insignem in Hepate:

Calor à quibus causis generetur.

calor

calor vero insignis fit ex Galeno libro de causis morb. vel à motu, vel ab obstructione, vel ab alimentis, vel ab adhæsu, vel tandem à putredine; quorum semina, nisi omnium, saltem aliquorum in corporis Sileni latebris delitescebant: obiter hæc de causis caloris, vt ostenderem aliundè pendere immediatam causam generationis morborum, ex apparatu videlicet morboso, qui varius, atque varius est non solum in frigidis, siccis, calidis, atque humidis temperaturis: verum etiam in qualibet mala conformatione, nec tamen apparatus omnes, sed tantum qui sunt immediati, in culpam transeunt generationis morborum: quemadmodum non sanguis est fœtus priuatio immediata, & principium per se generationis, & proximum; sed sperma tali pacto dispositum, vt transmutetur, & transmutatum in instanti ex necessitate cadat in sequentem formam. Hæc Aristotelis doctrinam redolent illam ita profundè æditam primo physicorum libro. Despiciant ergo nostrates procatarcticarum origines, quæ nullo modo per se tantorum malorum subeunt rationem, & causam: satius expendant morborum apparatum, de quo si dabitur otium, libellum de quolibet apparatu morboso in conspectum hominum post hac imprimendum duxi: Vbi quomodo arceantur morbi omnium generum præcognoscemus, vt quisque spectatis signis, futuram colluuiem morbosam anteuertere, & præuenire possit. Ad rem ergo vnde exorsi fuimus, insistimus in hoc, quod externæ causæ, quamuis vehementes, & sæuæ sint, non lædant sua natura constitutionem: & ratio bellissimè à Galeno refertur libro de causis morb. capite 2. dum dicit, Cur non semper ob quamlibet ha- »
rum causarum externarum, & procatarcticarum, vt vini potione, & si- »
milibus accendatur febris; quoniam efficientis causæ quantitas par nō »
existit, & quæ constituta est ab eadem causa in corpore dispositio ma- »
gnam in eo quod plus, & minus varietatem admittit, ideo differunt animalia in hoc, vt faciliter, vel ægrè recedant à statu naturali. Eadem vini potatione exardet Socrates, qua tamen non incenditur Plato, quia aliter quam Plato est Socrates dispositus, magis, & minus recedere à statu naturali non trahit iugiter principium ab externis efficientibus: poculentis enim calidis ęstuat Socrates non Plato; quoniam apparatus morbosus calidus altius agit radices, quam morbus ab externis occasionibus prodiens: Vos scitis enim maiorem angustiam pororum, & naturalem crassitiem, vel copiam humorum, quæ obstruunt esse in causa, ne calor perspiret, & ignescat exinde totum corpus: quocirca secundum magis, & minus diffidentes inter se internę causæ, quę continentes, vt similares, & dissimilares, & contenta vt humores, propterea maximam nácisci varietatem. Sit per hypothesim quod in Platone apparatus, & dispositiones ad febrem sint, vt quatuor, & indulgeat maluatico prolixius, & non febriciter; sit ex alia parte obstructio, vel alter apparatus, vel dispositio in Socrate, vt sex, & eodem pacto indulxerit, ac Plato; tunc contingere potest, vt Socrates in febrem corruat, & tandem in exitium, nulla in Platone relicta noxa, licet eundem commiserit errorem. En, quod, vt agens agat in passum, exposcit subie-

ctum dispositum in quod agit, vt suam introducat ideam; agit inquam agens in subiectum, non in eius formam, quoniam contrarium non agit in contrarium: agens calidum non agit in frigidum, sed in subiectum frigidi, disponendo in tantum, donec introducat suum simile; si deinceps contingit corrumpi formam, id fit quia materia disposita relinquit illam, & noua induitur, vt agentia dirigant suam vim in materiam, non in formas; & hac ratione rerum omnium vicissitudo seruatur in hoc nostro orbe, vt probatum est ab Aristo. primo phy. text. 67. dicente, à se inuicem contraria pati impossibile esse. En ergo Aristotelis monumenta, quomodo statis, & fixis sunt plantata radicibus; quomodo sunt summo artificio exculta: requiri in qualibet generatione tria principia interna; materiam, priuationem, & formam, & externa agentia non agere in formas; quia contrarium non agit in contrarium; sed in subiectum determininatum priuatum proxima aduenien te forma: nulla enim contingere potest generatio sine priuatione, quæ priuatio non dicit tantum carentiam, esset nimium irritum, & futile principium constituere: priuatio significat ergo subiectum aptum, & dispositum cum potentia proxima, & immediata ad suscipiendam sequentem formam, & non aliam, vt vocauerit Arist. 2. Phy. 15. priuationem quasi formam per quandam concomitantiam, vt sit forma, quæ immediatè antecedit venturam.

Contrarium non agere in contrarium.

Qua ratione veteres philosophi de principio materiali loquentes ab Aristotele vincantur.

Neque alio pacto philosophari poterat diuinus philosophus, vt inueniret communissima principia, quæ essent prima, & omnibus, & quibuslibet competerent generationibus, tam substantialibus quàm accidentalibus, noluit hanc suam priuationem esse determinati subiecti, quoniam destruerentur generationes substãtiæ, veluti si cum Thalete diceremus aquam esse primum principium; tunc aqua est subiectum determinatum, & formæ aduenientes enti in actu essent accidentia; Altius Aristoteles erexit spiritum, quam naturales philosophi illi veteres, altius inquam quam Thales, quam Empedocles, quàm Anaximenes, qui certa principia & in actu, ex quibus omnia penderent, & fierent, & in illa omnia abirent, & illa determinata, & actu cogitarunt quia non fieret noua substantia, sed omnes formæ essent accidentia, cum enti in actu aduenirent: vel cum Democrito laxum, & densum omnes efficere formas, vel cum Anaxagora partes omnium formarum dissociatas, & dispersas esse in chao, quod esset constituere formas omnes esse accidentia; quæ cum rationi, & Aristoteli imprimis reluctentur, à nostra physiologia erunt, vt falsa abdicanda. Ad rem. morbus debet introduci; terminum à quo expedit constituere, & hoc debet esse subiectum dispositum, & priuatum, & tale, vt sequentem formam immediatè respiciat, non mediatè: Nemini ex ore excidet sperma fieri ex pane, quinimo neq; ex sanguine, & spiritu, sed immediatè ex materia sanguinis, & spiritus. cũ formæ non fiant, vt ex principio ex quo à formis, sed à materia, & subiecto, vt sanguinis forma sit priuatio disponẽs materiã sanguinis, quæ sanguinis materia erit principiũ ex quo oritur semẽ, & sic de omnibus. Hinc Galenus subdẽs

loco

loco proximè citato, subiectum debere esse proximum, & non remotum, & vndequaque dispositum, hoc verborum apparatu; loquitur vt proximum sit, quod promptè patiendi habet naturam, quoniam & si hæc desint, nec ignis comburere, nec gladius abscindere valet: ignis qui est actiuorum primus, & potentissimus, non agit in subiectum non dispositum, sphera ignis non calfacit cœlum, cui desunt omnes dispositiones vt calfaciat, nec gladius lapidem secare potest, eò minus animi passiones, vt ira, tristitia, succendicula hypocaumata, aër cænosus, & palustris, & cætera non naturalia in homines non dispositos, erunt causæ potentes, vt morbi gignantur, sicuti optime Galenus ore aperto fatetur lib. de diff. febr. cap. 4. oportet autem hoc in toto sermone memoria repetere, quod nulla causarum dictarum sine patientis aptitudine agere potest, alioquin omnes commorantes in sole æstate febricitarent, vel qui nimio motu exercentur, aut vini potu grauantur, ita vel tristitia. Nihil sane excogitare possumus, quod Galenus summa eloquentia non tradiderit literis; tradidit, vt videtis, procatarcticas non operari, & ipsis non esse morbum culpam inurendam; sed dispositionibus corporis suscipiens morbos; ipsas demum esse occasiones, & non causas. Abeant ergo retrorsum nostrates circulatores cum mulieribus, dū perquirentes morborum causas tempus conterunt, quænam extiterit externa, & quod est deterius ab ipsis hauriunt indicationes, veluti si quis ob maluaticum vel æstum incideret in cachexiam, inferrent plures, ergo refrigerandum, quod esset cacecticum in Hydropem pellere; ipsas ergo occasiones procatarcticas nimium respiciunt, ac tota ab ipsis penderet proluuies, cum ab vno, & eodem externo errore duo affectus contrarii possint prodire, à maluatico prodit ardēs affectus, & à maluatico paralysis; idcirco altiores radices sunt librandæ. Vnde affectus idea est colligenda, est morbus, est causa interna, & dispositio viscerum contemplanda, & in hos coniectos oculos habere ingruit necessitatis vsus, neutiquam solum in externas occasiones. Non inciderent sanè in hunc errorem, vbi ante oculos obijcerent omnia generationis affectus alicuius principia, quæ sunt forma morbi introducenda, subiectum dispositum, & priuatum, & causæ efficientes quæ sunt morbi iam facti exordia.

Incidit in morbum ob maluatici potum, ergo refrigerādum, paralogismus

Cæterum quoniam omnes errores profundius speculantes, prodeunt ex ignorantia logicæ; videamus breuiter de hoc: dicunt vel supponunt externas esse causas morborum infallibiles, vel referunt externis causis originem morborum, tunc si debet esse vera hæc propositio, oportet, vt sit per se, vel saltem de omni, sed neque de omni; quare eo minus erit per se: quod non sit de omni probatur, de ratione de omni posterioristici duo sunt, vt prædicatum inhæreat semper, & omnibus subiectis contentis sub illo, experiamur ergo an causæ inhæreant semper, & in omnibus, vel conspirent in generationem affectuum præter naturam. Vini potentis ergo haustus febrem accendit in vno supposito, in altero nequaquam, licet in altero tantundem quo febre accensus vini comprehenderet venter, ergo neque semper externæ causæ

F

prædicantur de ægritudinibus, neque in omnibus qui ægrè fiunt ob illarum causarum occursum.

Cur causæ procatarcticæ nō possint dici nec proxima nec remotæ.

Præterea neque procatarcticę possunt dici causæ remotæ, quoniam saltem præstarent perpetuo cognitionem effectus, & fieri posset argumentatio in camestres, sicuti dum probamus lapidem non respirare; quia non est animal, veluti omne quod respirat est animal, lapis non est animal, ergo non respirat, habemus saltem lapidem non respirare, sed cur, non habemus, causa vero remota est animal, & semper in respirante cadit, & in omnibus, cum omne respirans sit animal, de ratione causæ remotæ est, vt sit in adæquata, & proxima virtute, quia dicebat Auerroes in causa proxima, & adęquata omnes remotas contineri, sed non è contra: ad rem, non est vera hæc. omnis febris oritur semper ab externo calore, cum possit aliquando ab externo frigore suboriri, vt febris non magis supponat procatarcticam calidam, quam non calidam, respirans vero supponat perpetuo animal; & non animal neutiquam, cum virtute contineatur in adæquata; quia habens pulmonem pro genere sortitur animal, quod de omni, & per se prædicatur in primo modo. Et hæc est vera ratio cur procatarcticæ non sint causæ, sed occasiones. Quare vnico errore commisso optimus analyticus mille animaduertet errores, cum ex vno propemodū infiniti succrescere possent, propterea dicimus si occasiones externæ non erunt causæ proximæ, neque remotæ, ergo vbi ab illis causis quis inferret conclusionem, per medium extraneum procedet, quod adeo arguit, & refelli philosophus 2. post. 25. asserens tunc medium terminum non esse adæquatum, & primum vel quando est remotus. Secundum vel quando est pars, & non tota causa, veluti si quis ostenderet lumen de Sole cum sit etiam ignis qui faciat lumen, vel quando medius est extraneus; in quo casu non est de omni propositio, vt hæc, maluaticum causat febrem: variè ergo, & variè aberrant sumentes quoque non causam pro causa.

Aliud exemplum de origine errorum Empiricorum declaratur, dum omnium internorum affectuum ideas appellant intemperies.

Cap. XXII.

Bradypepsiam, vel quemlibet ventriculi affectum; sit morbis, causa, vel symptoma, nostrates nonulli in censum intemperierum reponere videntur, vbi scilicet sputorum proluuiem, vbi diminutam coctionem, seu deprauatam, vel impeditam, vbi corrumpi cibos conspiciunt, extemplo ægrotantem illum intemperie conflictari ventriculi putant, ceu nullis affectibus coinquinari posset ventriculus, quam intemperie. Cæterum, vt aliqua methodo non modo in ventriculi affectionibus; sed in quoque viscerum incedere valeamus, vt in scopulos, & in has syrtes non incidamus, ad Galenum confugiamus: & in medium adducamus præcipuas affectiones omnium viscerum, & præcipuè ventriculi, in quam diuisionem conspicati, è vestigio colligemus,

gemus, quo morbo illaqueari cætera viſcera poſſint.

Adeamus ergo Galenum 7.meth.cap.12.vbi varias affectiones proponit ventriculi, quas cuilibet parti corporis applicare poterimus: dicit ergo Galenus, ventriculus afficitur, vt ſolidæ partes intemperie, ſe- " cundo vel quando humores affixi ſunt tunicis, tertio vel quando ſunt " in cauo, & ſubdit aliquando primus affectus cum ſecundo, & ſecun- " dus cum tertio, vel omnes ſimul copulantur, adeſte animis quo pacto ſtata principia medicorum corypheos proponit, quibus omnium viſcerum affectiones diſtinguere valemus peroptima diuiſionis lege obſeruata. Docet igitur prius ventriculum non continenter intemperie vexari, verum ſæpenumero torqueri ſtomachum ad humoribus affixis parietibus, modo ob recrementa in cauo morantia, & demum tribus his omnibus viſcus antea conflictari poſſe. At noſtratum Empiricorum plerique, vbi aliquis patiens prauè digerat, conuertatque in ſputa chylum, alium affectum animo fingere neſciunt, quàm intemperiem, perinde ac in cauo ventris non conſiſtant humores, quin faciant dyſcraſiam in ſimilaribus partibus. Quot ſunt qui ob cibariorum ἀκαιρίαν, vel qui vino, obſoniiſque ſe nimium obruerint, ſic blanditiis rapti, ſic voluptatis illecebris ſympoſiorum pellecti, qui in manifeſtam ventriculum transferunt perniciem, quippe tunicis intactis, optimam naturalémque temperiem ſortiantur? ne illi non intemperie præmuntur, cum vitium non ſeſe in ſolidas inſinuauerit partes, interſtitium, temporiſque interuallum requiritur. Quinimo non deſunt robuſtiſſimi in ventriculum tota die infarcientes eſculenta, poculentaue, quæ non conficiunt, vnde fluctuationes, & clydones ex hoc non dedolato chylo orodeunt. Hos, hos aliquos, non eſſe correptos intemperie his oculis vidi, quando iis exhibitio medicamento ex aloe, recta illico viuendi norma inſtituta ventriculi proluuie liberantur, non tractu, ſed momento temporis, quod non vſu veniret vbi eſſent intemperie correpti; cum de ratione intemperie ſit, quod non cito deſinat, ex Galeno in methodo iis ferè verbis intemperies neque cito fit, nec cito deſinit.

Erant itaque non perpendentes an ventriculi læſio ſit ob eius dyſcraſiam, vel prodeat noxa ab hærentibus humoribus ventriculi tunicis, vel recrementa in cauo ſint illa, quæ vrgeant: ab hinc in aliam, & altiorem cognitionem deberent ſe efferre; quia quod contigit ventriculo, aliis quoque viſceribus omnibus vſu venire poſſe rationi eſt conſentaneum: verbi cauſa ſicuti ventriculus afficitur, vel quando ſolidæ intemperie afficiuntur, vel dumtaxat, dum humores affixi ſunt parietibus viſcerum; vel demum quia in cauo viſcerum excrementa degant: vt primus affectus cum ſecundo, & ſecundus cum tertio, vel omnes ſimul copulentur. Cur in hepatis affectionibus non explorant has differentias? non diſcutiunt, quia iecur præmi poſſit? nimis ſanè ridiculum eſſe arbitror perpetuo credere viſcera eſſe intemperata; omnes affectiones eſſe intemperies; cum ſæpenumero ſint malæ conformationes, vt ſunt peccata in anguſtia, ſicuti eſt obſtructio, vel com-

pressio, vel coalescentia: vel in iecoris cauo affixi sint humores parietibus hepatis, nulla posita intemperantia in hepate: pudet me in longiorem discursum trahere orationem, cum videam non reperiri doctos viros, qui hoc abnuant, nec vt verum fatear illos alloquor; verum tyrones, & iuniores, & illos qui altissimis statisque artis principiis, & fundamentis non sunt exculti.

Quocirca quod de ventriculo, & hepate tradidimus, itidem de cerebro admonere expedit: possunt enim humores in capite adhærere similaribus partibus, nulla adhuc intemperie oborta: possunt etiam in anfractibus colligi tanquam in cauo humores, & caput repleri: potest quinetiam esse intemperies in tunicis, & cerebri carne, quæ fomes, & origo sit cathari. Quare nostrates hi non debent in qualibet affectione cerebri, in qualibet distillatione, vel coriza asseuerare caput dyscrasia coinquinari. Sæpè accidunt tusses, destillationes, & varia symptomata circa aures, oculos, nares, nihilominus caput intemperie caret: potest quinetiam, perinde ac in ventriculo, & primus affectus cum secundo, & secundus cum tertio copulari, & omnes simul adesse; vt modò sit intemperies, & simul affixi sunt humores tunicis, & aliquando nulla sit intemperies; attamen sint affixi humores, & in cauo multi morentur, & omnes simul in complexum quendam coeant: labūtur ergo maximopere nostratum aliqui in his explorandis methodi initiis, credentes omnes affectiones corporis nostri supponere intemperiem, & dyscrasiam affectorum locorum, quippe est adeo communis empiricorum error, vt circulatores etiam, quando doctrinam ostentant suam, offerunt hanc vocem, quam putant sonoram, & scientificam, dicentes morbos esse intemperies; quoniam audiunt iugiter à paulo maioribus semper viscera esse intemperata, vt meritò ægris referant ægritudines omnes esse intemperies, vel cum intemperie; quasi omnia symptomata ex necessitate supponere debeant intemperiem, & dyscrasiam. Sed licet huiusmodi controuersiæ negotium sapientioribus non facescant, vt calamum vlterius non esset in roboranda hac mea sententia protrahendum; attamen, vt nemo hoc in dubium vocet; ad Galenum confugiamus secundo de differentiis feb. cap. vlt. vbi quamlibet affectionem capitis non esse intemperiem, ob oculos ponit his verbis: Aliquando nil patitur caput; sed solum sanguine vitiato " fit affectus: ecce sine intemperie caput affici posse: an ne Galenus primo ad Glauconem cap. 15. docet tantummodo ob tres causas repleri caput, vel vnicam tantum intemperiem proponit? dicit enim, caput ob tres causas repleri posse, vel ob magnitudinem febrium, vel ob imbecillitatem capitis, vel ob plenitudinem totius; ecce quod nulla facta læsione capitis; nulla cerebri existente intemperie; sanguis peccans quantitate, vel qualitate caput perturbare potest; quantitate, dum ob nimiam plenitudinem erumpit in caput forte, & bene munitum in similaribus partibus, quæ ita diu possunt consistere, & resistere, vt nulla dyscrasia illaqueentur: qualitate dum ob magnam febrem humores caput obrepunt, vel in anfractibus cerebri morantur, vel tunicis sunt adhæ-

Ob tres causas repleri caput.

adhærentes, vt affectus in mala compositione plurimi faciliter fiant: intemperantiæ vero ob robur fieri nequeant: ocyus enim malæ compositiones fieri possunt quam intemperantiæ, quia intemperantiæ non cito, malæ compositiones cito fiunt.

Hæc igitur quæ diximus de ventriculo, hepate, & cerebro, conferre possumus in alia viscera, & in omnes alias corporis partes instrumentales, veluti in splenem, in renes, in vesicam, & cæteras partes, vt symptomata ex necessitate non supponant intemperiem, nec mala compositio intemperiem: nec versauice, & quando est mala compositio, ad viuum est resecandum, an fiat, quia adhæreant humores visco-si, vel crassi tunicis; vel quia ob copiam præter naturam fiat mala compositio, quod est quando in cauo considunt humores, vel quid aliud. Cauitates enim replentur à copia: hanc doctrinam, quod symptomata omnia non supponant intemperantias, satis vberem apud Galenum habemus sexcentis in locis, manifestissimam sanè, & si qua alia res claritudine emineat, hæc est censenda, tanquam parta, sataque à diuina methodo.

Pergamus ergo, vt ipsemet loquatur, ipsumque Gal. in testem vocantes, veluti de diff. feb. cap. 3. actio læditur, vel ob læsam facultatem, vel ob errorem externum: quare error externus potest esse causa lædens actionem non læsa facultate, quare si non est læsa facultas, non potest esse læsa constitutio, si non potest esse læsa constitutio, ergo non potest esse intemperies; quia hoc argumentum, est intemperies, ergo est mala constitutio; est mala constitutio, ergo est læsa facultas, est à positione antecedentis ad positionem consequentis, quod valet & redigi potest ad primam figuram, vt alibi ostendimus: quando ergo dicimus læsam esse facultatem, intelligimus per facultatem instrumentum, quod est constitutio, quia facultas, vt facultas, est quid incorporeum, quod non patitur, vt iure merito Aristoteles 2. de anima, loquens de potentia & facultate, dixerit: si senex haberet oculum iuuenis, videret vt iuuenis. Inferas ergo: si error externus ex Galeno lædit actionem non læsa facultate, ergo crimine ignorantiæ sunt inurendi, qui credunt in læsis functionibus corporis intemperantias partium supponendas esse: ergo in qualibet corporis parte potest esse læsio sine dyscrasia, vel intemperie. Amplius, vt melius excitemus iuuenum mentes, in medium proponamus Galeni loca pro roboranda sententia, cũ multo maxima, & meritò Galeno sit cõcredenda fides. Est locus primo de loc. aff. 3. vbi de ventriculi actione loquitur, dicitque: tres "primas generalissimas differentias corruptionis ciborum dari. Vnam "esse per proprios morbos ventriculi. Secundam à vitiosis humoribus "in ipso acumulatis. Tertiam dari ab alimentorum qualitate. Quid plu-" ribus est agendum cum iis, quibus ex ore excidunt semper insulsissima Empyria? propemodum erubesco huius opinionis vestigia delere: sed cũ videam hos rudiores fallere ægrotos quotidie, intemperiem vocitantes errores externos, & malas compositiones, non mihi videtur ignorantia hæc ferenda, tanto magis, cum symptomata, & vitia, quæ

per conſenſum lædunt, vocent intemperiem tranſcendentes de genere in genus, & ſumentes per accidens loco illius, quod eſt per ſe, cum viſcera modo per accidens, modo per ſe lædantur; veluti Galenus 5. de locis affectis primo docet de ventriculo; ventriculum lædi ob aliorum viſcerum; & quod diximus de ventriculo, de cæteris omnibus viſceribus eſt dicendum; dicit ergo Galenus loco citato, congeruntur excrementa in ventriculo, tum eius vitio, tum vitio aliorum viſcerum. Subdit male habente liene ſæpè ichores melancholici fluunt in ventrem, & excitant ſymptomata melancholica; quare ventriculo illæſo, ſi humores illuc confluunt, & ventriculum infarciunt, quam maximè perſentitur noxa in ventriculo, attamen tantæ noxæ in nullam culpam ventriculus tranſit, cum aliundè mala eius valetudo pendeat, vt de ichoribus melancholicis vidimus Galenum animaduertiſſe eos à ſplene in ventrem procumbere; & ſexto de tuenda valetudine cap. 9. ab hepate procumbunt bilioſi humores in ventrem: tunc ſanè ventriculus per ſe non eſt male conſtitutus, ſed per accidens, cum fomes morbi ſit in hepate: & alibi Galenus à capite docuit reſtagnare in ventrem humores, non labefactatis ventriculi ſimilaribus partibus, nulla in tunicis relicta dyſcraſia. Quomodo ergo ex non percepta idea poterunt affectibus manus præbere? quinimo remediis ſuperfluis exhaurient robur, & demum trahent ægrotos in vitia oppido maiora, veluti ſi quiſpiam ſit calido ventriculo præditus, referto tamen melancholicis ichoribus à ſplene prodeuntibus, vnde flatus, & inſignes rugitus: tunc vidiſtin medicos aliquando ſuadere, vt induant ventris regionem pellibus, vel panno oſtrotincto, vt deglutiant diatrion pipereon, aromaticum roſatum? Vidiſtin in qualibet læſione ventriculi, noſtrates hos ſupponentes eſſe intemperiem, conſulere oleum maſticinum, de abſynthio, cotoneorum, aſtringentia varia? ſupponentes inquam perpetuò in omni aduerſa ventriculi valetudine ventriculum eſſe intemperie frigida oppreſſum. In ſumma ſimiles medicos alebat Roma, vt nunc aluntur, & ipſum audite 7. methodi, hoc verborum apparatu loquentem, vnicam ſolum mihi videntur habere medici noſtri temporis intentionem; nam Empyrici ad imbecillitatem confugiunt; ad cibos aſtringentes, calidos, amores, ad vinum de abſynthio, de cotoneo, ad cerata, vnguenta calefacientia, & aſtringentia. Hactenus Galenus, quippe vbi his noſtris temporibus fore non potuiſſet melius empyriam noſtratum declarare. Nunc medici plerique vnicam ſolum habent intentionem in ſtomachi imbecillitate, dum confugiunt ad cibos aſtringentes, calidos, amores, ad vnium de abſynthio, de cotoneo, & cerata, & vnguenta calfacientia, & aſtringentia; quemadmodum errores Empyricorum, qui erant Romæ Galeni temporibus ne latum quidem vnguem diſcedebant à noſtratum criminibus, vel noſtratum ab illis, vt aliquo modo hæreditariè in noſtratum animos nugæ, & omnes lacunoſæ opiniones irrepſerint. Quis eſt enim in præſentiarum βραδυπεψίᾳ correptus, & quauis affectione per ſe vel per accidens ad ventriculum pertinente, qui non conſulant calidum, a-

A quibus viſceribus ventriculus lædatur per conſenſum.

Erant qui in omni imbecillitate ventriculi dãt calfacientia & aſtringentia.

ſtringens,

ſtringens, amarum, & vnguenta huiuſmodi, faſcias, & pannum illum oſtro tinctum. Innumerabiles Venetiis diuerſa ventriculi proluuie coinquinati, & præcipuè hypocondriaca paſſione illaqueati iugiter geſtant calida in regione ſtomachi, & per os roborantia, & calfacientia deglutiunt, rati intemperie frigida affligi. Nihilominus circumfuſum eſt iecur æſtu feraciſſimo, & ſplen, & meſenterium melancholia onuſta, vnde flatus in ventrem, & credunt calidis his, & aſtringentibus medicamentis prodeſſe, cum trahant illos in maiora vitia; rationi ergo, & Galeno reluctabuntur vſu calidorum in omni ventriculi imbecillitate, cum Galenus clariſſimè dicat in methodo ſe frigidæ aquæ potatione affectus ventriculi leuaſſe hac verborum ſerie, vidiſtin quoſdam leuatos frigidæ aquæ potione? detorqueamus ergo has nugas fœdas in manifeſtam perniciem ægros ducentes, neque his aſſentiamur Empiricis; eſſet enim potius aliis eruditiſſimis medicis, qui in ampliſſima hac ciuitate elegantiſſima medica exculti ſunt, aſſentiendum: & quod de ventriculo authoritate ſubnixi aſſeruimus, ad alia quoque viſcera totum transferimus diſcurſum; & ſimili methodo eſt incedendum, vt ſuperius diximus, modo, & caput, & iecur, & cætera affligi intemperie, modo humoribus adhærentibus, modo in cauo exiſtentibus, & non perpetuò intemperie frigida angi, & conflictari, cum imbecillitas ventriculi, modo ſit à cauſa calida, modo à frigida, modo à ſicca, modo ab aliis cauſis. Et neutiquam perpetuò morbos eſſe per eſſentiam, ſed ſæpiſſimè per conſenſum, & ideas propterea affectuum proprias eſſe aſſequendas; alioquin nullius momenti, ac fugis eſſet tantam Medicinæ artem comparare.

Tertium exemplum de origine errorum Empyricorum declaratur, dum abſceſſum meſenterij putant eſſe vlcus inteſtinorum.

CAP. XXIII.

NOn raro vidimus principes medicos ſummis difficultatibus præmi, in conſequenda abſceſſus alicuius partis internæ idea: tot enim ſunt inuoluti in noſtro corpore labyrinthi, vt nec mirer acumen quoque ingenij non ſpernendi medici vadis illidere poſſe, & demum in falſa corriuare dogmata, & liceat mihi in exemplum abſceſſus meſenterij philoſophari, & caſum, quem ſemel tractaui proponere talem: obtigit mihi ægrotantem tractaſſe cui ter quaterue in die ſaniei ſinceræ circiter ſelibra per aluum efflueret, aliquando fecibus conferta, nonnunquam ſeorſum, & ſine dolore, ſine ſiti, nec appetentia deiecta, lenta quadam febricula comitante; contingit inquam mihi de hoc caſu cum aliis medicis habuiſſe conſilium, & tandem mentem ita diſtractam medicorum vidiſſe, vt caſus implicitus, & inextricabilis cognitionis videretur, à quo nimirum pus illud copioſum emanaret, vnde initium ſumeret: plures credidere ex inteſtino recto exeſo, cum

viderent modo pus mixtum cum recrementis, modo seorsum eiectum, sed ægrotantem omni prorsus vacare dolore, hoc ita animum torquebat ancipitem, vt tota sententia euaderet tortuosa, ac tergiuersans, cum dispar longè sit consilium, arbitrari partem sensu donatam, veluti sunt uniuersa intestina, angi magno vlcere, & nullum ab ipsis persentiri dolorem, neque antea animaduersum fuisse. Adfuit medicus alter in illa concione, qui tutaretur copiosam illam materiam non puris; sed pituitæ cuiusdam putrefactæ naturam subire; & licet defenderem, vt est in more cum aqua, igne, & diuisione puris cum specillo: occurrit ille, experimenta aquæ, ignis, & specilli non alioquin quam in pure per tussim egresso exerceri. O hebetem, & stupidum! ad quod examen debeam te reuocare in pernoscenda sanie? Quod erit certius techmirion, quod videre album pus in aqua fundum petere, quam in igne tetrum redolere odorem, quam specillo diuidere, & nihil participare viscosi, & omnis tenacitatis expertem perspicere saniem? Hoccine est consulere vesane? Hunc in modum thesaurum comparas? non flore vel eloquentiæ fuco, vt credis tu, sed, vt ego reor, verbis tuis sexquipedalibus, tuoque pharisaico supercilio, facieque illa tua vultuosa, quibus conculcas bonorum medicorum ingenia, fallis ægrotos, & authoritate qua polles, & non ingenij robore in vitium vniuersam medicam physiologiam vocas, veritatem violando; gratia gratia medicum socium obruendi, & conculcandi, ne tandem veniat illa dies, in qua lucrum meritò tibi arripiat: apage, apage hæc mendacia, quæ in populi prospectum perpetuò ejicis, alioquin vel breui tibi polliceor fore, vt æterna apud manes te expectet pœna.

Qua methodo cognoscatur abscessus mesenterij.

Cæterum, vnde digressi sumus, redeamus; & in medium proponamus methodum, qua tanti puris per sedem effusi proximam, & immediatam causam per signa propria consequi possimus. Et quoniam per vnicum est impossibile abscessum occultum mesenterij peruadere; licet confugere ad syndromen signorum antecedentium, & consequentium; quod videlicet præcesserint in edendo, & bibendo deliquia, vnde infarctus factus sit in mesereo, sed hæc nil indicant sola; quare ad secundum fontem, id est ad dispositionem patientis accedendum, quod videlicet ortus sit à simili parente; vel quod sua natura sentiat grauitatem in ventris parte profundiori, & percipere dum cibum prolixe infarcit an tensionem profundam sentiat: sequuntur consequentia, veluti egressio puris copiosi, aliquando confarcti fecibus, sine dolore, sine siti, nec tamen appetentia deiecta: hæc consequentia symptomata aperiunt, esse mesenterii abscessum: postremò ad cognoscendum locum affectum eo manifestior reddetur abscessus, cognoscemus locum affectum, tum per argumentum ex suff. par. enumeratione, tum ex signis propositis pro cognoscendis locis affectis, diximus enim signa locorum affectorum esse vel excrementa, vel actionem læsam, vel situm tumoris, vel doloris, vel tensionis; vel propria accidentia, vel proprietates doloris in mesenterii abscessu, cum pus sit copiosum valde, sine læsione, vel sine dolore, & situs tensionis sit in ventris parte

profun-

profundiori, & proprietas doloris potius grauantis: hæc omnia certam pariunt doctrinam, locum affectum esse mesenterium; prætereà accidit alter modus per argumentum illud efficacissimum ex suff.par. enumeratione, non omissa probatione, vel nullo commisso petitionis vitio quod adeo caliginem discutit, vt rem obscurissimam splendescere faciat, vt in prima figura, & vniuersaliter concludat. Dicas ergo, est pus copiosum, ergo à rupto abscessu, non supra septum transuersum, ergo infra, & licet visum fuerit pleuræ pus aliquando per inferna, & per sedem propulsum; id factum fuit cum magna febris præcedentis vehementia, sitis, & reliquorum: erit ergo infra, non in ventriculo, vel intestinis, quia in iis sine dolore esse non potest; Non in iecore, aut in liene, quoniam horum abscessus vires deiiciunt, sitim, & reliqua pariunt symptomata, non in renibus; quia non in aluum, sed in vrinam pus contenderet. Cogitemus ergo partem ferme sensu priuatam, alligatámve intestinis; conuertentes in hanc rem stillum anatomicum; vidistin ergo, mesenterium intestinis omnibus colligatum, & inter mesenterium, & intestina, summam sympathiam per venas mesenterij, quibus obducta sunt vsquequaque intestina, in quæ restagnant, & vnde in mesenterium regeruntur per vias, per quas meant liquati succi? deinde an ne mesenterium ferè sensus omnis est expers, vt cognoscunt in vulneribus chirurgi, & incissores? qui non apertè obseruāt nerueos surculos, quibus sensus celebrari in mesereo possit, cum exilis surculus à sexta cerebri propagine prodiens sit ille, qui circumuestit mesenterium. Dicendum ergo est per partem imam mesenterij transcolari saniem expeditè admodum ad intestinum rectum; & deinde omnia solui phænomena; quare cum sit ruptus abscessus, non est mirum, esse pus copiosissimum; quod in vlcere tantum non potest dillabi, & non est mirum, si aliquando cum fæcibus, aliquando seorsum sit, cum modo feces sint in recto intestino; modo absint, vt hinc, nunc misceri pus, nunc sincerum prolabi videamus. Hinc dolores non vexant, cum solum mesenterium ex omnibus inuolucris exili, & minimo sit contextum neruulo, vt sensu ferè sit orbatum, nec sitim intendent, cùm valde distet ab ore ventriculi, nec appetentiam tollunt, cùm tetri vapores non percutiant stomachum: leuem tamen febriculam concitant; quoniam contextum est mesenterium venis, quibus recipitur spiritus aliquis saniei, & ad superna viscera delatus inficit: simili methodo processit Galenus 5. methodi 7. de inflammatione meserei; vbi dicit cum non sit inflammatio in hepate; quia tunc excernitur cruenta sanies, sequitur quod sit in mesereo. Itidem Auicennas libro 3. fen. 14. tract. 3. capite 11. de apostemate meserei, dicit leuem esse febrem, & esse grauitatem cum extensione profundiore ad ventrem exporrecta, & quandoque esse tensionem, & saniem albam, ad differentiam inflammationis hepatis, vbi cruenta, & ad rubedinem vergens redditur. Cæterum signis iis adiungas, neque sitim vexare, neque prostratam esse appetentiam, nec febrem fieri effrenem in miserei inflammatione, & enumeratis omnibus partibus; in prima solum con-

cludimus figura, & non in tertia vniuersaliter, vt illi qui ex particularibus vniuersalem conclusionem colligunt, vt patefecimus in propriis libris, hoc vanissimum esse argumentum, & Empyricis consuetum.

Error logicus est paralogismus in forma peccans, dicendo sanies egreditur sine fæcum mixtura, ergo ab intestino recto, vel musculo sphinctᵉri est à communibus signis, & ad secundam figuram ex duabus affirmatiuis redigitur, & vocari potest analogismus empyricorum, quem arguendi modum in libro de analogismo, & experientia declarauimus, in forma, & in materia multifariam peccare.

Errant dum confundunt ideas morbificas credentes inflammationem iecoris esse pleuritidem.

Capvt XXIV.

Qvi vno tantum aspectu contemplantur signa pleuritidis pathognomica illa quatuor à Galeno 1. sect. aphorismorum com. 12. allata; quæ sunt acuta febris, spirandi difficultas, tussis, & dolor lateris; & seorsun non expendant distinctius dictorum signorum magis specificas, & particulares differentias, sicuti de lateris dolore, an dolor ille sit pungitiuus, vel grauatiuus: & de tussi, an sit sicca vel cum materia, & cætera omnia signa consequentia inflammationem hepatis, vel pleuritidinem non distinguunt, in errores vt plurimum incident; quoniam patientes correpti hepatis inflammatione necessario debent infestari tussi, febre acuta, difficultate respirandi, & dolore lateris; tussi enim tentantur ob tumorem hepatis comprimentem diaphragma; acuta febri, quoniam sicuti inflammatio pleuræ acutam febrem parit; simili modo inflammatio hepatis acutam febrem excitat; spirandi difficultate, quoniam septum transuersum ob tumorem inflammatorium commodè dilatari non potest: dolore lateris; quia lateri dextro iecur est alligatum, vnde vinculis iecoris tensis ob inflammationem excitãtur lateris dolores, vt tam pleuritis quam inflammatio hepatis quatuor illa signa communia habeant: methodo ergo nostra inflammationem hepatis ab inflammatione pleuræ separare debemus, dicentes (si de extrinsecis causis loquimur) quod similes concurrant procatarctici errores, quoniam pleuritis, & vinculorum hepatis inflammatio eandem affectus ideam obsident, eædemque dispositiones præcedunt, & causæ antecedentes: diuersa tamen sunt symptomata specifica, quoniam dolor lateris in pleuritide est pungitiuus, in hepatis inflammatione grauatiuus, quæ doloris differentia oritur à diuersitate locorum affectorum; quinimo locus affectus, vt superius retulimus capite de loc. affect. cognoscitur sæpè per proprietatem doloris; quando igitur dolor erit grauatiuus, locus affectus non potest esse membrana, quæ acutissimo sensu est prædita, & quæ dolores pungitiuos facit, sed viscus aliquod exigui sensus particeps erit læsum, quod sit in eodem ferè situ

situ collocatum,& tale non potest esse, nisi iecur, quod vinculis suis alligatur costis, & sensu adeo obtuso est præditum: & quod dolores solum grauatiuos,& nequaquam pungitiuos experiri possit: variis tamen signis pleuritis ab inflammatione hepatis separatur. In pleuritide tussis est cum sputo colorato, in hepatis inflammatione est tussis sicca: in pleuritide color faciei parum mutatur, in iecoris inflammatione valde vitiatur, vt hinc Gal. 2. de loc. aff. 9. his verbis distinguat hos duos affectus, si dolor est in nothis costis, & tussis cùm sputo colorato, valet, ergo est pleuritis, & aliquando fit dolor ob hepatis inflammationem intentis vinculis internis, quibus alligatur iecur costis, sed differentia est in pulsu, ac sedimentis, & sentiunt ægri grauitatem, & dum est tumor, comprimitur diaphragma, & fit tussis, & color alteratur vbi iecur vitiatum est: differentiæ ergo sunt petendæ à doloris proprietate; proprietas enim doloris pleuræ est cum puncturis, proprietas vero doloris hepatis,& omnium viscerum tenui sensu præditorum est cum grauitate.

Cæterum cum possit aliquando fieri pleuritis ob materiæ sanguineæ affluentiam, & tunc dolorem grauatiuum habeat, distinguemus hoc modo, vt cum grauatiuo dolore in pleura sit quoq; iunctus pungitiuus, in hepatis vero inflammatione sit solum grauatiuus. Hinc Gal. 5. de loc. aff. 3. habet in pleuritide continenter obseruari dolorem pungitiuum. Adsunt similiter differentiæ in pulsu, quia in pleuritide est durus, & serratilis, quoniam dum membrana aliqua est affecta, totum genus membranarum seu tunicarum eandem consentire videtur passionem, tenditur ergo pleura, quæ est membrana septum, & totum pectus intertexens, & vsque ad cor pereptãs, sequitur, quod arteria circumuestita ab eadem membrana eandem tensionem patiatur: sumuntur quoque alia discrimina à tussi, à faciei colore, à sedimẽtis, & ab aliis, & omnia hæc colligimus à Galeno, & ab Auicenna; à tussi, quia in hepatis inflammatione est sicca perpetuo, cum fiat ob compressum diaphragma ab hepatis tumore: In vomica solum primis diebus est tussis sicca, & deinde exsudat pleura materiam ichorosiorem, quæ in pectus colligitur, & condensatur à calore, & per tussim eiaculatur. Si vero contingeret ob materiæ infarctum contumacissimum, in pleuritide tussim siccam conseruari; petenda aliunde est alia differentia, à colore vitiato videlicet, seu à pallore: habemus apud Galenum 2. de loc. affec. vitiato hepate, consequi necessario vitiatum colorem, in pleuride verò esse colores parum distantes à statu naturali: En quo pacto per plura symptomata cognoscantur differentiæ morborum: Præterea ab excretis; quoniam in hac hepatis labe sedimenta specimen referunt loturæ carnis, quia chylus in portam præcipitans ab hepate ob eius infirmitatem non attrahitur, & retrocedens male dedolatus procumbit per eadem spiramenta in ventrem, & per secessum foris dilabitur ad instar aquæ carnis mactatæ: vt valeant tandem istæ consequentiæ, est dolor grauatiuus, & non pungitiuus, & in parte dextra, & cum tussi sine sputo, cum spirandi difficultate, cum febre

acuta, cum viato colore, ergo hepatis inflammatio illa exporrecta ad vincula vsque, quibus costis alligatum est hepar. Hæc signa vberrimam cognitionē hepatis illaqueati hac colluuie inflammatoria ostendunt. Ad eundem modum est dolor pungitiuus cum tussi, & sputo; est spirandi difficultas, febris acuta, ergo vomica; quare dum non distinguuntur signa proposita, nihil sequitur; & error logicus committitur, quia quatuor illa signa pathognomica vniuersaliter sumpta constituunt argumentum à positione consequentis ad positionem antecedētis, veluti si est homo est animal, sed est animal, ergo est homo, quòd non valet; est enim in secunda figura ex duab. aff. & multis modis peccat, vt alibi ostendimus, est dolor lateris, tussis, difficultas spirandi, & febris acuta, ergo pleuritis, non valet: nisi fiant conuertibiles termini, est dolor lateris pungitiuus, ergo pleuritis; & cætera limitentur, & coarctentur signa propria, vt infra, si volumus certas inferre consequentias.

Est dolor lateris, tussis, spirandi difficultas, & febris acuta, ergo pleuritis: paralogismus.

Signa pleuritidis pathognomica deprōpta à Galeno.
- 5. de loc. aff. capite 3.
  - 1. Febris acuta.
  - 2 Dolor lateris pūgitiuus.
  - 3 Respiratio frequens & exigua.
  - 4 Pulsus paruus durus, & tensus.
  - 5 Tussis cū sputo colorato.
- Prima sect. aph. com. 12.
  - 1 Acuta febris.
  - 2 Spirandi difficultas.
  - 3 Tussis.
  - 4 Dolor lateris pūgitiuus.

Signa inflāmationis hepatis cum tensione vinculorum.
- Apud Gal. 2. de loc. affe. 9. cognoscuntur.
  - 1. A pulsu vndoso non serrino.
  - 2 A dolore grauatiuo, & non pungitiuo.
  - 3 A tussi sicca, & sine sputo colorato.
  - 4 A Colore citrino faciei ob iecur vitiatum.
- ab Auicēna, Fen. 3. li. 3. c. proprio.
  - 1 A pulsu vndoso.
  - 2 A dolore grauatiuo.
  - 3 A facie citrina.
  - 4 A tussi sicca.
  - 5 Ab egestione epatica.
  - 6 Ab vrina simili hydropici lotio.

Alia ab Auicenna proponuntur signa, sed hæc sunt potiora, & sufficiunt, quoniam & per actiones læsas, & qualitates mutatas, & excrementa propria declarant, & demum ex proprietate doloris cognoscitur, hepar esse coinquinatum, & non pleuram.

Quinta

Quinto errant, dum ex sangnine spumoso secundum omnes partes per tussim eiecto colligunt in pulmone esse vlcus.

CAPVT XXV.

ERRARE videntur nonnulli dicentes sanguinem eiaculatum per tussim, quando apparet spumosus secundum omnes partes tam intimas, quam extimas, immediatè prodire à pulmone, & ex hoc signo in talem errorem proruunt, vt constanter credãt esse pulmonem exesum, & manus exporrigunt medicas vlcerato pulmoni, quod cum aliter possit contingere, in hoc casu confundunt ideas morbificas. Quod, vt eluceat ratione, & authoritate erit certandum: an ne sanguis dillabens à capite, & in pectus procumbens secundum omnes partes fieri potest spumosus, si pauco temporis spacio firmatur? aer enim inspiratus, & expiratus agitare posset illum, & totum aëre repletum, deinde spumescere; quare falsa est consequentia: est spumosus secundum omnes partes, ergo in pulmone est vlcus: sed cum ipsi subnixi sint authoritate Hippocratis 5. sect. aph. 13. expendamus illam sententiam, „ quę iis verbis declaratur. Quicunque spumosum sanguinem expuant, iis è pulmone eductio fit; sententia autem in consilium vocanda est, adeuntibus nobis Galeni commentum, vbi expressè negat, verè, & ex necessitate concludi in vlcerato pulmone expui spumosum, iis verbis „ discurrens, non verè vlcerato pulmone ex necessitate spumosum ex- „ pui, & subdit, se vidisse sanguinem eiectum à pulmone ob diruptum „ vas benè coloratum, cum tussi, sine dolore, & non spumosum. Quod „ idem reperit Galen. septima sect. com. 30. hoc verborum splendore, sed neque semper spumosum sanguinem expuunt ex pulmone: videtur itaque, cum ex propria substantia visceris simul quicquam effertur, sanguis esse spumosus; sanè, & qui laterali laborant, spumosum expuunt, & floridum sanguinem, vt est ille, qui à pulmone fluit, vt omnino apud Galen. non teneant consequentiæ; est spumosus, ergo à pulmone, est à pulmone, ergo spumosus: & ratio subnecti optima potest; quoniam, & sputa ob agitationem, & sanguis lateralis nullis pulmonis lobis violatis spumosum aspectum secundum vniuersas partes clarissimè referre possunt. Quid vetat posito efficiente spumæ, quod est agitans, & materia, quæ est humor, fieri intimius humorem spumescentem? Sicuti in sanguine è vomica per tussim eiaculato, oculis ipsis sæpè vidimus; quinimò, neque altera valet consequentia: est à pulmone, ergo spumosus, cum aliter Galenus sentiat, vt vidistis 30. illo aph. 7. sect. Idcirco sibi constans Galen. 4. de loc. aff. 5. dixit, tunc signum esse efficacissimum, quando simul cum particula pulmonis eiicitur spumosum quippiam: Addit, & diligenter considerare oportet, an spumosum quippiam simul educatur, id enim efficacissimum fuerit indicium, quod ex pulmone facta sit excretio, vt si pulmonis pars, vel par-

ticula, aut arteriæ, aut venæ tunica reiiciatur; quasi diceret, spumosus sanguis ita est signum efficax pulmonem esse abrasum, ac tunica, aut bronchij pars esset reiecta: quare in hunc sensum vertere debes spumosum sanguinem à pulmone reiectari, si à parenchyma exeso, & rupto prodit, tunc verè si sanguis eiicitur, est spumosus; sed si est vas ruptum, vt vena pulmonis, sic non est necessarium esse spumosum, opus est ad hoc, vt sit spumosus, propriam substantiam esse exesam, & ruptam, & cum sanguine, vel tunicam, vel bronchij partem eiaculari foris per tussim, vt valeat ista consequentia, effertur à propria substantia, vel à parenchyma pulmonis, ergo si erit sanguis, necessario erit spumosus secundum omnes partes; quoniam pulmonis substantia est rara, & spungosa, per quam perenni motu aër transiens ad compescendum æstum cordis, ita iugi motione cribatur vsque ad minimas partes, & tollitur in spumam, vt efficiatur similis substantiæ pulmonis, & conuertatur in illam substantiam: iure merito debet assimilari nutrito, & eandem substantiam in raritate emulari, quod non euenit in sanguine vasorum; quia vasa magna sunt, & sanguis fluit, & refluit: sicuti in arteria venosa, & vena arteriosa, vbi sanguis collectus non firmatur, sed in alias partes se colligit; vt non illam subire videatur sortem commotionis vsque ad minimas partes, & per consequens non spumescat; colligas ergo non valere, est spumosus, ergo à pulmone, nec ista valet absolutè; est à pulmone, ergo illo modo spumosus, cum exedi possit vena pulmonis, & ab illa efflui sanguis expers spumosi aspectus secundum omnes partes.

Cæterum si velles infallibilem cognitionem habere, quando spumosus sanguis per tussim eiectus sit à substantia pulmonis; melius tibi consulere non possem, quam vt confugeres ad traditam methodum. Et in primis ad diuisionem generalissimam, vt inuenires locum affectum de quo lis est, dicendo, sanguis hic spumosus vel à capite in pectus est pulsus, vel est à pulmonis substãtia, vel à vase rupto, & sic enumeres omnia, ne cadas in scopulum illum inferendi cum principij petitione, quod satis vbique est à nobis explosum: quare si præcesserunt causæ lædentes caput, vt grauitas capitis, rubedo, & grauitas oculorum, fluxus sanguinis narium incipiens, & deinde intermissus, colliges ex iis à capite prodire, & deinde ad secundum fontem ad dispositionem videlicet illius capitis, veluti, an sint orti à similibus parentibus, an intermissa sit aliqua euacuatio, vt inde sit dispositũ, & an aliàs similia sint perpessi: & deinde ad symptomata; & ad locos affectos, & ad iuuantia, & lædentia in magna consilij angustia: sic poteris ad apicem peruolare. Similiter si præcesserunt causæ rupturæ vasorum, & subiectum huic casui sit obnoxium, & symptomata rupturæ sint consecuta, veluti vbi sanguis non coagulatur; erit tunc verum dicere, non coagulatur, ergo à vasis pulmonis prodit; quia sanguis pulmonis ob bilis permixtionem non coagulatur: Si vero à capite prodiit, coagulatur: si verò à parenchyma pulmonis, tunc præcessere causæ abradentes pulmonem, vt salsus catarrhus, & consequuntur symptomata, vt spumosi

mosi sanguinis excretio sine dolore, vel particula aliqua pulmonis, vel tunica tussim exprimitur; si verò neque à capite, neque à pulmone, sed à thorace initium trahat sanguis; tunc signum erit, quod degenerat in thrombon: videas ergo quomodo in arte medica vnum signum sæpè malè sit accommodatum, in significandis affectuum ideis, vt in omni obscura, & perplexa affectione præstet ad syndromen signorum communium consultò properare, quæ veritatem prębet æternam, & quam demonstrationes polliceri vidimus.

Sanguis ejicitur per tussim spumosus secundum omnes partes, ergo à pulmone: est Enthymema ex signo solubili.

Error logicus erit dum dicunt, est spumosus secundum omnes partes, ergo à pulmone, & vocabitur enthymema ex signo solubili, quia Galenus fatetur in pleuriticis egredi spumosum secũdum omnes partes 7. sect. apho. 30. quia laborant morbo laterali spumosum expuunt; quamuis rarò, & non spumosum secundum superficiem, sed secundum omnes partes: similiter est à pulmone, ergo spumosus, est per partialem causam, veluti est lux, ergo sol; cum ignis quoque luceat, quoniam si exesa est vena pulmonis, potest esse, vt non sit spumosus secundum omnes partes: vera tamen est illa, exesum est parenchyma, ergo spumosum quod egreditur, cum dicat Galen. 5. sect. aphor. 13. egredi, & sanguinem spumosum, & particulam aliquam carnis, vel tunicæ cum sanguine spumoso.

Est à pulmone, ergo spumosus, argumentum peccat in materia.

Vt errant, qui credunt catarrhum semper esse vitium capitis.

Cap. XXVI.

INter exeuntia symptomata, catarrhus principem locum tenet, & quoniam receptum est exeuntia vniuersa insequi actiones: Cadit hic breuibus expẽdendum, an catarrhus perpetuò insequatur capitis vitium: Compertum igitur est in exordio huius libri, vbi egimus de resolutione symptomatum in suas radices, exeuntia vniuersa insequi actiones, quæ bifariam lædi dicantur, per se, & per accidens, quando ergo caput erit læsum per accidens, siue per aliud, quæ verba in idem recidunt; tunc si catarrhus vexabit, vitium sanè non erit in capite, sed aliunde trahet radices: breuibus hoc confirmatur Galeni testimonio 2. de differentiis feb. capite vltimo, vbi habet aliquando nil pati caput, sed solum sanguine vitiato fieri catarrhum, ergo valebit apud Galenum consequentia, est catarrhus, ergo aliquãdo ob sanguinem vitiatum, nulla existente læsione per se in capite fiet catarrhus, quare nullo modo potest dici absolutè loquendo catarrhum esse vitium capitis, quia sententiæ absolutè prolatæ sunt in potiori significatione intelligendæ; & potior significatio est vniuersalis, & per se, & quæ sunt per se, debent esse ex necessitate, vel saltem de omni, id est semper, & in omnibus; quare cum non semper catarrhus fiat ob vitium capitis; sed

Cur catarrhus non sit semper vitiũ capitis.

aliquando ob sanguinem vitiatum: non poterimus dicere catarrhum magis esse vitium capitis, quam vitium hepatis: Ad hæc confirmatur quod subiecta viscera, vel sæpissimè totum præbere possint fomitem catarrho, capite manente prorsus illæso; quia catarrhus modo exoritur à corporis plenitudine, modo à subiectorum viscerum calore, & demum à capitis debilitate, quam haurire possumus cognitionem à Galeno primo ad Glauconem capite 15. vbi habet caput repleri posse ob tres causas, vel ob plenitudinem totius, vel ob magnam febrem, vel ob debilitatem: ecce quod subiecta viscera, dum copiosis sunt referta excrementis in destillationis siue catarrhi productionem conspirare possunt; vel quia longo temporis tractu viscera fuerint malè disposita; vel quia in prima coctione error aliquis fuerit cõmissus, veluti dum venter esset completus excrementis, & copiosis eduliis longo temporis cursu essent laxatæ habenæ, vnde catarrhus fieri posset, nulla tamen in capite noxa per se relicta: sed caput tunc optima sanitate donatum solùm repleri, vt diximus vel à viscerum subiectorum calore, vel à totius plenitudine. Cum igitur hoc eluceat authoritate, experientia, & ratione, labi illos tyrones credimus, qui catarrhum vitiũ capitis semper inconsideratè vocitant, & vel maxima reprehensione dignos esse, quando adiungunt auxilia medica capiti tantum per consensum læso, sicuti dum proponunt stillicidia, lotiones, & alia id genus quãdo subiecta viscera, quæ sunt causæ destillationis, essent curanda, & non caput quod est sanitate præditum.

A tribus causis fieri catarrhum.

Errant tyrones dum capiti læso per consensum adiungunt remedia.

Dum catarrhus non dependet à læso cerebro errant, si dicunt semper à secunda coctione læsa exordium trahere.

CAPVT XXVII.

SYmptomatum ideæ, nisi ad sua initia resecentur, neutiquam cognoscuntur: resecamus autem bellissimè traditę methodi opificio in limine huius libri. Cadit hic, vt de hac præcipui excuntis idea philosophemur; numquid catarrhus, quando non dependet à læso cerebro, numquid inquam, semper à secũda coctione lęsa exordiatur: quia si Galenum legimus, vidimus ipsum dicẽtem, ob sanguinem vitiatum fieri catarrhum, non dicit ob repletum stomachum, vel ob malè dedolatum chylum, quare cum dicat ob sanguinem vitiatum, si non erit caput læsum per se; causa catarrhi accepta referenda erit secundæ coctioni: sanguis enim est secundæ coctionis partus: verumtamen cum tres sint in animato corpore coctiones; prima, quæ fit in ventriculo; secũda, quæ in hepate; tertia, quæ in cæteris corporis partibus, & in qualibet coctione ex Galeno 3. methodi duorum generum excrementa consurgant, tenue nimirum, & crassum; sicuti in ventriculo crassum sunt fæces: tenuia sputum, & vrina: in hepate, crassum melancholia, tenue bilis: in tertia crassum, sunt sordes, quæ indusia maculant: tenue est

Quod tres sint coctiones, & in qualibet sint duo excrementa, vnum tenue & aliud crassum.

est illud quod perpetuò egreditur à qualibet corporis viuentis parte, & est illud quod miscetur cum aëre, & cuius ope canes suos agnoscũt dominos, & amissos perquirunt, & feras explorant atque venantur: cui dubium, quod excrementa harum omnium coctionum qualitate, vel quantitate peccantia, poterunt catarrhum producere; nec obstat Galeni authoritas; vbi dixit loco citato, 2. de diff. febr. cap. vltim. aliquando caput nil pati; sed solùm sanguine vitiato fieri catarrhum, quia voluit ostendere catarrhum fieri, quamuis caput non sit læsum per se, & dixit aliquando ob sanguinem vitiatum; nõ obstant inquam hæc verba quominus catarrhus non dependeat aliquando à cæteris excrementis prodeuntibus quoque à prima coctione, sicuti ab humiditate illa excrementosa primæ coctionis, quæ per fibras œsophagi ascendit, & percollatur in guttur, & deinde scandens partes superiores supra os superioris maxillæ, quod palatum componit, coalescit, & illis vacuis repletis, sensim & sensim sibi viam struens sub osse giugali, in latissima oculorum foramina colligitur, & inde spargitur per totum cerebrum; ecce qua facili, & patenti via excrementum primæ coctionis à ventriculo desciscens in caput ingruere valeat.

Per quas partes ascendit à stomacho ad caput catarrhus.

Ad hæc, ventriculi excrementa in auras vaporosas abire possunt; & caput inde replere, quod cum sua natura frigidum sit densat, & vnit, & halitus in pituitam conuertit: neque in hoc Argenterius in com. artis med. rectè sentit, quod videlicet spiritus vaporosi eleuati à ventriculo cedere non possint in pituitam, ad instar pluuiæ, quia vt (dicit ille) ex vapore res crassa, & viscida, cuiusmodi est pituita fieri nequit, præsertim in cerebro actu calente; quoniam nos dicimus, ab illis vaporibus non gigni viscosam, vel Praxagoræ pituitam, sed aquosam, & quamuis caput sit actu calidum, similiter actu calidum est alembicum in illa parte qua condensantur vapores: prætereà contra Argenterium est sententia Arist. 2. de par. animalium capite 7. iis verbis videlicet in iis " corporibus, quibus cerebrum frigidius est quam temperamétum mo- " dicum postulet, cum enim alimentum per venas sursum respirat, vbi " excrementum ob eius loci vim refrigeratum est, fluxiones pituitæ sa- " nieique mouet; quod simile generationi imbrium euenire intelligen- " dum est, quoad magnum conferre cum paruo licet. Cum enim ex " terra vapor exhalat effertúrque in sublime à calore, vbi supernum aërem subierit frigidum, consistit denuo in aquam propter refrigerationem, atque in terram defluit; ecce quod Arist. vult cerebri frigiditatem condensare vapores aliunde missos, eo modo quo vapores terræ, & aquæ eleuati à solis virtute in media regione aëris condensantur; vt nihil clarius sit apud Aristot. quam quod cerebrum denset vapores, & in pituitam conuertat, dicimus tandem viscosam fieri, tum à sanguine coctionem subterfugiente, tum ab illa pituita ventriculi, quæ ab œsophagi fibris attrahitur, & ascẽdit, & deinde præterlabitur in paristmia, in guttur, & supra palatum, vbi per nares emungitur.

Errat Argenterius dicens quod vapores eleuati à ventriculo in cap. non possint conuerti in pituitam.

Errant quoque, qui credunt pituitam, quæ emungitur per nares, dum homines sunt in latitudine sanitatis, esse excrementum tertiæ

Errant, qui dicunt pituitam per na-

res effluentẽ. esse excrementum tertiæ coctionis.

coctionis cerebri; quoniam tertia coctio cerebri alia non habet excrementa, quàm vapores, & sordes: præterea si esset excrementum proprium, esset perpetuum, sed dicant mihi, quæso, quot sint, qui vitam suam ferè totam sine hac capitis destillatione, traiiciunt: quin catarrhis, & capitis destillationibus obnoxij, intermittunt per menses, & annos, non conflictari corriza? quare cum non conueniat semper, & in omnibus hæc per nares destillatio, non erit per se, neq; propria tertiæ coctionis cerebri, neque in latitudine, vel extra latitudinem sanitatis; causa ergo erit aliundè petenda, quæ cum varia sit, redigi poterit ad commune quoddam innominatum, quod erit per se causa destillationis, quod nos tantum per syndromen describere possumus: cum videamus, modo à stomachi repletione, modo à copioso sanguine pituitoso, conspirantibus erroribus in præcatarcticis, conspirante dispositione patientis, & locis affectis fieri; & hæc sunt antecedentia, quæ corrizæ, esse possent origines; vt modo ab errore primę coctionis, modo ab errore secundæ, modo ab errore tertiæ, & modo à vẽtriculo, modo ab hepate, modo à toto corpore, & aliquando à cerebro ipso fiat, quæ omnes causæ catarrhi propriis signis sunt declarandæ: non tamen dicere possumus esse proprium excrementum cerebri; nisi per accidens aliquando contingat.

Errant dum volunt prægnantem ex vrinis cognoscere.

Cap. XXVIII.

Constitvimvs clarioris doctrinæ causa exempla errorum proponere, qui fieri possunt in morborum, & symptomatum ideis genericis cognoscẽdis, vt melius addiscere possimus methodi rectum vsum; egimúsque de erroribus, qui fiunt à rudioribus in cognoscendis affectibus similarium partium, & dissimilarium; & tandem de pertinentibus ad actiones læsas, & ad exeuntia, vt illis percognitis cætera eandem rationem subeuntia, & errores vniuersi, qui fieri possunt in symptomatibus perquirendis, cognoscerentur: in præsentia de signis mulierum prægnãtium est agẽdum, vt empyricorum errores omnium generum nostra methodo aduertere possimus, & reiicienda plura signa, quæ creduntur posse certò indicare mulieres esse pręgnantes, quę cum sint falsa, & à natura rei aliena, erunt explodenda: Dignoscere enim an mulieres in illis primis mensibus vtero gerãt valde proficere potest, quoniam si erunt oppressæ vomitu, fastidio, inappetentia, & similibus symptomatibus, & fœtum gestent, non erit forsitan aliquod ineundum consilium illas euacuandi, & purgandi, sed sperandum fore, vt cum puerperiis in partu omnes mali succi euacuentur.

Cæterum si hæc symptomata prodirent à cacochymia, vel ab aliis causis morbificis, essent proponenda cathartica, & mille alia auxilia, alioquin vestigia morbosa penitus agere possent radices, & inde adeò

vexare,

vexare, vt vel breui in sæuissimos erumpere possent morbos: quamobrem in consilium vocari solent medici, vt difficultatem dirimant, vel si non vtero gerant, morbos anteuertant, arceántq; causarum præter naturam impetum, ne ex morbo morbi sæuiores succrescant, vel vel vbi sunt prægnantes fœtum enutriri permittant, leuiusculis tantum adiunctis remediis.

Empyrici tamen dum tractant hunc casum, an videlicet vtero gerant necne, plurima obseruant signa tùm ridicula, tùm absurda, quia aliqui profitentur cognoscere prægnantem ex lotij aspectu, aliqui ex nausea, vomitu, ex appetitu esculētorum quorundam, aliqui ab egressu vmbilici, vel à lacte mamillis insidente, & ab aliis multis. Huc conueniunt medici, huc obstetrices, quæ profitentur digitis cognoscere, an vterus propter conceptum clausus sit, & quod miserrimum est, medici aliquando inueniuntur, qui sordidas has mulierculas consulunt, earúmque audiunt verba, perinde ac ab aliquo diuini spiritus afflatu esset sententia expectanda.

Adsunt quinetiam, qui credunt cognoscere Hippocratis artificio, an vtero gerant, necne, quando potionem hydromellis aqua pluuiali confecti ebiberent mulieres, & dolorem ventris, vel tormina persentirent, quia dicunt, nec torminibus, nec ventris doloribus fœtu carentes mulieres ob hydromellis potionem affici posse, vel experiuntur aliud Hippocratis artificium, quod est, dum vtuntur suffumigio acuto per pudenda recipiendo, dicunt, si ad nares peruenire potest odor, & illas non esse prægnantes: Hæc & similia infra proponenda sunt signa, quæ vagantur pro cognoscendis prægnantibus, quæ cum decipiant, & sint communia, à quibus nulla certa cognitio colligi possit, sunt prorsus reiicienda.

Sunt in primis, qui dicunt vrinam ad albedinem vergentem, vel claram, conceptum significare, & tantomagis si post redditum lotium in vitrea matella conspiciantur bullosa quędam granula milij figuram imitantia, quæ sint flatu plena, & sint ascendentia, & descendentia; Ex his colligunt mulieres vtero gerere: rationem autem cur ex albedine vrinæ hoc colligi possit, dicunt esse hanc, quia in prægnante hepatis, renum, & vesicę calor (cuius proprium est vrinam reddere coloratam) ad vterum sit contractus, gratia fouendi conceptum, vt inde vrina sua naturali tinctura priuata mulierem vtero gerere ostendat.

3 Addúntque in prægnantibus claram, & perspicuam vrinam reddi, quia in mulieribus vtero gerentibus clauditur vterus; vnde cessat illa iugis excrementorum proluuies, quæ ab ipso tamquam à cloaca egredi, & permisceri solet cum vrina: demum dicunt bullas illas minimas ascendentes, & descendentes in vitreo vasculo post vrinæ mictum ostendere flatus, & crassæ materiæ sobolem, & denique caloris viscerum imbecillitatem, quæ aliquid dicunt habere momenti ad credendum calorem esse ad vterum contractum ob fœtus enutritionem.

4 Cæterum breuibus diluenda sunt hæc mendacia, tanto magis cum nullos vnquam elegantes medicos deprehenderim, qui ex vrina præ-

Albam vrinam non significare cõceptum. gnantem cognosci posse defenderent, cum vasa vrinæ adeo sint separata ab vtero, vt nullam generis sympathiam habeant: dicunt ergo albam vrinam, & granula illa flatulenta, quæ conspiciuntur in vrina, significare calorem viscerum esse diminutum, & nullam aliam causam imaginari possunt, nisi, quia calor contractus sit ad vterum; sed dicant mihi quæso, quænam sint istæ consequentiæ, lotium est album, ergo calor viscerum est debilis, est debilis? ergo cõtractus ad vterum? numquid in qualibet cacochymia calor est debilis est contractus in variis corporis partibus, vnde albescere lotium potest? an ne alba vrina fit quoque ob nimiam potationem? ob vigilias? & ex altera parte, an ne prægnantes coloratã reddunt vrinã? quare per lotiũ decoloratum, & albũ se conferre in hanc cognitionem, quod vtero gerant mulieres, est per medium extraneum, quia neque est signum, quod conueniat prægnanti per se, neque de omni, nec sæpe, vt sit de illis accidentibus vt plurimum separabilibus, quare qui hoc modo discurrunt necessariò in illos paralogismos incidunt, qui vocantur enthymemata ex signis solubilibus, de qua re agemus in libro de analogismo, & de falsa experientia.

Ex quibus causis alba fiat vrina.

Sunt anatomia imperiti qui dicunt vteri sordi tiem misceri cum lotio. Quando verò conceptum colligunt ex claritudine lotij, vt signi huius vanitatem noscant, deberent persæpe inspicere, & animaduertere non prægnantium vrinas, quæ sæpè clarissimæ esse solent, dum verò afferunt causam, cur in prægnante sit clara, dicunt quia clauso vtero, non percollantur sordities perturbantes vrinas, isti hęc dicentes nobis dant occasionem illos redarguendi, vt anatomiæ imperitos, quoniam meatus vrinarius nihil habet cum vulua, & sordities vteri nullo modo possunt misceri cum lotio, cùm meatus vrinarius promineat in parte externa vuluæ, quinimo clausa vulua tangi, & conspici possit.

Granula ascendentia, & descendentia in vrina non ostendere cõceptum. Quod aiunt de granulis, fieri nimirum causa debilitatis caloris viscerum, & ob nullam aliam esse quam propter concentrationem caloris ad vterum: occurrimus imbecillitates viscerum ob innumeras causas fieri, non solùm ob conceptum, verum ob quodlibet viscerum erratum, vnde vrinæ albedo, vel granula sequi possunt. Hinc in molla, & in retentis mensibus, vel in muliere cachexia correpta, & in mille aliis occasionibus calor est debilis, vel contractus, modo in vtero, modo in alia parte, & alba vrina cum granulis obseruatur; quare hęc signa proposita omnino sunt aliena à natura conceptus; rationes verò cur vrina vteri conditiones non significet, sunt, quia vrina nõ fluit per vterum, neque per vuluam, sed habet ductus, & canales separatos, vt vuluæ vel vteri colluuies nullo modo possint cum lotio misceri.

Cur vrina nullam vteri cond: õ nem ostendere possit. Causa demum tanti erroris est, quoniam carent methodo tradita pro cognoscendis locis affectis, de qua Galenus in libris de loc. aff. & nos in proprio capite huius libri verba fecimus, & ostendimus nullum signum partem affectam ostendere posse, nisi sit deprompum vel ab actione propria, vel ab exeunte, id est à propriis excrementis, vel à qualitate mutata, vel demum à situ accidẽtium; at vrina neque actiones

nes vteri ostendit, neque vteri est excrementum, & per consequens nullam qualitatem vteri patefacere poterit? Quid multa? numquid Galenus apertissimè fatetur lotium solum indicare humores existentes in venis, & non in omnibus, sed illos tantum humores significare qui sunt in vena caua? vt in historia illa de muliere apud Pantimidem testatum reliquit. Præterea causa illius tanti erroris dum credunt ex vrinis posse cognosci conceptum, non solum prodit ex conditionum locorum affectorum inscitia, verum etiam, quia syndromen signorum communium, quæ cognirionis ἀκρίβειαν parere solet parum accuratè colligunt, vt amethodi nostri empyrici coacti in plurimos labantur errores, quia nec propriis, nec communibus signis per syndromem collectis incedunt: ostendimus enim superius affectus penitissimos, quando per propria signa non cognoscuntur, tunc per illa signa communia, quæ prodeunt à principiis, quæ necessario concurrunt, cognosci posse: diximúsque in cuiuslibet affectus productionem necessario conspirare hos fontes, externos nimirum errores, subiecta disposita, causas efficientes, symptomata consequentia, & locos afficiēdos, quando ergo aliquid erit occultum, & ab omnibus istis fontibus aliqua signa communia vnam tamen naturam significantia, & ostendentia colligemus, poterimus, quod caligine circumseptum est expeditè cognoscere: dicant igitur mihi quæso empyrici quo artificio volunt ab vrina conceptum colligere? quando enim vrina conceptum significaret, vel esset signum proprium, vel commune hauriēdum ex illis quinque fontibus? quoniam neque vrina proprium est signum, vt omnes consentiunt; neque commune, quia illa tantummodo debent vocari signa communia, quæ vel antecedunt, vel subsequuntur affectus producendos, sed vrina nullo modo prodit à causa, quę vel est externa vel antecedit conceptum, neque vrina ad vasa spermatica pertinet, neque est causa efficiens, conceptus, neque à loco vbi fit conceptus prodire potest, neque inter alia consequentia signa vrina collocari potest, quæ conceptum sig ificent, valet enim consequentia, non sunt antecedentia, ergo non sunt consequentia, quia posterius supponit suum prius, & quando non erit aliquod prius, nō erit suum posterius, causæ enim vrinam facientes non concurrunt ad conceptum, quia vasa illa loco, & natura inter se distant, ergo signa, quæ sequuntur conceptum; ex vrinis non poterimus colligere.

Vrinam non esse proprium nec commune signum pragnantis.

Errant, qui pragnantes volunt cognoscere ex mensibus suppressis, & ex aliis quibusdam signis.

CAP. XXIX.

SEMPER miratus sum illos, qui prægnantes à suppressis mensibus tantum cognoscere volunt, cùm menses supprimantur ob plures causas, quin i o mulieres vtero gerentes inueniantur, quæ suos lunares menses habeant per venarum surculos illos exiles extra orificium

Ob quas causas supprimātur menses.

vteri collocatos, per quos virgines exonerantur. Quo pacto ergo ex mensibus suppressis cognoscere poterunt vtero gerentes? præterea menses, nunquid supprimi possunt ob mille causas? sicuti ob morbos in mala compositione, ob angustiam nimirum, ob compressionem venarum vteri à tumore aliquo factam, vel ob nimiam pinguedinem, vel ob crassos humores obstruentes venas illas, quæ totum vterum intertexunt, vel ob inopiam sanguinis, & demum supprimi possint ob nimiam copiam, veluti quando fœminæ sunt desides, & otiosæ, quæ tam copiosum sanguinem colligunt, vt expultrices facultates illum expellere non possint ob nimium infarctum, & inde menses supprimantur; non valent ergo consequentiæ, sunt suppressi menses, ergo mulier est prægnans: neque valet negatiuè, habet menses, ergo non est prægnans, quoniam dari potest mulier grauida sanguinis tamen feracissima, cum plenitudo fœtus indigentiam exuperet, & inde, quod redundat excernat, non tamen per vterum, quia in prægnante occlusus est, sed per venas extra vterum, per quas Virgines tetro hoc excremento exonerantur.

Cæterum cum menses in Fœtus generationem necessario concurrant, cum ex mensium purissima parte nutriatur embrio, inter illa signa communia menses suppressi ponuntur, quę syndromem sufficientissimam ad significandum conceptum constituere possunt, quam syndromem conceptum ostendentem paulò post declarabimus. Præterea adest alia Methodus, quæ in prægnantis cognitionem ex mensibus suppressis nos ducere potest, enumerantes nimirum omnes causas, quæ menses supprimere valent, & deinde demonstratione aliqua à posteriori excludenda excludere, & demum colligere, an purgationes sint retentæ propter conceptum, vel propter alias causas, de qua re in fine huius libelli.

Mulier lac habet. ergo concepit: non sequitur.

Præterea certissimum signum conceptus esse putant, si in mamillis lac colligatur: nec vident in multis mulieribus lac colligi, & non esse prægnantes, & plurimas quoque esse in primis mensibus prægnantes quæ lac non colligunt: & ratio est, quia lac ob copiosum, & crassum sanguinem generatur; in illis enim mulieribus non erit redundans: Hinc non semel vidi in mamillis marium collectum aliquid lactis, quod contigit tum ob sanguinem crassum, & copiosum illuc transmissum, tùm ob naturam debito frigidiorem, raro tamen in maribus colligi potest ob eorum vegetum, & intensum calorem, qui nõ solum attenuat, sed etiam euacuat excrementa superflua: attenuat, quoniam calor sua virtute omnem humorum crassitiem liquat, & liquatos excrementosos succos vel sensibiliter, vel per transpirationem fallentem sensum nostrum euacuat; calidi enim proprium est dilatare, & patefacere omnes meatus, vt peculiare sit, & intrinsecum naturæ caloris liquefacere, patefacere, & in halitus resoluere humores, vt hinc sit, quod sexus fœmineus diminuto calore donatus virtutes coquendi, & expellendi habens magis repressas, copiosiora excrementa colligat, quæ deinde partim in lunares purgationes, & partim in glandulas mamillares

millares decumbunt; lac enim in prægnantibus fit, quia menses, qui retinentur ob clausum vterum prægnantis, sunt copiosiores, & crassiores, quam fœtus requirat; ideo in glandulas mamillares transmittũtur, vt fiat lac. In non prægnantibus simili ratione lac quoque generatur, quæ est vel ob copiam sanguinis; vel quia singulis mensibus non egreditur, quare sæpissime errare possunt illi, qui ex lacte in mamillis collecto inferunt mulierem vtero gerere, quia re vera sæpe vidimus mulieres suis mensibus carere, tumorem ventris habere, lac quoque esse collectum in mamillis, & ipsas certo credere vtero gerere, attamẽ transacto nono mense, & decimo mutant sententiam, & cognoscunt non conceptum, sed aliquem alium affectum pręter naturam, illas vexare: Quare ex lacte, & quibusdam aliis signis nullum certum indicium habere possumus, nisi coniungantur plura, quæ absolutam syndromen facere possunt.

Ad hæc pulsatio arteriæ gulæ, quæ fit plus iusto manifesta, fallere quoque solet obstetrices, quia hæc pulsatio debito crebrior ob multas causas obtigere solet, hinc si ex hoc signo conceptum collegerint, conficient paralogismum ex communibus signis, vel ex iis, quæ sunt per accidens, quæ nihil docere possunt: pulsant enim velociter ob retentos menses, ob tumorem splenis, & ob tumorem ventris, atque ob pituitam in pectore collectam: ratio vero huius pulsationis tam manifestæ est, quia dum inspirant, nõ distenditur valde septum transuersum, vt propterea sit anhelitus frequentior, & ex consequenti pulsus celerior, & cum in celeritate arteriarum concitetur calor, propterea arteriæ in maiorem attolluntur mollem ob iugem inspiratum aerem, & præsertim arteriæ gulæ motus obseruatur, cum ibi maxima sit arteria, & valde promineat: His igitur constitutis, quis diuinabit ex gulæ arteriæ motu celerrimo, fœminam esse prægnantem, cum isdem effectus à molla, à tumore splenis, ab hydropico affectu, & à retentis mensibus suboriri videatur.

Arteria gulæ pulsant plus iusto, ergo pragnans. paralogismus.

Amplius aliud circumfertur signum prægnantium, ex eo quod lentigines oriantur in facie mulierum, quod signum neque omnibus, neque semper competit, & per consequens nullum nexum necessarium, & per se cum prægnantibus habet: Nescio mente fingere signa posse rerum naturas ostendere, nisi sint per se secundo, vel quarto modo, in quibus supponitur nexus necessarius passionum cum subiectis, quare quando logicis documentis philosophantes reluctentur, necessario in scopulos impingunt, Aristo. enim solo logico artificio omnium priscorum sententias torsit: quare cum lẽtigines nunc sint in prægnantibus, nunc absint, nunc inuadant mulieres ob retentos menses, nunc cacochymas, & melancholicas tantum, nexum necessarium cum vtero gerente habebunt, quantum luna cum crustaceis.

Superueniũt lentigines, ergo prægnans est mulier: consequentia nulla.

Præterea, qui ex appetitu deiecto, atque prostrato, & ex vomitu ante prandium colligunt prægnantem, in eandem vanitatem incidunt, quoniam omnia hæc accidentia fieri possunt ob retentos menses, & ob plures causas præter naturam; fiunt in grauidis, quia meliori san-

Errant qui ex appetitu deiecto, & ex vomitu colligunt mulieres esse prægnantes.

guine fœtus enutritur, & quod deterius est in sanguine, ab vtero non attrahitur, sed à facultate expultrice hepatis, & aliarum partium propellitur ad ventriculum; vnde vomitus, vnde appetitus prostratio; & si contingit, quod venæ sint refertæ sanguine melancholico terrestri, & humor iste terrestris trãsmittatur in ventriculum, & os ipsius coinquinatur, excitatur pica, seu μαλακία, si verò sunt refertæ biliosis humoribus, qui transmittantur in ventriculum, vomitus, & aliquando cardialgię consurgunt; eadem tamen excitantur symptomata aliquando ob menses suppressos, & ob multas alias causas.

Amplius sæpè decipiuntur, dum ex tumefactis mamillis, & à fusco colore capitum mamillarum conceptum colligunt, quod argumentum neque est ex propriis, neque ex communibus signis ad cognitionem conferentibus, quoniam sunt extranea, & sine aliquo fructu æquiuocam intelligentiam pariunt, quia tumefactæ mamillæ, & capita fusca sunt communia retentis mensibus, & prægnantibus.

Decipiuntur quoque, dum ex pondere circa pectem grauidationem colligunt; quia in retentis mensibus, in molla, & in vesicæ calculo pondus illud obseruatur: Itidem colligunt conceptum ex eo, quod venter, dum mulier anhelitum trahit, non multum detumescat, quod signum sanè non solum grauidis, sed omnibus ventris tumoribus, & plurimis aliis morbis superuenire potest, & præcipuè iis, quibus colligitur inter peritoneum, & omentum mala humorum soboles, vel flatus hypocondriacus.

Vt cognoscatur impostura obstetricũ tangentium vterum.

Porrò sunt obstetrices, quæ, dum in dies magis egreditur vmbilicus, & maior euadit, pollicentur conceptum, quippe à quibus, & quot causis præter naturam prominere possit, ex dictis superius facilè est videre.

Postremò dicunt nonnulli pręgnantem cognosci ex tumefactis venis illis, quæ videntur in narium angulis iuxta lachrimalia, dicuntque illas venulas magis apparere, quia partes infernæ, & vena caua à conceptu comprimuntur, vnde sanguis supernas partes excurrens inflat venas frontis, & præcipuè illas angulares, in quibus copiosus sanguis commodius colligi potest, quod signum cum insequatur abdomem compressum, & compressio fieri possit à fœtu, à mensibus retentis, & à quolibet abdominis vel splenis tumore, signum nullum erit.

Quod obstetrices tangentes vterum digitis nullo modo cognoscere possint prægnantem.

CAPVT XXX.

MVLTI omissis omnibus signis conceptus confugiunt ad obstetrices tanquam ad summos iudices, quæ digitis experiantur, an vteri orificium clausum sit; quoniam si ab ipsis inueniretur occlusum, meritò non esset amplius de conceptu dubitandum; In hoc tamen

men munere obeundo fallaces istæ mulierculæ, cum optime sciant, hoc ab illis non posse cognosci, an sit vterus clausus, quamuis manibus internas illas partes tractent, nihilominus, qua de re sua agitur, profitentur palam hoc ab illis perfectè cognosci, quarum obstetricum impostura non modo cognosci potest ab iis, qui arte anatomica sunt exculti, verum etiam à quolibet viro vegeti ingenio prędito, quoniam si seorsum multæ conuocentur obstetrices, vt tangant vteri orificium an sit occlusum, faciliter omnes cognoscent verba ipsarum ab animo dissentire, quia loquentes titubant, & ipsarum sententiæ contrariæ obseruantur, quod est certissimum inscitiæ, & imposturæ signum; periti verò anatomia altioribus principiis cognoscunt, orificium vteri in parte, vbi tangitur ab obstetrice, non posse claudi, sed ita apertum cõseruari, sicuti erat in muliere antequam vtero gereret, quia in prægnantibus solum in parte intima, est obstructum à quodam mucilaginoso infarctu, qui adeo conglobatur, & vteri foramen illud intimum operit, vt iure Gal. dixerit de prægnante, quod adeo orificium vteri internum illud, quod videlicet nullo modo digitis tangi potest, sit clausum, quod acuum cuspides non peruaderent. Hoc vero quod diximus de vteri orificio, possumus experiri in brutis animantibus, & præcipuè in capris fœtum gerentibus, quas si disseccabimus, in parte vteri interna iuxta orificium obseruabimus floccum quendam mucilaginosum cooperientem, & velantem totum vteri orificium sine aliqua orificij clausura, quare vanissimum erit credere labia ceruicis matricis coalescere, & claudi, cum semper tam in prægnante, quam in nõ prægnante aperta, & reclusa sint. Si quis vero non crederet, eat, & experiatur in mulieribus prægnantibus, quia propriis manibus inueniet in vuluæ apice particulam quandam oblongam, & duriusculam, quæ exprimit exigui penis puerorum imaginem, quę si pene humano confricatur, vel digitis tractetur, concitantur mulieres ad semen eiaculandum, sed non ocyus aura, vel ocyus œstro, vt dicit Columbus, profluet semen, sed breui aliquo temporis interuallo; in hac igitur parte oblonga, & duriuscula explorabit orificium vteri, & idem foramen inueniet eodem modo conformatum in prægnante, perinde ac in non prægnante: magna ergo sine dubio erit obstetricum inscitia, vel impostura, dum ope digitorum manus profitentur cognoscere, an vterus occlusus sit, cum semper in externa parte maneat apertus. Et multo maior erit nonnullorum medicorum inscitia, qui spreta anatomia deferunt hoc negotium summi momenti sordidis hisce obstetricibus.

Vt errant, qui dicunt orificium vteri pragnãtium claudi.

Quomodo inueniatur vteri orificiũ in viuente.

Præterea aliud circumfertur signum, quod mulier iam conceperit, si in coëundo contigerit, coëuntem percepisse ab orificio matricis penem fuisse constructum, colligúntque ex illa penis coarctatione sperma ab vtero fuisse receptum, vnde conceptus habueritinitium, quod vteri conditionibus non potest conuenire, quoniam orificium vteri nullo modo in coëundo aperiri potest, vt amplectatur penem; causa vero, cur virga in coëundo aliquando constringatur, prouenit à tensis vuluæ carunculis, quas nymphas vocant, quæ carunculæ inflantur, &

Cur in coëundo constringatur penis.

tumescunt, vt tumet penis, & inflatæ penem coarctant: signum verò certissimum, quod constrictiones illæ non fiant ab orificio vteri, colligitur ex hoc, quia si coitus exercetur cum prægnante (cuius vteri orificium ex omnium consensu aperiri non potest) eædem constrictiones, vel coarctationes virgæ in coëundo aliquando obseruantur, quare vanissimum erit illud signum, quod ex constrictione illa penis desumi possit argumentum, quod ab vtero sperma sit attractum, & inde conceperit mulier.

Vt errant, qui freti auctoritate Hippocratis dicunt conceptum cognosci, si post cœnam, epoto hydromelle, sequantur tormina.

CAPVT XXXI.

PLVRIMI medicorum profitentur cognoscere prægnantem, si post cœnam, epoto hydromelle, inde mulier tormina ventris sentiat; desumúntque ab Hippocrate sect. 5. aph. 41. vbi hac verborum serie videtur docere quomodo cognosci possit mulier vtero gerens, si velis noscere, an conceperit mulier, cum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da, & si alui tormina patietur, concepit, sin minus non cōcepit. Galenus in commento reddens rationem huius aphorismi, dicit, ob conceptum fieri angustationem, vt flatus qui fiunt ab hydromelle promeare non possint, vnde flatus retenti distendentes ventrem sunt illi, qui tormina faciunt, subditque Galenus reddens rationem, cur à sumpta cœna, & non ante debeat dari hydromel, dicit vt magis manifestè obseruentur tormina, quia si fuerit epotus à cœna, duæ concurrent causæ angustationis, altera ob cibum replentem, altera verò ob conceptum comprimentem ventrem. Cæterum quantum robore polleat hoc signum, ex superius dictis quisque cognoscere poterit, quia non solum conceptus comprimit ventrem, sed mola, menses suppressi, tumores internorum viscerum, sicuti sunt tumores splenis, hepatis, & demum tumores musculorum abdominis, & plurimi alij affectus sint, qui comprimunt, & coarctant ventrem, ob quas causas hydromel liberè non transiens pariat flatus, & tormina inde sequantur: Quomodo igitur erit proprium prægnantium à cœna sumpto hydromelle tormina fieri, si æquè in hominibus, ac in mulieribus hydromel aliquãdo tormina excitet? numquid homines fortasse possunt vtero gerere? & ex alia parte interdum obseruetur in prægnante hydromel nullo modo tormina facere.

Videns propterea Auicennas experimentum hydromellis pollicitis Hippocratis frustrari, animaduertit hydromel non facere tormina in illis prægnantibus, quæ sunt assuetæ potioni hydromellis; ab assuetis enim non fit passio. Quæ Auicennæ expositio est insufficiens, quoniam

niam in non assuetis prægnantibus, & non prægnantibus mellicratum excitare solet tormina, quomodo ergo poterimus distinguere mulieres prægnantes ab aliis, quando æquè ob potionem mulsæ, seu hydromellis torminibus lacerentur?

Alij quoque videntes Hippocratis aphorismum non esse æternæ veritatis, conantur interpretari alio modo aphorismum, dicentes, mellicratum in vtero gerentibus solum vermina, seu tormina intestinorum excitare, si aqua pluuiali conficeretur; quæ expositio experientiæ non respondet; cum non semel sim expertus mellicratum hoc modo paratum in prægnantibus iis, quæ tamen non sunt assuetæ huic potioni, nihilominus in iis mulieribus tormina nulla à me obseruata fuere.

Probatur è Galeno aliquos aphorismos Hippocratis non esse semper veros.

Alio modo igitur est aphorismus Hippocratis à nobis interpretandus, dicendo cum Galeno aphorismos aliquos non esse æternæ veritatis, sed magna ex parte esse veros: quæ Galeni sententia habetur in commento aphorismi 58. sextæ sectionis, vbi Hippocrates dicit, Si Omentum exciderit, necessario computrescat: Galenus in commento habet hæc verba, " si aliquis viderit omentum, quod pauco tempore ex" tra prodierit, & fuisse reductum ad suum locum, & non putruisse " ostendet ille non esse perpetuo veram sententiam Hippocratis, sed nō " tollet, quod magna ex parte vera sit: audias deinde Galeni verba, quæ " sequuntur; commune est huic aphorismo, & aliis, vt perpetuum ex fi" gura dictionis ostendatur, quamuis res ipsæ non semper eodem modo " eueniant, sed licet raro, interdum etiam aliter accidat, quare Galen. fatetur hunc aphorismum non esse perpetuæ veritatis, quod videlicet quamuis omentum excidat, non necessario, & semper putrescat; quamuis clarissime loquatur Hippocrates, quia dicit, si omentum exciderit ἀνάγκη ἀποσαπῆναι, id est, necessario computrescit; adeo enim Galenus constanter credidit plures aphorismos non esse æternæ veritatis, quamuis magna ex parte veri sint, vt voluerit aliquo modo reluctari Hippocrati, dicens, non necessario excisum omentum computrescere: quanto magis etiam nos æmulantes Galenum, poterimus interpretari illos aphorismos, qui perpetuo experientiæ non cohærent, sicuti est ille de hydromelle, & ille de suffitu aromatum pro cognoscendis prægnantibus, poterimus inquam interpretari, vt plurimum esse verum hydromel sumptum à cœna excitare tormina in prægnantibus; sed non semper; quare si non semper verus erit aphorismus, non erit inter signa perpetua collocandus, quæ sola nos ab initio inquirenda proposuimus.

Vt igitur confirmemus hanc nostram sententiam à Galeno desumptam, quod nimirum satis sit aliquos aphorismos esse veros, vt plurimum, & omnes non esse æternæ veritatis; aliquos afferamus in medium similes; numquid æternæ veritatis est ille 41. quintæ sectionis, dum dicit, si mulier grauida marem gerit, est coloratior, si fœminam decolor, quis defenderet huic aphorismum semper esse verum? quot vidimus fœminas prægnantes marium decolores, & fœminarum co-

loratiores. Similiter 5.sectione aph.31.si mulier grauida morbo quopiam acuto corripitur, esse lethale, quis defenderet hunc? quis non vidit aliquando grauidas acuto & peracuto affectas morbo sæpe euasisse? Ad hæc 4.aphorismo, 79.habet, quibus in vrina subsident sabulosa, iis vesica calculo laborat: nemo sanę mentis defenderet hunc aphorismum esse perpetuò verum, cum sæpissime obseruetur sabulosa subsidentia sine calculi suspitione: similiter 4. sectio. aphor. 70. quibus vrinæ turbatæ vt iumentorum, iis dolor capitis vel adest, vel aderit. Quid prohibet dolores capitis neque adesse, nec venturos esse, quando spiritus ille igneus in venis ardens, & massam sanguineam turbans non obreperet in caput, sed in vrinam totus ignitus spiritus contenderet? vt sæpè vidimus ægrotantes cum vrinis subiugalibus, qui nunquam in tota illa ægritudine passi sint dolores capitis: Ecce quàm sæpè Hippocratis sententiæ non sunt æternæ veritatis. Quare, vt iterum redeamus ad hydromellem, & ad suffitum aromatum, negamus hydromellem sumptum post cœnam semper in prægnantibus tórmina facere posse.

Errant qui per suffitum aromatum pregnãtem cognoscunt.

Simili ratione negamus odorem aromatum per suffitum administrandum per pudenda in non prægnantibus posse ad nares semper excurrere; quoniam claudi possunt meatus vteri non solum à conceptu, sed à mola, à retentis mensibus, à pinguedine, à tumoribus, & à sexcentis aliis causis, sicuti experientia cognoscere possumus.

Quomodo per syndromem cognoscatur conceptus occultus.

CAPVT XXXII.

CÆTERVM quid post tot signa communia minimè concludentia dici potest, vt conceptum occultum cognoscamus; arbitror, quod inter cæteros modos cognoscendi prægnantem, methodus, quę fieri possit per syndromem signorum perpetuò inhærentium sit illa, quæ nos commodè ducere possit ad huius cognitionis apicem: Signa verò, quæ sufficientissimam hanc syndromem constituere possunt, omnia sunt dessumenda tùm ab antecedentibus necessariis, tùm ab iis, quæ necessariò consequuntur conceptum: antecedentia verò omnia, quæ necessario ad concipiendum concurrunt, reducuntur ad causam efficientem externam, quæ consistit in viro fœcundo, & ad corpus mulieris dispositum ad conceptum formandum; quam fœcunditatem viri, seu mulieris, si certis quibusdam signis cognoscamus, & cum aliis quibusdam signis necessariò insequentibus coniungamus, infallibilem sine dubio cognitionem conceptus consequi poterimus: Signa verò, quæ necessario consequuntur, duo mihi videntur sufficere ad hanc cognitionem, vt primum sit præcognoscere an orificium vteri internũ sit obturatum (vt diximus) flocco illo mucilaginoso, quod mitræchita infrà proponenda est cognoscendum, quia hoc signũ perpetuò

petuò insequitur vtero gerentem, quinimo quando cõtingeret, quod orificium vteri illud internum esset diminutè obturatum, necessario esset expectandus abortus; secundum signum consequens cõceptum est aliquis ventris tumor, qui tamen diligenter est obseruandus, cum interdum vix cognosci possit: hæc igitur sunt signa necessario consequentia conceptum, vt valeant consequentiæ, est conceptus, ergo orificium vteri internum est obturatum; est conceptus, ergo aliquis tumor; non tamen valent istæ, est conceptus, ergo menses sunt suppressi, ergo lac incipit apparere in mammillis, ergo mammillæ tumescere incipiunt, ergo pulsant plus iusto iuguli arteriæ, & alia similia in superioribus capitibus reiecta, quæ vt plurimum, sed non necessario insequuntur conceptum.

Colligamus ergo breuiter signa, quæ sufficientissimam syndromen facere possunt & in primis à causa efficiente externa, probantes prius virum illius mulieris esse fœcundum; signa igitur fœcunditatis ab aliquo ex tribus iis fontibus sunt colligenda; à primo, quod aliàs expertus sit fœcunditatem, vel quando non esset expertus, à secundo colligere saltem possimus, quod à fœcundissima prole ducat originem; à tertio quod tali pacto sit constitutus, vt in hoc munere obeundo nihil appareat defficiens: Simili modo cognoscemus corpus mulieris esse dispositus ad conceptus formandos, vel quia aliàs passa sit cõceptum, vel secundo, quod à fœcundissimo stipite ortum trahat; vel demum nullum cognoscatur impedimentum in muliere ad hoc munus præstandum; impedimenta varia sunt, vt ætas senilis, vel puerilis, vel tali modo sit constituta, vt nunquam habuerit menses, & alia plura.

A consequentibus colligimus illa duo enarrata, tumorem videlicet aliquem ventris, & orificium vteri internum flocco illo obfartum, quæ nos certissimos reddere possunt esse prægnantem: Quare tumorem obseruare possumus rectè inspicientes mulierem stantem, vel ambulantem, & vbi videbimus ventrem eo modo tumidum, & tensum, vt proportione quadam tumor ad mammas vsque euectus sit, tunc ex hoc aspectu totius ventris, si cætera antecedentia, & consequentia nõ reluctentur, magnum sumere poterimus argumentum, quod illa mulier necessario vtero gerat.

Aliud signum, quod necessario cõsequitur grauidationem, & quod vnicè ferè demonstrat, est summa cum diligentia prius inquirere, an orificium internum vteri sit occlusum; non enim cognoscitur per relationem obstetricum tangentium partem externam vteri, quæ nos fallunt, & decipiunt, vt superius ostendimus: quia in parte illa externa, quæ in viuente tangi potest, perpetuo manet apertum orificium tam in prægnante, quàm in non prægnante, vt omnes sciunt, qui diligenti anatomia sunt exculti: sed cum intrinsecum vteri orificium in prægnante sit solum occlusum (vt diximus) flocco illo mucilaginoso, illud est inquirendum, quoniam quando aliquo ingenio possemus percipere, quod sit occlusum, coniungentes deinde hoc signum cum antecedentibus, in certissimam cognitionem ducemur, mulierem il-

Quomodo virtute mitrenchitæ cognoscere possimus occultum conceptum.

lam vtero gerere. Ergo autem cum diu mecum cogitassem quo pacto possemus perfectè scire, quando esset clausum orificium illud internum; inueni nos posse ad hanc cognitionem peruenire auxilio mitrenchitæ accommodatæ, quod instrumentum apud veteres erat vel maximè in vsu, quando liquores volebant in vterum inijcere; ad hoc igitur cognoscendum sumimus hanc mitrenchitam ad hunc vsum accommodatam, cuius apicem immittimus in foramen externum vteri summa cum dexteritate, in primis oportet digito indice sinistræ manus inuenire foramen illud externum vteri, quod tamen non quilibet inexpertus inuenire sciet, quo inuento firmatur digitus iuxta orificium vteri, vt volentes dextra manu specilli, vel mitrenchitæ nostræ apicem immittere, non erremus, apice deinde sp cilli immisso, statim exprimitur liquor aliquis suauissimus, sicuti esset vini tenuissimi pauxillum, ne forte conceptu existente aliquis sequatur abortus, quo expresso hoc modo cognoscemus si est obturatum, quia si leue aliquod fastidium post expressum liquorem persentiet mulier, tunc, vt experientia cognoui, illa non erit prægnans, quia hac de causa fastidium persentire arbitror; quoniam liquor penetrat in vterum, & vellicat parum partem illam maximo sensu donatam; si verò post immissam vini exiguam portionem mulier nihil persentiet, tunc erit occlusus vterus, & per consequens erit prægnans: De cuius specilli, & mitrenchitæ schemate in proprio libro de instrumentis medicis nouiter à me inuentis diffusè agemus, quem librum post hac imprimendum duxi: concludimus ergo si ea signa, quæ colliguntur à causa efficiente, & à corpore disposito mulieris coniungantur cum iis, quę necessario consequuntur, fore, vt nos certissimam conceptus quantumuis occulti cognitionem consequamur.

Quomodo ex signis non necessariò consequentibus conceptum, possimus prægnantem cognoscere.

CAPVT. XXXIII.

PRÆSTAT hic aliam methodum proponere, qua per signa non necessariò insequentia possimus prægnantem cognoscere; quoniam vt plurimum conceptus supponit retentos menses, vomitus, appetitus deprauatos, & similia iam superius enarrata; arbitror ex iis signis quoque nos posse in conceptus cognitionem peruenire, si argumento ex sufficienti par. enumeratione cum aliqua demonstratione coniuncto signa illa communia expurgemus, & omnem abiiciamus contingentiam, dicentes, sunt suppressi menses, ergo vel ob inopiam sanguinis, vel ob tumorem aliquem præter naturam comprimentem, vel ob nimiam pinguedinem, vel ob crassos & viscidos humores obstruentes, vel ob nimiam copiam infarcientem meatus, vt fluere non possit sanguis; probes deinde an ob inopiam sanguinis illud accidere possit, cum

sanguinis penuriæ signa satis sint manifesta, & si non inueneris illud euenire ob sanguinis inopiam, excutias deinde an ob tumorem præter naturam comprimentem, vel propter alias causas non naturales, quas cognoscere poteris vniuersas virtute methodi traditæ in capite 6. huius primi libri, vbi omnia symptomata docuimus quomodo reducantur ad vnũ, quod sit in facto esse; ea vero methodo vti hoc pacto poteris, omne retentum immodicè supponere actionem expultricem læsam, & hæc functio expultrix, vel erit læsa ob facultatem, & constitutionem læsam, vel ob errorem externum, facultas, vel constitutio lædens expultricem per se, si est in similaribus, debet esse intemperies sicca, si in dissimilaribus, angustia; deinde signa angustiæ omnia sunt consideranda, quæ tradita sunt capite recitato, quare quando inuenies non esse ob causas morbificas, tunc poteris inferre suppressos esse méses ob conceptum; id quod diximus de suppressis mensibus, idem dicendum de lacte mammillis insidente, de appetitu mulierum deprauato; quæ omnia signa licet de omni non prædicentur, cum omnibus prægnantibus non competant, attamen adeo coarctare possunt conceptum, vt certum ex illis signis quoque indicium colligere possimus, mulieres nimirum vtero gerere.

Ex iis enarratis in hoc libro poterimus omnes affectuum præter naturam ideas, vel formas genericas occultas inuenire, quia in exordio libri diuisionem omnium morborum, & omnium symptomatum tradidimus; deinde ostendimus viam diuisiuam per se solam in cognoscendis affectuum formis occultis esse mancam, & diminutam, cum processus diuisiuus semper sit cum principij petitione. Erat igitur necessarium, vt inueniremus occulta, vlterius philosophari; ideo incepimus capite 6. methodum tradere, qua possemus non solum omnium symptomatum coordinationes cognoscere, sed omnium affectuum, qui sunt in fieri primas radices per symptomata propria penetrare, cuius mirabilis methodi resolutiuæ virtute ad quemlibet genericum affectum cognoscendum peruenire possumus. Deinceps capite 8. tractauimus de methodo magis particulari, & quæ nos per signa propria ducere posset ad reconditos affectus cognoscendos, in qua methodo quinque proponebantur fontes, in quibus omnes morborum proprietates conuertibiles, quæ ab humana mente cognosci possunt collocabantur: sed quoniam persæpe signa propria morborum delitescunt, vt in centum internis affectibus vix vnicus sit, qui per vnicum proprium signum cognoscatur, huc totam curam totámque diligentiam inflectimus, vt methodum de signis communibus per syndromem à sex fontibus colligendis inueniremus, quæ perpetuo in omni affectu recondito nobis posset formas, & ideas morborum aperire, & ob oculos collocare, quæ deinde inuenta nouem affectibus præter naturam internis, & occultis applicauimus, & ostendimus solum per sex illos fontes nos potuisse ad tam occultos affectus peruenire: demum exemplis illustrata, exempla errorum Empyricorum in quouis affectuum genere, qui sine hac methodo incidunt, reiicienda proposuimus, vt il- *Epilogus.*

lis erroribus elisis, eadem methodus infinitos alios, qui fieri possunt in affectum ideis, aperiret: & tandem ostendimus nos per eamdem syndromem signorum procedere ad cognoscendum conceptum occultum, vt ostenderemus mirabilem hanc mehodum non solum conferre ad cognoscendos affectus præter naturam; verum etiam ad illos, qui inter limites sanitatis continentur, vt nullus error committi possit in cognoscendis morborum, & symptomatum ideis, qui traditis methodis perfectè non cognoscatur.

Finis Primi Libri.

SAN-

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in affectuum Sympathia, & Idiopathia perquirenda.

LIBER SECVNDVS.

Quod qualibet corporis pars modo per essentiam, modo per consensum affici possit.

CAPVT I.

CVM in primo libro methodum pro vitandis erroribus, qui fieri possunt in formis, & ideis affectuum genericis præter naturam indagandis tradiderimus, cuius traditæ Methodi virtute nos sanè omnes morborum, & symptomatum formas, quæ ægrotantes vniuersos lacerare possunt, hactenus cognoscere valemus; Sequitur in præsentia, vt aliquam inueniamus methodum, quæ tenebras has discutiat, & quæ nos perfectè edocere valeat, quando istæ affectuum formæ iam traditæ corporis particulis per se, & quando per consensum competant: etenim re vera pro hauriendis indicationibus non satis est scire tantum has formas, vel ideas affectuum, nisi præterea sciamus an per consensum, vel per essentiam hæ morborum ideæ miseros premant patientes, quia possumus asserere qui affectum aliquem perturbantem ventriculum, caput, & alias partes, per hypothesim esse discrasiam calidam, & siccam: verum, an hæc ca-

lida intemperies sit per consensum in ventriculo, & in quauis alia parte, vel per essentiam; atque an affectus per essentiam sit prothopathia, vel idiopathia, hactenus re vera hoc nos latet, & tenebrarum vallo est obuolutum.

Exordiemur ergo à diuisione affectionum per essentiam, & per sympathiam, & has per sympathiam, siue per consensum in suas species diuidemus; & hinc accedemus ad hanc exoptatam methodum, quæ docebit quando, & quomodo affectus sint per essentiam, & quãdo, & quomodo per consensum; & tandem, vt hæc methodus exemplorum luce magis splendescat, plurima Empyricorum errata, & præcipuè anatomica subnectemus, quibus ostendetur, methodo hac spoliatos ad tantam cognitionem de Idiopathia, & Sympathia se eleuare non potuisse. Et hoc est supremum illud caput in proemio huius voluminis propositum inquirendum, ad quod innumerabi es nostratum errores redigi possunt, dum persæpè falluntur in contemplatione formarum, credentes ægrum morbo aliquo per essentiam vexari, cum tamen affectus ille sit per consensum, & sympathiam alterius labefactatæ partis. Nemo in ægritudinem prolabitur, quin cadat in varias affectuum ideas, tanta in hoc nostro corpore est harmonia, & partium consensus; si aliqua pars est læsa, eadem exemplo, vel paulò post plerásque plures in consortium allicere solet; labefactetur aliquod viscus, sit ventriculus, sit iecur, sit caput, sint denique ex illis, quæ non ita principem locum tenent, protinus variæ in consensum ob hanc summam partium sympathiam cadere videntur, vnde diuersas in quolibet ægrotante mixturas affectionum suboriri vidimus; propterea quæ in tanta affectuum confusione per se, quæ per accidens partibus nostri corporis conueniant, & quæ primo, & quæ per consensum, hoc talem inquisitionem efflagitat, vt nisi considerationis huiusce cardinem prius consequamur, affectuum curatio, vel notitia implicita, & inextricabilis reddatur, & millies tunc medendo in laqueos incidemus, & ægrotos ad exitium vsque deuerberare persæpe poterimus.

Cur, qui in aliquam ægritudinem labuntur, in plures alias deinde incidant.

Sed quoniam in hac contemplatione hoc est sumendum pro principio, quod omnes partes corporis nostri lædi possint vel vitio proprio, vel alieno, aliqua lucidioris doctrinæ gratia in hoc capite sunt afferenda exempla de visceribus passim à Galeno proposita, quod quælibet affici possint modo per essentiam, modo per consensum; quoniam exemplorum luce rudiores adipisci omnium artium fastigium, & per hanc semitam ocyus ad exoptatum terminum peruenire poterunt; proponamus exemplum de ventriculo dessumptum à Galeno 5. de loc. aff. 1. dum habet congeruntur excrementa in ventriculo
„ tum eius vitio, tum vitio aliorum viscerum: cum male habente liene
„ ichores melancolici possint in ventriculum confluere, & symptomata melancholica excitare: tunc si quis ventriculo totis horis medellam adiungeret, cum in ipso affectio sit in fieri, & dependens, & in consortium à splene trahatur, tempus prorsus contereret: Similiter dum corrumpuntur edulia in ventriculo ob aliundè transmissum succum, nulla exi-

Ostenditur omnes corporis partes lædi vel vitio proprio, vel alieno.

la existente noxa in ipsius tunicis, sed simili succorum diluuie perenni motu foueatur, quam medellam stomacho adiungere poteris? nisi fixam in aliis partibus radicem elidas, atque euellas; audias Galenum de generalissimis differentiis corruptionis ciborum primo de loc. aff. 3. has generalissimas differentias corruptionis ciborum, vel per proprios " morbos ventriculi, vel à vitiosis humoribus; vel ab alimentorum qua- " litate fieri; quam Galeni præceptionem applicare quoque possumus cuilibet parti læsæ; quoniam quæcunque corporis pars correpta sit, illud accidit, vel quia à proprio morbo lædatur, vel quia ab humore accumulato, vel ab alia corporis parte transmisso illa læsio partis dependeat, vel à causis procatarcticis; vt oculos vigiles in omni afflictione habere præstet in has tres differentias, & illas expendere, & ad ipsas totum reuocare examen, quoniam sub iis omnis mala valetudo, sit propria, sit per consensum, continetur: Sed alia conferamus exempla, vt est in more nostro, quoniam video singularium lumine ad doctrinam vniuersalium expeditius euehi nos posse, & studiosos ad apicem huius considerationis melius deferri: afferamus Galeni testimonium in exemplo de cerebro 2. de differentiis feb. vltimo, dum habet, aliquando caput nil pati, sed catarrhum fieri ob sanguinem vitiatum: " tunc caput cum omni propria affectione spoliatum sit, si omnia auxilia medica, quæ sunt sub orbe lunæ, capiti adiungeres tuis irritis frustrare polliciris, quia affectus in fieri tantum potest tolli, quantum vmbra non ablato corpore, quod dictu, & factu est impossibile: Postremò ne prætermittamus hepar, quod quam sæpissimè in consensum aliarum partium corporis degenerat, afferamus locum Galeni 5. de loc. aff. ·. vbi sympathiam vicinitatis cognoscemus, ostendentes quot modis afficiatur hepar per consensum vicinatũ partiũ, hoc verborũ ornatu refert Galenus, hepar afficitur per cõsensum vel lienis causa, vel ventriculi, vel intestinorũ, & maxime causa ieiunij; & mesentericæ vẽ- " næ habituali intẽperie refrigerare possunt omnes venas simarũ partiũ " iecoris, vnde intemperies peruenit ad totum iecur. Dum per consen- " sum à pulmone, vel à septo transuerso, vel à rene primo, quæ in gibba " afficitur, & tractu temporis totum iecur, & nemo inficiabitur, nisi sit " natura contentiosus, & indoctus: per hæc exempla eleuari nos possu- " mus ad cognitionem affectuum per consensum, qui contingere possunt in qualibet corporis particula, cum à Galeno sit hepar, tamquam exemplar propositum affectionum, quas per consensum à partibus circumiacentibus recipere potest: Quoniam respiciens ad consensum vicinitatis dixit, quod lien, ventriculus, mesenterium, & intestina, partem hepatis concauam lædere possunt: pulmo verò, renes, & diaphragma partem conuexam in sympathiam trahere valent: ad eundem prorsus modum, & cò expedit ius cętera viscera, & cæteræ corporis partes, quæ non tanto pollent valore poterunt quoquouersum à partibus vicinis læsis malè verti, & totam malam sortem vicinarum partium suscipere: sed quoniam consensus multifariam fit, cum diuersorum generum existat; iacto hoc fundamento, quòd quælibet cor-

poris particula ex se sana possit infortunium aliarum partium suscipere, & alieno morbo iactari; præstat in sequenti capite proprios affectus, siue idiopathias (quod in idem recidit) in suas partiri species; & sympathias ad eundem modum diuidere in suas differentias, vt deinde methodo certiori venari possimus specificas affectuum differentias in quouis ægrotante contingentes.

De Diuisione propriorum affectuum in affectus per essentiam tantum, & in affectus per essentiam, & per consensum simul.

CAPVT II.

COMPERTVM est ergo vniuersas nostri corporis partes afflictari posse, vel propria affectione, vel aliena, quæ vocatur per consensum: præstat hic breuibus exordiri à propriorum affectuum diuisione: Dicimus ergo propriam affectionem, quam Græci idiopathiam vocant, partiri in propriam cum dependentia, quę partim sit facta, & partim fiat, vel in propriam sine dependentia, quæ solum sit facta, quam primariam affectionem seu protopathiam appellant: quam diuisionem à Gal. 1. de loc. aff. 3. desumpsimus; & in hanc nostram iatrologiam collocauimus, de qua Gale. hac verborum serie tradidit litteris:

Idiopathia alia est cum dependentia, alia sine dependentia.

„ Proprius affectus dicitur idiopathia, quem vocant etiam protopathiam, id est primarium affectum; contingit tamen aliquádo, aliquem simul & per consensum, & propria affectione laborare, cum in affecta particula per consensum permanēs sit dispositio, neq; dicemus ipsam affici primariò, sed propriè, & secundariò affici. Admonet Galenus diligentissimum esse faciendum examen in affectibus complicatis, cũ ferè semper corpora hæc nostra iis complicatis sint perturbata affectionibus, quia modò vidimus in vno, & eodem ægrotante passiones aliquas, quæ omnino sunt in facto esse, & principales, & hę altas, & separatas agunt radices, quæ à Galeno protopathiæ vocantur.

Admonet ergo Galenus, vt disquiramus in omni affectuum complicatione, quænam sit illa affectio principalis, quæ solum est in facto esse, & ab alia non fouetur, & quæ sit propria, & dependens, quia sine hac cognitione de diagnostica, & therapeutica medicinæ parte actum esset; verbi causa, sit ventriculus intemperie obsessus frigida, causa fouens sint recrementa frigida, & pituitosa à capite in ventriculum procumbentia, quæ tractu temporis adeo refrigerent, vt affectum propriũ in ventriculo constituant, túc intemperies ventriculi dicitur propria, sed partim in facto esse, & partim in fieri, vel partim per se, & partim per consensum, quod idem est. Cerebri verò affectio vocabitur protopathia; quia solum est in facto esse, & independens, & tunc si tractabitur, à qua affectione esset curatio incipienda, sine dubio erit ab illa, quæ est in facto esse, quæ est in cerebro, quia illa est causa fouens, & inde-

independens, vt iure merito protopathia vocetur, alioquin illa ventriculi passio redderetur indelebilis.

Hinc Galenus doctissimè pro hac re discurrens à qua nimirum affectione in mixtis, & complicatis sit cura incipienda, 4. meth. capite 4. habet hæc verba, morbus, qui iam permanens est, vel adhuc fit, vel non, si adhuc fit (vt videlicet partim sit factus, & adhuc habeat fomentum quo fiat, & conseruetur) à causa auspicandum, eámque remouendo, si non amplius fit, ab affectu; & sibi consentiens 7. methodi, si duo affectus coniuncti sunt, vt vnus sine altero non auferatur, primo ille sine quo alter non tollitur, debet auferri, quam sententiam vbique repetit; & præcipuè in arte medicinali in vltima parte, dicens prius esse causam fouentem tollendam: verbi causa fiet catarrhus ob sanguinis acrimoniam, & à capite pulsus obrepet in artus, in pectus, & in alias partes; tunc non est rationi consonum, vt confugias in illa pectoris affectione ad penidia, ad liquiritiam, & ad cętera expectorantia, vt est in more Empyricorum, qui nunquam, nisi fortuito protopathiam cognoscunt, quia irritum redderes negotium, & numquam curares; quare par est tunc ad protopathiam confugere, quod esset corrigere acrimoniam sanguinis, & viscerum calorem compescere, & demulcere, vnde tota proluuies suum trahere videtur exordium. Cæterum cum materies hæc vniuersa vberrimè tractanda sit in libro de indicantium æquilibrio, ac in proprio loco, & multis exemplis ibi sit illustrata, non est, vt de hac re in præsentia vlterius prouehamur cum satis sit hic colligere, affectus proprios alios esse tantum in facto esse, & principales; alios vero in facto esse, & in fieri, & curationem esse incipiendam à principali, & indepedenti affectione, quam Græci protopathiam vocant.

In mixtis affectibus à quo affectuum sit curatio incipienda.

Cur nesciant Empyrici curare catarrhum.

Methodus breuissima qua in cognitionem affectuum propriorum principalium, & per consensum ducamur.

CAPVT III.

IN præsentia opus est methodum aliquam perquirere, quæ nos docere possit, quando affectio propria sit principalis, & quando sit dependens, & per consensum: Quinque igitur mihi videntur constitui posse fontes, à quibus colligere possimus tamquam à sufficientissima syndrome hoc summi momenti quæsitum.

Vt primus fons, sit habere cognitionem partium primo loco affectarum, nam scientes, quæ pars prius læsa fuerit, illico sciemus affectionem illius partis esse independentem, & non fieri ab alia affectione, & hanc sæpè inueniemus esse prothopathiam, vel principalem affectionem in illo ægrotante: Quomodo autem cognoscatur aliqua pars læsa, & quando lædatur, egimus in primo libro, in capite de signis locorum affectorum, vnde facillimè possumus colligere, quæ pars sit

De primo fonte vnde quo cognoscere possumus protopathiam.

affecta, & quæ primo loco afficiatur. Cæterum quamuis valde conferat ad cognoſcendos proprios affectus hæc prima conditio, quæ primum fontem conſtituit, attamen non ſufficit huius primi fontis cognitionem habere, quoniam aliqua corporis particula prius poteſt lædi, & deinde eadem læſio alteri parti communicari, vt ab hac ſecundo loco affecta parte plura, & læthalia ſymptomata poſſint emergere, quæ nullam fomentationem habeant à parte primo loco læſa, quinimo affectio, quę eſt in parte ſecundo loco læſa ſit in facto eſſe tantum, & independens, & quæ ſit principalis in complicatione omnium affectuum, qui eſſe poſſunt in illo ægrotante; exempli cauſa, ventriculus læditur à nimis eduliis, ob quam læſionem caput ingraueſcere incipit, & ab ipſo capite incipiet ſalſa deſtillatio procumbere in pectus, interim inedia, vel aliud leue auxilium illam primariam ventriculi affectionem reprimit, tunc ſi ageretur de ſtatu illius ægrotantis, & de ſalſa deſtillatione; in quem locum conſtitueres eſſe protopathiam? non in ventriculo, quamuis primo loco fuerit læſus; quia placido adiuncto auxilio ſtomachi labes eſt ferè ablata, vt ſtomachi illa prima ægritudo malam valetudinem capitis non amplius foueat; ergo principalis, & independens cauſa erit in cerebro, quod ſecundo loco læſum eſt, valebit tamen conſequentia, eſt affectus partis primo loco læſæ, ergo eſt independens, ſed non poſſumus ſemper inferre eſt affectio partis primo loco læſæ, ergo eſt principalis; ecce ergo quod præter primam conditionem requiritur alter fons, vel altera potius animaduerſio, quæ determinet, & declaret magis hanc affectionem principalem, quam protopathiam vocant.

De ſecundo fonte ex quo protopathiã cognoſcere valemus.

Erit igitur ſecundus fons, in quo conditiones, & proprietates locorum affectorum collocabimus, ſicuti ſi de ſalſa deſtillatione propoſita in pectore collecta, diſcurrimus, tunc quamuis ventriculus primo loco ſit læſus, attamen non eſt ventriculi proprium deſtillationem ſalſam mouere in pectus, ſed eſt capitis proprium; caput enim ob eius alteratricem læſam poteſt colligere grandem pituitæ aceruum, quippe ſi diutius moretur, ſalſedinem recipiat, & inde à capite in pectus procumbat: ecce quod capitis conditio hæc, quæ eſt in pectus mouere catarrhum, nos quoque docere poteſt principalem affectionem: quare non ſolum conferet ad cognitionem protopathiæ cognoſcere, quæ pars primo loco læſa ſit, verum etiam cognoſcere conditiones, & proprietates viſcerum. Amplius, vt aliis abundemus exemplis, ſit caput primo loco læſum, & ob deſtillationem perpetuam tuſſim faciat, & deinde perēnis motus factus à tuſſi excitet magnum feruorem in partibus naturalibus, & in hepate præcipuè, quod igne ferè emicans redditum ſit, & inde diarrhœa incipiat patientem opprimere, tunc nō ſatis eſt percurrere per primam conditionem, quæ eſt cognoſcere partem primo loco læſam, vt cognoſcamus principalem affectionem, quia caput eſt læſum primo loco, attamen non eſt protopathia in capite, ſed in hepate, quare per ſecundum fontem percurrentes, quod eſt expendere, quænam ſint conditiones, & proprietates partium læſarum, poterimus

terimus potius principalem affectionem assequi: nam sicuti proprium est capitis pellere in pectus humores falsos, sic proprium hepatis est gignere bilem, & inde facere diarrhœam; quare quamuis in hoc ęgrotante sit læsum primo loco caput, & deinde pectus, & tertio loco iecur, & demum venter; nihilominus omnium horum affectuum principalis erit ille, qui est in hepate, non in aliis partibus.

De tertio fonte vnde protopathiā colligimus.

Sed quia non sufficiunt adhuc hæ duæ conditiones, scire nimirum partem primo loco læsam, & viscerum proprietates, & conditiones, quoniam posset accidere, quod hepar causans diarrhœam propositam haberet fomentum ab aliquo errore externo, vel ab errore alterius visceris, vt propterea hepatis affectio non esset principalis, sed per consensum, & per accidens; propterea requiritur tertius fons, vel tertia animaduersio, quæ nos maximè docere potest protopathiam, quæ in hoc consistit, vt examen instituamus; an affectio illa, de qua agitur sit per se, vel vt clarius loquar, sit in facto esse, & permanens, quia affectio non potest esse principalis, & in facto esse, vel protopathia; nisi sit permanens, & per se, pro qua contemplatione fecimus caput sextum primi libri, vbi docuimus resoluere affectiones omnes in fieri, & dependentes ad affectum aliquem principalem, qui sit in facto esse, vel qui indicat, & medicum allicit; ibi enim ostendimus quo pacto ab infimis, & notissimis symptomatibus, quæ sunt qualitates mutatæ, euehi nos posse ad cognitionem exeuntium, & retentorum præter naturam, & ab iis ad actiones læsas, & ab actionibus lęsis ad constitutiones præter naturam, quæ ex necessitate sunt affectiones propriæ, & quas medicus curare debet, quia sunt permanentes, & in facto esse. Vt hinc decisum sit neminem vocare posse affectum in fieri, principalem, nec proprium; & merito, quia quis vocaret icteritiam, vel fluorem muliebrem, vel gonorrhœam affectus proprios, & per se, vel principales? ratio enim vnica, & singularis est, quia exeuntia non habent proprias radices, cum sint in fieri, & supponant actiones retentrices læsas, à quibus dependent. Similiter, quis vocaret phrenesim, vel epilepsiam, vel tussim, & alios similes affectus, qui sunt in fieri, affectus proprios, & per se, cum pendeant ab alia radice, quæ in partibus similaribus, & dissimilaribus sita est? quare cum actum sit in primo libro capite citato de methodo cognoscendi affectus per se, & qui indicant; non est, vt iterum eadem repetamus. Sed quoniam constitutiones partium corporis possunt esse læsæ per se, & simul per accidens, vel per cōsensum, quod idem est, debemus vt consequamur hanc cognitionem, quando videlicet pars sit læsa tantum per se, & quando per consensum, constituere alium fontem in quo duo signa collocantur, quæ certo determinant, quando passio sit per se: alterum est temporis diuturnitas, alterum est corporis habitus mollis, & fragilis; temporis diuturnitas requiritur, quia si aliqua pars diutius passa fuerit affectionem aliquam per consensum, consensus versus erit in affectionem propriam seu per essentiam, & per se; deinde requiritur habitus fragilis, & mollis; quoniam si præter diuturnitatem temporis habitus quoque fuerit mollis;

De quarto fonte, ex quo colligimus protopathiā. Temporis diuturnitatem, & habitum mollem ostendere affectum esse per essentiā.

affectio sine dubio reddita erit permanens,& per essentiam. Si verò altera conditio desit, veluti si multo temporis tractu pars corporis affectione esset correpta; attamen habitus illius corporis fuerit fortis, credendum est ob resistentiam patientis affectionem non esse per essentiam, quare colligimus temporis diuturnitatem, & habitum mollem significare affectionem esse per essentiam, temporis vero breuitatem, & habitum fortem significare affectionem esse in fieri, & per consensum.

Temporis breuitatem, & habitum fortem significare affectũ esse per consensum.

De quinto fonte,

Demum cum ad cognitionem affectuum, qui lacerant partes viuentes per sympathiam, valdè conferat cognitio cuiúsque sympathię, cõstituimus quintum fontem, in quo collocare possumus omnes sympathias, dicentes omnes consensus, vel sympathias fieri, vel propter vicinitatem partium, vel secundo per continuitatem partium, qui à Gal. vocatur consensus generis, vel tertio propter operis familiaritatem; de qua triplici, sympathia in capite sequenti agemus; expedit ergo ad cognoscendas affectiones proprias,& per se & principales, pręter alias animaduersiones confugere ad inquirendos consensus hos, de quibus in præsenti libro diligentissimam faciemus considerationem: quoniam quando cognoscemus nullos esse consensus inter partes aliquas, tunc tractantes nos de affectuum complicatione, quæ affectio sit principalis,& quę per consensum, non errabimus; & rem claram reddamus exemplis: si contingeret, quod intestina, splen, mesenterium, hepar, & os ventriculi læsa sint, & deinde exsurgeret aliquis tremor in extrema manu, tunc si ageretur de affectione principali, quę causaret tremorem manus, deberes illico expendere an sit consensus inter hepar, mesenterium, intestina, & manus, & quando nullus esse consensus, non possemus dicere stomachum esse principaliter affectũ; vnde tremor manus traheret ortum, in quo casu Lycus valdè errauit, quia dicebat à stomacho tremorem manus oriri, cuius sententia reiicitur à Galeno, quoniam nullus seruari potest consensus inter ventriculum,& manus, non generis, quoniam tremor pertinet ad facultatẽ motiuam, quæ à stomacho non prodit, cum nullus mittatur neruus à stomacho ad manus: non consensus vicinitatis, & tanto minus operis familiaritatis: infert ex cognitione sympathiæ Galenus radicem seu protopathiam tremoris manus in aliis locis sitam esse, sicuti in vertebris ceruicis, vnde mittuntur nerui ad manus; quam cognitionẽ principalium affectionum, & earum, quæ per consensum fiunt nullo modo sine anatomia comparare possumus. Quo pacto vero tanta consensus cognitio sit comparanda, in aliis capitibus omnes cõsensus difficiles, tum neruorum, tum musculorum pertractabimus, & infinitos ferè Empyricorum errores hac cognitione anatomica adiuti corrigere poterimus. Colligimus ergo nos protopathiam tunc cognoscere, quando quinque conspirabunt fontes, vt primus sit cognoscere, quæ pars primo loco lęsa sit, secundus animaduertere proprietates partium læsarum, tertius sit cognoscere an affectio conueniat per se parti læsæ, quod cognoscetur per tertium,& per quartum fontem. Quinto, &

vltimo exactè cognoscemus affectionem esse principalem, quando nullus erit consensus illorum, qui consistunt in vicinitate, in consensu operis familiaritatis, & in consensu generis. ex quibus animaduersionibus promptè admodum affectiones colligemus, quæ sunt in facto esse, & quæ indicant, & quæ sunt principales.

De diuisione consensus in suas differentias.

CAP. IIII.

OMNIS nostri corporis sympathia, vel consensus à Galeno tum in propria disputatione aduersus Lycum, tum in lib de morb. vulg. vbi casum Pythionis declarat, in tres differentias commodè diuiditur, aliam dicit esse sympathiam generis, aliámque esse operis familiaritatis, & aliam vicinitatis: per sympathiam generis intelligimus illum cõsensum, qui communicatur alteri parti ob eiusdem partis viuentis cõtinuitatem, sicuti læsa ceruice læditur manus, quoniam neruus vestiẽs manum à ceruice dependet, & consensus per eiusdem nerui continuitatem seruatur, & quod dicimus de neruis longis, idem dicendum de musculis longis, & de venis, veluti si ventriculus coinquinaretur, vel repleretur ichoribus melancholicis transmissis à splene per surculum venæ portæ, quippe à splene ad ventriculum mittitur; quæ sympathia generis non erat à ventriculi orificio ad manus, vt propterea dicat Galenus, toto cœlo errasse Lycum asseuerantem, tremorem manus à stomacho prodire, cum nullus neruus prodeat à ventriculo in brachia. *Per quæ vasa seruetur sympathia inter splenem & ventriculum.*

Consensum vero, qui fit ob familiaritatem operis, refert Galenus, esse veluti inter vterum, & mammas; & inter omnia viscera, quæ sunt ordinata ad opus aliquod commune; & quamuis dicant aliqui, consensum operis familiaritatis fieri necessariò per venas, vel per vasa alia communia sensibilia, & dicant, venas prodeuntes ab vtero; & à mammillis vtrinque coire, vt propterea consensus iste, qui dicitur operis familiaritatis in idem recidat cum generis consensu; attamen, qui diligentius anatomiam intuentur, nullos videbunt surculos à mammillis prodeuntes cum vteri venis coalescere; quare consensus operis familiaritatis omnino est distinctus ab aliis; sed quicquid sit de hac re, si quis aliter sentit, non certet nobiscum; sed erigat disputationem aduersus Galenum, & innumerabiles eius asseclas, cum quibus hoc habebit fastidium; nos enim ab ipso recepimus hanc differentiam consensus operis familiaritatis, quamuis nullum vas sensibile commune existat, & meritò, cum possit sympathia per insensibilia vasa seruari. *Vt errent dicentes consensum operis familiaritatis fieri per vasa cõmunia sensibilia.*

Consensus verò vicinitatis est differentia notissima, quia mutuo consentiunt partes vicinæ tum per meatus sensibiles, tum insensibiles; totum enim corpus est transpirabile, & per vasa nobis latentia natura admodum promptè mouet, vt partes vicinæ, quamuis nulla essent vasa manifesta, vel opus aliquod commune intercederet, videantur ta- *Quomodo fiat consensus vicinitatis.*

men quotidie ob viciniam solam sine aliis ductibus manifestis partes alias corporis nostri in sympathiam, quàm citissimè trahere, sicuti obseruamus inter vesicam, & intestinum rectum, inter intestina, & anchas, inter os ventriculi, & cor, inter stomachum, & pulmonem, magnas esse vicinarum partium sympathias, quamuis nullum vas intercedat commune: numquid in affectibus vesicæ, vel in ischiade enemata varias afferunt opes? & in affectibus cordis, ore ventriculi medicato, cor emolumentum recipit? Sicuti vidimus in Matrona illa præclarissima Sophia priola malis boletis ferè suffocata, quæ animam, vt inceperat, efflasset, nisi oleo è corticibus citri extracto ei præsto fuissem; quia tunc vix respirabat, tantum viæ illæ, per quas meare solent spiritus vitales, crassimo malorum boletorum halitu erant occlusæ, attamè ore ventriculi illo interno roborato oleo de citro per os assumpto ad quinque guttas, tale inditum fuit robur cordi per partem vicinam, vt crassissimo flatu illius olei virtute secto, atque extincto, eius cor curatum fuerit. Ad eundem modum seruatur consensus inter œsophagum, & trachæam, inter ventriculum, & pectus; quoniam si poculenta frigida, atque glaciata hauriantur, illico tussis ob viciniam excitatur, si ædulia crassa sumantur, orthopneam asthmaticis pollicentur. Simili modo expectorantia, non solum quia laringem emollient, sed etiam, quod postquam in ventriculum regesta sunt, viis nostrum sensum fallentibus, ob viciniam manus aliquas pectori dare vidimus. Cæterum insudabimus in sequentibus capitibus huius libri potiora aliqua exempla proponere de consensu quolibet, & præcipuè plura ab anatomia desumpta de cósensu generis, qui obseruatur in longis musculis, & neruis, & cæteris corporis partibus, vnde ob magnum anatomiæ fructum nos in cognoscendis causis, & morbis; magnum quoque haurire poterimus emolumentum; sed à nonnullis exemplis auspicabimur de consensu vicinitatis, & operis familiaritatis, quibus explicatis ad sympathiam generis totum discursum dirigemus.

Vt liberetur nobilissima Matrona à periculo suffucationis ob esum boletorum.

Errant, dum dicunt magnum iecoris calorem extinguere caliditatem ventriculi, vt lumen maius extinguit minus.

Cap. V.

OB iecoris incendium ventriculum calore suo priuari, & inde frigescere, tota propemodum medicorum schola videtur asserere; plurimi enim credunt in vnico homine esse incompatibile, quod iecur, & ventriculus simul calida sint, neque alium modum quo id fiat imaginari possunt, nisi quod calor maior extinguat minorem, sicuti lumen maius destruere solet minus, & rationem afferunt; quoniam lumen maius pabulum minoris attrahit, & absumit; vnde minus cadit, & languet: Ad eundem modum dicunt iecur caloris feracissimum omnem ventriculi caliditatem destruere, quatenus ipsius pabulum

absumit, quo absumpto, deinde languet ventriculi caliditas, sicuti languet candelæ lumen ob solis præsentiam.

Cæterum, cum hæc ventriculi frigida labes ab hepate calidissimo re vera prodeat; & ex altera parte nullus sit consensus inter caliditatem hepatis, & frigiditatem ventriculi, excutienda est materia hæc, vt assequi possimus, cur ventriculus imbecillus; & frigidus fiat à caliditate intensa iecoris: Prius tamen par est fundamentum falsum radicitus euellere, dum dicunt, quod maior calor tollat minorem, sicuti lumen maius destruit minus, quod fundamentum si de medio leuabimus; deinde plures alios errores consequentes primam hanc radicem ex tempore euellemus; Quod verò lumen minus re vera non patiatur à maiori, sed oculis nostris hoc solummodo appareat, aliquam experimentorum seriem proponamus. Numquid remi pars immersa in aqua curua videtur? tunc enim decipitur sensus circa sensibile ob impedimentum medij; sic lumen minus coram maiori nobis occultatur, nulla facta mutatione in minori ob medium alteratum; at hoc non dicitur tolli, sed obscurari, & sensibus nostris occultari. Præterea quemadmodum si quis voce summissa canit in loco, vbi quamplurimi clamore obstrepunt, tunc vox illa humilis, quamuis prorsus non audiatur, attamen ex se non diminuitur, vel de medio tollitur; quinimò in medio viget, & eo modo conseruatur, veluti quando auribus percipitur: Ad eundem modum vbi esset aliquis teter odor in cubiculis, ex templo excitantur vapores, & fumi odorati, neque vltra sensus noster percipit malum odorem; non propterea species noxij odoris, quamuis ab Arabico, & suauissimo halitu supprimi videatur, de medio est allata, vt merito ex Aristotele sensus, & sensibile, scientia, & scibile sint relatiua extra suum genus, quæ vocantur secundum dici, & nequaquam secũdum esse, vt non valeant consequentiæ, non sentitur, ergo non est sensibile; non scitur, ergo non est, vel tali pacto sentitur, ergo tali modo est, vel taliter est, ergo taliter scitur; quoniam forsitan datur quadratura circuli, attamen nescitur, quare, & sensus circa sensibile, & intellectus circa intelligibile nos sæpissimè decipere possunt. Sed alia afferamus exempla; vina potentissima aqua castigatà, quæ iuxtapositione; & non vera mistione miscentur, vt è penetralibus philosophiæ est colligere, vina inquam cum aqua, licet respectu nostri gustus videantur diminuta, attamen vires non auferuntur vini, quoniam illa meri portio in ventre dissociatur, & suas nullas perdere potest vires, quia virtute caloris naturalis vinum ab aqua secernitur, & inde eò nutrit vinum, ac seorsum epotum esset. In tactu demum non desunt exempla, quibus possemus hanc materiam illustrare, vt de aqua feruente, quæ mixta cum frigida teporem acquirit, non quia feruor euanescat, sed quia vnitus diffunditur, & nobis solum occultatur; & simili modo aqua frigida mixta cum feruida obscuratur, non tamen in nihilum abit, sed diffusa conseruatur; quare frequentissimè aliter res se habent, quam sensus nostri percipiunt: Simili modo dicendum est de lumine maiori, quod nullo modo tollere possit minus, sed dumtaxat ob præ-

Lumen maius non extinguere minus.

ſentiam maioris ſenſibus noſtris minus lumen occultari, quare inferimus ex iis caliditatem iecoris nullo modo refrigerare poſſe ventriculum, quinimo caliditatem iecoris neceſſario ventriculum re vera calefacere.

Quomodo frigeſcat ventriculus à nimia hepatis caliditate.

Quomodo autem res ſe habeat, quod ventriculus videatur refrigerari à calidiſſimo iecore, ne pluribus verbis tẽpus conteramus, adeamus Galenum 2. apho. 35. qui perfectè nos docebit quo pacto accidat ventriculũ refrigerari à iecore calidiſſimo, vbi habet hæc verba. Quædam hypocondria ſunt tenuiora, quædam craſſiora, & hæc ſunt meliora, tenuia ſunt mala, vt ſigna, & vt cauſæ: ſigna ſunt imbecillitatis in partibus eliquatis: cauſæ verò, quòd coctio bona non fiat in ventre, neque ſanguificatio in hepate, quia à craſſitie hypocondriorum concalfactum vtrumque, venter & hepar iuuantur. Sciendum itaque eſt ad bonam coctionem comparandam non ſolũ tunicas ventriculi conſpirare, verum etiam conſentire in hunc finem viſcera omnia circumiacentia, quæ ſuo calore, ac ſi eſſent foci, & carbones, qui ollam ebullientem circumducerent, fouent inditos cibos, adſunt circa partem ſupernam ventriculi, cor, pulmo, diaphragma, quæ ſuo motu, & continuato calore coctioni opitulantur: circa infernam eſt iecur, & proxima ſunt hypocondria, omentum, & inteſtina, ſunt quoque venæ maiores, & ſplen, vt omnia hæc quo magis calida ſint, eo potentius in concoquendi negotio ſe gerant, vt talis coctionis cauſa non ſit ſola alteratrix illa ſita in ventriculi tunicis, vt aiunt nonnulli, quia hæc munia concoquendi non ſolum eduntur à ventriculo, ſed ab omnibus circumſeptis igniculis, & focis, perinde ac tot carbones lebetem quandam circumuenirent; quare quemadmodum magnus calor carbonum non refrigerat lebetem, ſimiliter iecoris incendium nullo modo poterit ventriculum refrigerare: omnes enim partes circumdantes vẽtriculum iuuant, vt ocyus elixet, ocyúſque attenuet quod eſt in ventre ingeſtum, vt inde chylus recipiat formam, ſeu imaginem quandam ptiſſanæ rectè paratæ: chylus tamen æmulatur in colore præcipuè vẽtriculi tunicas, quæ ſua natura albæ ſunt, vt obſeruetur effatum philoſophicum, quod agens proximum, & immediatum introducat pro poſſe ſuum ſimile, & propterea albeſcat chylus; vt ex albedine nullo modo colligere poſſimus, vt nonnulli colligunt, chylum ſolum à tunicis ventriculi, & non ab aliis viſceribus fieri; dicimus enim nos tunicas ventriculi eſſe cauſam efficientem proximam chyli; ſed non totalem. Simili modo ſanies cum fiat ab humore incluſo inter ſpermaticas partes ſua natura albas, albeſcat: & quemadmodum, vt fiat pus perfectum, & album læſis partibus adiunguntur tegumenta, vel emplaſtra calorem retinentia, ne abeat foris calor, & adiunguntur calida, & humida fouentia per ſimilitudinem qualitatum: ſimiliter dum ventriculus fouetur ab hypocondriis calidis, & humidis, & craſſis, quæ ſunt veluti tegumenta, ocyus concoquit, cùm ob craſſitiem prohibentem ne calor exiliat, tum ob calorem pinguedinis, quia ſimile gignit & auget. Dicimus ergo cum Galeno, quod hypocondria multa donata pin-

Coctionem ventriculi iuuari ab omnibus viſceribus circumiacentibus.

Vnde chylus, & ſanies albedinem recipiant.

Hypocondria craſſa ob duplicem cauſam prodeſſe ventriculo.

ta pinguedine tum calfaciunt & humectant, tum prohibent, ne amittatur calor; iuuant enim per similitudinem calorem naturalem multiplicantia dum calfaciunt, & humectant; quia concoctio est elixatio, & elixatio non potest fieri nisi à calido, & humido, & nulla inueniri potest caliditas, & humiditas magis proportionata concoctionibus viscerum, quam illa, quę insita est in pinguedine; quinimo dum ad coctionem apostemata volumus reducere, sumimus pinguedinem; quia aliud auxilium hactenus non est inuentum, quod magis possit ad saniem molliendam, quam animalium pinguedines, quare tanto magis hypocondria, omentum, & omnia circumiacentia viscera propria pinguedine referta in viuentibus ipsis summas poterunt afferre opes in concoquendi negotio. Iuuant denique hypocondria crassa, quia prohibent, ne transpiret virtus calorifica, vt propter duas relatas causas crassa hypocondria edulia ingesta in vẽtrem tam probè atteri permittant, vt vel breui vsque ad minimas partes tractetur, & comminuetur chylus, & inde ab hepate per spiramenta mesenterij receptus in perfectissimum sanguinem conuertatur, vnde in viuentibus omnes perfectæ naturales, vitales, & animales functiones trahunt initium.

Ex traditis superius afferamus has conclusiones, vt Prima conclusio sit, quod iecur valde calidum non reluctetur alteratrici ventriculi, nisi mediate, & per accidens. Secunda conclusio, quod iecur valde calidum per se impertiatur primæ coctioni emolumentum. Tertia conclusio, quod ventriculus sua natura, vel suis tunicis calidus non possit probe concoquere, tenuissimis existentibus hypocondriis. Prima, & Secunda conclusio est Galeni, & Aristotelis dicentium, similia similibus conseruari. Tertia est Gal. 2. aph. 35. qui nullam in medium attulit causam, cur iecur calidum officiat ventriculo, nisi quia hypocondria ob iecoris incendium redduntur tenuia: ratio cur non pinguescant est, quia à feruore viscerum liquefit seuum: quare falsum est dicere caliditatem iecoris eo modo ventriculum destruere, quo lumen maius extinguit minus; vel propterea destrui calorem ventriculi, quia maior calor hepatis absumit pabulum, & humidum radicale ventriculi; de qua re ne verbum quidem Galenus, cum totam causam, cur ventriculus sit imbecillus, quando calor insignis est in hepate, referat in tenuia hypocondria; crassa enim calfaciunt ventriculum per se, & per accidens; per se, quia pinguedo cum habeat vim calfaciendi potest suo calore magnum præbere emolumentum; per accidens, quatenus ob crassitiem hypocondriorum conseruatur calor vnitus ventris, & omnium viscerum circumiacentium.

Errant, qui vtuntur remediis calfacientibus in ventriculo rugitibus pleno læso ob caliditatem hepatis: in quo exemplo obseruantur affectuum, protopathia, idiopathia, & sympathia.

CAP. VI.

DVM hypocondria prorsus sunt reddita pinguedine destituta ab hepatis incendio, ventriculus adeo robore spoliatur, vt non solum munus suum coquendi perfectè explere non possit, sed quod deterius est reddatur tanquam sintina, & cloaca excrementorum hepatis, splenis, & aliarũ partium circumiacentium, vt hinc leuissima data causa angore, & variis passionibus vexetur. In hoc casu vel maximè errare solent nostrates empyrici, qui neque dubitant, nec animo concipere possunt aliquem affectum curandũ esse in alio loco, quam vbi symptomata vident, & semper illum affectum primo curant, de quo patientes conqueruntur, siue sit morbus, siue symptoma, siue sit affectus per essentiam, vel per consensum, siue sit proprius, vel principalis; & propterea si in ventriculo reddito imbecillo ob iecoris nimiam caliditatem, vident dominari flatus, & rugitus, & plurima incocta, vel supernè, vel infernè excerni, illa ventriculi symptomata curant; neq; credunt in aliis visceribus esse posse aliam causam, vnde symptomata pendent; sed quod valdè deterius est, credunt illa symptomata, & omnem ventriculi imbecillitatem prodire à causa frigida, & miseros hos patientes calidis alterantibus tractant; quem errorem reiecimus in primo libro capite 22. vt non sit, quod de hac re amplius loquamur, nisi quantum pertinet ad perquirendas sympathias, & idiopathias dependentes, vel independentes, propter quam cognitionem secundum hunc librum composuimus.

Errant empyrici, quia in illo loco vbi symptomata vidẽt, curant affectum.

Dicimus ergo, si ob incendium iecoris reddita sint hypocondria tenuia, & inde redditus sit ventriculus imbecillus, quod primaria affectio, seu protopathia, quæ prius omnibus debet curari, sit in hepate idiopathia, quę affectio partim est in facto esse; partim in fieri sit in hypocondriis, sympathia siue affectus per consensum, qui sæpè nihil indicat, sit in ventriculo; & ratio est, quia caliditas illa insignis hepatis est prima causa, quæ colliquans pinguedinem introducit affectum proprium in hypocondria, quippe qui quatenus pendet ab hepate, est in fieri, quatenus verò iam reddita sunt diminuta hypocondria, est in facto esse; demum per consensum huius affectionis ventriculus redditur imbecillus, vt propter affectum hepatis primarium, & propter affectum hypocondriorum proprium ventriculus malè coquat, & in frequentem sputorum proluuiem cibum conuertat, vel alia parit symptomata, prout corpus vario modo dispositum est, in aliquibus enim hæc incocta excernuntur per aluum; in aliquibus per vomitum; in aliquibus illa excrementa petunt caput, & in aliis, qui in paulo deteriori

Quæ mala prodeant à ventriculo imbecillo.

riori statu sunt, faciunt tumores in specie, vel ventriculo, vel in aliis circumiacentibus partibus.

Quare si horum omnium symptomatum prima causa, & origo est iecoris incendium; qualis error maior esse potest, quam non distinguere idiopathiam à sympathia, & cæcorum more in hoc casu calida, & sicca alterantia præbere iis ægrotantibus hoc modo dispositis, vt diximus? heu miseris, quot iis oculis vidi coinquinatos rugitibus, & flatibus perpetuis, iuuenésque emaciatos, qui horum medicorum consilio perciti cina, salsa, guaiaco, iusculo galli, aquis terucij, stillicidiis aquarum thermarum, vel oleis calidis, & confectione diatrion pipereon, & similibus sint vsi; quorum omnium vsu deinceps redditi sint ita emaciati, & graciles, ob liquefactam omnifariam pinguedinem omenti, & cæterarum partium, vt nullo vnquam tempore, quod perdidere medicamentorum maleficio sint amplius comparati, sed in dies prolapsi sint in maiorem ventriculi ruinam: atque ex alia parte nonnullos alios noui ad eundem modum emaciat s ob easdem causas, qui, spreta medicamentorum consultatione, indulxerint prolixius poculentis, esculentisve, qui obsoniorum omnium blanditiis; qui symposis dominorum erant dediti, attamé temporis interuallo hilari suo animo meliorem, & tandem optimam sibi comparauerint valetudinem, vt maiorem medellam receperint ex ferculis fortuito haustis, quam ex consilio rudiorum medicorum; quare videas quantum expediat discutere, vnde prodeant symptomata, & expediat resecare affectuum omnium complicationem ad methodum, quæ doceat distinguere affectus per consensum à propriis, & proprios dependentes, à protopathia.

Causa errorum emtyricorum esse nō distinguere idiopathiam à sympathia.

Nec obiiciant frigida non posse conuenire imbecillo, & infirmo ventriculo, quia contra hanc suam sententiam apertissimum est Galeni testimonium in methodo his verbis probatum 7. meth. 4. vidisti tu quosdam vno die, vel potius hora frigidæ potione leuatos fuisse imbecillitate ventriculi; ad hæc numquid plures inueniuntur tales, qui sunt temperamenti calidi, & sicci cum hypocondriis iis tenuissimis, & iuuenes alioquin fortes, & optima sanitate præditi, optimis alti ferculis, non crapula obruti, non libidinis blanditiis dediti, qui ob insignem hepatis calorem ab ortu naturæ comparatum iis symptomatibus ventriculi cruciari solent? nec mihi dicant Empyrici isti, qui credunt omnem imbecillitatem ventriculi prodire à frigida causa, esse prorsus impossibile iecore calidissimo existente ventriculum calidum conseruari; quoniam in primis contra illos est Galeni auctoritas 7. meth. iam citata vbi ostenditur imbecillitatem ventriculi aliquando prodire à calidis causis; & deinde ratione à Galeno desumpta in arte medica cognoscere possumus plures hac imbecillitate ventriculi affectos habere ventriculum calidum, quod probatur hoc pacto, numquid, quando hepar est calidum, & cor non obstat, totum corpus est calidum, vt dicit Galen. in art. medica? sed experientia cognoscimus in multis, qui sunt calido hepate, in illis non obstare cor, quinimo cor esse feruentissima caliditate incensum,

Valet consequētia iecur, & cor excedunt in calore, ergo, & ventriculus, & totum corpus sua natura sunt calida.

& signum huius est, quia circa sternon, pilos habent copiosos, & sunt irati, & cætera correspondent signa à Galeno enarrata in ar.med.in ca. de signis calidi cordis: ergo in istis non solum erit ventriculus sua natura calidus, sed totum corpus, quia nulla est pars, quando cor, & iecur in calore excedunt, quæ non sit sua natura calida, & non excedat temperatum statum; valet enim consequentia in art.med. vt optime docet Galen. cor, & iecur sunt calida, ergo totum corpus; quoniam caliditas totius corporis, tamquam à propria officina prodit à corde, & deinde ab hepate: si totum, ergo, & ventriculus; quare erit tamquam infallibile signum, si noluerimus cognoscere dum ventriculus est imbecillus, an sit sua natura calidus, vel frigidus, vt respiciamus ad hepar, & ad cor, quæ duo viscera si præter modum calida obseruantur, inferre certissimè poterimus ventriculum illum sua natura esse calidum, quamuis flatibus, & perpetuis rugitibus vexaretur; si vero cor obstaret, quamuis iecur esset calidum, non possemus inferre certo, ventriculum esse calidum; quare cum plures reperiantur, qui flatibus crucientur, & habeant cor calidum, & hepar, habebunt etiam ventrem naturaliter calidum. Causa vero cur in hepate calido, & in corde, & ventriculo calido oriatur imbecillitas, vt diximus, sunt tenuia hypocondria, non ventriculus ipse, quia non fit coctio in ventre sine concursu cæterorum membrorum, nec sanguificatio in hepate sine valetudine cordis, & cæterarum partium, nec spirituum generatio in cerebro sine subiectis visceribus adiuuantibus, vt totum hoc corpus animatum mihi videatur perbelle assimilari posse Testudini, vel Fidibus, quæ instrumenta tot requirunt cordas ad rectam harmoniam edendam, vt quæque edat sonum proportionatum, si vero altera sola laxatur, vel nimium tenditur, omnium euertitur harmonia, vt quælibet videatur dissona, & inæqualis, attamen ex vnica tantum omnis inconsonantia prodit: ad eundem modum, ventriculo solo, vel alio viscere lacessito omnia aliquid patiantur per sympathiam, vel per consensum vnius, & primo correcto errore, omnia desinant pati, cum omnes partes in vnam actionem, & in vnum concentum conspirent.

Comparatur animatũ corpus fidibus, in quibus vnica laxata vel tẽsa corda omnium tollitur harmonia.

Sed ad nostros fontes conferamus hunc casum propositum, in primo fonte expendimus an sit pars primo loco læsa, quam notitiam de loc.aff. cognoscendis explicauimus in 1.lib.cap.11. quare si cognoscemus iecur passum fuisse affectionem calidam, antequam ventriculus passus sit imbecillitatem, inferemus aliquo modo, ergo imbecillitas ventriculi erit dependens ab hepate; sed non sufficit hoc, nisi secundum fontem contemplemur, in quo collocantur conditiones, & proprietates locorum affectorum, quare cum iecoris calidi sit proprium reluctari ventriculo, sed non, vt lumen maius tollit minus, sicuti ostendimus, sed vt docuit Galen. extenuando hypocondria, valde melius ex his duobus fontibus, qui sunt ex parte primo loco affecta, & ex proprietate viscerum inferre poterimus, dicentes, iecur passum est calidum affectum, & inde extenuata sunt hypocondria, & demum est facta imbecillitas in ventriculo; ergo alio modo tolli non poterit imbecillitas

Quando ventriculi imbecillitas refrigerãtibus tolli debeat.

becillitas ventriculi, nisi refrigerantibus, quia si vnicum viscus alterius casu cadit, nisi alteri opes præstamus, curare ægritudinem non possimus: Deinde accedimus ad tertium fontem, vbi inquirimus an affectio conueniat per accidens, vel per se; cognoscemus autem affectionem aliquam non conuenire per se parti affectæ, quando illi parti non conueniet semper; quare si volumus cognoscere an hæc imbecillitas sit per se in ventriculo, vel pendeat ab alio viscere, & per accidens ventriculo competat, est maxima diligentia obseruandum, an læsio, quæ pendet ab imbecillitate, semper, & æque conueniat ventriculo, dum exercet suum principale officium, quod est chylificare, si verò per aliquot dies melius, & aliquando peius habeat, tunc imbecillitas non conueniet per se ventriculo, sed ab alio viscere trahet originem, & ratio est, quia læsio per se erit in ipsamet ventriculi constitutione à qua pendet, vt vmbra à corpore, vt valeat consequentia, est læsa constitutio, ergo operationes pendentes à constitutione sunt semper læsæ, cum argumentum sit necessarium à per se ad de omni, vt propterea perpetuitas læsionis sit signum peroptimum pro cognoscenda particula per se læsa; & quod de ventriculo dicimus de cæteris visceribus intelligendum. Demum ad quartum fontem accedimus vbi consideramus duas illas conditiones, quæ faciunt affectus esse proprios, quæ sunt, temporis diuturnitas, & habitus corporis mollis, & infirmus; nam si aliquo temporis tractu in habitu molli affectio per consensum morabitur, fiet affectio per essentiam, si verò habitus est fortis, scias, quod quamuis multis voluentibus annis esset lacessitus ventriculus à calore hepatis, quod affectio illa nullo modo posset fieri propria, & per essentiam: Demum in quinto fonte collocantur sympathiæ siue consensus, quoniam affectus per consensum, vel sunt generis, vel vicinitatis, vel operis familiaritatis, & hos consensus expēdere oportet, vt sciamus quem consensum præter naturam patiatur tunc ventriculus; de quibus consensibus diligentissimè tractabimus in toto hoc libro, vt simul hanc methodum, & anatomiam perdiscamus.

Vt cognoscitur, quando aliqua corporis particula sit per se læsa.

Errant dum putant quamlibet sitim potationibus auferri posse, in quo exemplo obseruari poterunt sympathia generis, & vicinitatis.

CAPVT VII.

CAusa cur eadem ægritudo in eodem ægrotante eodem remedio non semper tolli possit, est, quia modo ægritudo conuenit læsis partibus per consensum, qui re vera non potest auferri, nisi auferatur radix, & modo ægritudo conuenit per essentiam, & est facta propria; accidere tamen potest, ægritudinem esse factam propriam, attamen fomitem aliunde recipere, quem nisi auferamus sanare est pror-

Cur eadem ægritudo eodē remedio non semper sanatur.

ſus impoſſibile: Idem accidere ſolet in hoc exemplo de ſiti, cum ſit paſſio oris vẽtriculi, modo os ventriculi ſiti vexabitur per conſen ſum, modo per eſſentiam; Si vero ſitis in ore ventriculi eſt per ſe, & per eſſentiam, tunc ex omnium conſenſu potationibus eam aufferre, quamuis maximam aquæ quantitatem æger hauriret; Si verò eſt per conſenſum pulmonis, non aquæ potio, ſed ſolummodo aeris frigidi inſpiratio ſufficiens eſt ad demulcendam ingentiſſimam ſitim, vt teſtatum reliquit Galen. in pluribus locis, ſitim cauſatam ab inflammatione pulmonis non potationibus, ſed aeris frigidi inſpiratione aufferri; affectio ergo hæc, methodo tradita in 3. capite huius libri eſt conſiderandà, atque examinanda, quando eſt per conſenſum, & quando eſt propria, & independens; quoniam nullo alio modo affectuum exactam notitiam conſequi poſſumus, niſi per hanc methodum, quæ erit clariſſima, & facillima, ſi exemplorum luce eam explicabimus: agentes igitur de ſiti in qua parte primario fixa ſit, accedere debes ad primum fontem, qui declarat quis ſit locus affectus primarius; & cognoſces ex iis, quæ dicta ſunt in primo libro capite 11. locos affectos vniuerſos, & quis locus prius fuerit læſus; Ex iis vero, quæ dicta ſunt in capite 3. huius libri, cognoſces quis affectus ſit primarius: deinde ex methodo per ſyndromem ſignorum communium tradita in primo libro inuenies pulmonem correptum eſſe calida intemperie, & deinde ſubſecutam fuiſſe ſitim: videas quomodo ex iis omnibus hactenus traditis inferre commodè poteris protopathiam eſſe in pulmone: præcognito hoc, quod ſitis oriatur primario à pulmone, cognoſces neceſſario ad caliditatem, & ſiccitatem pulmonis aufferendam potationes non poſſe conferre, quia non poſſunt ingredi tracheam ſine ſuffocationis periculo, inferas ergo illud ſolum remedium refrigerans, & humectans ſitim à pulmone inflammato ortam compeſcere, quod per tracheam immitti poterit, & tale erit aeris frigidi, & humidi inſpiratio; quia nullum aliud dari atque inueniri poteſt, quod per tracheam ad pulmonem excurrat, niſi aer. Si vero in ſecundo fonte examen facias, vbi agitur de potentia partium læſarum, videbimus per duplicem conſenſum pulmonem poſſe communicare affectum ſiccum ori ventriculi, per conſenſum nimirum vicinitatis, cum pulmo ſit valde proximus ori ventriculi, & per conſenſum generis, qui per continuas partes fit: adeſt enim pleura veſtiens pulmonem, quæ perreptat per tracheam ad guttur, & à gutture vſque ad æſophagum peruenit; deinde œſophagus ſuis villis continuis illam ſiccam, & calidam qualitatem ſumptam à pleura defert ad ſtomachum. Poſtremò non ſatis eſt cognoſcere protopathiam eſſe in pulmone, & ſitim eſſe per conſenſum in ſtomacho, ſed opus eſt expendere an ſitis, quæ fit per conſenſum in ſtomacho, facta ſit propria, vt partim ſit facta, partim ratione fomentationis à pulmone ſit in fieri, quoniam non ſolum auxilia refrigerantia, & humectantia eſſent dirigenda pulmoni, verum etiam ſtomacho: ſi vero ſolum eſſet in fieri, eſſet ridiculum credere potationibus auferri

Duplex conſenſus inter pulmonem, & ſtomachũ.

ſitim:

sitim: quare, vt hoc perfecte cognoscatur, ante oculos obiiciendæ sunt illæ duæ conditiones, quæ declarant idiopathiam, quæ in alio fonte sunt propositæ, altera est temporis diuturnitas, altera vero habitus mollis, quoniam omnis sympathia, si diutius in parte aliqua corporis moratur, & pars affecta sit mollis, euadit idiopathia. Similiter vbi habitus est fortis, vel pauco temporis spacio ægritudo vexet partem viuentem, affectus erit adhuc per consensum, vel sympathiam, quibus omnibus cognitis ad eam apicem perueneris, supra quam (ni fallor) in arte medica ascendi non potest.

Errant ex tensione musculorum rectorum colligere mesenterium esse obstructum: ostenditur nullam esse sympathiam inter mesenterium, & musculos rectos.

CAPVT VIII.

IN immensum cresceret volumen, si empyricorum errores omnes carpere quispiam vellet: malui ego suprema capita, quibus corrigi possunt errores, ante oculos obiicere, & ad methodum variis exemplis tantam hanc de erroribus medicorum cognitionem redigere, vt methodi huius virtute infinitos alios præcauere errores possimus: afferatur illud commune erratum, dum sine vllo consensu spreta, vel omissa omni cognitione anatomica dicunt obstructionem, vel tensionem illam abdominis vtrinque in longum exporrectam, quę re vera est rectorum musculorum, esse mesenterij, vel hepatis; & ab externa hac tensione, vel obstructione non solum putredines foueri, verum etiam inde præcipuum suum trahere exordium. Error sane est inexcusabilis, quoniam nullus omnino est consensus, vel sympathia inter musculos rectos, & mesenterium, non vicinitatis, quia mesenterium iacet sub intestinis, & nulla mesenterij pars supra intestina ascendit, quæ possit in abdomine manibus tangi, & contractari; musculi verò isti recti non modò sunt supra intestina, verum supra omentum, & peritoneum, & supra transuersales ventris musculos; quare nemo tangendo quamuis partem abdominis, poterit de statu mesenterij aliquid certo decernere; nimium sanè distant situ, & origine hæ duæ corporis partes, quia musculi recti à medio ossis pubis in externa parte pronascuntur, & rectis fibris ascendunt, vsque & supra mucronatam cartilaginem, & desinunt in sternon cohærentes 6. & 7. costis; mesenterium vero est inter dorsum, & intestina collocatum, deinde supra intestina sequuntur omentum peritoneum musculi transuersales, quæ omnia mediant inter musculos, & mesenterium: quomodo ergo consensu vicinitatis tensio hæc externa ostendet læsum esse mesenterium, & hanc tensionem transire poterit in culpam putredinis, & diuersarum febrium? eo magis quod millies in hominibus, alioquin optima valetudine præditis, tensio ista in longum extensa te-

Nemo ex tactu abdominis de mesenterio aliquid certi dicere poterit.

ctorum musculorum inueniatur, & nulla febre, vel obstructione mesenterij obsessi sint, cum integra fruantur valetudine: Nec dicant inter musculos rectos hosce, & mesenterium esse consensum generis, quia forsan musculi isti recti sint intertexti surcul s venarum eiusdem generis cum venis mesenterij; quoniam musculi abdominis circumuestiti sunt ramis prodeuntibus à caua vena, mesenterium totum à portæ venæ surculis sit irrigatum, vt nulla sit sympathia generis inter abdominis musculos, & mesenterium: Ad hæc dato, & non admisso, quod iisdem venarum surculis à vena porta prodeuntibus ambo gauderent, & fieret propterea consensus generis, quid tum? numquid durities, vel tensio musculorum rectorum fit ex materia existente extra venas? nullus fieri potest tumor nisi ab humoribus fluentibus à venis ad extra venas, ad spatia nimirum, vt hinc optimè dicant, qui asserunt venas non apostemari, quare cum tensio fiat à materia extra venas, & procul distent musculi recti, & mesenterium, nullus erit consensus generis: neque est demum consensus operis familiaritatis, vt ad opus vel officium aliquod commune conspirent, quoniam partes, & munera mesenterij discrepant valde ab officiis musculorum abdominis: Quo pacto ergo ex duritie ista externa in longum ex porrecta in epigastrio, de statu mesenterij iudicium sumere valent?

Venas non apostemari.

Cæterum quando stat error tantummodo in cognitione, & non transit in operationem, & nihil prorsus ob inscitiam medici, periclitatur æger, vt vt sit de hominum opinione vnusquisque æquo animo, compati errores potest cum hominis proprium sit errare, & præcipuè Medici, cuius inscitiam libenter pati possumus, cum plura ad hanc artem pertinentia sub immensa caligine delitescant; At falsis iis principiis, ægros Medicinis, vnguentis, & topicis variis ad rem minimè conferentibus, quæ sæpè lacescunt, malè tractare; id sanè neutiquam est ferendum, sed pro viribus explodendum, cum acies oculorum præcipuè dirigenda sit, ne (cum medicus aliquid opis ferre nequeat) saltem doceat; vt optimè retulit Diuinus senex; Idcirco summopere semper miratus sum non solum, quia ex musculis istis tensis colligunt mesenterium esse crassissimis recrementis obfartum; sed quia propter hanc causam dant soluentia medicamenta, & alterantia aperientia, oxymel, & decocta ex agrimonio, citrach, & alia id genus pro obstructionibus his, quas animo fingunt esse mesenterij, elidendis, cum nullo modo topica hæc conueniant, quamuis inunctiones peruenirent ad mesenterium ipsum. Non conueniunt inunctiones calidæ, vel temperatæ, non aperientes, vel emollientes, sed neque roborantes; non calidæ, quia calidatum vi aliunde noua trahitur materia, & pars calore exuritur, atque torretur: non temperatæ inunctiones, quoniam si erunt emollientes, partem laxabunt; & noua in ipsam tãquam in cloacam excitabitur proluuies: non astringentes, vel roborantes, quia hæc anteuertent euacuationem illam sensus nostros fallentem, vt nullo vnquam tempore illorum opinio in liniendis iis partibus tensis, febrem curandi gratia, sit recipienda: hinc multifariam errant: Errãt in primis, quia

Quando medicorum inscitia non sit ferenda.

Vt errant qui totis horis inungunt tensiones hypocondriorum.

quia credunt tẽsionem illam externam causare febrem, & putredines; cum homines absoluta omnibus numeris sanitate præditi hanc sæpissimè habeant tensionem: Errant, quia credunt febrem tolli ob inunctiones illius partis: Errant, quia credunt infarctum illum pituitosum musculorum rectorum cito posse tolli linimentis insensibiliter euacuantibus: Errant, quod credant emollientia opes afferre posse, cum laxando, affectus maiores agant radices: Errant credentes calidis oleis prodesse, cum calida indurent magis, dum resoluunt tenues: Errant demum, quod aliquando, non purgato corpore iis localibus tractant abdomen, quod reluctatur Galeno 2. ad Glauc. 2. sic dicenti, in tumoribus duo esse maxima errata, alterum est non habere prius prouidentiam totius; secundum calefacere, & humectare locum affectum, vt methodici faciebant; & sicuti contigit impudentissimo Atalo Medico, qui nimis laxantibus hepati applicitis enecauit Theaginem Cynicum philosophum, vt refert Galen. 12. methodi capite 15: Errant demum, quod credant hanc tensionem tolli posse oxymelite, decoctis aperientibus ex agrimonio, citrach, & similibus, cum adeo distent venæ ferentes alimentum ad rectos hos musculos, vt omnino alterantia amittent suas in itinere vires: Nec tamen omittendum in febrientibus, vt tangantur hypocondria vel sæpissimè, sicuti erat mox Hippocratis, vt in ægrorum Historia lib. de morb. vulg. est videre, quoniam ad notitiam valde hoc confert, quia distinguemus tensiones viscerum ab illa, quæ est musculorum rectorum.

Duo errata empyricorum propria in tumoribus curandis.

Nostri corporis varia arcana, quæ cognosci possunt per sympathiam Generis.

CAP. IX.

CVm dixerimus triplicem in hoc nostro corpore esse consensum, Generis nimirum, operis familiaritatis, & vicinitatis, & cum proposuerimus methodum vniuersalissimam, quæ nos edocere posset, quando aliquis morbus sit proprius, & quando per sympathiam: reliquum erat ad sympathias particulares conscendere, vt simul methodum, & anatomiam perdisceremus: Sed quoniam affectiones, quæ fiunt per consensum familiaritatis operis, & vicinitatis, ex traditis superius splendescunt, & nisi res me fallit, breui speculatione interiecta conspicuæ, & prænitentes sunt: Idcirco totus erit incumbendus spiritus, totáque flectenda cura in affectiones illas, quę per generis consensum fieri solent, quoniam in hac affectuum sympathia pernoscenda nemo excellere potest, nisi prius in anatomiæ officina politus, ac limatus sit, sicuti esset scire, vnde neruorum, & venarum longæ propagines, & musculi eminus deducti sua trahant initia, & quos habeāt progressus, & quibus partibus implantentur, & quæ demum expleant officia; si quidem persæpe obtingere solet morbum esse in vno loco, &

Quæ sint adiscenda vt perfecte cognoscantur sympathia.

in alio longe diuerso ob consensum, & continuitatem neruorum, siue musculorum, & aliarum partium, videri illius symptomatis imaginem, vel actionem læsam esse vbi cessant, vel inseruntur, & morbum esse vbi principium sumunt, vel dolorem esse in vna parte, & affectum dolorem facientem re vera aliam sedem tenere; sicuti possumus variis exemplis tantum fundamentum comprobare: Nunquid ex Galeno relata est historia primo de loc.affect.6. cuiusdam Romam venientis ex casu è vehiculo icti, & percussi circa septimam vertebram ceruicis, & motionem trium digitorum amisisse? audiamus Galenum sic loquentem, tres digiti motum amiserunt ex casu è vehiculo cum Romam quidam homo proficisceretur, & coniecturam feci in exortu nerui post septimam vertebrā prodeuntis, partem fuisse inflammatam ob ictum, & scyrrhosam acquisiuisse dispositionē: en quod initia neruorum, & quibus nerui ancillentur pernoscere, quam grādem vtilitatem in medendo haurire possimus: Galenus enim cognita inflammatione ob ictum facta, quæ in scyrrhosam dispositionem degenerauit, è vestigio auxilia septimæ vertebræ adiūxit, & curata scyrrhosa dispositione, vnde surculi neruei, qui præstant motiones tribus illis digitis sumunt initiā, ad pristinam summa cum omnium admiratione sanitatem miserum reduxit, quod numquam id præstare potuerunt Romani empyrici, licet inunctionibus perpetuò superlinirent manum: videas ergo secundum essentiam affectum esse in vertebris ceruicis, secundum apparentiam esse posse in digitis, quippe ex se alioquin optima sint constitutione donati.

Affectus cuius essentia est in ceruice; attamen per sympathiam apparet in manu.

Hac, & simili veritatis voce Galenus castigauit Lycum dicentem, tremorem manus pendere à stomacho, cum nullus esse possit consensus inter stomachum, & manus, non vicinitatis, vel operis familiaritatis, vt omnes consentiunt; sed neque Generis; quoniam nulla nerui propago, quæ est in manu, à stomacho habet initium, vt propterea fieri possit tremor in manib. per consensum stomachi; quod sanè non dixisset Lycus, si studium in Anatomiam adhibuisset; Similiter in aliis surculis vidimus essentiam esse in vno capite, & aliubi apparentiam.

Lædi potest respiratio causa læsionis existente in ceruice, quod empyrici non admitterent.

Sed liceat digredi in alias corporis partes, vt in exemplorum more artem hanc nostram vitandorum errorum simul, & anatomiam perdiscamus; an ne à quarta, quinta, & sexta vertebra ceruicis, missus est surculus nerueus ad septum tranuersum, vnde diaphragma motum desumit gratia respirationis; quare, si diaphragma amitteret, vel deficeret in motu ob huius nerui caput affectum, quę affectio facta sit vel ob semi angustiam, vel ob compressionem, vel obstructionem, vel ob ictum vnde suborta esset dispositio scyrrhosa, tunc vt septum transuersum in bonum statum reduceremus, esset confugiendum ad ceruicem, & non ad pectus: quid magis potest, quam hoc exemplum suadere, quantum referat generis consensus? videre affectum in collo, & eius apparentiam esse in septo transuerso?

Ad eundem modum in membranis, & musculis vidimus inflāmationem esse in pleura circa mediū pectoris; attamē persentiri dolorem in iugulo,

in iugulo, cui alligatur hæc mēbrana, vbi nullus est humor dolorem causans: videas ergo quantum à veritate abhorreant illi, qui tam pertinaciter tutantur illam sententiam, vbi dolor, ibi morbus; dolor enim est in iugulo, morbus in pleura quæ cubiti ferè tractu, distat à iugulo.

Vbi dolor ibi morbus, hæc sententia sæpe falsa.

Similiter si de musculis exempla proponimus, adest in primis musculus ille quartus brachij, qui etiam oritur à dimidia parte ossis sacri; quare posset esse aliquis affectus in clunibus circa mediam ossis sacri partem, & affectus apparentia in brachio; munus istius quarti musculi est deorsum brachium trahere, quare vbi Empyricus anatomia orbatus videret affectum hunc esse in brachio, & causam circa nates; & videret dogmaticum adiungentem localia natibus brachio suppetias afferre, adeo se confunderet, vt de sua empyria in posterum nec verbum vnum mouere auderet: tale quippiam obseruatur in plerisque aliis musculis, sicuti in illo lato musculo in collo posito, qui labium infernum deorsum obliquè trahit, quippe est intertextus nerueis propaginibus à tertia, quarta, & septima ceruicis vertebris prodeuntibus, vt possit obtingere latum istum musculum suo spoliari officio trahendi deorsum labium infernum ob affectum insidentem tertiam, vel quartam, vel septimam vertebras: Quis empyricus anatomia spoliatus diceret, si videret labiorum affectum curari per topica adiuncta ceruici? Quomodo hanc causam diuinare posset ruditer limatus in secandis corporibus.

Morbus qui est in clunib. quomodo per sympathiam appareat in brachijs.

Similiter quando aliquis non posset brachium ad pectus adducere, quod munus est primi paris musculorū brachij, an ne posset vsu quādoque venire, vt hic musculus primus brachiorum suum hoc officium non expleret, quia in quinta thoracis vertebra aliqua esset facta angustia in neruea illa propagi e vestiente hunc musculum? quid ergo videretur empyrico, si dogmaticus brachium ad naturalem statum transduceret inungendo quintæ vertebris thoracis locum?

Morbus qui est in quinta vertebra thoracis per sympathiam apparere potest in brachio.

An ne posset præterea vsu venire, quod facile est vt accidat, digitos manus amittere motum, quia musculorum origines, quæ sumunt exordium ab humero sint confractæ casu, vel vulnere obsessæ, vel aliquo humorum infarctu circumfusæ, vt hinc motus digitorum, vel diminuatur, vel extinguatur? tunc vellem videre cui parti empyricus topica applicaret, quinimo millies vidi in hunc errorem incidisse, vt in simili casu inunxerit digitos, quos si in superliniendo pergeret annorum centum tractu, opus irritum, atque futile redderet, & tempus, & oleum, & opus contereret, & quod diximus de motu digitorum manus, idem dicendū de motione digitorū pedis, qui mouentur à musculis exortis à femore, de quibus distinctius in hoc libro agemus, ne in eosdem laqueos cum empyricis incidamus.

Postremo ad pudenda missi sunt neruei surculi ab ossis sacri vertebris secunda, tertia, & aliis, & aliquando à secunda lumborum, & tunc vbi intentigo penis ob resolutos, vel compressos hos surculos in capitibus accidit, medela erit adiungenda vertebris, & nequaquam peni, qui patitur tunc per cōsensum generis, qui fit in longis neruis aliūde deductis; posse vlterius pleraq; plura exēpla de hoc cōsensu afferre

Morbus qui est in vertebris ossis sacri per sympathiam apparere potest in pene.

ſed meũ eſt hic tãtum notiſſima proponere, vt inde conſulat medicus perpetuo an affectio ſit per cõſenſum, & quomodo ſit per cõſenſum.

Sed ne prætermittam ſummam quandam ſympathiam generis, quæ contingere ſolet inter oculum, & muſculum temporalem, quæ eſt cur læſo muſculo temporali lædatur oculus, & vice verſa læſo oculo lædatur muſculus temporalis, & eat in conſenſum, audias rationem antequam capiti ſummam imponam coronidem, ſecundũ par neruorum cerebri fertur ad quinq; muſculos oculis famulantes, & ad duos palpebram recludentes, & in quibuſdam huius ſecundi paris ramuli in muſculum temporalem inſeruntur, quare non erit mirandum, ſi læſis oculis, in aliquibus lædi videatur muſculus temporalis, tunc non eſt opus adiungere localia tempori, quoniam nerui in temporib. contrahuntur ob læſos oculorum muſculos, vt propterea conſentiant temporales muſculi, nulla in ipſis exiſtente læſione. Sed ad exempla anatomica ſingillatim expendenda confugiamus; & diſtinctè de quolibet muſculo, & neruo procul deductis diſſeramus.

Cur læſis temporibus lædãtur oculi, & verſa vice.

Errant, dum labijs illorum, qui non poſſunt labrum infernum deorſum trahere, & ad latus mouere ob læſionem factam in lato muſculo, adiungunt localia, cum iugulo aliquando ſint apponenda.

Cap. X.

De lato muſculo in collo poſito cuius vſus eſt trahere deorſum labium inferuum.

DIximus, affectiones per conſenſum generis fieri omnes ob partium continuitatem, & læſiones omnes in loco, in quem inſeruntur muſculi, vel nerui prius apparere, & manifeſtari; quoniam ibi muſculi videntur ſua explere officia, verumenimuero vbi apparent hę functionum læſiones, vt plurimum ibi nulla eſt noxa, & nulla conſtitutio mala; quoniam accidit ſæpiſſimè, vt radices affectuum ſint vnde muſculi, vel nerui ſuum ducunt exordium, vel in alia muſculi parte; & in loco, in quem inſeruntur, manifeſtari (vt diximus) affectiones præter naturam: Quare, cum perſæpe initia muſculorum, & neruorum eminus locata ſint, non erit mirum, ſi empyrici Anatomiæ arcana non habentes, quæ eſſent, ſcire vnde oriantur muſculi, vel nerui, quales progreſſus, quam figurã, & ſubſtãtiam ſortiantur; in qualibet fere functione lęſa per cõſenſum generis in ſexcenta cadere poſſint errata.

Exordiamur ergo à muſculis ſuperioribus, & ab illo muſculo lato in collo poſito: Aliquis ergo labium infernum deorſum obliquè nõ trahet ob factam læſionem in exordio huius lati muſculi, quod eſt circa iugulum; empyricus lumine anatomico obcæcatus, videns labia vexari, veluti contingit in ſpaſmo cynico, & ſimilibus affectibus; labiis localia, ſicuti vnguenta, olea, fomentationes adiungit: Adſunt alij, qui conſulũt maſticatoria, gargariſmata, cerata demũ labiis apponere, rati aliubi nõ eſſe affectũ, niſi vbi apparet eius ſymptoma, ſpreto omni generis conſenſu, vel ſympathia; errare tamẽ omnes poſſunt, quia in illa iuguli parte poteſt eſſe humor quidam pituitoſus, qui ſenſim diſtẽdat

ſine

sine dolore: solutio enim continui sensim facta, est sine dolore, vt est videre in hydropicis in quibus tensiones maximæ fiunt sine dolore, in pedibus, & in toto corpore, quia sensim fiunt; & quæ sensim fiunt, nullos causant dolores: Similiter fieri potest tensio in hoc musculo lato, vbi est iugulum, sine dolore, qua facta tensione, deinde contrahatur musculus, & inde sequatur, quod labium non possit deorsum trahi, quamuis nulla existat læsio per se in labiis ipsis, quare cur volunt labio adiungere medelam, si radix, & causa est circa iugulum? ibi sanè erit medicandum, cum labium iners sit factum, iuguli maleficio. Tale quippiam obseruatur in pleuritide, in qua iugulum caret humoribus, dum inflammatorius tumor in pleura trahit, & distẽdit membranam, eámque lacerat à iugulo diuellendo, vnde in iugulo maximus persentiri solet dolor, causa procul existente: vt hinc colligere possimus, quã fallax sit communis illa sententia, vbi dolor, ibi morbus, nisi melius, quis eam interpretetur, cum in pleuritide dolor perueniat ad iugulũ, nullo in iugulo existente humore faciente dolorem, quinimò sæpè vidimus pleuriticos aliquando conqueri de iuguli dolore; & de pungitiuo in costarum regione spacio duorum, vel trium dierum non conquerantur; quamuis inflammatorius tumor sit sub pleura succingente costas, & non in iugulo, ecce quod causa dolorem faciens potest esse circa costas, & dolor circa iugulum. *Solutio continui quæ sensim fit, sine dolore fit.*

Qua methodo cognoscatur labium obliquè non posse trahi à lato musculo ob morbum existentem, tum in tertio pari neruorum cerebri, tum in tertia vertebra ceruicis.

CAPVT XI.

CAVSA, cur musculus aliquis non fungatur suo officio, varia esse potest, quia modò est ob humores existentes in carne musculosa, modò ob neruos læsos, & modò ob sympathiam vicinitatis alterius læsæ partis; quare si de labio loquimur, potest contingere, labium non posse trahi obliquè deorsum, quia ramus tertij paris à maiori principio enatus, ille inquam, quia vnitur cum surculo illo quinti paris, qui tortuosum neruum facit, sit læsus, & quia iste neruus hunc musculum ingreditur, propterea si accideret, vt conuelleretur musculus, nõ posset trahi deorsum labium, & labium, quoad apparentiam videretur læsum, quando nulla noxa in labio existeret: quis ergo tunc inungeret labium? cum latus musculus conuulsus sit ob affectum in ramo tertij paris neruorum cerebri.

Amplius potest in labio eadem affectio contingere propter causam existentem non in labio, sed in ramo tertij paris neruorum cerebri, vel per causam existentem circa tertiam colli vertebram, quoniam ab hac tertia quoque vertebra deducitur nerueus surculus, qui ingre-

ditur latum hunc musculum, cuius officium est trahere deorsum obliquè labium. Sed audias, qua arte sit incedendum, vt cognoscamus, quando musculus latus in collo positus sit læsus ob læsionẽ prodeuntem à tertio pari neruorum cerebri, & quando ob læsionem à tertia vertebra ceruicis: & hæc est, si dum erit læsus latus musculus, insimul læsus erit musculus temporalis, & musculi frontis, tunc inferas, læsionem pendere à cerebro; & ratio est, quia tertium par neruorum cerebri, antequam perueniat ad latum musculum irrigat musculum temporalem, & musculos frontis variis propaginibus, vt nullo modo possit lædi latus musculus à morbo existente in principio tertiæ propaginis neruorum cerebri, nisi prius lædantur isti enarrati musculi. Si verò cum musculo lato læso insimul lædantur musculi septimus, & octauus dorsi, qui constituunt quartum par, cuius officium est extendere superiorem partem dorsi, & lædatur quoque secundum par musculorum capitis, cuius officium est attrahere caput in posteriorem partem, inferas necessariò affectionem lati musculi pendere à tertia vertebra: & ratio est, quoniam, antequam nerui prodeuntes à tertia vertebra perueniant ad latum musculum; prius mittuntur ad septimũ, & octauum musculos dorsi, & ad secundum par musculorum capitis; quare per officia horum musculorum malè acta poterimus inferre ex necessitate originem esse læsam, verbi causa, si esset facta percussio circa tertiam vertebram, veluti contigit homini venienti Romam, qui, vt dicit Galen. 1. de loc. aff. 6. ob scyrrhosam dispositionem circa septimam vertebram, amisit motum trium digitorum, tunc post percussionem circa tertiam vertebram si videris, non posse extendi superiorem partem dorsi, & caput attrahi in posteriorem partem; & deinde, videas consequi læsionem lati musculi in collo positi, dicas necessariò in tertia vertebra esse morbum, quia prius irrigatur quartum par dorsi, & secundum par capitis illismet neruis prodeuntibus à tertia vertebra, antequam latus musculus irrigetur.

Vt labium læditur ob consensum à tela carnosa.

Præterea, vt plures consensus cognoscamus, dicimus, non solum posse accidere læsionem in labio ob neruos tertiæ coniugationis cerebri, vel ob læsionem factam circa tertiam vertebram ceruicis, verum etiam illudmet posse accidere, quia in tela carnosa, vbi vtrinque latus musculus cum suo coniuge in osse pectoris vnitur, sit aliquis humorum obfartus, qui fibras lati musculi adeo contrahat, vt labia ad latus turpiter mouerentur; quam affectionem cognoscemus ex tumore aliquo in osse pectoris; videas ergo quam varia esse possit radix, & causa affectionum, & quam temerè empyrici suis topicis auxiliis agant, dum symptomati perpetuo occurrunt; & videas quam turpiter errent nonnulli, ex illis, qui profitentur dogmaticã scholam, dum in omni actione musculorum læsa, si primis inunctionibus non tollitur affectus, cõfugiunt ad capitis purgationem, ad stilicidia, ad errhina, & similia; ad quæ auxilia Galenus non ita in omni motu amisso confugiebat, vt vidimus, dum curauit hominem venientem Romam percussum post septimam vertebram, cuius digiti licet non possent curari vnguentis,

Vt errant qui in omni actione musculorum læsa ad caput purgia confugiunt.

&

& aliis topicis auxiliis adiunctis ab empyricis, attamen non est vsus purgationibus, stilicidiis, masticatoriis, irrhinis, fonticulis, quẽadmodum nostratum plures causam proximam ignorantes confugiunt ad caput euacuantia, tamquam ad sacram anchoram, sed adiunxit post septimam vertebram ceruicis emolientia, quæ tollerent scyrrhosam dispositionem, & illico ipsum liberauit; quare nisi diligentissimè perquiramus partium nostri corporis sympathias, non video quo pacto in musculis, & neruis læsis aliquid boni facere possimus, quia semper in genericis persistere, & statim inferre ex motu musculorum læso, caput illius affectionis esse originem, est paralogismus alibi à nobis in libro de analogismo non semel reiectus; non valet sane, musculus latus est læsus, ergo caput expurgandum, quãdo affectus principalis est circa tertiam vertebram, qui potest tolli sine purgatione, neq; valet, musculus latus est læsus, ergo purgandum caput, quando est læsus ab humoribus collectis, & induratis in osse pectoris, vbi vtrobique lati musculi iunguntur, quæ humorum durities potest tolli sine capitis purgatione; quare non sufficiunt indicantia generica, vt placet empyricis, qui ad pauca capita, & illa parum tuta totam medicandi peritiam transferunt, & eam adeo facilem reddunt, vt non sit mirum, si tonsores, mulieres, & rustici homines hæc auxilia medica, quæ circunferuntur sciant, consulant, & in medium proponant.

Errant, dum illis, qui inferiorem maxillam constringere non possunt ob læsum musculum temporalem, inungunt semper maxillam, quando tempora tantum essent inungenda.

CAPVT XII.

TEMPORALIS musculus, cuius munus præcipuum est edendo frangere res duras, enascitur à bregmate, vnde est ferè summum capitis fastigium, quare si hic musculus in capitis vertice vbi enascitur, læderetur, & adeo impotens euaderet, vt nullo modo inferiorem maxillam constringere posset, tunc, vt inferiorem maxillam ad pristinum officium salubre reuocaremus, non esset curanda vnguentis, linimẽtis, inunctionibus, emplastris, oleis lumbricatis, vel demum pinguedine humana; sed esset consulendum, quomodo affectionis huius radices essent euellendæ, quoniam plurimę affectiones musculo temporali in parte eminus sita à maxilla inferiori possunt contingere, quæ essent in causa, cur aliquis constringere maxillam, & per consequens mandere non posset; in primis illa affectio obseruatur, dum tempora inflammatione aliqua corripiuntur, si post suppurationem inflammationis relinquitur scyrrhosa aliqua dispositio, dicimus, illam duritiem scyrrhosam posse tollere, & auferre villis, & fibris musculi temporalis virtutem constringendi maxillam; tunc, si affectus hic præter naturam esset curandus, auxilia in duritiem existentem in principio musculi

Vt morbus esse possit vbi est bregma, & eius apparẽtia in maxilla inferiori.

vbi est bregma, essent dirigenda, eámque auferre oporteret optimis localibus emollientibus, & non tractanda inferior maxilla topicis auxiliis; alioquin de hoc munere obeundo actum esset.

Quid mali accidere possit si transuersim incidatur musculus temporalis.

Duo errata propria empyricorum.

Præterea possent tempora transuersim vulnerari; vel chirurgus imperitus posset transuersim altè ad carnem vsque temporum abscessum aliquem aperire, & aperiendo, fibras transuersim secari, & illico musculum hunc inertem reddere in claudendo maxillam, quod dignum est animaduersione; quoniam fibræ descendentes deorsum, non sunt transuersum incidendæ, sed secundum rectam lineam; amplius imperitus chirurgus vulnera temporalis musculi posset adeo dilatare, vt volens facere grandius foramen inconsideratè fibras abscindat, & circa reliquas fibras durum quidpiam callosum inde ingeneretur, vt ob fibrarum incisionem, seu impotentiam deinde deficiat, vel cesset musculi officium. Ad hæc temporalis musculus posset aliquem malum habitum, & cachexiam acquirere, vnde humoribus collectis in maiorem aceruum tenderentur fibræ, & tandem tendo implantatus mento tensus, & contractus redditus magno in edendo cruciaretur dolore, empyricos tunc in duo errata propria incidere vidimus, alterum est dum credunt symptomati esse occurrendum, veluti dum inungunt mentum, quando reuera tempora sunt inungenda; alterum est, dum decipiuntur communi, & vulgata illa sententia, vbi dolor ibi morbus, quia dolor in hoc casu potest esse in mento, morbus qui est doloris causa in temporibus, vel vbi enascitur musculus temporalis.

Qua via cognoscatur, aliquem non posse constringere maxillam inferiorem ob læsionem musculi temporalis factam in neruorum exordiis.

Cap. XIII.

Nemo est, qui nesciat, motum à neruis pendere, propterea cum musculus temporalis variis nerueis surculis à cerebro prodeuntibus sit contextus, atque irrigatus, poterit esse morbus in exordio neruorum, & symptoma esse in maxilla inferiori: in primis enim à secunda neruorum cerebri compagine ramus ad musculos oculorum mittitur, & deinde ad duos musculos palpebras recludentes, & tandem idem ramus peruenit ad temporalem musculum; ex altera parte adest alter ramus prodiens à quinto pari neruorum cerebri, qui flectitur versus anteriorem partem serpentis instar, & ingreditur temporalem musculum, vt neruus durior euaderet, sicuti Galenus iudicat. En quod læsis quibuslibet ex iis propaginibus potest hoc officium constringendi inferiorem maxillam cessare, vel diminutè agere; quando ergo causa huius læsionis erit attribuenda neruis hisce, volueris ne mento, vel inferiori maxillæ inunctiones parare, & topica diuersa adiungere? volueris curationem dirigere in partem, vbi nulla est noxa, &

nullus est morbus, quamuis appareat ibi symptoma? Erit ergo ad neruos produntes à capite dirigendus spiritus, vel caput ipsum corrigendum, idcirco, vt quam diligentissimam compares cognitionem, quando læsio in hoc musculo sit ob ramum tertij, vel quinti paris, & labefactatio contingat in musculo, & per consequens in mento appareat hoc symptoma, quod non possint, vt opus est, mandere: audias quomodo virtute anatomiæ id consequi poteris, an-ne diximus, ex anatomia ramum tertij paris vestientem temporalem musculum missum esse ad musculos oculorum, & ad musculos duos palpebras recludentes? quare si erit introducta in temporali musculo aliqua mala dispositio causata, vel à conuulsione, vel à paralysi propter læsam originem tertiæ coniugationis neruorum, colligere necessario poteris eandem læsionem esse in oculorum musculis, & in musculis palpebras cõstringentibus, cum sit maximus consensus, & maxima sympathia inter hos musculos per eundem ramum communicata, vt nullo modo possit esse lęsus temporalis musculus à causa existente in exordio suorum neruorum, quin læsi sint quoque illi musculi palpebrarum, & oculorum; Si demum malus iste affectus musculi temporalis erit factus ob ramum quinti paris neruorum, tunc est impossibile musculum temporalem lædi à læsione neruorum quinti paris, nisi auditus quoque læsus sit propter maximam sympathiam, quæ est inter ramum quinti paris pereptantis ad musculum temporalem, & ramum expensum auditum formantem, cum ab eodem stipite proximè deducantur: videas ergo quantus sit consensus, & sympathia in hoc nostro corpore, quam si exactè medicus posset adire, vno aspectu omnia in altissimis corporis latebris delitescentia peruaderet. Sed cum datum non sit, nisi aliquarum partium sympathias cognoscere, pergamus in alias plerásque quę cognosci possunt, vt, quantum fert tenuitas nostra, ad certitudinem medicam accedamus; transferamus igitur cognitionem sympathiæ musculi temporalis cum aliis in vsum medendi. Ex traditis iam scimus musculum temporalem per neruum prodeũtem à tertio pari neruorum cerebri consensum habere cum oculis, ergo iuuabit, si musculus per huius nerui læsionem perderet suum officium, deriuare per nares, & per os humorem in neruis imbibitum; quoniam maximus est consensus inter nares, oculos, & os, & à nulla parte commodius dilabi poterit excrementum imbibitum in tertio pari neruorum cerebri, quã ab oculis ad nares, & à naribus ad os, cùm ob vicinitatem partium, tum quia adsunt inter has vicinas partes foramina communia cuneali, & superiori maxillæ, per quæ natura medicamentis adiuta promptè excernere poterit excrementa: si ex altera parte videbimus musculum temporalem læsum esse ob defectum rami à quinto pari prodeuntis, quod cognoscemus ex audito læso, tunc nullo modo per nares, vel per os poterimus tam commodam deriuandi occasionem sortiri, & ratio est, quia quintum par neruorum est aliquantulum remotum à foraminibus illis latissimis oculorum, narũ, & oris: colligas ergo esse prorsus impossibile sine cognitione consensus, & sympathię partium,

nos scire deriuare, reuellere, & euacuare peccātes humores; quis enim sine anatomia sciret, quando esset læsus auditus, an esset melius deriuare per occipitium, quam per nates? quando tamen sciret originem quinti paris neruorum cerebri versus posteriorem partem vergere, tūc in læso auditu ob neruum in suo principio læsum, sciret locum, per quem commodè reuulsio, vel deriuatio fieret, de qua re, cum alibi actum sit, non est, vt hic vlterius philosophemur.

Errant empyrici, dum illis, qui non possunt inferiorem maxillam aperire; oleis amygdalinis, vel alterius generis semper maxillam inungunt.

Caput XIV.

Certum est, ad musculum illum quartum à styloide processu ortum hoc munus aperiendi maxillam inferiorem pertinere; qui defertur sub aure, & ad summum mentum, vt bucam aperiat, implantatur. Vbi tamen datur in ægrotantibus hoc infortunium, vt os aperire non possint, quod ob quamplurimas causas obtingere potest, tūc Empyrici in cōsuetam erumpunt inscitiam, quę est perpetuo symptomati occurrere, non causæ, tūc enim inungunt mentum oleo amigdalino, supponens aliubi non esse localia medicamenta apponenda, quā vbi symptomata apparent: sed age tantam inanitatem arguamus. Anne potest esse inflammatio parum manifesta, seu pituitosa iuxta aures, vtque imbibito musculo, vbi exoritur, inde non possint contrahi musculi fibræ? & per consequens non possit inferior maxilla aperiri? attamen persæpè vidimus empyricos errare in hoc casu, quia in hominibus parotide obsessis non valentibus deorsum trahere maxillam, semper inungunt mentum, credentes causam, quæ maxillam non aperiat esse in mento, & non in parte superna sic conterunt olea, & vnguenta omnia, dum obliniunt partem illam summam, quæ aliquando (vt diximus) lædi potest per consensum musculi læsi solum in parte superna.

Amplius sæpenumero, nulla noxa per se existente in styloide, accidere solet talis impotentia aperiendi os, non ob læsum mentum, sed ob aliorum musculorum adhærentium compressionem, vt in anginis, & in capitis vulneribus, & in parotidibus vidimus quorum occasione tanta confluat circa aures humorum diluuies, vt comprimat vniuersam illam partem, & per consequens quartum istum musculum (cuius vsus est os aperire) non possit muneris sui officium explere: prætereą, an-ne posset in destillationibus capitis cō tingere, vt glandulę post aures repleantur catarrho, vt propterea vix aperiri possit maxilla? tunç oblinientes mentum frustra conterunt olea, & vnguenta; quia esset tunc inunctiones dirigendæ versus processum illum capitis stillum imitantem, quæ pars pituita viscosa obducta est.

Præterea

Præterea contingit sæpissimè in parotidibus dolorem persentiri, nō solum in maxilla; sed descendere vsque ad iugulum; quomodo ergo sine hac de sympathia partium cognitione poterimus difficultates has diluere? audias ergo, quo pacto per consensum vicinitatis id fieri possit; iste quartus musculus in maiorem molem elatus, ob repletionem comprimit superiacentem, qui est latus ille musculus, cuius munus est labium deorsum obliquè trahere, & iste musculus exoritur à iugulo, vt hinc distenso musculo persentiatur dolor iuxta clauiculam; quamuis causa doloris sit in parte superna; volueris ne tunc clauiculam inūgere? en quomodo parum tuta sit illa sententia; vbi dolor, ibi morbus: ad eundem modum læditur musculus latus malè agēs suum officium trahendi ad latera deorsum labium ob eandem compressionem factam à quarto musculo maxillæ; attamen integra est sanitate latus musculus donatus, cum solum per accidens, & per consensum offendatur.

Per quam sympathiam parotides causent dolorem in iugulo.

Postremo, vt videas quot modis affici possit vna pars per sympathiam generis; scias, neruum inseruientem maxillæ motui, deduci à septima coniugatione neruorum cerebri, quæ versus occipitium magis habet suum principium, & per foramen obliquum occipitis egreditur, & scinditur in complures propagines, quarum maior discurrit sub maxilla hac inferiori, & ad linguam vadit, vt motum, & sensum ei tribuat: Ex hac concepta veritate colligimus, si hæc maxillæ inertia, seu impotentia os aperiendi pendet à neruis læsis, non potius debere occipitio, vbi obliquum foramen situm est, adiungere topica, quam mento, vel aliæ maxillæ parti.

Qua via noscatur 4. musculum maxillæ non posse os aperire ob læsionem neruorum in origine.

Sed video lectorem summo desiderio incensum quærentem, qua via possit incedere, vt certo sciat musculum hunc quartum carere hoc officio ob neruorum offensionem: Colligimus nos ex consensu generis omnia; in primis neruus qui reddit musculum motus, & sensus participem, reddit ille quoque linguam sentientem, & mouentem; quare si neruus erit læsus, videbimus non solum musculum quartum labefactatum esse, verum etiam linguam; & ex hac læsionum syndrome ob generis consensum in hanc reconditam cognitionem peruolare poterimus, & exinde vbi agendum sit certo cognoscemus: nam diximus per foramen obliquum occipitis discurrere septimam coniugationem neruorum, ergo vbi deriuare esset operepretium, in occipitio auxilia, vt phœnigmata, fonticuli, setacea, essent administranda: videas ergo quanti facienda sit anatomia hæc artificiosa, sine qua est impossibile affectus cognoscere, & rectè administrare remedia.

Qua sympathia sit inter quartum musculum maxillæ, & linguam.

Errant, dum illis, qui non possunt brachium pectori adducere ob funis tormentum, occurrunt lana succida, linimentis, iniunctionibus, brachiis, quando pectori esset occurrendum.

CAPVT XV.

De sympathia inter brachium, & pectus.

OFFICIVM adducendi brachium pectori in parte superna, media, & infima pertinere ad primum musculorum brachij, nemo ana-

romicorum est, qui nesciat, & hunc pronasci à media iuguli sede, ab osse pectoris, progedientémque versus sternon, anteriorem thoracis partem occupare, exploratissimum est, & deinde implantari in partem humeri anteriorem sub eius ceruice: qui experiũtur ergo motum huic primo musculo contrarium ob funis tormentum, tunc hic musculus in exordiis laceratur, & fermè diuellitur tanta cũ violẽtia, vt quammaximos miseri in pectore experiantur cruciatus, & angores: tunc nihilominus videbis, chirurgos ambo brachia, & humeros vtrobique lana succida, vnguentis, & oleis obducere, credentes humeris occurrendum, & suppetias toti brachio afferendas esse; quod faciunt, quia re vera sunt anatomia spoliati, nescientes à quibus partibus musculi trahant originem, & quæ partes nostri corporis consentiãt; esset enim tunc circa sternon in parte anteriori thoracis medicandum; quia ibi enascitur primus brachij musculus, & ibi facta est laceratio, & pars illa angorem, & cruciatum vehementissimum passa est; læditur enim funis tormentis hic musculus, & eius vsus ob vehementissimos illos cruciatus adeo languet, vt ferè extinctum sit officium adducendi brachia pectori.

Vt tonsores errant transuersim incidentes primũ musculum brachij.

Amplius, si in anteriori hac pectoris parte inflictum esset vulnus, & post sanatum vulnus, præter cicatricem, scyrrhosum quidpiam in fibris esset relictum, vel tonsor volens aperire, & dilatare vulnus, vel abscessum pectoris in longum secuisset musculi fibras; tunc musculus in hoc munere adducendi brachium pectori mancus redderetur, nihilominus ob quamlibet causam accidat. Empyricus, si musculus iste non expleat partes suas, consulit, vt brachium lutea Patauina, vinacea, fonticulum, & omnia vnguenta, quæ tunc imaginatur, experiatur; quamuis brachium per se optima sit constitutione præditum, & in omnibus peroptimè. quæ ipsum immediatè constituunt, se habeat; quam læsionem, ob fibras malè incisas in pectore, vbi est principium, & exordium huius musculi, si omnia vnguenta adiungeret Empyricus, & sexcenta inureret cauteria, de medio non tolleret. Ecce igitur quã sæpè Empyrici sine anatomia ægrotos fallant, continenter occurrentes parti, vbi videtur symptoma; symptoma est in brachio, causa est in pectore; quare nisi ad examen anatomicum omnem malam affectionem corporis nostri reuocemus, & expondamus ex animo omnes consensus, & partium sympathias, de re medica actum erit, quinimò circumforaneis iis remediis Empyricorum haustis de triuiis, & circulis additur potius aliquid ad morbi molestiam, quam detrahatur.

De sympathia inter primum musculum brachij, & os pubis.

Cæterum; vt melius Empyricorum inscitiam cognoscamus, sit per hypothesim musculus iste brachij læsus, vel in loco, vbi est humerus, vel vbi est iugulum, vel in pectore, atque dolor affecti musculi perueniat vsque ad os pubis; tunc libenter viderem, quò se vergerent Empyrici in administrandis remediis; scio enim illa consueta moueri sententia, quod vbi dolor, ibi sit morbus, quam tamen falsæ medicinæ sementem non semel reiecimus; quoniam Empyrici os pubis inungerent; quia ibi viderent symptomata, & in humeri ceruice delitesceret

causa

causa doloris, at audias ex anatomia cur hoc sæpè obtingere soleat: & est, quia carnosa membrana huius musculi adducentis brachium pectori arctatur cum primo ventris musculo illo, cuius officium est premere intestina, & est ille, qui descendendo excurrit vsque ad os pubis, quare potest contingere morbum existentem in brachio adeo distendere membranam carnosam in illo loco, vbi arctatur cum primo ventris musculo, vt musculus quoque eo modo distendatur, vt dolor vsque ad os pubis descendat: sicuti de vomica dici potest, in qua inflammationis materia est in pleura costas succingente, & dolor peruenit ad iugulum, vbi nullum est inflammationis signum: videant ergo morbum esse in pectore, & dolorem circa os pubis, morbum esse in primo musculo ventris, & dolorem per membranam carnosam compartiri brachio, pectori, iugulo; & dum premuntur intestina dolorem ad humerum, ad iugulum, & ad partem anteriorem pectoris, ad mammillas, per consensum, & sympathiam generis communicari. Coerceant igitur temeritatem; quoniam vis anatomica mirabilem virtutem obtinet in euellendis his erroribus, & deponant illam suam sententiam: vbi dolor, ibi morbus, nisi alio modo explicetur, & nunquam symptomati occurrant, nisi vigeat.

Qua via cognoscitur brachia non posse adduci ad pectus ob læsionem neruorum.

Postremo, vt de neruis artificiũ exequamur animaduertant, & istud in consensu generis in hoc primo brachij musculo cõtingere, musculum deficere posse ob nerueas propagines læsas prodeuntes à quinta thoracis vertebra; quia ab hoc loco prodit neruus, qui tandem excurrit ad mammillas, & ad hunc musculum; quare volentes nos curare hanc musculi læsionem ob læsos neruos in origine, ad quintam vertebram confugere, debemus, quæ est origo, & causa, cur musculus non possit ad pectus brachium adducere, & hoc modo coniiciendum est, quando hoc acceptum referendum est neruis quintæ thoracis vertebræ; quoniam antequam surculi neruei excurrãt ad mammillas, prius irrigant deltoidem, id est, secundum brachij musculum, officium cuius est attollere brachium, & primum scapulæ, cuius vsus est trahere scapulam versus pectus, quartum brachij, & secundum vẽtris; & propterea nõ potest in quinta vertebra læsionis exordium esse, nisi omnes dicti musculi quoque lædantur; ex quorum omnium læsione caudicem, & truncum deficere, præcognoscemus, & tunc æmulantes Galenum emollientibus adhibitis, quintæ vertebræ varias læsiones brachij, pectoris, ventris vna amputare poterimus.

Errant Empyrici, dum localia auxilia applicant brachiis per sympathiam læsis, quando potius natibus deberent applicari.

CAPVT XVI.

TANTO consensu partes totius nostri corporis conditæ sunt, vt mirandum non sit, si læso capite, aut vertebris; inde digiti manus,

vel pedis consentiant; quoniam à cerebro, à corde, & ab hepate, tanquam à primis radicibus tales enascuntur propagines, vt quælibet fermè corporis pars per neruos, animalem virtutem, per venas alimentum, & per arterias vitam recipiat, & hæc est principalis ratio, cur mala, vel bona viscerum valetudo tā promptè extremis, & summis partibus communicatur: Præterea alter obseruatur consensus in longis musculis, de quibus modo loquimur, in quorum exordio, si læsio aliqua recipitur, illico mala illorum valetudo partibus, quibus musculi inseruntur, communicari solet. Hinc obseruamus mirabilem sympathiam inter os sacrum, lumbos, & brachium factam à quarto brachij musculo illo longissimo & latissimo, cuius munus est brachium deorsum trahere. Causa igitur huius sympathiæ, est longitudo, & latitudo huius quarti musculi; quoniam habet exordium, & originē à vertebris, incipiendo à sexta thoracis vertebra vsque ad dimidiam ossis sacri partem, & scandens vtrinque versus axillas, implantatur parti anteriori ceruicis humeri; vbi inseritur quoque primus musculus; inter quos duos relinquitur axillæ cauitas; quare supposita hac quarti musculi origine, valebit consequentia ab officio læso ad musculum læsum; veluti si dicerem, brachium non potest trahi deorsum, ergo quartus iste musculus læsus est, ergo nihil prohibet, ne huius læsionis causa possit quoque esse in exordio huius quarti musculi, quod est in dimidia parte ossis sacri, vbi sunt quoque nates; proinde contingere potest, vt aliquando morbus sit circa os sacrum, & eius morbi apparentia in brachio; pro cuius curatione remedia non brachio essent adiungenda, sed potius natibus: quare si hunc in modum res se habet, cur Empyricus semper partem secundum apparētiam affectam remediis tractat? & cur semper symptomati occurrit, inunctionibus, fomentationibus, & similibus? occasiones enim, & causæ, quæ possent hunc vsum quarti musculi auferre variæ esse possent de illis, quæ re vera in brachio ipso nullas haberent radices, veluti si contingeret inter sextam vertebram thoracis, & dimidium ossis sacri, fibras musculi (in quibus fibris collocata est virtus mouendi) esse læsas, vel propter humores aliunde missos, vel quia fibræ illæ ab aliquo inexperto tonsore occasione vulneris, vel apostematis aperiendi, vel dilatādi transuersim fuerint incisæ, vnde tendo musculi ob fibras excisas virtute priuatus in suo obeundo officio, quod est trahere brachium deorsum, deficeret: quare, si propter has causas brachium esset læsum, & Empyricus brachio vnguenta applicaret, esset prorsus ridiculum, cum brachium per se careat mala valetudine. Similiter si cōsilium dabit Empyricus (sicut nuper vidimus) vt brachium hoc modo læsum per consensum induatur pellbius leporinis, vel ceratis, vel lana succida, dicat mihi, in qua re magis tempus contereret? brachium sanè optima sanitate est constitutum, & quamuis in hoc officio trahendi deorsum brachium læsa sit brachij functio; attamen hæc mala causa est in quarto musculo brachij, qui totus est in dorso, in lumbis, & in osse sacro; & nō in brachio, quia nulla istius musculi portio brachio hæret, nisi tendo, qui ad axillas

De sympathia, quæ est inter os sacrum, & brachia.

In dorso, & lumbis, apostemata non esse trāsuersim incidendi.

las tantum discurrit. Cur igitur Empyrice, si quartus iste brachij musculus est læsus ob excisas fibras, vel ob scyrrhosam dispositionem existentem in dorso, in lumbis, & in osse sacro, & nequaquam in brachio; cur inquam audes, quando tua vnguenta non iuuant, cōsulere, vt brachium experiatur luta Patauina, & vinacea, & demum, si hæc tua auxilia nullas afferunt suppetias; cur credis illico caput, & alia interna viscera esse malè constituta; & quod deterius est, incipis ægrum pharmacis vexare, & stillicidiis ceratis exsiccantibus, & lotionibus ægrotantis caput alioquin sanum deuerberare, & in malā dyscrasiam transferre sine aliqua spe, quod brachium horum remediorum ope curetur? quoniam morbus tunc est in dorso, vel circa lumbos, vel os sacrū, & per sympathiam tantum in brachio, & non in capite. Hinc duo propria Empyricorum errata obseruantur, quæ sunt multorum errorum radices; alterum est, dum dicunt, quod vbi est dolor, ibi sit morbus, quod est falsum, & hactenus à nobis reiectum; alterum, dum symptoma est perseuerans, & difficilis curationis, siue sit dolor, siue motus diminutus, vel ablatus musculorum, credunt semper omnia hæc symptomata à capite pendere; sequitur deinde hanc suam falsam sententiam aliud erratū, quod videlicet debeat purgari caput, quod est optimè constitutum, & ex hoc errore in alium longè maiorem incidunt, & est, de facto sanum caput purgare; addúntque nullum aliud auxilium inueniri posse, quod melius caput purget, quam decoctum salsæ, vel ligni; quare, si contingit, hāc functionem brachij diminutam causari à dispositionibus scyrrhosis existentibus in exordio quarti musculi, adeo virtute decocti salsæ exsiccāt scyrrhosum affectum, vt tenuioribus partibus per virtutem sudorificam absumptis, tumor lapideam duritiem subire incipiat, & paulò post in verum lapidē cesset, vt nulla armoniaci vis tanta polleat facultate, quanta opus esset pro euellenda duritie illa existente in ossis sacri, vel lumborum regione. Errant igitur multifariam: in primis errant, dum ob musculum læsum in osse sacro à scyrrhosa dispositione adiungunt capiti stillicidia, quæ potius podici conuenirent: errant, quia proponunt fonticulos alteri brachio, quando esset inurendum potius circa os sacrum: errant, vtētes errhinis, & masticatoriis, & ceratis exsiccantibus caput, quādo caput optima sanitate donatum est: errant, dum volunt caput sanum roborare, & eos non pudet craneum humanum in pollinem redactum præbere, vt per similitudinem roboret caput: in primis errant, quia caput nō est læsum; deinde errant, quia craneum humanum puluerizatum (dicat Trallianus quidquid vult) est remedium ridiculum, vt experientia cognoscitur.

Duo prima errata Empyricorum vnde plura sequuntur.

Si demum musculus iste quartus non fungeretur suo officio ob neruorum surculos ortos à vertebris, quibus alligatur, cognoscemus hac methodo; quia iisdem ramis neruorum irrigātur musculi lumborum, & sextus femoris & musculi capitis, & quartus iste musculus brachij; quare si videbimus brachium non posse trahi deorsum, & simul videbimus solum sextum musculum femoris, cuius vsus est trahere sursum

Quo via noscatur brachium nō trahi deorsum ob neruos læsos in origine.

femur, & musculos lumborum in suis obeundis officiis vna deficere de (quorum officiis quoque paulò infra tractabimus) tunc certo dicere poterimus, brachium non trahi posse deorsum non ob caput læsum, non ob humores existentes in brachio; sed ob læsos neruos in vertebris lumborum, & ossis sacri, quippe qui dant motum, non solum quarto huic musculo brachij; sed etiam sexto femoris, & lumborum musculis, & capitis; ratio enim, cur in vertebris sit causa, vel protopathia, & non in capite, est quia, si esset in capite protopathia, non solum musculus sextus femoris, & musculi lumborum essent læsi, sed omnes musculi totius corporis; quia à capite virtus totalis dependet.

Errant, dum topicis tractant ceruicem læsam per sympathiam à morbo existente circa quintam thoracis vertebram.

Cap. XVII.

NOn semel vidi aliquem fuisse percussum circa quintam thoracis vertebram, vnde post curatam inflammationem à percussione ortam aliqua durities relicta sit, quæ deinde erat in causa, ne caput ad posteriorem partem, vel in latus commodè attrahi posset; empyricus tamen conuocatus, videns caput neque ad posteriorem partem, neque in latus attrahi posse; illico in erratum consuetum incidit, quod est occurrere symptomati, & misero consilium dat, vt ceruix tractetur inunctionibus, credens semper causam morbi esse, vbi videntur symptomata, & accidentia, nulla facta consultatione de hac partium nostri corporis sympathia: eius verò partes erant in primis perquirere, ad quem musculum munus hoc attrahẽdi caput ad posteriorem partem rectâ pertineret, deinceps vnde musculus sumeret initium, & demum contemplari, quæ musculi pars esset oppressa malorum succorum infarctu. Sciendum est ergo, dimissis altercationibus in re clara, ac prænitente, vt est anatomica facultas, hoc officium attrahendi caput rectâ ad posteriorem partem pertinere ad primum par musculorum capitis, & ad secundum; sed cum hoc discrimine; quod primi paris musculi ambo vna attrahentes id præstant, quia à quinta vertebra pronati ascẽdunt ad tertiam ceruicis, & inde extrorsum obliquè ascendunt, ideo ambo concurrunt, vt trahant caput ad posteriorem partem rectâ; si verò alter musculus tantum trahit, caput in latus circulariter vertit & non rectâ: si verò de secundo pari loquimur, vnus tantum sine suo cõiuge attrahet caput rectâ in posteriorem partem; quia hic insertus est in medio occipitis; sciendum quoque est, quod secundum par musculorum capitis exoritur à transuerso processu quartæ, & quintæ thoracis vertebræ, & recto situ ambo ascendentes occipitis ossi inferuntur, quare totum hoc spatium inter quintam thoracis vertebram, & occipitium est considerandum, & ante oculos collocandum; quoniã cuilibet, parti illius spacij causa, quæ impedire potest motionem hanc capitis

De sympathia inter quintã vertebram thoracis, & collum.

pitis

pitis, adhærescere posset, vt aliquando circa quintam vertebram sit morbus, & imago ipsius, vel symptoma in capite, & durities sit circa quintam vertebram, & dolor in occipitio: quare, cum ita res se habere possit, cur vis tunc inungere ceruicem, cur vis, vbi circa quintam, vel alias superiores vertebras durescerer humor, confugere ad salsam? ad decocta cinæ? quorum vsu abeunt tenues humores, & crassiores lapidescunt: vel proponere audes masticatoria, stillicidia super commissuram cronalem, & errhina, vt mala docet consuetudo cęterorum Empyricorum, qui in omni morbo difficili ad purgandum caput perpetuò se vertunt; deberent sanè Galenum æmulari, qui in homine veniente Romam non decoctis, non errhinis, sed emollientibus adhibitis septimæ vertebræ scyrrhosam dispositionem sustulit è medio, & motionem tribus illis digitis reddidit; & hoc est mederi, agnoscendo prius corporis nostri fabricam: propterea væ illis qui adeunt Empyricos anatomia priuatos, nam iure merito ego soleo Empyricum hunc assimilare insano illi, qui, cum numquam vidisset ædificia, vellet consulere, quomodo ædificiorum reconditæ maculæ essent delendæ; vel & melius, cum nunquam vidisset quomodo internæ horologij partes sint compositæ, attamen vellet, si motus cessaret, consilium date, quid esset agendum in ipso. Verùm quis eius consilium reciperet? ego sane, licet in maxima essem angustia, semper in iis rebus floccifacerem illum, & ad artifices, qui scirent omnium intimarum partium officia, euestigiò confugerem. Ad eundem prorsus modum in vitiatis corporis nostri functionibus nisi Medicus, quem adire intendimus, anatomia excultus sit, & calleat origines, substantiam, meatus, situm, figurã, & per consequens vsum omnium partium corporis, quamuis multo diligentissimus esset in receptis præscribendis, & in cognoscẽdis pulsibus, & vrinis, & in recta viuendi norma, quod plurimum est, exercitatus, eum in re medica parui facerem, & ipsum despicerem; quoniam talis nasci potest occasio, vt spoliatus anatomia, aliquod det consilium adeo aduersum, vt huius rei maleficio, ægrum ad manifestam pernitiem adducat.

Medicus sine anatom. a quomodo homini insano comparetur.

Declaratur sympathia affectuum musculorum ventris: & quomodo dolor esse possit in testiculis causa doloris existente circa sextam costam.

CAP. XVIII.

VIDIMVS durum tumorem cum indolentia circa sextam costam, & dolorem peruenire ad os pubis, ad testiculos, & ad lumborum vertebras; in hoc casu tamen Empyricum vidimus cum topicis tractare partes dolore affectas omni humore, & mala qualitate carentes: sed potuisset sanè mensium, & annorum curriculo testiculos inungere, quod nihil ad dolorem auferendum boni fecisset: ratio deducitur

omnis à partium sympathia, quoniam musculus primus ventris obliquè descendens, ita in longitudinem, & latitudinem se extēdit, vt non sit mirum, si humorum infarctus vnam partem obsidere possit, & alia patiatur dolorem, quoniam musculus oritur à sexta, septima, octaua, & nona costis, antequam in cartilaginem cesset, & deinde abdomini toto constituit inuolucrum; oritur quoque à vertebris lumborum, & à dimidia apendice ossis ilium, & implantatur vtrobique cum suo cōiuge alteri parti apendicis ossis ilium, & ossi pubis, & cessat in candida linea in medio posita, tanquam in termino horū musculorū omnium abdominis: eius officium est intestina comprimere constringendo inferiora thoracis: ex hoc officio, & ex situ tumoris circa sextam costam in illa parte, antequam in cartilaginem cesset, colligimus primū, hunc musculum ventris esse hoc tumore affectum: & quia ossi pubis alligatur, non erit mirandum, si ad partem illam peruenerit dolor ob generis consensum, qui fit ob distensas fibras in aduersa, & eminus sita eiusdem musculi parte: neque erit mirandū, si testiculi maximo sensu prædici consentiant, & patiantur intensum dolorem, quia musculi isti vētris in duplici loco sunt perforati, circa vmbilicum, & prope os pubis, per quæ foramina, vase semen testiculis præparantia descendunt, & ascendunt deferentia, quæ in glandulas parastatas inseruntur, & per quæ foramina herniæ fiunt; quare violenter tensis vasculis semen præparantibus, & deferentibus, cum acuto sint sensu constituti, acutissimo premi possunt dolore, quamuis careant omni morbo, cum ille dolor accidat per consensum, quatenus videlicet tumor superior circa sextam costam distendit cum violentia perforatos tendines: ad eundem modum descendit dolor vsque ad lumbos, quibus alligatur musculus iste, quare nisi origines, figuras, & terminos longarum partium corporis pernoscamus, non video, quomodo poterimus diuinare affectuum per consensum initia, & causas; & nisi perfectè sciamus quomodo fibræ horum musculorum quoquouersus perreptent, non video, nos posse in hanc cognitionem peruenire, quando erit per essentiam, & quando per consensum iste affectus; & versa vice; quoniam vidimus aliquando tumores, & hernias in testiculis distendere vasa deferentia, & omnes musculos ventris, attamen dolorem ascendere ad origines, & principia musculorum: quare poterit obtingere tumor in testibus, & dolores ascendere ad sextam costam vsque, ad vmbelicum, ad os pubis, ad lumbos, ad os ilium in linea candida; sicut in Ascite, sentitur dolor in osse sacro, vbi in tantum distenditur epigastriū, vt lumbi, quibus musculi alligantur, summum ob distensionem patiantur dolorem; videāt ergo omnes, an verum sit, vbi dolor, ibi morbus, morbus erit in testiculis, dolor vero circa costas sextam, septimam octauam, & nonam, & versa vice; morbus circa costas, & dolor erit in testibus, vel in osse pubis. Præterea cognito vsu musculorum intestinorum non vniuersaliter, quia omnes sciunt, octo musculos ventris in hunc fine n esse conditos, vt comprimant intestina gratia eiiciendi feces. Sed proprius vsus non ita facilè ab omnibus cognoscitur, quare

Quomodo fiant herniæ.

Vt errant dū in hernia inungunt costas, & in ascite, lumbos per sympathiam læsos.

sicuti

sicuti de descendētibus musculis, quorum officium est, inferiora Tho-
racis constringere, diximus valere, inferiora thoracis non constrin-
guntur, ergo erunt læsi musculi obliqui descendentes, ergo in iis po-
test esse morbus vsq; ad sextam costam, vnde enascuntur, quando do-
lor erit circa pubem; similiter de ascendentibus musculis est dicēdum,
quorum munus proprium est constringere intestina trahendo qua-
tuor inferiores costas deorsum, quibus alligantur; & hic obiter scias,
quod dilatatur thorax, quando trahuntur deorsum costæ, contra ali-
quos, qui credunt tunc dilatari, quando sursum costæ efferuntur; di-
cas ergo, costæ hæc quatuor infernæ diminutè trahuntur deorsum,
ergo musculi hi ascendentes sunt læsi, ergo potest esse dolor in istis
quatuor costis, quibus alligantur isti duo musculi ascendētes, & mor-
bus in ilibus, vnde sumunt principium: rectorum verò musculorum
proprium officium est sternon, & mucronatam cartilaginem trahere
deorsum, & simul comprimere ventrem, & dilatare thoracem, si defi-
ciet hoc munus, erunt læsi isti recti musculi, & morbus poterit esse in
medio ossis pubis, quando dolor erit circa sternon, vel versa vice.
Transuersalium denique musculorum munus proprium est constrin-
gere hypocondria, quia suis transuersis fibris amplexantur tota hy-
pocondria, & oriuntur à vertebris lumborum, & inseruntur ossibus
ilium, & pubis, quare si deficiet hoc munus constringendi hypocon-
dria, isti musculi erunt læsi, ergo poterit esse morbus in lumbis, & do-
lor circa ilia, & circa pubem, vel versa vice, & hunc in modum perue-
nies tandem ad cognitionem sympathiæ musculorum ventris.

Errant Empyrici, dum pubem dolore affectam tractant anodynis, quando causa doloris pubis non est in pube, sed inter sternon, & mucronatam cartilaginem.

Capvt XIX.

Fvit quodam malo infortunio percussus amicus in parte illa, quæ sita est inter sternon, & mucronatam cartilaginem, eique contigit post hanc percussionem dolorem ab ipso persentiri circa vmbilicum, & circa medium os pubis; & quando post curatam inflammationem ob percussionem factam sperabat omnino fore se doloris expertem, tunc relicta dispositione scyrrhosa in patiente particula cum indolentia, aliubi dolores ab ipso persentiebantur. Et tunc Empyrici totis horis adiungebant temerè ossi pubis, & vmbilico fomentationes, emplastra, & topica omnium generum, cuius erroris occasio fuit anatomiæ inscitia, quia res hunc in modum se habet, musculi recti à medio ossis pubis enascuntur, & rectis fibris ascendunt vsque, & supra mucronatam cartilaginem, & desinunt in sternon cohærentes sextæ, & septimæ costis; his rebus fiebat, vt tensis fibris rectis in parte superna, & induratis ob scyrrhosam dispositionem fibræ horum musculorum *De sympathia inter sternon, & pub. m.*

rectorum, quæ ad pubem perueniunt magis aptæ ad cognoscendum dolorem, quam illæ, quæ in parte, vbi est scyrrhus factus indolens, dũ amicus premebat partem anteriorem abdominis trahendo thoracem deorsum, quod est munus, & officium horum rectorum musculorum magnum paterẽtur dolorem, nõ circa sternon, sed vbi est pubes: quare cum musculi in parte inferna per consensum generis, & per accidẽs, quod est ratione alterius partis superioris patiantur, cur in inferna parte, vbi non est morbus, vis topica adiungere esset perinde ac vellent vmbram auferre non ablato corpore: quare debemus nos respicere ad id quod per se indicat, & non per accidens, & per consensum, vt altioribus principiis ostendemus in libro de indicatione, nec valet vbi dolor, ibi morbus, quia hæc propositio est in materia contingente, vbi ambæ contrariæ propositiones falsæ sunt, veluti si diceremus, semper vbi est dolor ibi est morbus, hæc est falsa, falsa quoque est contraria: nunquam vbi est dolor, ibi est morbus; quare inferamus, subalternas esse veras, quod aliquando vbi est dolor, ibi sit morbus, & aliquando non sit dolor, vbi est morbus.

Vbi dolor ibi morbus, huius propositionis solum subalternæ sunt veræ.

Error explicatur quorundam Empyricorum, qui topica applicarunt pectori, ceruici, & brachiis, quando ossi sacro læso à morbo existente in exordio quarti musculi thoracis erant applicanda.

Cap. XX.

De sympathia inter os sacrum, collum, pectus, brachia, & manus.

ALIQVANDO vidimus, patientem conflictatum fuisse aliquo dolore circa os sacrum, & paulò pòst consequutam fuisse læsionem respirationis; quia ob consensum musculi extensi ab osse sacro ad ceruicem læsio fuerit communicata; vnde patiens non solum in difficilem respirationem incidit, verum etiam in illo inceperũt brachia stupore aliquo affici; quis posset causas tantæ sympathiæ, atque consensus diuinare, nisi ex animo prius expenderet, huius quarti musculi thoracis initium, progressum, & quibus partibus implantentur, & officium, quod ab ipso debet expleri? est enim quartus musculus thoracis adeo longus, vt sit verum exemplar illorum affectuum, qui per consensum generis sentiuntur eminus à radicibus, atq; morborum exordiis; quoniam oritur ab osse sacro, & ab interno osse ilium, & scandẽs per lumborum vertebras pertinaciter adhæret decem primis costis, quæ huius musculi ministerio arctantur causa constringendi thoracem, & exprimendi fuligines; & tandem inseritur septimæ ceruicis vertebræ vt hinc non sit mirum si dum in exordio afficitur hic musculus tumore, vel dolore, vel lassitudine aliqua, quę sit tensiua, vel vlcerosa, vel phlegmonodes, necessariò lædantur partes, quibus anectitur; huius enim musculi vsus est, ligamentorum munere, quibus alligatur decem superioribus costis, coarctare thoracem; quare, læso huius musculi exordio,

dio, necessariò sequitur, vt cum aliqua difficultate coarctetur thorax, vnde fuligines ob diminutam coarctationem thoracis retineantur, & inde tantam passionē illis retentis experiantur miseri, vt sentiant propemodum suffocari; tunc quis risum teneret, videndo Empyricos nostrates in tali symptomate vti oleo amygdalino causa inungendi pectus, cum in pectore nulla sit noxa, nulla mala causa, vel morbus considеat? potius enim ipsi deberent superlinire nates, quam pectus, quinimo, si fomentationes adiungerentur lumbis, & vbi causa hæc adesset, aliquid opis illico patiens consequeretur; quoniam contingit, vt ob hanc musculi longitudinem, causa esse possit circa lumbos, vel circa os sacrum, & circa ilia, vnde nascitur, & aliquando læso principio ceruicem dolere, cum in septimam ceruicis vertebram musculus inseratur.

Præterea ex hoc quarto musculo læso in exordio, vbi est os sacrum, consequi potest motus brachiorum diminutus, & audias cur, quoniā nerui inseruientes brachio, & manibus exoriuntur à vertebris ceruicis, quorum neruorum capita aliqua, si comprimātur à distenso hoc quarto musculo, qui peruenit vsque ad septimam vertebram ceruicis, potest esse, vt propterea langueant brachia; & digiti manus semi stupore afficiantur, causa tamen existente in osse sacro; ecce igitur, quod ob consensum vicinitatis, quatenus nimirum musculus comprimit vicinos, & adhærētes neruos, deinde brachia, & manus languent, & adeò in nonnullis digiti patiuntur, vt resoluti videātur; en quo pacto morbus est in clunibus, attamen adeo potest sympathia, vt digiti manus alioquin benè constitutæ partes nō expleant officiorum suorum munera: in simili casu vidi conuocatos à præclarissimis viris Empyricos, qui videntes in ægrotante respirationem difficilem, & illi dolere ceruicem, & lumbos, & insimul os sacrū, & brachia, & manus semi quodam stupore aliquando affici, asseruerunt, antedicta symptomata omnia à capite prodire, & caput à subiectis visceribus humorum malam sobolem recipere, & deinde tot pharmaca pro corrigendis capitis, & hepatis affectibus proposuerunt, & porrexerunt præclarissimo patienti, vt interim priusquam posset vniuersa proposita medicamenta haurire, accesserit vetula pharmacheutria, quæ tempore crisis non ossi sacro, vel lumbis, vbi erat opus, sed brachiis, & digitis manus, & pectori fabulosam quandam inunctionem adiunxit, & tunc natura superante morbum, vetulæ gratias patiens egit, & non medicis, qui medicinis vexarunt interna viscera alioquin optima sanitate donata, quoniam nullus erat alter modus tollendi illa symptomata in ægrotante illo melancholico, nisi adiungendo fomentationes lumbis, & ossi sacro; soliti enim sunt melancholici homines, halitum crassum in musculis sæpè lacerari, & quando accidit, vt quartus iste musculus thoraci spiritibus istis melancholicis corripiatur, tunc tendines istius musculi, qui sunt affixi costis gratia constringendi pectus, vt fuligines expirentur, impotentes, & inertes, à flatibus reddatur, vt hinc tendines cum non probè coarctent, atque constringant pectus, aliquando

Vt est morbus in osse sacro eius verò symptoma in brachiis, & manibus.

Cur melancholici sæpè habeant respirationem læsam.

per aliquod breue temporis spacium melancholici isti videantur suffocari, similiter quatenus tendines distensi sunt flatibus, ceruix, cui affixi sunt, contrahitur in posteriorem partem, vnde oritur ceruicis dolor; ex alia parte tendines huius quarti musculi thoracis, quatenus sunt tensi, comprimunt capita neruorum à septima ceruice prodeuntium, & alia sequentia neruorum capita, vnde brachia, & digiti manus iisdem neruorum surculis induti semistupore affici videntur, demum tendines huius quarti musculi comprimunt musculos dorsi, & capitis, vt totum dorsum, læso hoc quarto, videatur læsum; hinc fit, vt, quarto læso, lædatur sextum par dorsi, quod maximè arctatur huic quarto musculo, cuius officium est, dorsum, & lumbos, & thoracem dirigere, vt possit contingere læso huic musculo quarto à flatibus melancholicis, lædi respirationem, ceruicem, musculos dorsi, neruos brachiorum, & digitorum manus. Colligas ergo ex sympathia vicinitatis cognita in quarto musculo, quam multa cognoscere, & quam promptè remedia adiungere poteris.

Error empyricorum quorundam, qui topicis tractarunt ceruicem, dum non poterat flecti ob protopathiam existentem in quinta thoracis vertebra.

CAPVT XXI.

De alia sympathia inter ceruicem, & quintã vertebram thoracis.

CONTIGIT misero cuidam seni, vt ob casum ab alto ictum in dorso circa quintã vertebram thoracis in exortu primi musculi dorsi reciperet; euenit tamen, vt post multos dies dolores in ceruice eum infestare inciperent, nihilominus percussam partem, siue accideret ob indolentiam scyrrhosæ dispositionis, siue ob resolutum locũ, nullo premi, & vexari dolore obseruabatur; hinc ab optimo isto sene accersiti empyrici, qui semper faciles sunt ad credendum in illo loco esse morbum, vbi videntur symptomata, adiunxerunt non dorso icto, atque percusso; sed ceruici dolenti olea, vnguenta, & fomentationes, quæ re vera nullam opem præstare potuerunt, & merito; quia ceruix non erat læsa per se, sed per consensum alterius partis; erat igitur operepretium perquirere illam partem affectam, in qua erat causa, & protopathia illius doloris: quare, cum ego quoque essem accersitus, ea methodo incedendum mihi proposui, quæ primariam affectionem posset docere, quod vt facerem, incœpi prius expendere, quodnam officium in dorso illius senis deficeret, vt possem ex officio læso in cognitionem loci affecti peruenire, quare videns patientem non posse flectere superiorem partem dorsi, ex hoc læso officio statim inueni læsum esse primum dorsi musculum, quia ad hunc musculum pertinet ex omnium medicorum consensu hoc munus flectendi superiorem partem dorsi; exinde, cum hic musculus oriatur à quinta vertebra thoracis, & subiectus stomacho, & œsophago ascendat per internas partes vsque ad occipitium,

cipitium, & in primam ceruicis vertebram inseratur, ex hac cognitione originis, & totius progressus musculi, mihi non fuit difficile inuenire in musculo omnia loca, in quibus posset esse hæc primaria affectio: poterat enim esse, vel in principio, vnde nascitur musculus, vel in musculi itinere, siue progressu, vel in parte in quam inseritur; cognitis deinde locis quæ affici possunt, non fuit similiter mihi difficile, ex præcedente cōtusione dorsi facta in illa quinta vertebra, vnde oritur iste musculus, colligere, symptoma illud ceruicis certo trahere ortū à quinta vertebra thoracis, & in quinta illa vertebra, quamuis dolore, & tumore careret, esse primariam affectionem, quam primariam affectionem sanè non potuisset inuenire empyricus: qui origines, progressus, & terminos musculorum non cognouisset. Præterea, vt perfectissimè scirem, an in exordio huius primi musculi dorsi esset primaria causa, cur ceruix non poterat flecti, opus erat, vt executerem hunc nodum, an in exordio musculi affectio esset per se, vel per consensum vicinitatis alterius musculi; cognoui autem affectionē esse per se in hoc primo musculo dorsi circa quintam vertebram hac potissima ratione, quia nulla alia alterius musculi functio incœpit deficere, nisi ista, quæ est flectere partem dorsi supernam: quare ex actione primo loco læsa cognoui, primum musculum dorsi esse principaliter læsum; sed non in ceruice, quoniam ibi nullum erat signum læsionis permanentis; sed in alia parte istius musculi, vbi erat ictus factus; sępè enim contingere potest, vt causa læsionis sit in vno capite, & in alio longè diuerso illius læsionis signum appareat, sicuti euenit illi misero patienti, qui ob percussionem circa quintam vertebram thoracis comparauit scyrrhosam dispositionem, & inde indolentiam, quæ scyrrhosi dispositio dorsi erat in causa, vt ceruix non posset flecti, vel dum flecteretur, magnus ab ipso persentiretur dolor.

Sed quoniam potest contingere, vt collum non possit flecti ob læsionem huius primi musculi dorsi, factam, non solum ab hac scyrrhosa dispositione, verum etiam à paralysi neruorum, qui irrigant hunc primum musculū dorsi. Expedit breuibus docere virtute artis anatomicæ modum cognoscendi, quando iste musculus sit læsus ob paralysin. Methodus ergo, quæ nos docere potest, an primum par musculorum dorsi deficiat ob resolutionem, vel ob paralysin, in obeundo suo munere, quod est flectere dorsum, & ceruicem, est, quia vbi accideret resolutio vel paralysis, quod idem est, nonnulli alij musculi necessariò essent resoluti, quoniam, cum resolutio fiat per neruos, & nerui vestientes primum hunc dorsi musculum enascātur à tertia vertebra ceruicis, & à quarta, hoc sequeretur, quod cum à tertia prodeant quoque nerui vestientes secundum par musculorū capitis, & musculum illum quadrangularem trahentem deorsum obliquè labia, & iisdem neruis irrigetur illud par musculorum, cuius officiū est trahere scapulam sursum, necessariò, si fieret hæc resolutio in hoc primo dorsi per generis consensum, qui fit per eosdem neruos, eandem resolutionem paterētur omnes isti in aliqua parte, & per consequens in suo obeundo mu-

Methodus cognoscendi paralysin primi paris musculorum dorsi.

nere deficerent; vnde ex horum musculorũ læsione certò colligere poterimus, neruos vestiẽtes primũ musculum dorsi esse læsos in origine, & per consequẽs illum paralysi esse affectum. Similiter si esset hæc resolutio in hoc primo musculo dorsi per neruos à quarta vertebra prodeuntes, tunc cum iisdem neruis ab eadem quarta prodeuntibus sit contextus cucularis musculus, & ab eadem quarta vertebra enascatur propago neruorum, quæ vnita cum aliis proficiscitur ad mouendum diaphragma respirationis gratia, necessario aliqua læsio ob hanc paralysin obseruaretur, vel in cuculari, vel in diaphragmate; si vero ex alia parte cognoscemus virtute anatomiæ, non esse ob resolutionem neruorum; inferendum erit factam fuisse dispositionem scyrrhosam in principio, vnde enascitur musculus, cui parti appositis emollientibus tandem duci posset patiens ad pristinam sanitatem.

Ostenditur ex ignorata sympathia inter septimam thoracis vertebram, & ceruicem, Empyricos posse in plures prolabi errores.

Capvt XXII.

De sympathia quarti musculi dorsi cuius vsus est extendere partem superiorem dorsi.

PVlsi ex capite pituitosi humores aliquando per superiorem spinę partem descendũt, & vsque ad septimam thoracis vertebram perueniunt, & ibi consistunt, atque firmantur ob suam visciditatem; contingere deinceps potest, vt ob hunc pituitosum infarctum ceruix, & caput non possint extendi. In quo casu aliquando vidi Empiricos localia adiungere ceruici, morbo existente in hac septima thoracis vertebra, vbi quartum hoc par musculorum extendentium ceruicem sumit initia; sed errant nimium sanè, quoniam symptomaticus iste affectus in ceruice existens cubito ferè distat à morbo, qui re vera agit radices non in ceruice, sed in thorace circa septimam vertebram; est igitur operepretium in omni mala valetudine musculorum præscire, quodnam officium deficiat, & ex officio in musculi læsi causam progredi, sicuti est faciendum in præsenti casu, in quo oportet perpendere, ad quem musculum pertineat erigere dorsi superiorem partem, & ceruicem, & caput per consequens extendere; deinde cognito, hoc officium pertinere ad quartum par musculorum dorsi, illico cognoscemus ex anatome, vel saltem ex Vesalij, & aliorum obseruatione musculum illum oriri à septimæ thoracis vertebræ spina, & ascendere per intermedia vertebrarum, & demum peruenire ad secundam vsq; ceruicis vertebram; quibus præcognitis, facilè est videre, quomodo res se habeat; nam, si circa septimam vertebram est infarctus pituitosus, facilè contingere potest, vt ceruix propterea extendi non possit, non tamen ceruici tunc sunt affigenda localia, sed septimæ vertebræ: potest enim esse morbus in vno loco, & in alio eius symptoma apparere,

Propter quos causas lædi possit septima vertebra thoracis & inde ceruicẽ consentire.

potest quoque dolor ob hunc infarctum partis infernæ dorsi excitari in ceruice, nullo humore in ceruice existente, quod fieri potest, dum maxima distensio fibrarum ab infarctu humorum facta distendit ceruicem, & ipsi communicatur affectus: potest quoque contingere, vt circa sextam vertebram abscindantur à chirurgo imperito transuersim musculi fibræ, & inde sequatur, vt non possit erigi collum, in quo casu collum non esset inungendum; potest etiam contingere, vt sint ibi humores indurati, quorum maleficio fibræ non habeant facultatem erigendi thoracis partem superiorem, collum, & caput, in quo casu solum emollientibus, vel deriuantibus administratis sextæ vertebræ thoracis, symptoma apparens in collo optimè curari poterit: potest denique vsus istius quarti paris musculi dorsum, & ceruicem extendentis, non solum tolli ob scyrrhosam illam dispositionem, verum etiam ob semiparalysin, quæ potest fieri ob compressionem alterius musculi adhærentis, quod cognoscetur per vsum, & officium aliquod primò loco amissum, & inde ab vsu, & officio in notitiam musculi læsi ad cognitionem affectus perueniri potest.

Methodus cognoscendi quomodo possit extendi pars superior dorsi ob neruos læsos in originem.

Diximus, quod possit esse semiparalysis causa, cur extendi nō possit pars superior dorsi; & ratio est, quia, cum sit circumuestitū istud quartum par musculorum dorsi propagine neruea prodeunte à tertia, & quarta vertebra ceruicis, si in iis vertebris erit scyrrhosa dispositio, nō permeabit facultas animalis, & fiet paralysis; cognoscemúsque hos neruos ceruicis esse læsos ob paralysin, quando cæteri musculi circumuestiti iisdem neruis, eadem mala valetudine erūt correpti, veluti musculus quadrangularis mouēs obliquè deorsum labia; musculi capitis, & ille, qui mouet sursum scapulam, quippe qui iisdem neruorum surculis prodeuntibus à ceruice sunt irrigati, & si eadem mala valetudine prematur diaphragma, & propterea obseruetur aliqua difficultas respirationis, certissimè colligemus quartum musculum dorsi esse læsum, ob morbum existentem in exortu nerui, & ratio est, quoniā à quarta vertebra ramulus missus est, qui cum aliis iūctus ad diaphragma pergit, vt moueat illud respirationis gratia, à qua parte cęteri nerui vestientes alios musculos quoque prodeunt; potest demum contingere idem affectus, non propter læsos neruos ceruicis prodeuntes à tertia, vel quarta vertebra, sed quia hic quartus musculus dorsi deficiat in explendo officij sui munere ob neruos à sexta, & septima vertebris thoracis semiobstructos; tunc quomodo cognoscere poteris sine optima anatomia, quando ob initium horum neruorum à sexta, & septima vertebris prodeuntium deficiet quartum par musculorum dorsi? quare, vt hoc cognoscas, scias, eosdem ramos irrigare secundum par musculorum scapulæ, & quintum musculum thoracis, & postquam circumuestitum est istud quartum dorsi iis surculis enascentibus à sexta, & septima vertebris thoracis, deinde circumuestire quartum brachij, cuius munus est trahere deorsum brachium; inferas ergo, est læsum quartum par dorsi, & nullus cognoscitur tumor,

vel infarctus, ergo ob semiparalysin, quæ non erit in neruis illis ceruicis, sed in illis sextæ, & septimæ thoracis vertebris, quoniam quartum brachij quoque deficit in suo obeundo munere, quod iisdem neruis induitur, & nequaquam neruis prodeuntibus à ceruice.

Errant, dum ceruicem inungunt, vel dorsum, quando postrema ossis sacri pars esset inungenda.

Cap. XXIII.

De sympathia inter os sacrum, & ceruicem.

FREQVENTISSIME dorsum totum mala valetudine premi obseruatur, quoniam nunc in rectum ægrè extendi, nunc malè flecti, nunc dolores vnam partem, nunc aliam obsidere vidimus, & præcipuè in senibus, vel melancholicis hominibus, in quibus iugiter halitus melancholicus petens dorsum musculos distendit, vnde excitantur dorsi dolores, vnde malè flectitur, vel extenditur; nihilominus causa harum omnium passionum, quæ totum dorsum tot modis infestat, in vnica tantum parte suam sedem tenere potest, vt modo sit in parte ima ossis sacri, modo in parte interna ilium, modo in musculi exordio, vbi maxima musculi virtus est collocata, & inde per totum dorsum hæc symptomata diffundantur. Empyrici tamen, dum vident læsum dorsum, incidunt in consuetum errorem inungentes vbi symptomata vident, quamuis radix, & causa symptomatum dorsi ob longitudinem musculorum esse possit in vna parte, & in alia eminus locata symptomata appareant, quòd præcipuè obseruatur in musculis duobus sexti paris, qui sunt cæteris omnibus nostri corporis longiores, quia exoriūtur ab imo ossis sacri, & ab interna parte ilium ad primam thoracis vertebram, & ad caput vsque aliquando extenduntur; cōtingere ergo potest in postrema parte ossis sacri aliqua mala humorū soboles, quæ replens musculi initium, atque exordium distendat cum violentia totum musculum, donec dolor perueniat ad tendines huius musculi affixos vertebris thoracis, & ceruicis; tunc si dolor esset in toto dorso, in ceruice, & circa primam thoracis vertebram; humor verò causans dolorem esset fixus dumtaxat in imo ossis sacri, quis opem feret inungendo dorsum totum, quod caret humoribus, vel flatibus, quippe qui sunt collecti tantummodo in osse sacro? quare, vbi videris, dorsum in rectum non posse totum extendi, inferas affectum esse in sexto pari musculorum thoracis; dicas deinde, ergo erit in illo musculo, vel per essentiam, & per se, quod est secundum omnes partes, vel per accidens, quod est dupliciter, vel per consensum generis, vel vicinitatis; si verò per consensum alterius musculi vicini contingat, cognoscemus ex læsa aliqua actione, quæ nos docebit, quis sit ille musculus læsus; per hypothesim, si prima affectio, vel dorsi læsio, quæ inuasisset, fuisset, quod non extenderetur dorsi pars superior, tunc quartus musculus esset origo, cuius officium est partem superiorem dorsi exten-

extendere, & quia vicinus est sexto pari, quod potest ab eodem quarto comprimi, dicimus hanc lęsionem, dum non dirigitur totum dorsum, pendere à sexto pari musculorum dorsi læso, quod tamen læsum sit per consensum vicinitatis quarti musculi, qui antea erat læsus, quare tunc erit considerandum, vnde exoriatur quartus musculus, & cui parti inseratur, & deinde contemplandus est progressus totus illius musculi, quoniam hoc modo erit tibi admodum facilè, originẽ morbi peruestigare. Simili modo, sicuti dictum est de vicinitate quarti musculi, de aliis omnibus musculis adiunctis, & vicinis sexto pari subaudiendum est. Si verò in hoc sexto musculo, non in qualibet parte, quia sic esset per se, & per essentiam, & non per sympathiam de qua loquimur, sed in aliqua tantum parte; quod est per accidens (quoniam statutum est ab Aristotele, omne per aliud esse per accidens) erit aliquis humorum infarctus, & in altera parte valde distãti persentiatur morbi symptoma, veluti contingit, dum est tumor, vel flatus, vel alia causa extendens principia musculi in osse sacro, vnde contrahantur in se fibræ, & in longum ad supernas partes extendantur; tunc haud dubiè dolor vsque ad ceruicem perueniet, & ibi sentietur non per consensum vicinitatis; sed per consensum eiusdem musculi; quæ omnia cognosci poterunt ex officiis læsis, & nisi promptè medicus omnia officia musculorum, & neruorum sciat, & memoria teneat, est impossibile, vt sciat mederi; cognitis deinde officiis primo loco, vel secundo læsis, cognoscuntur musculi, qui sunt læsi per se; cognito musculo principaliter læso, illico omnes eius partes illius musculi sunt ante oculos obiiciendæ, & manibus tangendæ, & contemplandæ, quia hoc modo faciendo, adeò promptè inueniemus locum affectum, quamuis distet à symptomate, vt digito ostendi possit. *8. Phy. 27. & al bi.*

Si denique noxa sexti paris musculorum dorsi altiores ageret radices, & à semiparalysi dependeret, cognoscemus, hoc contingere ob semiparalysim, quando nullo dolore existente, non poterit extendi totũ dorsum, quod eueniet vel per compressionem neruorum, vel per capitum neruorum angustiam; sed audias, quomodo in huius rei cognitionem peruenire poterimus: nerui, quibus irrigatur sextus musculus, sunt ex illis, qui oriuntur ab vndecima vertebra thoracis, & à lumborum vertebris, & ab osse sacro, & eædem propagines deinde vestiunt quartum musculum brachij, quartum musculum pectoris, & tandem quatuor primos musculos femoris, vel duo prima paria, quod in idem recidit: inferas ergo, læsi sunt isti nerui huius sexti musculi dorsi, de quibus loquimur; ergo noxa, & affectus debet persentiri in quarto musculo brachij quæ noxa est, non posse brachium deorsum trahi: & in musculo quarto pectoris, cuius vsus est constringere thoracem expirationis gratia; & in primis quatuor musculis femoris, quorum vsus est femur extendere; quare colligas, læsionem in sexto musculo, nullo modo accidere posse ob læsionem neruorum prodeuntium ab osse sacro, & à vertebris lumborum, & ab vndecima vertebra thoracis, nisi quartus brachij musculus, & quatuor primi femoris in læsione propriorum officiorum consentiant. *Methodus cognoscendi semiparalysin sexti paris musculorum dorsi.*

Errant, dum cubitum, quod non potest flecti ad pectus, inungunt, quando scapula, vel collum esset inungendum.

Capvt XXIV.

De sympathia inter cubitum, scapulam & collum.

CAsvs hic animaduersione dignus est, dum humores à capite fluentes colliguntur in scapulam, & inde, si ob humorum sarcinam, vel impedimentū cubitum non potest flecti, vel trahi ad pectus, tunc haud dubiè morbus est in scapula, eius verò symptoma in cubito; vel contingere potest, vt scapula percutiatur, aut vulneretur in processu ancyroide, vel in parte superna supercilij acetabuli, à quibus partibus enascitur primus musculus cubiti, qui vulgariter dicitur il pesscetto, & radio implantatur, & propterea tollatur musculi officium, & vsus, qui est flectere cubitum ad pectus; vel alio modo contingere potest, sicuti sæpè vidimus in melancholicis, quos sæpissimè halitus feriunt, vt flatus, qui debito sunt crassiores tenaciter adhæreant musculorum exordiis, & spatio aliquo temporis musculorum officia maximoperè à flatibus diminuantur, & impediantur; propter similem casum vidi, non semel esse conuocatos Empyricos, vt ipsi læso cubito suppetias afferrent, & causas doloris demerent, vel redderent melancholicum patientem sospitem; vidi tamen semper eos topica omnium generum cubito adiunxisse, & non scapulæ; quia adhuc non peruenit ad ipsorum aures, quod alia corporis pars cubitum moueat, & flectat, quàm ipsummet cubitum; & propterea, si cubitus non fungitur suo officio, medelam cubito, & non scapulæ esse adiungendam, credunt; quorum hominum inscitia, & temeritas quanta sit, sciunt anatomistæ, qui longitudinem musculorum, & progressus summa industria obseruant; sagax enim, & prudens natura in animantibus tot instrumenta composuit, quot possent vniuersa officiorum suorum munera explere; neque erat possibile in eodem puncto, in quo officia explentur, omnia instrumenta vniri secundum omnes partes: Hinc opus est, vt Medici per musculorum officia, progressum, figuram, substantiam, & exordia incedant, & summa vtantur industria, vt possint peruenire in cognitionem instrumentorum læsorum, & ex iis colligere suas consequentias: valet enim, cubitum non potest flecti, & ad pectus trahi, ergo musculus præcipuè primus cubiti potest esse læsus, sicuti in cadaueribus secandis videre possumus; & cum primus cubiti musculus à scapula oriatur, accidere potest, vt aliquando læsione existente in scapula, & non in cubito, tollatur cubiti flexio; quod cum ita sit, cur tunc voles cubito adiungere localia, cum morbus sit in scapula?

Vt tollitur cubiti flexio ob sympathiā vicini musculi.

Amplius tolli potest hoc officium flectendi cubitum per consensum vicinitatis; nam, si inflammatione musculus tertius, & quartus sunt correpti, quorum officium est, cubitum extendere (de quibus, cum sint inter breues musculos, non est, vt loquamur, cum symptomata

mata non possint in his distare loco à morbis) isti poterunt in consensum trahere musculos primum, & secundum, quorum officium, vt diximus, est flectere, & quamuis nulla mala valetudo sit per se in hoc primo cubiti musculo, esse tamen potest per consensum vicinitatis tertij, & quarti musculi, quibus re vera medicina esset adiungenda.

Similiter aliquando in iis, qui ferunt cauteria, excitatur inflammatio, & omnes cubiti motiones, & vsus tolluntur, tunc diligenter esset nobis perpendendum, cuinam musculo per se, & cui per accidens, & per consensum conueniat læsio illa ab humorum diluuie facta; &, si per consensum, expendere tunc debemus, an sit consensus generis, vel vicinitatis, quæ quidem cognitio est impenetrabilis, nisi originem, situm, figuram, & progressum musculorum calleamus, & vnde enascãtur, & quibus implantentur terminis; quorum omnium debet medicus exactissimam, & omnibus numeris absolutam tenere cognitionẽ; nam illis ignoratis, quis poterit diuinare, quibus partibus topicis sit occurrendum? debet igitur chirurgus prudens conuocatus pro curanda aliqua mala musculorum valetudine progredi per officia læsa, seruando nostras quinque conditiones enarratas in capite tertio huius libri pro cognoscenda protopathia, quæ nos certo ducent in cognitionem primariæ affectionis, expendendo prius, quæ officia sint illa, quæ primo loco læsa sint; per hypothesim in cubito hoc modo læso, dum æger ægrotare incipit, primo loco officium flectendi, & trahendi cubitum ad pectus deficit, & deinde contingit, vt cubiti aliud munus deficiat, quod erit cubitum non posse extendi; hactenus nosti per primum fontem, iam traditũ in huius libri exordio, primariam affectionem esse in musculis trahentibus cubitum ad pectus; & præterea nosti ex anatomia, horum duorum musculorum flectentium cubitum primum oriri à scapula duobus initiis, & inseri in radium; amplius cognita figura, & situ fibrarum, & progressu; tunc ex dolore, tumore, & percussione poteris coniicere, vbi collecti sint mali humores; insuper ex eodem fibrarum situ colliges, non esse incidendum transuersim, ne pereat musculi officium: Postremò ex anatomia habes, secũdum musculum flectentem cubitum latere sub primo, & esse carnosum, & in ipso delitescere posse humorem, quem vbi cognoueris non esse in primo, ac percipies, hoc munus flectendi magis deficere, quàm extendẽdi, & primo loco fuisse læsum; magnum momentum habebis inferendi in secundo cubiti musculo latitare humorem, quod dignum est inquisitione, quia humores in alta illa parte collecti, dum in pus conuertuntur, & inde excitantur dolores truces illi, atque scelesti; tunc qua in parte sit incidendum, ex ortu, situ, & fibrarum progressu poteris colligere; quæ cum ita sint, quo pacto sine hac anatomica cognitione Empyrici, vel Medici dogmatici in simili casu scient vnum verbum mouere?

Sympathias esse impenetrabiles sine cognitione situs, figuræ, & originis partium.

Postremò, vt redeamus ad consensum factum per neruos, asserimus, cubitum officium flectendi ad pectus amittere, non solum, quia in capite musculi sit morbus, sed quia possit esse morbus, vel impedi-

mentum in neruis; nam potest esse læsum secundum par neruorũ manus, & propterea hic musculus primus cubiti, qui est indutus, & circumuestitus eodem neruo; obire non possit suum munus; quare, cum hoc secundum par neruorum enascatur à sexta vertebra ceruicis, potest euenire, vt in sexta vertebra sit aliquis morbus, & eius symptoma in cubito appareat; ab hoc enim secundo pari neruorum orto à sexta vertebra mittuntur duo surculi neruei ad huius musculi principia; quare, si circa sextam vertebram erit inflammatio, vel tumor, vel scyrrhosa dispositio, quæ impedirent, ne cubitum flecti possit, non cubito, sed sextæ vertebræ remedia essent adiungenda: Cognoscemus verò, neruum hunc in ceruice esse læsum, quando cæteri musculi eodem neruo irrigati erunt læsi, cum igitur primus cubiti musculus sit hoc neruo irrigatus, & deinde neruus idem descendat vsque ad digitos, & præcipuè secundo articulo pollicis det motum; valebit consequentia, cubitum non potest flecti nulla existente causa manifesta, quæ nobis philosophandi occasionem leuaret, vt sunt vulnera, casus ab alto, &c. & insimul cum hoc musculo primo cubiti secundus articulus pollicis non fungitur suo officio, ergo, si cubitum non poterit flecti, illud eueniet ob læsam nerueam propaginem, quæ deducitur à secundo pari neruorum manus, & quæ tandem exordium trahit à sexta ceruicis vertebra.

Vt cognoscitur cubitum non posse flecti ob morbũ existentem circa sextam vertebram ceruicis.

Errant, dum digitos manus illorum, qui non possunt flectere secundos articulos, inungunt, quando causa huius symptomatis est in humero, vel in rete, vel in collo.

CAPVT XXV.

De sympathia inter secundos articulos digitorum manus, & humerũ.

FREQVENTISSIME errant Empyrici, dum ob ictum in humero, vel ceruice accidit, vt digiti nec flecti, nec per consequens aliquid manu apprehendi possit; summam enim manum, & digitos inungunt, & non humerum, vel ceruicem, vbi est causa, & radix huius symptomatis, digitósque ipsos tractant vinaceis, lutis patauinis, oleísq; deinde lumbricatis, & aliis plerisque emplastris summas implicant manus, quando causa, cur non flectantur secundi articuli digitorum, vt diximus, esse possit in humero, in ceruice, vel in rete; deberent sanè mirabilem nostri corporis sympathiam perpendere, quæ in longis musculis, & neruis præcipuè obseruari solet; & per officia læsa peruenire ad partis affectæ cognitionem; & inde perquirere, in quo loco musculi, & nerui malè constituti sint; quoniam euenire sæpè solet, vt ceruix, vel humeri internum tuberculum percutiatur, vel baculo cędatur, vel casu confringatur, aut vulneretur, & inde digitos procul valdè locatos per hanc generis sympathiam sua mouendi officia amittere; in quo casu circulatores isti Empyrici semper obliniunt digitos, credentes in digitis esse humores, qui motum tollant: amplius consilium dare solent,

lerit, dum flecti non possunt digiti, causa quoque in humero, vel in collo existente, vt in læsa manu teneatur, & manu apprehendatur pila, vt in assidua, & iugi flexione digitorùm, & apprehensione pilæ continuo se exerceant, rati alibi non esse causam deperditi motus digitorum, & aliubi non esse localia applicanda, quàm digitis. Quinimò licèt ab ipsis ægrotantibus aliquando sint commonefacti de humeri, vel ceruicis contusione, nihilominus adduci non possunt, vt credant, morbum non esse in digitis, cum ipsos læsos videant. Cæterum non est opus multis verbis, vt tantum errorem reiiciamus, cum error ipsorum adeò certus sit, vt manibus ipsis tangi possit; quoniam hic musculus flectens secundos articulos quatuor digitorum, enascitur ab interno humeri tuberculo, & deinde factus carnosus iuxta longitudinem cubiti, & radij defertur, & vbi medium cubitum præteriit, tendens in angustum terminatur in quatuor tendines perforatos, qui demum implantantur secundis articulis quatuor digitorum, gratia ipsos flectendi; quare, cum res ita se habeat, cur, si post læsum internum humeri tuberculum, secundi articuli quatuor digitorū flexione sua priuantur, volueris tunc auxilia digitis adiungere, & in vola manus pilam ab ægris gestari? esset opus tunc musculi initiis, & humeri tuberculo interno, vel ceruici suppetias afferre, quia in humero, vel in ceruice est morbus; in digitis verò nihil aliud, quàm morbi symptoma, cui symptomati, vt symptoma, nunquam est occurrendū: potest quoque esse, vt morbus non solum in humero, sed etiam iuxta cubiti, radiique longitudinem habeat suam sedem, per quam partem defertur musculus iste, & ibidē fibræ, quæ deinde cessant in tendinem sint laceratæ, vel à vulnere, vel à tonsore imperito, qui eas transuersim secuisset, gratia aperiendi apostema, vel callo aliquo durissimo ita sint obductæ, vt hinc fibræ illæ nō amplius diffundere possint suam vim in tendinem, & per consequens digiti non flectantur; tunc si digitos inungeres centum annos, oleum, & tempus contereres.

Sed audias casum, quem nuper vidi; erat inflammatio in parte carnosa musculi paulò pòst à suo principio, tādem collecta penitius fuit sanies, quæ truces, & insignes dolores faciebat, tunc tonsor inexpertus transuersim profundè secuit musculum, & sectis fibris, musculus inde amisit motum secundi articuli quatuor digitorum, & casus factus deinde fuit deploratus ob fibras transuersim excisas; videas igitur, quæ imminent pericula, dum tractantur hæc nostra corpora ab Empyricis, vt propterea peritissimis Medicis, & Chirurgis, & non tonsoribus sit concredendum, qui sciant & longitudines, & latitudines musculorum, & in quas partes extendantur, & quibus partibus implantentur. *Error tonsoris secantis transuersim musculum internæ manus.*

Alium similem casum vidimus cuiusdam icti, atque percussi in humeri interno tuberculo, qui motionem digitorum amisit, & postquā Empyricus multorum dierum curiculo olea, & vnguenta digitis adiunxit sine salutis spe; tandem æger bono spiritu percitus tradidit se medico anatomico, qui factis fomentationibus in illa humeri parte *Error cuiusdam Empyrici.*

læſa, & exinde eidem parti ammoniaco in aceto diſſoluto cum quo eſſent mucilagines radicum altheæ comixtæ, aplicito; breui temporis ſpacio fuit ad portum ſalutis tranſlatus.

Qua via noſcatur ſecundos articulos digitorum non flecti ob morbũ existentem in ceruice.

Præterea cum muſculus iſte flectens digitos poſſit vires ſuas amittere, non ſolum ob læſum muſculum in exordio, verum etiam ob neruos læſos in ceruice, vnde oriuntur nerui veſtientes manus; propterea eſt inuenienda methodus anatomica, quę ex officiis læſis nos perfectè doceat, quando morbus exiſtens in exortu neruorum manus à ceruice prodeuntium ſit in cauſa, cur ſecundi articuli quatuor digitorum non flectantur; audias igitur, quomodo ſit comparanda hæc cognitio; adſunt ſurculi neruei prodeuntes à tertio pari neruorum manus, quibus induitur primus iſte muſculus flectens ſecunda oſſa quatuor digitorum, pollice excepto, cæterum ſurculi iſti neruei, antequam ingrediãtur primum hunc muſculum flectentem hæc ſecunda oſſa quatuor digitorum, prius peragrant per ſecundum muſculum flectentem cubitum, & deinde inſeruntur in iſtum primum, de quo loquimur, & poſt iſtum tandem peragrant per muſculos flectentes tertia oſſa quatuor digitorum, & tertium articulum pollicis; his ergo poſitis talem poſſumus demonſtrationem formare, non poſſunt flecti quatuor oſſa digitorum, pollice excepto, & ſimul cubitum non flectitur, neque tertius articulus quinque digitorum, ergo morbus cauſans hæc læſa officia nullo modo poterit eſſe in digitis, neque in muſculo illo flectente digitos, ſed in altiori exordio, quod eſt in capite tertij paris neruorum manus, quod par eſt commune omnibus illis muſculis, cum ab ipſo facultas motrix, & ſenſatrix trahant originem, quod par immediatè oritur ab illa neruorum rete, cuius imago perbelle exprimitur in Cardinalium galeris; ſed demum tamquam à trũco, & ſtipite proprio à vertebris ceruicis trahit ſuum principium; ex quo diſcurſu optimè colligere poſſumus, quando digiti non poſſunt flecti, an hæc mala valetudo digitorum prodiret à morbo exiſtente in digitis, vel in exordio muſculi, vel in ceruicis vertebris; & inde quoque animaduertimus quando in digitis hoc modo læſis ſint adiungenda topica digitis, quãdo exordio muſculi flectentis ſecundos articulos, & quando vertebris ceruicis; vt hinc quoque facilè ſit videre, quo pacto noſtrates nonnulli, qui ſe dogmaticos faciunt, in errorem incidant, dum in omni officio læſo muſculorum, ſi primis inunctionibus læſio non tollitur, volunt cerata, ſtillicidia capiti adiungere, perinde ac ſolum à capite prodirent omnes cauſæ lædentes officia muſculorum, & neruorum: vt hinc ſæpè fruſtra adminiſtratis iis ſuis medicinis caput, & cætera ægrorum viſcera in ægritudines longè maiores trahant.

Error nonnullorum dogmaticorum.

Errant, dum digitis illorum, qui tertium articulum quatuor digitorum, pollice excepto, flectere non possunt, localia adiungunt, quando aliis longè diuersis partibus essent adiungenda.

CAPVT XXVI.

VT magis eluceat hæc generis sympathia, quæ fit per musculos, & neruos continuatos, & in longitudinem extensos; agendum proposuimus de longis digitorum musculis, vt errata Empyricorum de consensu generis (quantum fert tenuitas nostra) anteuertamus, & corrigamus, quia licèt de omnibus consensibus, qui accidere possint, non sit possibile, cum sint ferè infiniti, pertractare; attamen nos expergefacti horum exemplorum luce non tam facilè in errorem corruemus: Contingere ergo potest, vt tertius articulus quatuor digitorum, pollice excepto, aliquando non flectatur propter consensum morbi existentis in parte anteriori, & interna articuli cubiti, vnde hic musculus oritur, quique descendens, antequam ad brachiale perueniat, diuiditur in quatuor tendines, qui cum sint subiecti tendinibus primi musculi, ante radicem secundi digitorum internodij perforant eos tendines, & deinde inseruntur in tertia ossa digitorum, gratia flectendi, & trahendi digitos, vt optimè constringantur: videntes ergo Empyrici tertia internodia horum quatuor digitorum non flecti, ob imperitiam anatomiæ tanta non pollent cognitione, vt sciant, vel credant, digitos immobiles posse esse sanos, & morbum causantem hoc symptoma esse in cubito, qua sympathia horum longorum musculorum ignorata, cæcorum more symptomati occurrunt oleis, & cæteris remediis, quæ fortasse aliquid opis præstarent, si cubito ea adiungerent, vbi est radix, & causa symptomatis digitorum, quoniam Empyricorum remedia aliquando summæ virtutis obseruantur, quare si adiungerentur opportunè, & parti principaliter læsæ, maximoperè in illis esset sperandum: sed quando digiti non possent flecti, quia in exordio musculi flectentis tertium articulum sit morbus, tunc si digitis topica, quamuis peroptima sint, adiungantur, modus tamen iste administrandi non confert, & redditur omnino ridiculus, cum applicentur vbi non est morbus; veluti si in cubito inflictũ esset vulnus, & inde læsus primus musculus iste flectens digitos non expleret suas partes, quam conciperemus spem ex topicis adiunctis digitis? vel si cubitum ictum ob casum, vel ob alias causas reciperet, quomodo inungendo digitos curari poterit; vel demum si tonsor aperiendo apostema circa cubitum, vel supra brachiale transuersim incideret hunc musculum, & inde digiti non possent flecti, quis risum teneret, videndo Empyricos digitis applicare localia?

De sympathia inter tertium articulum quatuor digitorũ & internum articulum cubiti.

Potest quoque contingere hoc symptoma in tertio osse quatuor digitorum, pollice excepto; quia neruus vestiens hunc musculum fit an- *Qua via vocatur tertiũ*

articulum digitorum manus, pollice excepto ob læsionem in origine nerui.

gustia aliqua oppressus in origine, prodit enim ramus vestiens hunc musculum à tertio pari neruorum brachij, & à quinto ramiquam à primo stipite, sed magis proximè deducitur à rete imaginem exprimente cordularum Cardinalium g[illegible]eri; cognoscemus autem affectum existentem in digitis à neruorum exordiis prodire, quando musculi illi, qui priusquam isti, iisdem neruorum ramis induuntur, erũt læsi, sicuti est musculus flectens cubitum; nec non illi musculi qui irrigãtur post istos, qui trahunt tertia internodia quatuor digitorum, quique mouẽt pollicem, ipsúmque ab alhis separant, vt omnis ferè motus digitorum, ab istis surculis tertij, & quinti neruorum brachij exoriatur; valebit ergo hæc consequentia, non flectuntur internodia tertia quatuor digitorum, ergo morbus potest esse in tertio, & in quinto paribus neruorum brachiorum, ergo potest esse morbus in rete illo neruorum, vel in vertebris ceruicis; ergo dabitur occasio, vt digiti amittant motum ob morbum existentem in ceruice, vel in rete, ergo tunc ad curandos digitos remedia collo, vel sub iugulo, vbi est rete, erunt applicanda, quæ cum ita sint, quid diceret Empyricus hac cognitione priuatus, numquid non admiraretur, quando oculis propriis aspiceret probum anatomicum post factam hanc consequentiam, quod digiti haberẽt amissam flectionem ob vitium in capitibus neruorum, in vertebris colli, vel in rete, fomentationibus adiunctis vertebris, digitis motionem dare? Nos faciemus denique hanc consequentiam, amotis percussionibus, & vulneribus, & similibus manifestis, si musculus iste flectens tertium internodium quatuor digitorum deficit, & insimul cubitum flecti non potest, & cæteri motus digitorum quoque deficiunt, ergo in capitibus neruorum est morbus, qui causat hoc symptoma in digitis. Methodus verò, qua distinguere possumus, an causa, & radix symptomatum digitorum sit in collo, vel in rete, vel demum in cerebro ipso, est, quia si primaria affectio est in rete, & non in ceruice, vel cerebro, symptomata aliubi esse non possunt nisi inter digitos, & iugulum, si in ceruice, inter digitos, & ceruicem, si in cerebro, inter digitos, & ceruicem illius, & alterius lateris obseruari possunt symptomata, qua methodo Gal. progrediens peruestigauit causam, cur in homine illo veniente Romam digiti amiserint motum, inuenitque scyrrhosam dispositionem, circa septimam vertebram ceruicis ob ictum factam, fuisse causam, cur digiti non mouerentur, & inuento loco ceruici topica adiunxit, & paulò pòst motionem digitis reddidit summa cum omnium admiratione.

Vt cognoscitur quando protopathia sit in rete, in ceruice, vel in cerebro.

Errant, dum inungunt quatuor digitos, pollice excepto, qui non possunt extendi ob morbum existentem, non in digitis, sed in humero, & in aliis partibus.

Cap. XXVII.

NOn rarò accidere vidimus, vt digiti non possint extendi, quamuis in digitis nullus humor, vel alia causa præter naturam obseruetur,

uetur, quæ motionem digitorum tollat, nihilominus non desunt Empyrici, qui digitos hos læsos per consensum vexant vnguentis, pinguedinibus, lana succida, necnon etiam obliniunt ipsos oleo de iunipero, de terebentina, de ammoniaco, oleo phylosophorum de lateribus vocato, & aliis plerisque tractant linimentis; horum omnium localium administrationem ipsimet Empyrici irriderent, si propriis oculis in secandis corporibus origines musculorum intuerentur, vt quotidiè vident anatomistæ, qui in cadaueribus, suis manibus trahentes hunc musculum sub externo humeri tuberculo, mouēt mortuorum hominum digitos; musculus enim extendens hos digitos oritur ab hoc humeri tuberculo, quippe qui si læditur in illa superna parte, digiti alioquin sani immobiles ferè redduntur, quare si hæc scirent, & deinde viderent post percussum humerum digitos amittere motum, ipsi quoq; non digitis, sed parti illi superiori localia applicarent; ideo non datur alter modus cognoscendi symptomata motricum facultatum, nisi per cognitionem ortus, & progressus musculorum, & neruorum. Hinc si de ortu, & progressu primi musculi externi digitorum, cuius vsus est, quatuor digitos extendere, pollice excepto, loquimur; dicimus, hunc musculum in primis nasci ab hoc externo humeri tuberculo, & deinde incedere per cubitum, & radium, & in quatuor latos tendines cessare, qui inseruntur deinde à primo vsque ad tertium articulum quatuor digitorum sub vnguibus. Ex hac concepta veritate colligimus, cur non extendantur digiti, & est, quia huius symptomatis digitorum causa, & protopathia habere potest radicem, tunc in externo humeri tubere, quo læso digiti desinunt extendi, tum inter cubitū, & radium, tum iuxta brachiale: videas ergo, quomodo causa, quæ motum digitorum tollit, variis in locis, & procul à digitis esse possit; quæ cum ita sint, quomodo vnguentis, linimentis digitis adiunctis, causa læsionis existente in humero vel inter cubitum, & radium, vel ante brachiale, volueris digitis opem ferre? pergas toto anni curiculo inunctionibus Orientalis opobalsami, & omnium generum, quod nihil facies, & totum amittes opus.

De sympatria inter externum humeri tuberculum, & quatuor digitos pollice excepto.

Præterea contingit aliquando, vt digiti isti quatuor non extendantur, non quia sit causa præter naturam in digitis, vel inter cubitum, & radium, vel in humeri externo tuberculo; sed quia sit in parte longè magis remota, sicuti quando est in quarto cōiugio neruorum brachij, à quo surculi vestientes hunc musculum extendentem quatuor nominatos digitos prodeunt. Methodus autem cognoscēdi, quando digiti non extendantur ob morbum existentem in capite quarti paris neruorum à ceruice prodeuntium, erit hæc, quia omnes musculi circumuestiti iisdem neruis prodeuntibus ab hoc quarto coniugio, sentient eundem defectum, & tales erunt musculi cubitum flectentes, & extendentes, qui irrigantur surculis eiusdem quarti paris neruorū manus, antequam induatur iste musculus, de quo loquimur; præterea deficiet in suo officio musculus extendens brachiale, & musculi præbentes motionem pollici, qui ab eodem neruorum stipite motum susci-

Methodus cognoscendi quando quatuor digiti non possunt extendi ob morbum in origine quarti paris neruorum.

læsa, & exinde eidem parti ammoniaco in aceto dissoluto cum quo essent mucilagines radicum altheæ comixtæ, aplicito; breui temporis spacio fuit ad portum salutis translatus.

Qua via noscatur secundos articulos digitorum non flecti ob morbū existentem in ceruice.

Præterea cum musculus iste flectens digitos possit vires suas amittere, non solum ob læsum musculum in exordio, verum etiam ob neruos læsos in ceruice, vnde oriuntur nerui vestientes manus; propterea est inuenienda methodus anatomica, quę ex officiis læsis nos perfectè doceat, quando morbus existens in exortu neruorum manus à ceruice prodeuntium sit in causa, cur secundi articuli quatuor digitorum non flectantur; audias igitur, quomodo sit comparanda hæc cognitio; adsunt surculi neruei prodeuntes à tertio pari neruorum manus, quibus induitur primus iste musculus flectens secunda ossa quatuor digitorum, pollice excepto, cæterum surculi isti neruei, antequam ingrediātur primum hunc musculum flectentem hæc secunda ossa quatuor digitorum, prius peragrant per secundum musculum flectentem cubitum, & deinde inseruntur in istum primum, de quo loquimur, & post istum tandem peragrant per musculos flectentes tertia ossa quatuor digitorum, & tertium articulum pollicis; his ergo positis talem possumus demonstrationem formare, non possunt flecti quatuor ossa digitorum, pollice excepto, & simul cubitum non flectitur, neque tertius articulus quinque digitorum, ergo morbus causans hæc læsa officia nullo modo poterit esse in digitis, neque in musculo illo flectente digitos, sed in altiori exordio, quod est in capite tertij paris neruorum manus, quod par est commune omnibus illis musculis, cum ab ipso facultas motrix, & sensatrix trahant originem, quod par immediatè oritur ab illa neruorum rete, cuius imago perbelle exprimitur in Cardinalium galeris; sed demum tamquam à trūco, & stipite proprio à vertebris ceruicis trahit suum principium; ex quo discursu optimè colligere possumus, quando digiti non possunt flecti, an hæc mala valetudo digitorum prodiret à morbo existente in digitis, vel in exordio musculi, vel in ceruicis vertebris; & inde quoque animaduertimus quando in digitis hoc modo læsis sint adiungenda topica digitis, quādo exordio musculi flectentis secundos articulos, & quando vertebris ceruicis; vt hinc quoque facilè sit videre, quo pacto nostrates nonnulli, qui se dogmaticos faciunt, in errorem incidant, dum in omni officio læso musculorum, si primis inunctionibus læsio non tollitur, volunt cerata, stillicidia capiti adiungere, perinde ac solum à capite prodirent omnes causæ lædentes officia musculorum, & neruorum: vt hinc sæpè frustra administratis iis suis medicinis caput, & cætera ægrorum viscera in ægritudines longè maiores trahant.

Error nonnullorum dogmaticorum.

Errant,

Errant, dum digitis illorum, qui tertium articulum quatuor digitorum, pollice excepto, flectere non possunt, localia adiungunt, quando aliis longè diuersis partibus essent adiungenda.

CAPVT XXVI.

VT magis eluceat hæc generis sympathia, quæ fit per musculos, & neruos continuatos, & in longitudinem extensos; agendum proposuimus de longis digitorum musculis, vt errata Empyricorum de consensu generis (quantum fert tenuitas nostra) anteuertamus, & corrigamus, quia licèt de omnibus consensibus, qui accidere possint, non sit possibile, cum sint ferè infiniti, pertractare; attamen nos expergefacti horum exemplorum luce non tam facilè in errorem corruemus: Contingere ergo potest, vt tertius articulus quatuor digitorum, pollice excepto, aliquando non flectatur propter consensum morbi existentis in parte anteriori, & interna articuli cubiti, vnde hic musculus oritur, quique descendens, antequam ad brachiale perueniat, diuiditur in quatuor tendines, qui cum sint subiecti tendinibus primi musculi, ante radicem secundi digitorum internodij perforant eos tendines, & deinde inseruntur in tertia ossa digitorum, gratia flectendi, & trahendi digitos, vt optimè constringantur: videntes ergo Empyrici tertia internodia horum quatuor digitorum non flecti, ob imperitiam anatomiæ tanta non pollent cognitione, vt sciant, vel credant, digitos immobiles posse esse sanos, & morbum causantem hoc symptoma esse in cubito, qua sympathia horum longorum musculorum ignorata, cæcorum more symptomati occurrunt oleis, & cæteris remediis, quæ fortasse aliquid opis præstarent, si cubito ea adiungerent, vbi est radix, & causa symptomatis digitorum, quoniam Empyricorum remedia aliquando summæ virtutis obseruantur, quare si adiungerentur opportunè, & parti principaliter læsæ, maximoperè in illis esset sperandum: sed quando digiti non possent flecti, quia in exordio musculi flectentis tertium articulum sit morbus, tunc si digitis topica, quamuis peroptima sint, adiungantur, modus tamen iste administrandi non confert, & redditur omnino ridiculus, cum applicentur vbi non est morbus; veluti si in cubito inflictũ esset vulnus, & inde læsus primus musculus iste flectens digitos non expleret suas partes, quam conciperemus spem ex topicis adiunctis digitis? vel si cubitum ictum ob casum, vel ob alias causas reciperet, quomodo inungendo digitos curari poterit; vel demum si tonsor aperiendo apostema circa cubitum, vel supra brachiale transuersim incideret hunc musculum, & inde digiti non possent flecti, quis risum teneret, videndo Empyricos digitis applicare localia?

De sympathia inter tertium articulum quatuor digitorũ & internum articulum cubiti.

Potest quoque contingere hoc symptoma in tertio osse quatuor digitorum, pollice excepto; quia neruus vestiens hunc musculum sit an-

Qua via noscatur tertiũ

articulum digitorum manus, pollice excepto ob læsionem in origine nerui.

gustia aliqua oppressus in origine, prodit enim ramus vestiens hunc musculum à tertio pari neruorum brachij, & à quinto tamquam à primo stipite, sed magis proximè deducitur à rete imaginem exprimente cordularum Cardinalium galeri; cognoscemus autem affectum existentem in digitis à neruorum exordiis prodire, quando musculi illi, qui priusquam isti, iisdem neruorum ramis induuntur, erũt læsi, sicuti est musculus flectens cubitum; nec non illi musculi qui irrigãtur post istos, qui trahunt tertia internodia quatuor digitorum, quique mouẽt pollicem, ipsúmque ab alhis separant, vt omnis ferè motus digitorum, ab istis surculis tertij, & quinti neruorum brachij exoriatur; valebit ergo hæc consequentia, non flectuntur internodia tertia quatuor digitorum, ergo morbus potest esse in tertio, & in quinto paribus neruorum brachiorum, ergo potest esse morbus in rete illo neruorum, vel in vertebris ceruicis; ergo dabitur occasio, vt digiti amittant motum ob morbum existentem in ceruice, vel in rete, ergo tunc ad curandos digitos remedia collo, vel sub iugulo, vbi est rete, erunt applicanda, quæ cum ita sint, quid diceret Empyricus hac cognitione priuatus, numquid non admiraretur, quando oculis propriis aspiceret probum anatomicum post factam hanc consequentiam, quod digiti haberẽt amissam flectionem ob vitium in capitibus neruorum, in vertebris colli, vel in rete, fomentationibus adiunctis vertebris, digitis motionem dare? Nos faciemus denique hanc consequentiam, amotis percussionibus, & vulneribus, & similibus manifestis, si musculus iste flectens tertium internodium quatuor digitorum deficit, & insimul cubitum flecti non potest, & cæteri motus digitorum quoque deficiunt, ergo in capitibus neruorum est morbus, qui causat hoc symptoma in digitis. Methodus verò, qua distinguere possumus, an causa, & radix symptomatum digitorum sit in collo, vel in rete, vel demum in cerebro ipso, est, quia si primaria affectio est in rete, & non in ceruice, vel cerebro, symptomata aliubi esse non possunt nisi inter digitos, & iugulum, si in ceruice, inter digitos, & ceruicem, si in cerebro, inter digitos, & ceruicem illius, & alterius lateris obseruari possunt symptomata, qua methodo Gal. progrediens peruestigauit causam, cur in homine illo veniente Romam digiti amiserunt motum, inuenitque scyrrhosam dispositionem, circa septimam vertebram ceruicis ob ictum factam, fuisse causam, cur digiti non mouerentur, & inuento loco ceruici topica adiunxit, & paulò pòst motionem digitis reddidit summa cum omnium admiratione.

Vt cognoscitur quando protopathia sit in rete, in ceruice, vel in cerebro.

Errant, dum inungunt quatuor digitos, pollice excepto, qui non possunt extendi ob morbum existentem, non in digitis, sed in humero, & in aliis partibus.

Cap. XXVII.

NON rarò accidere vidimus, vt digiti non possint extendi, quamuis in digitis nullus humor, vel alia causa præter naturam obseruetur,

uetur, quæ motionem digitorum tollat, nihilominus non desunt Empyrici, qui digitos hos læsos per consensum vexant vnguentis, pinguedinibus, lana succida, necnon etiam obliniunt ipsos oleo de iunipero, de terebentina, de ammoniaco, oleo phylosophorum de lateribus vocato, & aliis plerisque tractant linimentis; horum omnium localium administrationem ipsimet Empyrici irriderent, si propriis oculis in secandis corporibus origines musculorum intuerentur, vt quotidiè vident anatomistæ, qui in cadaueribus, suis manibus trahentes hunc musculum sub externo humeri tuberculo, mouēt mortuorum hominum digitos; musculus enim extendens hos digitos oritur ab hoc humeri tuberculo, quippe qui si læditur in illa superna parte, digiti alioquin sani immobiles ferè redduntur, quare si hæc scirent, & deinde viderent post percussum humerum digitos amittere motum, ipsi quoq; non digitis, sed parti illi superiori localia applicarent; ideo non datur alter modus cognoscendi symptomata motricum facultatum, nisi per cognitionem ortus, & progressus musculorum, & neruorum. Hinc si de ortu, & progressu primi musculi externi digitorum, cuius vsus est, quatuor digitos extendere, pollice excepto, loquimur; dicimus, hunc musculum in primis nasci ab hoc externo humeri tuberculo, & deinde incedere per cubitum, & radium, & in quatuor latos tendines cessare, qui inseruntur deinde à primo vsque ad tertium articulum quatuor digitorum sub vnguibus. Ex hac concepta veritate colligimus, cur non extendantur digiti, & est, quia huius symptomatis digitorum causa, & protopathia habere potest radicem, tunc in externo humeri tubere, quo læso digiti desinunt extendi, tum inter cubitū, & radium, tum iuxta brachiale: videas ergo, quomodo causa, quæ motum digitorum tollit, variis in locis, & procul à digitis esse possit; quæ cum ita sint, quomodo vnguentis, linimentis digitis adiunctis, causa læsionis existente in humero, vel inter cubitum, & radium, vel ante brachiale, volueris digitis opem ferre? pergas toto anni curiculo inūnctionibus Orientalis opobalsami, & omnium generum, quod nihil facies, & totum amittes opus.

De sympathia inter externum humeri tuberculum, & quatuor digitos pollice excepto.

Præterea contingit aliquando, vt digiti isti quatuor non extendantur, non quia sit causa præter naturam in digitis, vel inter cubitum, & radium, vel in humeri externo tuberculo; sed quia sit in parte longè magis remota, sicuti quando est in quarto cōiugio neruorum brachij, à quo surculi vestientes hunc musculum extendentem quatuor nominatos digitos prodeunt. Methodus autem cognoscēdi, quando digiti non extendantur ob morbum existentem in capite quarti paris neruorum à ceruice prodeuntium, erit hæc, quia omnes musculi circumuestiti iisdem neruis prodeuntibus ab hoc quarto coniugio, sentient eundem defectum, & tales erunt musculi cubitum flectentes, & extendentes, qui irrigantur surculis eiusdem quarti paris neruorū manus, antequam induatur iste musculus, de quo loquimur; præterea deficiet in suo officio musculus extendens brachiale, & musculi præbentes motionem pollici, qui ab eodem neruorum stipite motum susci-

Methodus cognoscendi quando quatuor digiti non possunt extendi ob morbum in origine quarti paris neruorum.

piunt; valebimus ergo ex omnium istorum musculorum læsione (supposito prius, causas alias euidentes non esse, quæ motum impediant, veluti essent vulnera, & tumores) colligere, quartum par neruorum manus morbo vexari in ceruice; quare pro digitorum curatione remedia non digitis, sed ceruicis vertebris tunc essent applicanda.

De sympathia inter minimum digitum, & humerum.

Præterea contingere potest, vt digitus minimus non possit separari à reliquis, vel ob tumorem existentem in externo humeri tuberculo, factum à fractura, vel ab aliqua destillatione, vel ob morbum existentem in neruorum rete, vel in ceruice, propter quas causas, si digitus minimus ab aliis abduci non poterit, nunquam vnguentis admotis digito curari poterit: præterea causa, cur minimus iste digitus ab aliis non separatur, & palma tota fieri non potest, vbique in spacio illo ab humero ad brachiale potest hærere, nullo humore in digito minimo existente; tunc sanè digiti, vel palma tota non esset inungenda, sed locus vbi consideт humor, siue sit in humeri capite, siue inter cubitum & radium, per quem locũ defertur musculus, quos locos læsos promptè admodum quisque cognoscere poterit, si anatomica facultate erit excultus, quoniam per officia læsa cognoscet musculum læsum, cognito verò musculo læso, cognoscet illico omnes eius partes, in quibus causa principalis posset agere radices, & cognoscet, in quas partes eius symptomata possent diffundi, quæ partes illud occupant spatiũ, quod est ab externo humeri tuberculo vsque ad minimum digitum; demúmque virtute methodi traditæ in hoc libro inueniet an per se, vel per consensum alterius vicini musculi affectus lædat corporis nostri operationes. Hæc sunt principia, per quæ optimè poterimus cognoscere, vbi sit in musculis morbus.

Vt cognoscitur quando minimus digitus læditur ob morbum ceruicis.

Demum, si vis scire, quando minimus digitus non possit separari ab aliis per neruum læsum in exordio quarti paris neruorum manus, scias ab hoc quarto pari neruorum, non solum prodire neruos vestientes hunc musculum separantem minimum digitum ab aliis digitis, verum etiam prodire ab eodem pari neruos vestientes musculos flectentes cubitum, & musculum extendentem brachiale; quare si digitus non poterit separari ob vitium in capitibus neruorum, necessariò musculi cubiti, & brachialis non poterunt fungi suo officio, & eò magis hæc consequentia valebit, quia nerui à quarto pari neruorum manus prodeuntes prius irrigant musculos flectentes cubitum, quam musculum istum separantem digitum, quare per hanc singularem methodum, cognita protopathia, poteris, si erit in collo, ibi adiungere auxilia topica, & non digitis.

Errant, dum digito indici, qui non potest extendi, adiungunt topica, quando causa læsionis est in cubito, vel in ceruice.

Capvt XXVIII.

De sympathia inter indicem & cubitum.

SI videris hominem, qui non possit digito indice indicare, vel indicem, quod idem est, obliquè extendere, illico ex hoc læso officio

dicere

dicere poteris, tertium musculum externum, qui prodit à medio cubito, vbi est linea illa aspera, & oblonga, esse læsum; quia huius musculi munus est extendere digitum indicem; quare poterit contingere, vt in medio cubito, vnde oritur musculus, sit morbus, & index alioquin sanitate præditus patiatur per sympathiam cubiti: poterit quoque esse morbus in vlna, vel in cubito, vbi linea oblonga, & aspera existit, vel in brachiali, per quem locum transit musculus; vel poterit esse impedimentum in musculis vicinis, quatenus musculi cohærentes, & vicini sint onusti, atque referti mala humorum sarcina, vel quod tumidi facti sint ob œdema, vel propter alias causas, & horum omnium morborum signa solum apparere in indice; quare loca affecta sunt inuenienda, & iis adiungenda sunt localia, & nequaquam indici per consensum læso; quo pacto vero omnia hæc loca læsa cognosci possint, ex traditis in primo libro, & ex officiis læsis facilè cognoscere poterimus.

Si verò musculus huic destinatus muneri extendendi indicem integra gauderet valetudine, & motio huius musculi diminuta, vel ablata prodiret à neruorum origine; audias methodum, quæ ad huius cognitionis apicem nos certo transferre potest: à quarto pari neruorum manus propagines vestientes hunc musculum exoriuntur, & ab eodem trunco prodeunt neruei surculi irrigantes musculos flectentes, & extendentes cubitum, & musculos brachialis, & cæteros pertinentes ad digitorum extensionem, quare si index non posset extendi, & simul cubitum neque flecti, neque extendi posset; & similiter brachiale in suo obeundo officio deficeret, ex iis semper consequentiam inferre poteris; quod in communi trunco neruorum, qui consistit in vertebris ceruicis, vnde oritur quarta coniugatio neruorum, sit radix, & causa, propter quam index non possit extendi; quare si volueris tunc indicem læsum subleuare, non erunt medicamẽta indici, sed vertebris ceruicis, vel reti apponenda, quòd Empyrici irriderent; quomodo autem cognoscatur an causa læsionis digiti indicis sit in rete, vel in vertebris, animaduertas, hoc cognosci posse ex præcedentibus aliis signis, quemadmodum cognouit Galenus scyrrhosam dispositionem post septimam vertebram ex ictu habuisse ortum: cognoscemus similiter ex iis, quæ tradita sunt in primo libro capite 11. quod est de locis affectis cognoscendis.

Qua methodo noscatur, indicem non posse extendi ob neruos læsos in origine.

Errant, dum digitum pollicem, cuius tertius articulus non potest extendi, inungunt, quando causa læsionis est in cubito, vel in ceruice.

CAPVT XXIX.

De sympathia inter tertium articulum pollicis, & cubitũ.

CHIRVRGI in nulla corporis parte maiori diligentia vti deberent, quam in cognoscenda, & curanda affectione digitorum; quoniam sæpè accidit, vt digiti ob musculorum suorum longitudi-

nem nullo morbo premantur, attamen amissam suam motionem habeant ob morbum in alia remota parte habentem radicem, vnde digiti propter illius partis sympathiam munera sua explere non possint; quare, quoties videris tertium articulum pollicis non posse extendi, neque ab aliis digitis abduci, inferas, ergo quartus musculus externus digitorum est malè affectus, cuius vsus est extendere tertium articulum, & est ille, qui à cubito egreditur penes tertium musculum, quique defertur supra radij appendicem, & inseritur tertio articulo pollicis; quare contingere potest, vt in cubito sit morbus, & in pollice tantum appareat hæc functio lęsa: an-ne inflammatio cubiti, vel cubiti percussio, vel vulnera in illa parte possunt auferre pollicis motum? cur ergo vis Empyrice auxilia adiungere pollici? quando pollex non est alicuius malæ causæ particeps, & functio sit læsa in ipso per consensum eiusdem musculi in alia parte læsi.

Qua via noscatur pollicem nõ extendi ob læsos neruos in origine.

Postremo potest tolli hic motus pollicis ob neruos læsos in capitibus, quæ capita sunt in rete, & in vertebris ceruicis, vnde omnes nerui digitorum dependent, quoniam virtus mouendi pollicem pendet à rete, & à vertebris; musculi verò existentes supra rete, qua supra iugulum sunt, à vertebris tantum suam mouendi virtutem trahunt, quare si videris, dum tertius articulus pollicis non potest extendi, illos musculos tantum esse læsos, qui infra rete sunt, morbus erit in rete; si verò videris, non solum musculos, qui sunt infra rete, sed etiam supra rete, tunc morbus tollens extensionem tertio, articulo pollicis erit in vertebris colli, vnde oritur quartum par neruorum. His igitur positis, quomodo si morbus erit in partibus supernis, & symptoma in pollice, volueris Empyrice digitum pollicem inungere, vel fascis, ligaturis, pinguedinibus obducere ac obuoluere; quo nil ineptius esse potest, & à rectis phisiologiæ principiis magis abhorrens; nihilominus his nostris temporibus plurimi sunt Empyrici, qui in has syrtes incurrunt; quoniam nullo modo sibi persuadere possunt, quod symptomata perpetuò non sint in eadem parte cum morbo coniuncta.

Vt scitur quando rete vel collum læsum sit.

De sympathia inter totum pollicem & cubitum.

Musculus in ordine quintus, qui extendit totum pollicem enascitur ab eadem linea cubiti propè quartum musculum, cuius progressus est obliquus pollicem versus, & in quatuor vt plurimum tendines degenerat, vt propterea plures videantur musculi, cuius primus tendo inseritur in tertium pollicis articulum, alter in secundum, tertius verò tendo in primum articulum pollicis, quartus in os brachiale, quo pollex fulcitur. Quare quis esset adeò rudis, qui, læso cubito, vnde enascitur musculus ob quam læsionem pollex non posset extendi, pollicem inungeret? quis in læsa tendinum origine, vel in læsione facta in obliquo progressu, vel in osse quo fulcitur pollex, digitum inungeret? superliniret ammoniaco in aceto disoluto, & similibus? vt nonnulli ex Empyricis nostris facerent, qui, inter cætera auxilia quibus tractant digitos vtuntur chirotecis quibusdam ex pelle, vel lana succida intus obuolutis, & aliis vanissimis topicis vexant miserum patientem, quando ori-

do origini musculi, & cubito, vnde musculus oritur esset localibus proportionatis succurrendum. Si verò in neruis esset læsio, eadem methodo primarium affectum poterimus venari, vt superiùs docuimus, quæ est in primis expendere hunc quintum musculum extendentem pollicem, & cæteros omnes musculos, qui iisdem neruis sunt irrigati, quia est impossibile in rete, vel in vertebris ceruicis, vnde prodeunt nerui dantes motum, vt pollex extendatur, esse primariam affectionem, & primariam causam, cur pollex non extendatur, nisi cæteri musculi iisdem nerueis surculis irrigati deficiant in suo obeundo officio.

Errant, dum semper brachiale illius, qui non potest ipsum extendere, topicis tractant, cum aliquando huius læsionis causa sit in humero.

CAPVT XXX.

De sympathia inter brachiale, & externum humeri tuberculum.

VIDIMVS sæpenumero, dum patientes non possunt extendere brachiale, nostrates brachiale, & totam manum simul obuoluere linimentis, vnguentis, lutis, & demum vinaceis, permanentes perpetuò in hac inscitia, quod symptomata loco à morbis separari non possint. Vidimus tamen patientem, qui nullo modo poterat brachiale extendere ob morbum non in brachiale, sed in humeri externo tuberculo, existentem; in brachiali verò ipsius erat affectus per consensum, in fieri, & dependens, qui insequebatur morbum humeri, vt vmbra insequitur corpus: pergamus igitur nostra methodo, & dicamus brachiale, vel manus ipsa non potest extendi, ergo læsus est sextus, & & septimus musculus manus; quoniam ab iis duobus musculis extensio brachialis proficiscitur, ergo læsionis causa posset esse, tum in principio, vnde exordium hi musculi trahunt, tum in aliis partibus supra brachiale: quare si in principio & origine esset morbus, vel impedimẽtum, necessariò appareret læsio in brachiali; perpendere igitur oportet musculi principium, & progressum, vt huius musculi sympathiam cognoscamus. Scias ergo, quod sextus iste musculus oritur à radice externi tuberculi humeri, & cubito cõnectitur, & amplectitur, & per cubiti longitudinem perreptat, quando verò ad caput peruenit, degenerat in tendinem validum, qui defertur supra cubiti appendicem in sinum quendam iuxta styloidem (est autem stylois cubiti processus) & ab hac parte suscipit suum ligamentum, deinde in os illud post brachialis inseritur, quod minimum digitum sustinet: ecce ergo quod potest esse morbus in externo humeri tuberculo, qui impediat, ne extendatur brachiale, amplius potest esse morbus in cubito, & in eius lõgitudine, & in sinu iuxta styloidem, & eius morbi symptoma in brachiale. Sicuti quando cubitus, & humerus vulnerantur, vel ob casum ictum recipiunt, vel percutiuntur, tunc statim potest contingere, vt

brachiale non possit extendi ob morbum in cubito, & humeri externo tuberculo existentem; præterea posset dolor concitari in brachiali ob musculos in cubito contractos ob callum, vel scyrrhum, & morbum esse in cubito, vbi nullus sit dolor. Præterea brachiale non poterit extendi ob læsionem factam in origine septimi musculi, quem vocant bicornem, iste enim enascitur ab inferiori humero supra articulum, & deinde supra radium rep.t, & circa medium radij cessat in tendinem validum, & bifidum, cui propterea nomen bicornis impositum est, qui postquam suprabrachiale iter fecit, inseritur in ossa postbrachialis, quibus ossibus index, & medius fulciuntur, læso ergo isto, vel altero musculo in cubito, vel in humero; ex necessitate non poterit extendi brachiale, quare si affectus erit factus in parte inferiori humeri, vnde bicornis nascitur, poterit esse symptoma in brachiali, & morbus in aliis partibus, quia sæpè accidit, vt actio læsa non sit vbi sit morbus.

Errant, dum semper inungunt brachiale illorum, qui non possunt manum suppinam reddere, & flectere brachiale, vel ob tremorem non possunt scribere.

CAP. XXXI.

De sympathia inter brachiale, & humerum.

PERSÆPE contingit, vt manus non possit reddi suppina, vel flexio brachialis læsa, & impedita sit, vt obseruatur in iis, qui in scribendo tremore manus afficiuntur, qui licèt in cæteris operationibus omnibus brachiale fortissimum habeant; in actu tamen scribendi adeò redditur infirmũ, vt nullo modo suo fungi possit officio; causa verò illius tremoris nulla alia esse potest, nisi imbecillitas musculorum flectentiũ manum, & brachiale, musculi verò flectentes brachia e duo sunt, alter est inter externos ordine octauus, & est ille quem vocant lõgissimum, qui enascitur ab humero, & deinde peragrans obliquè radium membraneo tendine inseritur in radij appendicem; quare dum manus non potest reddi suppina, & brachiale non potest flecti, causa esse posset non solum in brachiali, verum etiam in variis locis, & prætertim in humero, vnde exoritur iste musculus, qui flectit brachiale; alter verò musculus flectens brachiale est nonus musculus, qui exoritur à copula, quæ cubitum humero connectit, & qui è superiori parte cubiti obliquus progreditur, & in medium radium inseritur, vt moueat manum suppine, & moueat radium exterius, vt flectat brachiale; & in qualibet istius musculi parte potest esse morbus aliquis impediens hãc brachialis flectionem; videas ergo quo pacto brachiale tremore afficiatur per consensum à morbo existente procul à brachiali, potest enim esse morbus in humero, in copula connectente cubitũ humero, & in progressu istorum musculorum, & brachiale esse læsum quamuis per se careat omni morbosa constitutione, quo pacto ergo Empyrici audẽt

quando quis non potest flectere brachiale, & in actu scribendi maximo tremore afficitur, inungere manum? brachiale? digitos? quamuis videant nullo tumore, vel aliis affectibus manifestis partes has esse affectas.

Amplius non solum in humero potest esse causa tollens flexionem brachiali, verum etiam potest esse in rete neruorum sub clauicula existentium, & demum potest esse in vertebris ceruicis: & ratio est; quoniam musculi isti octauus, & nonus contexti sunt surculis missis à secundo, & tertio paribus neruorum manus; sed, vt certa methodo cognoscas, quando brachiale suum munus flectendi nō exercet ob neruos læsos in trunco neruorum tertiæ coniugationis, debes respicere an secūda, & tertia internodia omnium digitorum possint flecti, quoniam; si ipsa quoque non poterunt flecti, inferre poteris, esse in tertia coniugatione causam cur brachiale flecti non possit, & ratio potissima est, quoniā musculi flectentes secundos, & tertios articulos omniū digitorum iisdem surculis tertij paris neruorum manus sunt induti, & ab iisdem virtutem motricem recipiūt; quare amotis aliis morbis sensibus manifestis, vt sunt vulnera, vel confractio brachialis, vel humeri ob casum ab alto, inferas ex iis hanc consequentiam, secunda, & tertia internodia omnium digitorum, & insimul brachiale non possunt flecti, ergo à communi neruorum origine læsa prodit vitium, quod potest habere sedem in rete sub clauicula, & in vertebris ceruicis, vnde oritur tertia coniugatio neruorum manus, quare dabitur occasio in iis, qui malè flectunt brachiale, & in iis, qui difficulter admodum ob tremorem scribunt, vt topica remedia, quæ possent aliquid opis afferre, non brachiali tantummodo, sed clauiculæ, vel axillis sub quibus nerui omnes, qui mittuntur ad manus transeunt, & demum ceruici tamquam primo trunco conueniant, si denique brachiale non flecti potest ob morbum existentem in capite secundi paris neruorum, cognosces tali pacto, quia tunc neque cubitus poterit flecti, quia iisdem surculis neruorum secundi paris induitur, vt brachiale, neque secundus articulus pollicis, qui similiter recipit motum ab hoc secundo pari; quare si erit in hoc secundo trunco morbus tollens flexionem brachiali, neque cubitus neq; secundus articulus pollicis poterunt flecti.

Qua via cognoscitur nō flecti brachiale ob neruos læsos in rete vel in collo.

Errant, dum topicis tractant tibiam, quæ non potest trahi sursum versus inguen alterius tibiæ ob morbum existentem in ilibus.

CAP. XXXII.

CAVSÆ, quæ possunt impedire, ne tibia trahi possit sursum versus inguen alterius tibiæ, modo possunt esse in tibia, modo extra tibiam in loco quoque valdè remoto, & præcipuè in parte anteriori, & suprema ossis ilium, vnde oritur primus tibiæ musculus; quoniam potest contingere, vt in hoc principio, & origine musculi sit aliquis mor-

De sympathia inter ilia, & tibiā.

bus, qui tollat vſum primo huic muſculo tibię, & eius ſymptoma pręcipuè ſe oſtendat in tibia, quam dicemus tunc eſſe læſam per conſenſum ab ilibus; veluti ſi contingeret, vt muſculus eſſet vulneratus in ſua origine, & exciſæ eſſent fibræ, vel poſt inflammationem talis factus eſſet callus, vel poſt caſum ab alto talis relicta eſſet diſpoſitio ſcyrthoſa, vt propterea muſculus amplius nullas haberet vires. Empyrici tamen in hoc modo læſo officio inungunt tibiam, & genua, & non ilia; credentes morbum ſolum eſſe in parte illa inferna, quia non vident conſenſum inter genua, & ilia ſeruari quoque poſſe per primum tibiæ muſculum illum longiſſimum, & gracillimum, qui ab ilibus oritur, & tibiæ inſeritur; lædi enim poteſt (vt diximus) hic muſculus in exordio, quod eſt in appendice anterioris partis ilium, & ſymptoma apparere poteſt in tibia, quæ eſt in loco valdè remoto ab anteriori ilium parte; valebit ergo conſequentia, tibia non poteſt tolli verſus inguen alterius, ergo poteſt eſſe læſus primus muſculus ille longiſſimus, qui oritur à ſuprema, & anteriori ſede ilium; & deinde obliquè ſecũ lum internam femoris partem ductus anteriori parti tibiæ inſeritur, cuius muſculi officium eſt (auxilio tamen muſculorum femoris, & aliorum tibiæ) trahere tibiam ſurſum verſus inguen alterius tibiæ; diximus aliorum auxilio, hunc muſculum edere hunc vſum, quoniam adeò eſt gracilis, vt ex ſe tantum pondus commodè non poſſit attollere; & hic obiter animaduertatur error Galeno adſcriptus dicenti, vſum iſtius muſculi eſſe tibiam ſupra tibiam deferre, vt pueri ludentes facere ſolent, quod non eſt receptum, quoniam oporteret, vt eſſet inſertus in mediam tibiam ſimiarum, vt potuit obſeruare Galenus, ſed nõ in medias hominum tibias; his igitur poſitis, nunquid non facilè contingere poteſt, vt cauſa, cur tibia non poſſit trahi ſurſum verſus inguen alterius tibiæ, ſit in anteriori ilium appendice, eius verò ſymptoma in tibia? quare, ſi noſtrates hi, qui mordicus tenent, vbi ſit ſymptoma, ibi eſſe morbum, tunc inungerent tibiam, an ne eſſet ridiculum, videre, homines ſumma induſtria adiungere vnguenta ſanæ, & benè conſtitutæ tibiæ, non per ſe læſæ, ſed ſolum per conſenſum ilium?

Error Gal. adſcriptus.

Denique tantus eſt conſenſus in hoc noſtro corpore, vt morbus poſſit eſſe circa tertiam vertebram lumborum, eius verò ſymptoma appareat ſolum in tibia, quamuis per ſe ſit optima conſtitutione donata, vnde ſequatur, quod tibia non poſſit ſurſum verſus inguen trahi; & audias rationem ab anatomia depromptam, cur hoc aliquando contingat. A tertio pari lumborum oritur neruus, qui deinde peruenit ad illam neruorum implicationem, quæ imaginem retis exprimit, quique tandem mittit ſurculum, in primum hunc tibiæ muſculum, quo præcipuè muſculus habet facultatem motricem; quare poteſt accidere, vt morbus ſit circa tertium par neruorum pedis, quòd à tertia lumborum vertebra prodit, & ſymptoma in tibia; quare, ſi propter hanc cauſam tibia non poterit ſurſum tolli, non erit inungẽda, ſed inuenienda erit radix, & protopathia ſymptomatis exiſtentis in tibia, & ſi erit cauſa, & origo ſymptomatis in lumbis, ibi inunctiones, quę poſ-

ſent

sent prodesse, essent applicandæ: vt igitur methodo aliqua cognoscas, quando per tam longinquum consensum id accidere possit in primo hoc tibiæ musculo, scias à tertio pari lumborum enasci propaginem prius vestientem primum hũc musculum tibiæ, & aliam propaginem deinde dantem motum septimo, & nono musculis tibiæ, cuius munus est tibiam extendere secundum rectam lineam, quare valebit consequentia, non potest tibia rectè extendi, quod munus pertinet ad septimum, & nonum musculum, & non potest trahi sursum versus inguen alterius, & nullus ictus, nullus tumor, vel vulnera præcesserunt, quæ potuerint manifestè tibiam lædere, ergo tibiæ læsio habet suam originem in tertio pari lumborum, vnde oriuntur isti nerui dantes motum musculis illis citatis.

Qua methodo noscatur tibia sursum nõ posse trahi ob læsionem in tertio pari neruorum lumborum.

Prætetea, cum innumerabiles possint esse in hoc nostro corpore consensus, & sympathiæ, quas mente vix assequi possumus, ego illas dumtaxat perquirẽdas mihi proposui, quæ quotidiè in humanis corporibus experientia obseruantur, & quæ rationibus desumptis ab arte anatomica cognosci possunt: audias igitur antequam capiti finem imponam quendam consensum vicinitatis, qui frequenter obseruari solet in musculo de quo loquimur; aliquando contingere solet in musculis lumborum aliquis infarctus humorum ab aliis partibus missus, vel per congestionem collectus, quippe qui tollat officia primo, septimo, & nono musculorum tibiæ, quod hoc modo contingere potest; primum par neruorum, quod oritur à tertio pari lumborum, & deinde à rete descendit ad femora, & descendens adhæret, & annectitur musculis lumborum, qui si propter scyrrhosam dispositionem, vel infarctum tumidi aliquantulum erunt facti necessariò comprimement hunc neruorum truncum, quo compresso virtus motrix, non amplius diffundetur, vel transmittetur ad musculos mouentes tibiam, vnde sequitur, quod tibia versus inguen alterius attolli non possit, nec in rectum extendi ob illum infarctum pituitosum existentem in musculis lumborum.

De sympathia inter lumbos, & tibiam.

Amplius in hoc primo, septimo, & nono musculis tibiæ obseruatur alter affectus per consensum vicinitatis, qui fit à morbo existente in sexto musculo femoris, quoniam quando contingit, vt in tendine forinsecus sexti musculi sit aliquis pituitosus infarctus, illico primus musculus tibiæ (cuius vsus est trahere tibiam versus alterum inguen, aliorum tamen musculorum auxilio) cõprimitur, & tollitur eius vsus; cognoscemúsque affectum horum musculorum tibię esse per consensum sexti musculi vicini, quando videbimus prius officium sexti musculi deficere, quod est trahere femur sursum, & flectendo femur introrsum mouere; quare si post hunc perditum vsum femoris sequitur amissio primi musculi, nec non etiam septimi, & noni tibiæ, erit inferendum tibiam esse læsam per consensum factum à sexto musculo femoris, cui auxilia erunt dirigenda, & non musculis tibiæ.

De sympathia inter tibiam, & femur.

Errant, dum topicis tractant tibiam illorum, qui non possunt tibiam supra tibiam deferre ob morbum existentem circa os pubis.

CAPVT XXXIII.

De sympathia inter pubem, & tibiam.

VALERE optimè potest hæc consequentia, tibia supra tibiam non potest deferri, ergo causa huius potest quoque esse in parte anteriori pubis propè cartilaginem iuxta longitudinem ossis pubis, quia ab illa parte secundus musculus tibiæ exoritur, cuius munus est tibiā supra tibiam deferre, vel superequitare; quare si hoc principium musculi esset morbo aliquo in mala compositione, vel in soluta vnitate oppressum, non video (cum in origine, & initiis musculorum maxima sita sit virtus) cur non possit quoque cōtingere, vt tibia, quæ longè distat à pube, lædi possit non à morbo existente in tibia, sed in principio musculi, quod est in superna, & anteriori parte ossis pubis; quare colligere possumus, si in exordio musculi virtus est collisa atque collapsa, ex necessitate tendinem insertum in tibiam trahere non posse tibiam supra tibiam: quomodo ergò tunc Empyrici ita audacter ope inunctionum, & fomentationum tibiæ, ægris polliceri poterunt salutem? & quomodo eos non pudet, quando suis frustrantur pollicitis, iterum versari inter illos, quos toties deceperunt?

Cæterum animaduertant lectores, non solum posse esse morbum in anteriori parte pubis, & eius symptoma apparere in tibia, alioquin sana, & optima constitutione prædita, verum etiam, quod maiori admiratione est dignum, posse esse morbum inter quartam, & quintam vertebram lumborum, & in tibia apparere hoc symptoma, quod est tibiam supra tibiam non posse deferri; quoniam ab illis vertebris nascitur neruus, qui descendens irrigat secundum hunc musculum tibiæ; quare si in capite istius nerui erit morbus, eius symptoma haud dubiè apparebit in tibia. Methodus verò, qua cognoscere poteris, quando illud caput neruorum inter quartam, & quintam vertebram sit læsum, erit hæc, quia, antequam hic neruus perueniat ad hunc secūdum musculum tibiæ, prius peragrat per septimum, nonum, & decimum femoris, & deinde surculos mittit ad penem, merito quorum penis habet motum voluntarium tum in extramittendo semen, tum in aliis exercendis officiis, & deinde ad secundum hunc tibiæ, de quo loquimur; & demum exoritur alter neruus ab eodem trunco petens quintū musculum femoris. Quare, quando videbis vsum septimi musculi femoris, qui est trahere femur sursum, magis tamen introrsum, quàm sextus, esse læsum; & videbis quoque læsum esse vsum noni musculi, qui est femur in gyrum introrsum, mouere, & decimi, cuius vsus est extrorsum in gyrum vertere & simul cum iis quintum musculum femoris esse læsum, cuius vsus est femur extendere in rectum, vel in latum, & demum videbis simul cum iis omnibus penem amittere ali-

Qua via noscatur tibiā non posse deferri supra tibiam ob morbum in exordio neruorum.

quem

quem motum voluntarium, inferre certò poteris, morbũ esse in trunco neruorum communi prodeunte à quarta, & quinta lumborum vertebris, quoniam hi omnes musculi citati recipiunt surculos nerueos, vt fungantur suis officiis, à quarta lumborum vertebra, qua certissima methodo resolutiua cognosces huius affectus radicem.

Diximus penem amittere motum voluntarium ob læsionem factam, inter quartam, & quintam lumborum vertebram, ídque cognosci ex læsis omnibus illis musculis, qui sunt induti nerueis surculis prodeuntibus ab illo neruorum pari, quod prodit à quarta lumborum vertebra; sed quoniam ob plurimas alias causas motus voluntarius quatuor musculorum pertinentium ad penem tolli, vel impediri potest. Propterea in hoc loco vnum, quod est obseruatione dignum, non est omittendum, & est, dum duo primi musculi penis, quorum officium inter cætera est aperire meatum, per quod semen debet foris propelli, adeò lacerantur, à Lithotomis, tum quando secant, tũ quando immittunt forcipem dilatantes, & lacerantes vesicæ collum, & omnes partes vicinas, & cohærentes, vt inde musculi hi duo primi penis amittant vsum aperiendi meatum, per quod sperma eiaculari debet, quo amisso dum coëunt, semen ob musculorum illorum infirmitatem cum exprimi non amplius possit in penem, sequitur, vt spõte in vesicam diffluat, & deinde cum lotio simul elabatur, quod nonnullis contigisse vidimus. Ex quo casu colligimus motum musculorum pudendorum non solum tolli posse ob morbum existentem in trunco, verum etiam ob morbum existentem in musculis ipsis. Secundò colligimus, quomodo lacerentur isti musculi, quorum vsus est aperire meatum, & expellere semen per sympathiam vicinitatis. Tertiò colligimus errare Lithotomos dum nimio impetu secãt plusquam par sit, & lacerant ceruicem vesicæ, vt sæpè mors propterea sequatur. Satius enim esset aliquantulum magis morari, vt tutius res agereretur; quoniam ex nulla alia causa his, quibus transponitur per sectionem calculus, mors contingere potest, quam ex hac colli vesicæ læsione.

Vt duo primi musculi penis amittant vsum ob errorem Lithotomi.

Errant, dum inungunt tibiam, quæ introrsum flecti non potest ob morbum existentem in coxendice, in osse sacro, vel lumbis.

CAPVT XXXIV.

PERSÆPE vidimus in hunc errorem prolabi nostrates Empyricos, dum aggrediuntur curationem tibiæ, quando introrsum tibia inflecti non potest ob morbum agentem radices non in tibia, sed in coxendice, vnde oritur musculus, qui inflectit introrsum tibiam; tunc enim tibiam læsam vnguentis, lana succida, fasciis, & oleis variis circumuoluunt, perpetuò hanc hæresim insequentes, quod vbi est symptoma, ibi sit morbus; quod erratum hactenus plurimis argumentis est reiectum; quoniam ostensum est superiùs sæpissimè valdè distare,

De sympathia inter vertebras vltimas lumborum, & primas ossis sacri, & tibiam.

& loco separari morbum à suis symptomatibus; similiter in hoc capite ostenditur musculũ tertiũ tibiæ malè lædi posse constitutione in infima, & posteriori appendice coxendicis, vnde originem trahit, vel in progressu, antequã in tibiã inseratur, veluti circa medium femoris, & inde sequi tibiam ob hunc musculum læsum in origine longè à tibia introrsum inflecti non posse; causa enim quod symptoma possit esse in tibia, morbus in coxendice, est, quia hic musculus tertius tibiæ oritur nerueo principio ab infima, & posteriori appendice ossis coxendicis; quare morbus potest esse in nerueo illo principio, & symptoma apparere in tibia; præterea, cum iste musculus, antequam inseratur in tibiã; in medio femoris fiat carnosus, potest vsu venire, vt pars illa carnosa repleatur magna humorum sarcina, & ibi sentiatur dolor; sed non talis, vt in tendine: quia caro non est tam exquisiti sensus sicuti sunt tendines; potest igitur esse, vt illa pars carnosa repleta humoribus trahat, & contendat nerueum principium ortum ab illa appendice coxendicis, & maior persentiatur dolor in coxendice, tum ob nerueam substãtiam, tum quia obscuretur dolor femoris à dolore coxendicis, quia maior est; similiter pars carnosa huius musculi repleta potest excitare dolorem in tibia contendendo tendinem musculi, vbi inseritur: Quare colligimus posse impediri, ne tibia introrsum inflectatur ob morbum existentem in coxendice, & in femore: his igitur positis, volueris ne Empyrice, si radix, & morbus tibiæ sit in femore, vel in coxendice adiungere topica tibiæ? nemo sanæ mentis, qui hæc principia Anatomica haberet ista faceret, & talem defenderet errorem.

Vt noscitur tibiam non posse introrsum inflecti ob neruos læsos in osse sacro.

Præterea non solum symptoma potest esse in tibia, & morbus in coxendice, vel in femore; verum etiam potest symptoma apparere in tibia, & morbus huius symptomatis esse in osse sacro; quandoquidem quartus neruus pedis, qui est omnium crassissimus, & fortissimus fit ab vltimo neruo lumborum, & ex tribus sequentibus ab osse sacro prodeuntibus; iste igitur truncus mittit ramum ad primum tibiæ musculum, cuius est trahere tibiam sursum versus inguen alterius; & alios mittit surculos ad hunc tertium de quo loquimur, & ad quartum tibiæ, cuius vsus est tibiam in rectum flectere; & alium ramum ad quintum tibiæ, cuius munus quoque est in rectam flexionem facere, & aliũ ramum ad quintum femoris, cuius munus est femur extendere, & in latus, & in gyrum femur mouere, quia iste musculus distribuitur in tres alios musculos: Quare si volueris cognoscere, an istud munus tertij musculi tibiæ deficiat, quod esset quando non posset tertius musculus introrsum inflectere tibiam ob morbum existentem in trunco neruorum prodeuntium à vertebris lumborum, & ossis sacri; tunc videre expedit, an citati musculi, qui induuntur iisdem neruis amiserint suum officium; quia ex amissis illorum musculorum officiis valebit consequentia, quod morbus esset in osse sacro, quamuis symptoma appareret in tibia; & tunc oporteret os sacrum, & nõ tibiam inungere, inferas ergo ex his, tibia non potest inflecti introrsum, quod conuenit tertio tibiæ musculo, tibia quoque non potest trahi sursum versus

sus inguen, quod pertinet ad primum tibiæ; tibia non potest flecti in rectum, quod pertinet ad quartum, & ad quintum, tibiæ; & femur nō potest extendi in latus, nec in gyrum moueri, quod pertinet ad quintum femoris, qui omnes musculi eadem neruorum propagine gaudent; inferas ergo morbum debere esse in radice quarti paris neruorum vestientium pedes, & si opus esset inungere, tunc non tibiam, sed os sacrum, vel circa vltimam lumborum vertebram, vt diximus, esset inungendum.

Errant, dum Topicis tractant tibiam, quæ non potest flecti in rectum ob morbum existentem in coxendice.

CAP. XXXV.

POTERIT in coxendice, vnde pronascitur musculus flectēs tibiam in rectum colligi mala aliqua humorum soboles, vel accidere poterit vulnus, vel tale quidpiam in posteriori parte coxendicis, & inde in tibia apparere hoc symptoma, quod non possit in rectum flecti; ratio ab anatomia depromitur, quia hic musculus oritur à coxendice, & descendens per femoris posteriorem partem inseritur in caput fibulæ, cuius officium est tibiam in rectum flectere, sed dum peruenit ad mediam partem femoris exterius positam recipit magnam carnis molem ortam à medio femoris. Quare his positis, si in exordio istius musculi erit morbus, & inde contingat, tibiam non flecti in rectum, volueris tunc tibiam inungere, vt faciūt nostratum plures, qui solum symptomata respiciunt? Similiter, si in illa carnis positione in parte media exterius sita erit impedimentum, vel mala aliqua compositio, vel vlcus, vel vulnus, vt propterea amittatur robur illius partis, vnde prodit virtus flectendi, volueris ne tibiam tunc inungere, quæ solum læsa est per consensum? Præterea si in tibia ipsa tendo istius quarti musculi supra caput fibulæ, cui inseritur esset excisus ob aliquod vulnus; cur totis horis in casu hoc deplorato, irritis tuis vinaceis vexas tibiam, cum sit prorsus impossibile, post excisum hunc tendinem, flectere tibiam in rectum; quinimo exciso hoc tendine, non solum tollitur flexio tibiæ, sed tollitur, quod homines amplius nec currere, vel ambulare possint; vt mirandum sit, quomodo Galenus in hunc errorem inciderit, quod cuidam cursori fuerit hic quartus tibiæ musculus excisus, & nihilominus dixerit cursorem, velocius cucurrisse, quod non potuit esse, quoniam si hunc musculum leuamus, nullo modo recta flexio effici poterit; & ratio est, quia cursus fieri non potest sine recta flexione, vt testis est ipsemet Galenus 2. de administratione ana. quinimo læso hoc musculo, non solum cursus omnino demitur, verum etiam incessus, vel ambulatio tollitur; quare si cursus, & ambulatio erunt adempta ob morbum existentem supra caput fibulæ, vnde oritur hic musculus, vel ob morbum existentem in medio femoris, vbi muscu-

De sympathia inter coxendicem, & tibiam.

Error Galeno adscriptus.

lus sit valdè carnosus, quis esset tam bardus, & mente captus, qui tibiam inungendo speraret salutem? vt faciunt Empyrici, qui semper illidunt iis vadis occurrentes symptomatibus, quod faciunt, quoniam origines, progressus, & officia musculorũ, & neruorum omnino ignorant: vel credunt fortasse musculos oriri ex illismet partibus in quas inseruntur.

Qua via cognoscitur, nõ posse flecti tibiam in rectũ ob morbũ ossis sacri

Postremo cum musculus iste quartus recipiat virtutem flectendi à neruis prodeuntibus à quarto pari neruorum pedis; propterea potest accidere, vt circa quintam lumborum vertebram, & circa tria foramina ossis sacri, à quibus locis hoc neruorum par trahit suum initium, sit morbus, qui sit causa, cur tibia non possit flecti, quod hac methodo cognoscemus, quia, cum ab isto quarto crassissimo neruorum trunco prodeant rami vestiẽtes primum, tertium, hunc quartum, & quintum tibiæ musculum, & exinde ad quintum femoris mittat ramulos virtute quorum officia horum musculorum exerceantur, tunc si erit morbus in exordio circa summitatem ossis sacri, necessariò enumeratorum istorum musculorum officia debent cessare, & ex horum musculorum læsione, deinde nos amotis manifestis affectibus, poterimus peruenire ad cognitionem affecti loci.

Errant, dum inungunt tibiam, quæ in rectum extendi non potest ob morbum existentem in ilium appendice, vel in osse sacro.

Capvt XXXVI.

De sympathia inter mediam appendicem ilium, & tibiam.

SI morbus ob destillationem, vel ob alias causas ageret radices in media appendice ossis ilium in extrinseco latere, vnde oriuntur musculi extendentes tibiam, tunc tibia nullo modo posset extendi, & causa istius læsionis non esset in tibia, sed in ilium appẽdice; ecce quomodo cubiti tractu morbi, vel causæ aliquando à symptomatibus distant; quam mirabilem sympathiam nec possunt, nec volunt Empyrici cognoscere; age ostendamus nos ex anatomia hanc remotam sympathiam, quæ est inter tibiam, & ilia: numquid non est munus sexti musculi tibiæ extendere in rectum tibiam? sed sic est, quod iste sextus musculus ex omnium consensu oritur à media appendice forinsecus ossis ilium, ergo dabitur occasio, quod morbus ilium ostendat suum symptoma in tibia: præterea potest quoque esse morbus in progressu istius musculi, quia in primis descendens iungitur maiori trochantirio, & ibi cessat in membranosum illum tendinem, quo in toto corpore non est maior, amplectitur enim omnes ferè musculos, qui circa femur locati sunt, & deinde rectis fibris descendens rotulam genu amplectitur, & in anteriorem tibiæ, fibulæque partem tamdem inseritur: quare his positis, quid prohibet quin causa, cur non extendatur tibia, sit in ilibus, vel in trochantirio, vel in femore, & symptoma præcipuè appareat in tibia peroptima cõstitutione prædita? quinimo cum iste sextus muscu-

musculus amplectatur musculos omnes in femore locatos, posset cõtingere, vt hoc læso, omnes musculi femoris, & tibiæ, in obeundis suis muneribus deficerent per consensum vicinitatis istius musculi; videas ergo quot modis accidere potest, vt tibia non extendatur ob morbum, vel causam, aliubi positam.

Denique potest accidere, vt morbus sit circa os sacrum, & infimam vertebram lumborum, vnde exoritur primum par neruorum petentium pedes, & symptoma sit in tibia in quam inseritur sextus iste musculus tibiæ: cognoscitur verò tibiam non fungi suo officio extendendi ob læsum caput primi paris neruorum pedis ex lęsione illorum musculorum, qui sunt neruis eiusdem primi paris irrigati, veluti est primus musculus tibiæ, septimus, & nonus; quare si videbis tibiam non posse sursum trahi versus inguen alterius cruris, quod officium pertinet ad primum musculum tibię, qui irrigatur eadem propagine neruea prodeunte à primo pari neruorum pedis, & videbis non extendi tibiã per rectam lineam, quod munus attinet ad septimum, & nonum musculum tibiæ; tunc magnum tibi erit argumentum, quod in capite primi paris neruorum pedis, vbi est vltima vertebra lumborum, pręcipuè sit morbus, quamuis eius symptoma sit in tibia; volueris ergo tunc adiungere topica tibiæ? nihil sanè esset magis abhorrens à medica physiologia, & nihil fieri posset, quod magis faueret circulatoribus, & quod redderet artem inartificiosam, & insanorum hominum propriã, quã occurrere symptomatibus, vt symptomata sunt; quia symptomati occurrere est mederi aliquando morbo in loco, in quo non est, vt hinc symptomata ex se nihil indicent, sed solum sint in fieri, & aliqñando adeò loco separentur à morbis, vt diffundantur symptomata in partes aliquas, quæ optima sunt constitutione donatæ, & quæ medicum non alliciunt.

Qua via cognoscatur tibiam non posse extendi in rectum ob morbum existentem in ossi sacro.

Præterea potest esse morbus circa magnum trochantirium, & symptoma apparere in tibia, quoniam exit septimus musculus è magno trochantirio, & ad patellam vsque rectis fibris carnosus progreditur, & deinde cessat in latum, & membranosum tendinem, qui patellam cõplectitur, & implantatur anteriori parti tibiæ, quare si septimus iste musculus (cuius officium est in suo latere tibiam extẽdere) in suo exordio haberet morbum, propter quem tibia non posset extendi, tunc, cur vis Empyrice vnguentis, lutis, & vinaceis vexare tibiam, si morbus est in maiori trochantirio, in tibia verò sit solum symptoma? Amplius si septimus iste musculus tibiæ in femore, vbi sit carnosus, esset repletus humoribus, vel ob vulnus excisæ essent fibræ transuersim, vnde tibia propterea amisisset vim extendendi, qua ratione, vel qua philosophia ductus topicis tibiam tractares, cum in tibia sit tantum symptoma, & non morbus?

Errant, dum tibiam læsam inungunt ob morbum existentem in maiori trochantirio.

Demum si morbus esset in tertio lumborum foramine, vnde primum par neruorum pedum exoritur, & tibia non posset extendi, cognoscemus ex læsis illis officiis musculorum, qui irrigantur illis nerueis surculis, quibus irrigatur quoque septimus iste musculus exten-

De sympathia inter tertium foramen lumborum, & tibiam.

dens tibiam, qui musculi sunt primus, & nonus tibiæ; quare si primus tibiæ musculus amittet suum munus, & similiter nonus, & insimul quoque vsus huius septimi sit amissus; signum erit, morbum esse in capite primi paris neruorum pedum; quare si topicis esset curandus affectus, tunc ad lumbos esset confugiendum, & non ad tibiam.

De sympathia inter maius trochantirium & tibiam ob musculum octauum.

Præterea tibia aliquando non potest extendi ob læsum musculum octauum eiusdem tibię, quia in ceruicem femoris, in locum videlicet, vbi est maius trochantirium, quod est femoris processus maior, vnde oritur 8. iste musculus extendens tibiam, humores confluxerint, qui impediant extensioné tibię, vt obseruatur præcipuè in illis, qui ischiadem patiuntur, in quibus, quamuis tibia omni malo humore, & mala constitutione sit priuata, recipit tamen symptoma illius morbi, qui suá sedem tantum habet circa radices maioris trochantirij, communicatur tamen tibiæ symptoma, quia musculus iste octauus progreditur ad patellam, & in tendinem desinit, qui genu complectitur, quare si in musculi initio erit morbus, & causa huius symptomatis in tibia, cur non vis adiungere localia musculi exordio, vbi est morbus? tanto magis cum musculi virtus præcipuè conseruetur in exordiis, quibus læsis, musculi secundum omnes partes in suis obeundis officiis tam facilè deficiant; quare localia erunt apponenda, si tibia erit læsa ob læsi musculi exordium, inguini, & nequaquam tibiæ.

Vt cognoscitur tibiam non posse extendi ob morbum existentem circa quartã vertebram lumborum.

Postremò potest esse morbus, vbi est quarta vertebra lumborum, vnde oritur secundum par neruorum pedis, & eius symptoma apparere in tibia, quoniam octauus musculus tibiæ, cuius munus est tibiá extendere, recipit virtutem motricem à neruis prodeuntibus à quarta vertebra, quare si morbus esset circa quartam vertebram lumborum & impediret transitum facultati motrici, tunc nisi ad lumbos topicis auxiliis confugias nihil facies, sed audias, quomodo cognosci potest, quando tibia non potest extendi ob morbum existentem circa quartá vertebram lumborum. Pollex non mouebitur, quia eius motus quoque pendet à surculis istius trunci, & nonus tibiæ musculus non explebit suorum officiorum partes, & ob eandé rationem quartus musculus femoris suum non poterit munus obire, quod est femur extendere, & rectè stare; ex his simul læsis officiis ducimur in hanc cognitionem, quod morbus causans impedimentum in tibia sit in capite secundi paris neruorum pedis, quod oritur à quarta lumborum vertebra, quamuis symptoma sit in tibia: colligas ergo, quomodo iis non præcognitis, quilibet Empyricus in symptomatibus auferendis millies in dies possit errare.

Errant, dum inungunt tibiam, quæ non potest extendi ob noni musculi læsionem, quando essent inungenda ilia, vel lumborum vertebræ.

CAPVT XXVII.

De sympathia inter

ESSE potest in parte anteriori ilium collectus viscosus humor, vtq; nonus musculus ibi exoriens imbibatur, & in illa origine ob humorum

morum sarcinam vires extendendi tibiam amittat; tunc localia procuratione istius affectus essent applicanda anteriori parti ilium, & nō tibiæ; quia symptoma solum est in tibia, morbus verò in anteriori parte ilium; communicatur verò iste affectus tibiæ ob hanc rationem, quia iste nonus musculus enascitur ab anteriori parte ossis ilium supra articulum coxendicis, & incedit inter septimum & octauum musculum, & coit cum septimi & octaui tendinibus, & vna patellam amplexantur, & in anteriorem tibiam inseruntur. Videas ergo, quanta seruari potest distantia inter originem, & terminum musculorum, & præterea qualis debeat esse consensus, & sympathia, vt morbus existat in vno loco, eius verò symptoma in alio longè diuerso ob instrumentorum continuationem appareat, sicuti in hoc casu contingit, vt morbus sit in ilibus, motus verò diminutus sit in tibia: similiter, si de dolore musculi loquimur, potest esse imbibitus musculus in aliqua parte carnosa, quæ sit facta indolens ob tumorem, qui deinde contendat fibras, & tendines insertos, propter quam tensionem maximus sentiatur dolor in partibus, quibus inseruntur tendines; quoniam illæ partes mouentur, & maximos experiuntur labores, quare nisi methodo anathomica perquiras, vbi sit morbus in musculis, vel in neruis, nunquam scire poteris locum applicandi remedia, vt meritò in scholis receptum sit, vbi agendum desumi à subsistentia indicantis; quare si indicans est in femore, & in anteriori parte ilium, vnde nascitur hic nonus musculus extendens tibiam, & non inueniamus hunc locum affectum, casu & fortuito de localibus ageretur.

partem posteriorem ilium, & tibiam.

Præterea non solum potest accidere, vt tibia non possit extendi ob morbum existentem in parte anteriore ilium; verum etiam ob morbū existentem in tertio lumborum foramine, à quo exoritur prima neruorum pedum coniugatio, quæ mittit ramulum vestientem nonum hunc musculum, quare si in hac prima coniugatione neruorum erit aliqua angustia, propter quam permeare non possint radij spirituum animalium, necessariò sequitur, tibiam non posse extendi, quare quomodo vis Empyricè tunc tibiam tractare vnguentis, balneis, lutis, atque vinaceis? apage hūc malum medendi vsum, quoniam primò tempus conteris, secundò laxantibus tuis topicis confrangis vires tibiæ, laxando musculos, & tendines insertos; quare si morbus est in lumbis, & symptoma in tibia, localia erunt vertebris lumborum adiungenda, vel oportebit resoluere, vel deriuare collectos humores vstionibus, vel alio ingenio. Methodus verò, qua cognoscere possumus, tibiam non extendi ob morbum circa lumbos existentem colligi potest ex læsione cæterorum musculorum, qui irrigantur iisdem propaginibus missis ab eodem trunco, sicuti est septimus musculus tibiæ, qui induitur neruis prodeuntibus à primo neruorum pedum pari; & primus tibiæ, qui propter eosdem surculos suum exercet officium, quod est trahere tibiam versus inguen alterius cruris: prætereà nonus iste musculus irrigatur quoq; propagine prodeunte à secundo pari, quod oritur à quarta vertebra lumborum; & hoc par mittit ramos ad digitum pollicē ad

Methodus cognoscendi symptoma tibiæ prodire à lumbis.

quintum musculum femoris, cuius vsus est femur extendere, & est causa rectæ stationis, mittit quoque ad octauum tibiæ, cuius vsus est extẽdere; quare ex læsis iis omnibus officiis colligere possumus, morbum esse circa lumbos, quamuis symptoma sit in tibia, & optimè sciet hac diuina arte excultus mederi affectibus, qui procul valdè sunt à suis morbis, sicuti tibia distat à lumbis, vt propterea ob hanc nostri corporis sympathiam Empyrici valdè admirentur, videntes aliquando probum anatomicum curare tibiam læsam remediis positis supra nates.

De sympathia inter tibiam, & foramina ossis sacri.

Dum in externo femoris capite est tumor, vel scyrrhus aliquis imperfectus, vel aliquis malus habitus, tunc cõsequitur, quod tibia obliquè non possit moueri versus exteriora, errant in hoc Empyrici inungentes tibiam, quia morbus causans hoc symptoma est in parte externa capitis femoris. Præterea potest esse causa istius symptomatis tybiæ in exortu quarti paris neruorum pedum, quod est omnium crassissimum, exoritúrque ab vltimo lumborum foramine, & à tribus sequentibus in osse sacro; quoniam neruus vestiẽs decimum hunc musculum tibiæ, cuius vsus est obliquè tibiam versus exteriora mouere, oritur ab hoc quarto pari neruorum, quare potest contingere, vt morbus sit in lumbis, & in osse sacro, & inde iste musculus tibiæ explere non possit suum officium. Cognoscemus autem hoc symptoma tibiæ prodire à morbo lumborum, quando omnes illi musculi, qui ab eodẽ trunco neruorum recipiunt virtutem animalem erunt læsi, vt sunt primus musculus, tertius, quartus, & quintus tibiæ, & quintus femoris, & tres primi musculi mouentes pedẽ, & similiter quartus, & quintus pedem mouentes, & duo illi musculi, qui flectunt digitos, qui oriuntur à tibia, quorum officia omnia si videris esse læsa, inferre certò poteris morbum esse in capite quarti paris neruorum pedis, id est, circa postremam vertebram lumborum, & circa tria foramina ossis sacri; videas ergo quo pacto Empyrici sæpè errare possunt topicis suis auxiliis.

Errant, dum inungunt femur, quod in rectam lineam extendi non potest ob morbum existentem in coccyge.

Cap. XXXVIII.

De sympathia inter femur, & os sacrum.

SI contingit, vt in osse sacro, vel in coccyge sit aliquis pituitosus infarctus, vel in appendice ossis ilium, & propterea femur non possit extendi, tunc non desunt Empyrici qui inungunt statim totum femur nescientes animo concipere in alia parte esse morbum, quam in femore, causa tanti erroris est, quoniam nesciunt, vnde oritur primus femoris musculus ille crassus, & carnosus valdè, qui clunes cõstituit, exoritur enim iste musculus primus femoris à dimidia appẽdice ossis ilium, ab osse sacro, & à coccyge, & ampla insertione in maius trochantirium

inseritur,

inseritur, eius vsus est, si secundum omnes fibras operatur, in rectam lineam femur extendere, sed si cum superioribus, vel cum decliuioribus tantum fibris operatur, modo in vnum, modo in aliud latus femur ducere poterit, vt ex læsis officiis, quæ pars musculi læsa sit colligere possimus: Quare non par est, dum non extenditur femur, semper confugere ad femur, quia nulla est consequẽtia, vbi est actio læsa, ibi morbus, cum plerique plures affectus fieri possint in vna parte sana, & ob sympathiam longorum musculorum, & neruorum, causa, & radix affectionis in loco valdè distanti habeat radices; sicuti de femore loquentes dicimus contingere posse, vt femur non extendatur ob morbum existentem in osse sacro.

Qua via noscatur femur non posse extendi ob morbum primi paris neruorum ossis sacri.

Præterea, quod magis est, potest esse morbus in primo pari neruorum ossis sacri, qui sit causa, cur femur extendi non possit: & ratio est, quia ab hoc neruorum trunco enascuntur propagines petentes primũ hunc femoris musculum, quibus læsis in suo exordio, statim musculus in suo officio obeundo deficiat oportet. Methodus verò, quæ nos docere possit, quando ob hanc causam sit læsum femur, est hæc; ab hoc primo neruorum pari oritur hæc propago vestiens primum hunc musculum, & septimum femoris cuius officium est trahere femur sursum fortiter flectendo magis introrsum, quam faciat sextus musculus, & deinde alias mittit propagines ad musculos ventris; quare quando vniformiter septimus musculus femoris, & ventris musculi non poterunt explere sua officia vnà cum primo hoc musculo, de quo loquimur, inferendum erit à primo hoc trunco neruorum ossis sacri læso prodire affectionem, & in osse sacro esse morbum, quamuis symptoma appareat tantum in femore.

Error est inungere femur, dum nõ potest extendi ob morbum existentem in osse coxendicis, vel pubis.

Si aliquis non posset femur extendere, & per consequens rectam stationem non posset exercere, tunc adiungere semper topica femori, quasi causa istius læsi officij aliubi non possit insidere, quam in femore, inter Empyricorum errores collocandum hoc esset; quoniam musculus extendens femur non oritur à femore, sed ab osse coxendicis, & à pubis humiliori sede, & insertus est posteriori femoris sedi circa capita ipsius humiliora iuxta genu; quare in hoc musculo omnium musculorum maximo potest esse morbus in osse coxendicis, vnde exoritur, & symptoma in femore; similiter potest esse morbus in parte humiliori ossis pubis, & in femore apparere symptoma hoc, quod videlicet non possit femur extendi, & inde statio recta sit impedita; tunc quando hoc accideret numquid non errarent Empyrici inungentes femur, & genu? in quibus licet symptomata videantur, attamen optimè sunt constituta genu, & femur.

Vt noscitur sympathia inter femur, lumbos, & os sacrum.

Amplius potest esse, vt non extendatur femur, & propterea statio recta sit amissa, & morbus sit in secundo pari neruorum pedum, quod nascitur inter tertiam, & quartam vertebram lumborum: quando verò hoc accideret, methodo esset à nobis cognoscendus morbus existens in principio secundi paris neruorum; scientes prius ab hoc secundo pari oriri ramos petentes digitum pollicem octauum, & nonum mu-

ſculos tibiæ, quare, quando femur non poſſet extendi, & ſimul octauus, & nonus muſculus tibiæ eſſent læſi, quorum officia ſunt, extendere tibiam, dicas ſupra femur eſſe morbum recōditum ſicuti in lumbis, vnde oritur ſecundum par, à quo oriuntur iſti nerui, illúmque eſſe morbum in anguſtia, & mox philoſophari poteris, quęnam ſpecies anguſtiæ eſſe poſſit an compreſſio vel ſubſidentia, vel coaleſcentia, de quibus ſpeciebus in primo libro, & deinde illis methodis traditis inuenies affectum præter naturam. Ad hæc poteſt quoque accidere, vt femur non poſſit extendi, & homines non poſſint rectè ſtare ob læſionem factam in principio tertij paris neruorum pedis, quod oritur inter quartam, & quintam vertebram, quod par mittit ramos ad hunc quintum, ad ſeptimum, nonum, & decimum muſculos femoris, & ad ſecundum tibiæ, & ad muſculos penis, & veſicæ; quare ſi omnes iſti muſculi citati erunt læſi; morbus erit ex neceſſitate in tertio pari, id eſt, inter quartam, & quintam vertebram; eſt enim impoſſibile, vt quintus muſculus femoris ſit læſus ob morbum exiſtentem inter quartam, & quintam vertebram, quin eandem læſionem patiantur ſecundus, nonus, decimus, ſecundus tibiæ, muſculi penis, & veſicæ.

Demum poteſt eſſe inter vltimam vertebram, & os ſacrum morbus, & inde ſequatur, quod femur alioquin ſanum non poſſit extendi ob hanc ſympathiam, quia à quarto pari neruorum pedum enaſcitur ramulus veſtiens hunc quintum muſculum, valet ergo conſequentia læſus eſt truncus, ergo neceſſariò læditur ramus: cognoſcemus deinde hunc ramum non fungi ſuo officio ob læſum truncum, quando primus, tertius, quartus, & quintus tibiæ ſimili modo læſi ſunt; quia omnes iſti muſculi ſunt induti ſurculis prodeuntibus ab hoc quarto pari. Quare colligas quo pacto ex læſis officiis cognoſcere poſſumus, quādo femur læditur ob morbum exiſtentem inter tertiam, & quartam, quando inter quartam, & quintam, & quando inter vltimam & os ſacrum: cognitio enim anatomiæ tantum poteſt, vt digito bonus anatomicus ſciat oſtendere protopathiam. Poſtremò an-ne poſſet aliqua humorum colluuies detineri inter foramen oſſis coxendicis, pubis, & ilium, quæ comprimat neruum trāſeuntem per foramen, & inde ſymptoma appareat in femore? an-ne poſſet in muſculis nono, & decimo, qui in gyrum mouent femur, eſſe tumor aliquis, qui ſi comprimeret hunc neruum, motum femoris tolleret? quare concludimus illum Empyricum perſæpè fallere, & decipere, qui occurrit ſemper ſymptomati localibus.

Errant, dum inungunt femur, quod trahi ſurſum, & moueri introrſum non poteſt ob morbum exiſtentem in vndecima, vel duodecima vertebra thoracis.

Capvt XXXIX.

De ſympathia inter femur, & vn-

SÆPISSIME vidimus in ægrotantibus, femora non poſſe trahi, nec flecti introrſum; quod munus pertinet ad ſextum muſculum femoris,

moris, qui oritur ab vndecima, & duodecima vertebris thoracis, & à prima, & ſecunda lumborum, & progrediens per internam ilium partem inſeritur in minus trochantirium; quare ſi eſſet in capite muſculi morbus, & radix, cur femur non poſſet ſurſum trahi, & flecti introrſum; arbitror ego, ſi femur tractares topicis annis ſexcentis, nihil ageres. In læſo igitur hoc femoris officio erit perpendendum, an in vndecima, & duodecima vertebris thoracis, vel in prima, vel ſecũda lumborum ſit tumor, vel diſpoſitio ſcyrrhoſa, vel humorum infarctus in parte interna ſub vertebris, vnde ſumit initium, quia de extima ſupra vertebras facilè eſſet cognoſcere, cum manibus ipſis tumores, quamuis minimi ſint, cognoſcantur, eſt ergo operæpretium perpendere, an ſub vndecima, & duodecima vertebris thoracis, vel ſub prima, & ſecũda lumborum, vnde muſculus iſte trahit originem, poſſit eſſe, vel tumor, vel ſcyrrhoſa diſpoſitio, vel infarctus pituitoſus, quod per optimè cognoſces ex iis, quæ tradita ſunt in primo libro capite de locis affectis cognoſcendis; quoniam cognito, quod ſit in principio muſculi tumor, vel ſcyrrhoſa diſpoſitio, cognoſcemus illico ex hoc morbo exiſtente in principio huius ſexti muſculi, in primis deficere vſum huius ſexti muſculi femoris, deinde cum iuxta hunc muſculum deſcendat primum par neruorum pedum, ſequitur neceſſariò, vt iſte muſculus ſextus tumidus factus in exordio, vel paulò infra comprimat primum par neruorum, & ob anguſtiam ab ipſo facultas animalis non mittatur ad primum, ſeptimum, & nonum muſculos vtriuſque tibiæ, ſicuti contigit cuidam præclariſſimo viro, qui amiſit motum femoris, & tibiæ ob hanc ſcyrrhoſam diſpoſitionem in lumborum vertebris circa exordium ſexti muſculi exiſtentem, quam conieci non ſolum ex pondere, quod in illa parte ſentiebat, verum etiam, quia retulit ictum ex caſu in dorſo recepiſſe: hic tamen patiens in primis à nonnullis medicis dogmaticis fuit laceſſitus, qui credebant caput fuiſſe originem amiſſarum functionum muſculorum femoris, & tibiæ; & deinde ab Empyricis, qui tibias inunctionibus, & aliis topicis fortiſſimis tractarunt, vnde læſiones variæ ſecutæ ſunt, quoniam vires tibiarum alioquin optimæ conſtitutionis potentiſſimis oleis, & laxantibus aliis topicis adeò fuerunt confractæ, vt ex illis amiſſis functionibus aliæ læſiones ſucreuerint; quare ne decipiamur in cognitione partis principaliter affectæ, debemus prius ortum, progreſſum, & figuras omniũ partium corporis ante oculos obiicere, & deinde ex ſufficienti par. enumeratione, virtute tamen methodorum traditarum in primo libro inuenire affectus, & deinde ſeparare affectum per conſenſum ab affectu per eſſentiam, & in affectibus per eſſentiam diſtinguere idiopathiam, à protopathia, alioquin non video quo pacto reconditas ægritudines vnquam poſſimus perfectè cognoſcere, quinimo ſine hac arte anatomica numquam poſſemus credere morbum eſſe circa lumbos, & os ſacrum, & ſymptoma illius eſſe in tibia, quòd tamen facilè eſſe poteſt, quia dum ſextus muſculus femoris comprimet primum par neruorum pedis, omnes muſculi, qui ſunt irrigati illis ſurculis, qui prodeunt

decimam & duodecimam vertebram thoracis.

Vt æger quidam læditur tum à dogmaticis, tũ ab Empyricis.

ab hoc primo pari neruorum pedis, sua officia explere non poterunt, & hæc anatomicus sine vlla admiratione admittet.

Præterea potest contingere, vt femur non possit inflecti, & introrsum trahi propter angustiam existentem in exordio primi paris neruorum lumborum, quia ab hoc pari exoritur ramus, qui fertur per interiora, & irrigat sextum musculum femoris, quo læso, femur non potest flecti, & sursum attrahi introrsum, quare si huius læsionis femoris radix est circa primam vertebram lumborum, quo pacto per topica adiuncta femori poterimus huius symptomatis euellere radicem. Methodus, quæ nos certò docebit, quando in hoc particulari surculo interno est morbus, qui causat symptoma in femore, desumi debet ab anatomia, & est, quia ab eodem neruo mittuntur ramuli ad ventris musculos, & ad quartum brachij, & alij mittuntur ad nonum musculum dorsi, quare, si circa primam vertebram lumborum in capite nerui interni primi paris erit hic morbus causans symptoma in femore ex necessitate officia horum musculorum debent esse læsa, & ex læsis officiis musculorum ventris, quarti brachij, & noni dorsi, de quibus officiis superius actum est, ducimur in cognitionem morbi ramuli interni prodeuntis à primo pari neruorum pedis, quod exoritur à prima vertebra lumborũ; videas ergo, quot sunt in hoc nostro corpore sympathiæ, & consensus; cum læso ramulo interno primi paris neruorum pedis, symptomata appareant in brachio ob quartum musculum brachij, in femore ob sextum femoris, & in nono dorsi musculo qui pertinet ad quintum par, quorum musculorum ministerio lumbi flectuntur versus anteriora: præterea, si esset morbus in exordio primi paris, tunc non solum ramulus iste interior, de quo diximus iam, verum etiã exterior eandem passionem consentiret, quo læso symptomata obseruari possunt in partibus remotissimis; quoniam exterior ramus huius primi paris mittit surculos ad quartum musculum thoracis ad vndecimum, & decimumtertium dorsi; interior, vt diximus ad sextum femoris, & ad quartum thoracis, quare ratione quarti musculi thoracis, cuius vsus est cõstringere posteriora thoracis, & expirationi aliquid opis afferre, potest esse morbus in prima vertebra lumborum, vnde oritur primum par neruorum pedis, & eius symptoma apparere in pectore; ratione verò musculorũ dorsi dorsum malè agere suas partes, ratione verò quarti musculi brachij, qui oritur ab osse sacro, & lumbis brachium in suis muneribus deficere, ratione demum sexti musculi femoris femur esse læsum; quare ob morbum lumborum brachia, pedes, & dorsum pati possunt; tunc vellem videre Empyricum adiungentem topica femori optima constitutione donato, adiungentem brachio, & dorso, vbi nulla per se est mala valetudo, nisi per sympathiam; videas ergo quam mirabilis seruatur sympathia in hoc corpore cum in vnico puncto esse possit morbus, veluti obseruatur esse circa primam vertebram, & symptomata huius morbi in brachio, in femore, & in pectore apparere; quare nisi anatomiam omnium partium corporis in omni læsa actione perpendamus, est prorsus impossibile nos posse rectè mederi.

Methodus cognoscendi quãdo femoris symptoma oritur ob morbũ existentem circa primam vertebram lumborum.

De sympathia inter pectus, brachia, femur, ventrem, & primam vertebram lumborum.

Præ-

Præterea hic sextus musculus femoris potest lædi per consensum vicinitatis in suo exordio, veluti ob tumorem lumborum, vel ob ictū circa vndecimam, & duodecimam vertebram thoracis, vnde oritur; potest enim contingere, vt sextus iste musculus quamuis in parte sit interna, comprimatur ob tumorem aliorum musculorum, & symptoma in femore appareat; cognoscemus autem quem musculum tumor, vel ictus principaliter lædat ex officio magis, & primo loco læso, per hypothesim, post casum è vehiculo ictus factus est in lumbis, tūc dolent lumbi, dorsum, femur, & brachia, si vis scire quis musculus principaliter læsus sit, consideres, quæ officia magis læsa sint, si erit officiū extendendi dorsum totum in rectum magis læsum, inferas ex anatomia (sine qua, vt sæpè diximus, est impossibile mederi) sextum par musculorum dorsi esse principaliter læsum, cuius munus est extendere totum dorsum in rectum, ergo si hic est principaliter læsus, poterunt esse læsiones in exordio, & in progressu, exordium eius est in infima ossis sacri parte, & in interna parte ilium, progressus est in toto dorso, cum ab infimis his partibus vsque ad primam thoracis vertebram se extendat. Si verò inter officia læsa ob ictum, officium constringendi posteriora thoracis esset magis læsum, quod cognosceretur ex læsa respiratione; quoniam officium istius musculi est respirationi conferre, vt superius declarauimus, confugeremus ad initia, & progressus istius musculi, & manibus propriis inueniremus locum principaliter læsum; similiter si post ictum in lumbis inter cætera officia læsa appareret hoc, quod brachium trahi deorsum non posset, illico possemus certò inferre, quartum musculum brachij esse læsum, quia oritur ab osse sacro, & à lumbis, & ex hac cognitione principalem affectum cognoscemus, & remedia localia rectissimè administrabimus.

Vt cognoscitur quando sextus musculus femoris per sympathiam læditur.

Ad hæc potest quoque hoc accidere per consensum quarti musculi brachij, quatenus sub axillis, vbi inseritur, sit tumor contrahens, & extendens quartum musculum brachij, quippe qui deinde ob contractionem, premeret super neruum missum sexto musculo femoris, & inde femur ob tumorem existentem sub axillis non posset flecti, & introrsum sursum trahi; ecce quam mirabilis sympathia obseruatur in hoc nostro corpore, vt morbus sit sub axillis, & femur per illam sympathiam quoque ægrotet: non desunt quoque aliæ sympathiæ, quæ quotidiè obseruantur in ægrotantibus, has autem volui proponere contra Empyricos, ne in posterum aliqui ita sint faciles ad credendum, quòd symptomata solum essent curanda.

Vt morbus possit esse sub axillis, eius verò symptoma in femore.

Dum pedem, & calcem inungunt, quando internum caput femoris esset inungendum.

CAP. XL.

VSV venire solet, vt patiens aliquando non possit tollere calcem digitis terram premendo ob læsos musculos in exordio, quod est

in interno femoris capite;nihilominus Empyrici nesciũt alium locum in hoc casu inungere,& topicis tractare,quã calcem,& pedem,nesciẽtes ad quos musculos pertineat hoc officium : scias ergo hoc officium tollendi calcem expleri præcipuè à tribus musculis, à primo nimirum secundo,& quarto pedis,quod experimentum anatomiæ manifestissimum est:scias præterea primum,& secundum musculos pedis,qui videntur vnus musculus , habere principium ab interno femoris capite retro iuxta genu , & deinde progredientes deorsum constituere suræ partem , & deinde cum tendine omnium robustissimo quarti musculi vniri , & fieri vnicum tendinem, qui in posteriorem calcem inseritur, quare, si morbus erit in capite illo interno femoris in origine musculi, vel in itinere in sura videlicet,vel paulò infra,volueris ne inungere calcem,vt solent nebulones isti Empyrici chirurgi. Præterea an-ne sæpè vidimus sub genu homines vulnerari , & abscindi origines horũ duorum musculorum, & deinde vsum , & officium trahendi calcem sursum,& extendendi pedem digitos in terram figendo amitti ? quomodo inunctionibus adiunctis calci aliquid boni facies ? si aliquid esset molliendum oporteret sanè confugere ad locum affectum, & nequaquam ad symptoma:similiter,si de quarto musculo loquimur,qui maior est tibiæ,quique oritur sub appendice fibulæ à posteriori parte , & factus carnosus tibiæ , & fibulæ adhæret , & deinde cum tendinibus primi,& secundi descendens desinit in validissimum illum tendinem, qui inseritur in calcaneum,quo tendine vidimus lanios suspendere in macello integra animalia,tunc,si vnde exoritur sub appendice fibulę, vulneratur, vel transuersim exciduntur fibræ, sursum non poterit ille calcem trahere,similiter si tendo, vel origo musculi quarti sit scyrrhosa dispositione , vel infarctu pituitoso impedita, non poterit calx sursum trahi,quomodo ergo in simili casu localia applicabis calci,si morbus est aliubi ?

De sympathia inter appendicem fibulæ,& calcaneum.

Præterea,cum isti tres musculi sint contexti neruis enascentibus , à quarto pari neruorum pedum, quod potest contingere , vt calcaneus tolli non possit,& morbus non in calcaneo sit,sed circa vltimam lumborum vertebram,vnde nascitur quartum par neruorũ pedum , quorum surculi sunt illi,qui dant motum calcaneis:quid magis quam hoc exemplum posset confundere Empyricos illos,qui anatomiam humani corporis despicere solent , quam videre in calce apparere malam valetudinem , & illam alio modo, non posse curari, quam topicis adiungendis vltimæ lumborum vertebræ,& ossi sacro. Methodus verò cognoscendi , quando calx læditur ob morbum existentem in osse sacro,& lumbis,est,quoniam deficiẽt quoque in suis muneribus obeundis omnes illi musculi, qui facultatẽ motricem recipiunt ab hoc quarto pari neruorum pedum , vt sunt musculus primus, tertius, quartus, quintus tibiæ,& quintus femoris,& quintus pedis,& illi musculi, qui flectunt digitos,vt sit necessaria consequentia hæc, deficit calx in hoc munere se tollendi,& cæteri simul enarrati musculi,ergo morbus caussans hoc symptoma erit in quarto pari neruorum videlicet in origine, prodeunte à lumbis,& ab osse sacro.

De sympathia inter calcaneum , & quartam vertebram lumborum.

Errant,

Errant, dum ſemper calcaneum inungunt, quando verſus anteriora in obliquum non poteſt moueri, cum modo in femore, modo in oſſe ſacro poſſit eſſe morbus.

CAP. XLI.

ERRANT Empyrici, dum quis non poteſt mouere calcaneum in obliquum verſus anteriora, inungendo calcaneum, quia hoc officium mouendi calcaneum obliquè verſus anteriora pertinet ad tertium muſculum pedis, qui oritur ab externo capite femoris, quare poteſt contingere, vt in femore ſit impedimentum, & motio ſit ablata in calce: præterea muſculus iſte recipit facultatem animalem à quarto pari neruorum pedum, quare poteſt accidere, vt cauſa ſymptomatis calcis ſit in exordio quarti paris neruorum, quod eſt in extrema lumborum vertebra, & in oſſe ſacro: oritur enim hoc quartum par ab extrema lumborum, & à tribus ſequentibus oſſis ſacri, vt propterea ſit craſſiſſimus, & robuſtiſſimus omnium iſte truncus: cognoſcemus deinde, vt in ſuperiori capite diximus, quando ob hanc cauſam exiſtētem in origine quarti paris neruorum calx non moueatur, quia eodem modo, læſo principio, cæteri muſculi irrigati iiſdem ſurculis amittent ſua officia, vt primus tibiæ, cuius vſus eſt trahere tibiam verſus inguen alterius, vt tertius tibiæ, cuius vſus eſt tibiā flectere introrſum, vt quartus, & quintus, quorum vſus eſt flectere tibiam in rectum, & cū iis læſis officiis digiti quoque non poterunt flecti; tunc ex omnibus iis officiis læſis, ſi videbimus calcem non moueri, firmiter inferre poterimus, morbum eſſe poſſe in lumbis, & oſſe ſacro, vnde oritur quartum par, & topica iis ſuperioribus partibus applicabimus.

De cognitione ſympathia, quæ eſt inter calcem, & externum caput femoris, & os ſacrum.

Similiter errant, dum inungunt calcem, quādo aliquis pedem verſus interiora trahere non poteſt, quoniam munus trahēdi pedem verſus interiora, & ſurſum tollere calcem pertinet præcæteris ad quintum muſculum pedis, cuius muſculi initium, & origo trahitur à tibia & fibula, & deinde deſcendit carnoſus vſque ad extremam tibiam, & propè internum malleolum deſinit in robuſtum tendinem, & excurrit ſub interno malleolo, & ſub oſſe nauiculari, & demum ſub planta pedis in tarſi os implantatur. Quid ergo vis tarſum inungere, ſi circa tibiam, & fibulam eſſet huius ſymptomatis radix? quare cognito huius muſculi exordio, & progreſſu, eſt examen faciendum, an in origine, vel progreſſu, vel in fine ſit morbus, quæ ex præcedentibus, & conſequētibus ſignis cognoſcuntur, & aliquando manibus propriis inueniuntur cauſæ horum ſymptomatum. Præterea poteſt contingere, vt dictum officium amittatur ob neruorum læſiones in origine, quas læſiones ex officiis cæterorum muſculorum, qui eandem facultatem ab eodem ſtipite recipiunt facilè cognoſcere poterimus, quibus cognitis non ſemper topica erunt applicanda tarſo, vt faciunt Empyrici, ſed oſſi ſacro, & lumbis.

De ſympathia calcis cum tibia & fibula.

Errant, extremos digitos pedis topicis tractare, dum non possunt extolli versus genua, calcem premendo ob morbum existentem in tibia.

Capvt XLII.

De sympathia inter digitos & tibiam.

QVATVOR obseruantur musculi, qui extendunt digitos pedis versus genua calcem in terram premendo, quorum quatuor musculorum primus est musculus sextus pedis, qui oritur ab anteriori parte tibiæ, quâ illi fibula superius coarticulatur, & incedit per superiorem tarsum, & inseritur ossi illi, quo pollex fulcitur, & est ille musculus adeo euidens sub pelle versus pollicem, cuius vsus est, flectere illam partem extendendo versus genua, vt diximus; quare potest esse morbus in anteriori parte tibiæ, cuius symptoma appareat tantum in pollice. Secundus musculus digitorum, qui septimus pedis est, à fibula exoritur, & latum tibię externum occupat, & inseritur ossi sufful cienti pollicem. Tertius, qui octauus pedis dicitur, oritur à media fibula, & implantatur radici ossis pedis paruum digitum sustinentis. Quartus, qui nonus pedis dicitur, est pars musculi mouentis quatuor digitos, & inseritur in medium ferè longitudinis ossis pedis ante paruum digitum positi, & isti omnes simul operantes extendunt, & flectunt versus genua extremam partem, vbi digiti fundantur, & horum musculorum beneficio fiunt laterales motus, prout singuli magis in vna, quam in altera parte locati sint, vt omnes simul operantes rectam flexionem, & extensionem digitorum faciant, si seorsum vnicus musculus operetur, vnam motionem facit, verbi causa si sextus musculus pedis solus operatur, iste trahet pollicem, si septimus, vel octauus minimum digitum, si nonus rectam motionem quatuor digitorum; quare ex officiis his læsis cognoscimus musculum læsum, cognito musculo læso, cognoscimus, an morbus tollens flexionem hanc digitis sit in tibia, vnde oritur, vel sit in progressu musculi, vel in digitis ipsis, in quos inseritur, quia facilè potest cõtingere, vt in anteriori parti tibiæ ob vulnus perperam sanatũ, vel quia excisæ essent fibrę transuersim, vel propter alias causas sit morbus, qui tollat flexionem, & extensionem illam versus genua pollici; ecce igitur, quod morbus esse potest in parte valdè remota, vt in anteriori parte tibiæ, & eius symptoma in pollice alioquin sano; quare Empyrici hanc nostri corporis fabricam, & harmoniam nescientes in sexcenta errata cadere possunt; prætereà potest accidere, vt in fibula, vnde exoritur septimus musculus sit morbus, & eius symptoma appareat in pollice, tunc, si Empyricus suis localibus occurreret pollici, erraret valdè; quia esset occurrendum fibulæ, vnde oritur musculus qui valdè distat à pollice; similiter de octauo musculo est dicendũ, qui exoritur à media fibula, in qua, vel ictus, vel scyrrhosa dispositio, vel similes affectus possent impedire, vt iste muscu-

De sympathia inter fibulam, & digitum pollicem.

De sympathia inter mediam fibulam, & minimum digitum.

musculus octauus non posset extendere minimum digitum ; quare nisi origines musculorum, & progressum adiscamus , & me moriatenéamus , non video, quomodo diuinare aliquando possimus locum affectum.

Postremò musculi isti sextus, septimus, octauus, & nonus pedis, qui sunt illi quatuor, qui extendunt extremos digitos pedis possunt amittere sua officia ob morbum existentem in lumbis, & osse sacro adeò vt symptoma istius morbi re vera distare possit duorum cubitorum tractu , & vltra à morbo ; scias ergo hos quatuor musculos esse indutos surculis nerueis missis à ramo exteriori prodeunte à quarto pari neruorum pedis, quod oritur ab vltima vertebra lumborum , & à tribus sequentibus ossis sacri, & est illud neruorum par crassissimũ, & omniũ validissimum missum vtrobiq; ad pedes; quare, si in lumbis erit morbus, & symptoma videatur in digitis , vis tu localia apponere digitis? quod si facies, quando curaberis patientem ? expedit igitur morbum auferre, qui est causa quoniam effectus solum tollitur ablata causa , & quando causa est in lumbis, & in osse sacro , vnde enascitur iste truncus, ibi sunt topica adiungẽda, & nequaquam vbi est symptoma. Methodus, quę nos docere poterit, quando digiti pedis non poterunt extendi ob morbum existentẽ in lumbis, & osse sacro, vnde oritur quartum par neruorum pedis, est, quoniam omnes musculi, qui sunt exornati illis surculis prodeuntibus à quarto pari neruorum pedum , erunt læsi, musculi verò, qui sunt induti iis surculis nerueis sunt primus, tertius, quartus, quintus tibiæ, & quintus femoris, & tres primi, qui mouent pedem, de quorum officiis superius egimus ; quare ex læsis illis omnibus officiis colligere poterimus necessariò morbum esse in trunco, in quarto videlicet pari neruorum pedum; & symptomata in digitis pedum, quæ non raro accidunt , quinimo pluries vidimus truncos neruorum pedum in origine lædi , & symptomata solum apparere in pede , & digitis ; causæ enim quæ possunt capita neruorum occupare sunt scyrrhosæ dispositiones, infarctus pituitosi, ictus, & alia id genus; videas ergo quænam distantiæ aliquando obseruantur inter morbum, & eius symptomata, vt Empyrici adduci non possint, vt credant, symptomata esse in vno loco, & morbum in alio loco tam remoto.

Methodus qua cognoscimus digitos pedis non extẽdi ob morbum existentem in quarto pari neruorum pedis.

Dum topicis tractant digitos pedis, quando tertium internodium quatuor digitorum, & secundum pollicis flecti non possunt ob morbum existentem sub genu.

CAPVT XLIII.

De sympathia inter tibiam & tertia internodia quatuor digitorum, & secundum pollicis.

POTEST accidere , vt sub genu, vnde oriuntur secundus , & tertius musculus digitorum pedis, sit morbus, eius verò symptoma appareat in digitis pedum: quoniam, si de secundo musculo loquimur, tum ex omnium consensu, tum experientia ipsa patet , oriri à parte poste-

riori tibiæ iuxta genu, & deinde missum in plantam per partem posteriorem in quatuor cessare tendines, qui demum inseruntur tertiis internodiis quatuor digitorum perforantes primi musculi tendines, perinde ac fit in musculis digitorum manus: quare facilè potest contingere, vt morbus aliquis sit iuxta genu, vel in itinere, antequam inseratur in digitos, & symptoma hoc, quod videlicet tertia internodia non possint flecti, appareat in digitis. Similiter, si de tertio musculo digitorum loquimur, eadem euenire possunt; quia hic musculus tertius oritur à nexu fibulæ cum tibia iuxta genu, & quando est in planta, degenerat in tendinem, qui exigua quadam portione implătatur tertio internodio indicis, & medij, & demum reliquus totus tendo in secundum os pollicis inseritur, & auctor euadit illius flexionis, quare valebit consequentia, quando tertia internodia quatuor digitorum, & simul secundum pollicis internodium non poterunt flecti, morbum esse in secundo, & tertio musculo digitorum pedis, ergo hic morbus posset esse in planta, & in origine sub genu, veluti si excisæ essent fibræ ob vulnus, vel collectus esset aliquis humor, vt in illis, qui gonagram pati solent, qui humor tolleret virtutem huic secundo, & tertio musculis digitorum, in quo casu topica non digitis læsis per consensum, sed sub genu essent applicanda.

Si verò secunda internodia non possent flecti, id pertineret ad primum musculum, de quo nil dicimus, quia est breuis, & in eandem partem inseritur, à qua oritur; nostrum enim in præsentia est tractare de sympathia, quæ obseruari potest in longis musculis, quia in istis Empyrici decipiuntur, in quibus sæpè morbus à suo symptomate cubiti tractu, & vltra distare potest.

Amplius potest accidere, vt morbus insideat in quatro pari neruorum pedis circa os sacrum, vnde oritur, & symptoma appareat in dictis internodiis, quod videlicet digiti non possint flecti, quia isti musculi sunt neruis prodeuntibus à quarto pari irrigati: cognoscemus deinde digitos nõ posse flecti ob morbum in origine quarti paris existentem, quando cæteri musculi, qui sunt induti iisdem ramis à quarto pari prodeuntibus, erunt læsi, de quibus non vno in loco in superioribus capitibus verba fecimus, vt non sit, quod tam sæpè plurima repetamus.

Errant dum digiti non possunt extẽdi ob morbum existentem in tibia.

Præterea in parte anteriori tibiæ sub genu, vbi fibula coarticulatur tibiæ sub sexto musculo pedis potest esse morbus, qui tollat extensionem quatuor digitorum, pollice excepto; quoniam à parte illa anteriori tibiæ sub genu exoritur decimusquartus musculus, cuius officiũ est digitos illos quatuor extendere, tunc Empyricus, si digiti propter morbum existentem in exordio istius musculi non possent extendi, digitos solis tractaret localibus.

Præterea non solum digiti non possunt extendi ob morbum existentem in tibia, verum etiã potest contingere, vt in osse sacro sit morbus, & digiti alioquin sani non possint extendi, & ratio est, quia iste decimusquartus musculus extendens digitos est circumuestitus ner-

ueis

ueis propaginibus prodeuntibus à quarto pari neruorum, quod oritur ab osse sacro, vt valere possit hæc consequẽtia, est morbus in quarto pari circa os sacrum, ergo digiti non possunt extendi, & vice versa, digiti non possunt extendi, ergo morbus, qui est causa, potest esse in osse sacro: modus verò cognoscendi, quando digiti non poterunt extendi ob morbum huius quarti paris neruorum; scias quod non poterunt quoque fungi suis officiis cæteri musculi, qui sunt irrigati iisdẽ neruis prodeuntibus ab hoc quarto trunco, quemadmodum sunt musculi sextus, septimus, & octauus pedis, qui recip unt neruos, antequã decimusquartus musculus irrigetur; quare ex læsis iis officiis in cognitionem protopathiæ peruenies.

Demum potest contingere, vt pollex non posset extendi ob læsum decimumquintum musculum, cuius munus est pollicem extendere; oritur enim hic musculus ab anteriori parte tibiæ, vnde oritur membrana iungens tibiam cum fibula, & deinde inseritur pollici vniuerso, gratia extendendi ipsum secundum rectam lineam, quare, si morbus erit in exordio istius musculi, nihil opis præstare poteris inungendo digitum pollicem, in quo nulla est mala cõstitutio, vel morbus, quamuis symptoma in ipso appareat: postremò potest esse morbus & causa in quarto trunco neruorum pedis, eius verò symptoma quoque appareat in digito, & sit, quod non potest extendi, quòd cognosci poterit ex læsis officiis aliorum musculorum, qui irrigantur iisdem surculis prodeuntibus à quarto neruorum pari, de quibus egimus superius. *De sympathia inter pollicem, tibiam, & os sacrum.*

Colligas ex traditis in hoc 2. libro, quando omnium affectuum ideæ partibus corporis nostri per essentiam, & quando per consensum competant; quia in limine libri diuisimus idiopathias seu proprios affectus in affectus per essentiam tantum, & in affectus per essentiam, & per consensum simul: deinde in capite tertio methodum proposuimus, cuius virtute duci possumus ad cognitionem affectuum propriorum principalium, & per consensum; sed quoniam in viuentibus corporibus triplex à Galeno obseruatur sympathia vicinitatis nimirum, operis familiaritatis, & generis, erat operæpretium, vt in hoc 2. libro non vniuersaliter, & in abstracto, sed distinctè, & secundum stylum anatomiæ (quæ sola tantum fructum parere poterat) sympathias perpenderem, ideò priùs de sympathiis vicinitatis, & operis familiaritatis egimus, & errata nonnulla Empyricorum in tractandis his duabus sympathiis reiecimus: Demum cum artificiosissimè obseruentur sympathiæ in neruis, & musculis longis, vt sæpè in exordio neruorum, vel musculorum sit morbus, eius verò symptoma appareat tantum in fine, & in locis valdè remotis, & præcipuè in partibus in quas inseruntur, ideò egimus de omni sympathia generis præter naturam, quæ contingere potest in musculis, & neruis longis; diuisimus enim musculos breues, quoniam in iis, vbi est morbus, ibi est symptoma, ideò in breuibus Empyricus errare non potest; propterea incœpimus à musculis longis labiorum, maxillæ, ceruicis, dorsi, & aliarum cor- *Epilogus.*

poris partium, & tandem peruenimus vſque ad muſculos digitorum manuum, & pedum, in quibus omnibus oſtendimus quando, & quomodo poteſt eſſe morbus in vno loco, & in alio remotiſſimo eius ſymptoma apparere poſſit, & tales methodos pro cognoſcendis morbis muſculorum, & neruorum longorum tradidimus, vt adduci non poſſum, quin medici iis exculti methodis tale conſequantur beneficium, vt perfectè cognoſcant ſympathias, & amplius in hac re nullo modo in errores labantur; quemadmodum errare ſolent illi, qui inſequuntur communes illas ſententias, quæ ſunt, vbi dolor, ibi morbus, & vbi eſt actio læſa, ibi ſit mala conſtitutio, vel quod idem eſt, vbi eſt ſymptoma, ibi ſit morbus; cum aliquando contingere poſſit non eſſe morbum, vbi eſt dolor; vel non eſſe malam conſtitutionem, vbi eſt actio læſa, vel quod in idem fermè recidit, non eſſe morbum, vbi eſt ſymptoma.

Finis Secundi Libri.

SAN-

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in specificis Morborum, & Symptomatum Ideis perquirendis.

LIBER TERTIVS.

Quod specificæ affectuum differentiæ exoriantur à decem differentiis partium nostri corporis.

CAPVT I.

IN primo libro tales methodos decla rauimus pro inueniendis affectuum omnium ideis genericis, vt ne rudiores quidem, modo illas calleant, credam in laqueos, ac syrtes cadere posse: in secundo quando affectiones per se, & quãdo per sympathiam lacerent corporis nostri partes, & quomodo sit perquirenda protopathia variis, & accommodatissimis exemplis docuimus. Nunc conferendus est animus ad cognoscendas specificas, & vltimas affectuum præter naturam differentias; quoniam ad specificas, & non genericas differentias in tradendis indicationibus oculorum acies est dirigenda: supponatur ergo, atque recipiatur alibi quoque iactum fundamentum, quod nullo alio modo cognosci possint vltimæ affectuum differentiæ, nisi genericas affectuum formas illas cognitas in primo libro adiungendo, & applicando huic, vel illi

corporis nostri particulæ, ſicuti, quando volumus doloris ſpecificam differentiam aſſequi, eam colligimus à partium corporis quibuſdam differentiis, & conditionibus, quæ coarctare poſſunt dolorem ad aliquod eſſe ſpecificum, per hypotheſim, dolor; vt dolor eſt affectus cõmunis, & genericus, ſi tamen in membrana conſiderabitur, fiet pungitiuus, ſi in carne, laceratiuus; ſi in arteriis, pulſatiuus; ſi in neruis, conuulſiuus; ſi in perioſtiis, frangitiuus; ſi in viſcere exigui ſenſus participe, grauatiuus; ecce, quod varietas partium ſpecificum reddit affectũ. Ad eundem modum vlcus in variis locis ſeu partibus corporis conſideratum varias ſpecificas differentias affectuum conſtituere poteſt; quoniam vlcus ſub genu eſſe poteſt cauterium ſalubre; in pulmone verò illudmet vlcus eſt phtiſis; & ſic de aliis ſpecificis affectibus, vt paulò inferius aliis pleriſque exemplis oſtendemus.

Exemplis oſtenditur quomodo fiãt ſpecifici affectus.

Propterea volentes nos cognoſcere ſpecificas affectuum formas, alium modum præſtantiorem non potuimus inuenire, quàm diligenti examine conſtitutiones variarum partium noſtri corporis ſecundum quaſlibet earum differentias contemplari; quia ſpecifica cognitio tota à varia partium conditione, tamquam à proprio ſubiecto ſuum verum trahit initium, quod diuinis Ariſt. & Galeni monumentis mirum in modum conſentire videtur; numquam enim Ariſtoteles voluit affectum, vel accidens proprium poſſe alio modo cognoſci, & definiri, quam per ſubiectum proprium, vt propterea voluerit propriiſſimas affectiones per ſua ſubiecta cognoſci, & definiri tanta eſt relatio, & nexus inter affectum, & locum affectum, vt hinc Diuinus Phyloſophus affectus omnes proprios collocauerit in ſecundo modo dicendi per ſe, vbi prædicatum debet definiri per ſubiectum, & ſubiectum debet eſſe eſſentia, quæ conſtituat totum eſſe, & quod quid eſt prædicati, & tandem tradiderit vniuerſalem illam propoſitionem infallibilem, quòd accidentis eſſe ſit inhærere ſubiecto; ſimiliter nos vòlentes ideas ſpecificas affectuum præter naturam inuenire, oportebat, vt eas declararemus, & definiremus per partes aptas, vt afficerẽtur, quæ ſunt propria ſubiecta affectuum, & quæ ſola ſecundum varias conſiderationes, & aptitudines poſſunt definire proprios affectus. Hinc Galenus iiſdem principiis commotus videns, neminem aſſequi poſſe affectum ſpecificum ſine cognitione partium internarum corporis, quę ſunt ſubiecta affectuum; idcirco tum in libro de vſu partium, tum aliis in locis ſummam adhibuit diligentiam in contemplatione omnium partium corporis; quoniam earum varietates varios affectus præter naturam generant, hinc, prout variantur partes in ſimilari ſubſtantia, generantur diſcraſiæ, quatenus verò variantur in ſecundis qualitatibus (quæ ſecundæ qualitates apud Galenum primo de fac. naturalibus ſexto quindecim enumerantur, ſuntque raritas, denſitas, grauitas, læuitas, craſſities, tenuitas, mollities, durities, friabilitas, lentor, aſperitas, læuitas, colores, odores, & ſapores) malè compoſitiones exoriuntur, quatenus verò partes corporis noſtri variantur in magnitudine, quantitate, numero, & figura, oriuntur quoque affectus pertinentes

Vt probatur cum Ariſtotele. affectus ſpecifico fieri à differentiis par. corporis.

Quindecim à Galeno enumerari qualitates ſecundas.

ad

ad conformationem, adeò vt quælibet partium varietas varium aliquem affectum faciat, & quilibet affectus factus supponat in partibus mutationem, vt hinc Galenus in ar. med. cap. octauo volens affectum saluberrimum declarare, signa desumpserit nō ab affectu in communi, sed ab optima cōstitutione partium tam similarium, quam dissimilarium, quoniam bonus, vel malus affectus à varietate partium oritur, hinc si variãtur similares, & proportionem quatuor qualitatum amittant, fiunt intemperantiæ, si dissimilares, plurimi alij affectus fieri possunt; quare colligimus ex Galeni sententia, solum ex partium nostri corporis constitutione affectus tam naturales, quam præter naturam fieri posse.

Hinc Curtius diligentissimus interpres Galeni omnia signa affectuum volens colligere à partibus ipsis tamquam à propriis subiectis, ad quatuor satis accommodatos fontes, vnde haurienda essent signa distincta, & specifica affectuum reduxit, vt primus fons contineret omnia illa signa, quæ desumi possunt à propria substantia similari, intelligendo per propriam substantiam commensurationem, vel concentum, & symetriam quatuor qualitatum. Secundus fons amplexaretur, quæ necessariò consequuntur, vt sunt secundæ qualitates, quæ proportionem primarum sequuntur, & sunt illæ quindecim à Galeno relatæ, vt diximus. Tertius fons illa contineret signa, quæ ab iis, quæ accidũt desumi possunt, vt à quantitate, magnitudine, numero, & figura. Quartus ea, quæ desumuntur ab operationibus vitalibus, naturalibus, & animalibus; ad quos fontes vniuersa affectuum signa, quæ re vera desumuntur (vt diximus) à partibus similaribus, & dissimilaribus pro declaratione affectuum præter naturam reducuntur; quia alio modo non poterant affectus declarari, nisi per illa principia, quæ affectus constituunt, & hæc sunt partes corporis, quæ, prout variis modis constitutæ sunt, varios affectus gignunt.

Omnia signa affectuum ex Galeno, & Curtio reduci ad quatuor fontes.

Cæterum, si volumus expeditius, & distinctius affectus specificos cognoscere per signa variarum constitutionum partium corporis, hac Galeni, & Curtij methodo alioquin vera, & artificiosa aliquantulum laborabimus, quia methodus hæc per quatuor fontes incedens potius post cognitos specificos affectus incipit videri artificiosa, quam ante cognitionem, idcirco optimum foret, si methodum non tamen ab hac distinctam perquirerem, quæ traderet nobis faciliorem modum cognoscendi specificas differentias affectuum, & quæ doceret omnes conditiones, & constitutiones partium corporis, quæ solum nos possunt promptè docere affectus, & affectuum remedia, quód bellissimè fiet, si totam hanc phylosophiam ab anatomia hauriemus, vnde poterimus colligere omnes differentias specificas partium nostri corporis, quæ constituunt varios affectus, & ipsos specificos reddunt, quæ specificæ differentiæ ad decem capita reducuntur adeò distinctè, & perspicuè, vt ab omnibus possint cognosci, & ad ipsas omnes conceptus, qui de partibus fiunt, commodè reduci possunt, quæ sunt Meatus, Figura, Situs, Compositio, Exordium, Substãtia, Temperatura, Nume-

Quæ sint decem differentia partium corporis quæ dant esse specificum affectibus omnibus.

rus, Progressus, & Officium partium, à qualibet enim harum decem differentiarum secundum magis & minus variatarum specifici emergunt affectus.

Quare, si de dolore loquimur, erit necessarium pungitiuum dolorem esse in mēbrana propter aliquā ex iis decem differentiis, quinimo argumentari poterimus ex sufficienti partium enumeratione dicendo, si dolor est in membrana, ergo erit pungitiuus vel ob situm membranę, vel figuram, vel meatum, vel ob eius compositionem, vel ob membranæ temperaturam, vel ob substantiam, vel ob magnitudinem, vel ob progressum vasorum, vel officium membranæ læsum: dicas deinde non ob situm, cum vbique membrana puncturis laceretur, & cum in eodem situ aliæ quoque partes corporis præter membranas collocatæ sint, quæ pungitiuum dolorem pati non possunt; neque ob meatum, cum æquè contexta sit, & nullos habeat meatus præter insensibiles, & membrana habeat, dum pungitiuum dolorem experitur, similes meatus perinde ac quando est in sanitate constituta; non ob figuram, vel ob compositionem in membrana dolor est pungitiuus, quia compositio, & figura pertinent ad dissimilares partes, dolor verò est solutio cōtinui, quæ prædicatur de similari, & dissimilari, præterea neque per exordium, quoniam membranæ persentire possunt puncturas tam in exordio, quàm in medio, & fine, neque propter numerum, nihil enim additur membranæ, cuius causa illæ puncturæ persentiantur: similiter neque ob progressum vasorum, cum in qualibet membranæ parte fieri possint puncturæ, & non quà solum progrediuntur vasa: similiter neq; per officium aliquod membranæ læsum puncturæ fiunt; quoniam licèt puncturæ in membranis fiant, non tamen membranæ suum officium amittunt: & postremò neque ob temperaturam membranæ mutatam dicere possumus puncturas sentiri, in membranis, cum temperatura non cito fiat, & cito desinat; in membranis verò cito fieri, & cito desinere possint puncturæ: colligás ergo ex sufficienti partium enumeratione differentiam specificam quam dolor in membranis fiet pungitiuus, esse ob membranæ substantiam, & consequentia est necessaria, quoniam partes nostri corporis non habent alias differentias præter illas decem, quæ possint definire passiones proprias, quare cum substantia prædicetur de molli, & denso, raro, & cæteris, quæ necessariò consequuntur, inuenies puncturas fieri, dum soluitur continuum membranæ ob densitatem, quoniam, dum humor penetrat densam partem sensu donatam, vt est membrana, illo modo soluit continuum perinde ac acuum cuspides peruaderent, propterea fieri non possunt dolores pūgitiui nisi à subtilissimis humoribus, & nequaquam à crassis, quia crassi non possunt penetrare densitatem membranæ, vt hinc Diuinus Hippocrates 6. sect. aph. 33. dicat, qui acidum eructant nō fieri pleuriticos, & ratio est Galeni in commento, quia tales habent crassos humores, & crassus humor dēsitatem membranæ peruadere haud potis est, ex qua ratione colligimus quoque melancholicos non posse fieri pleuriticos, cum habeant crassos humores; videas ergo, quàm facilè

Vt cognosci tur nostra methodo in membrana dolorem fieri pungitiuum.

Cur pituitosi, & melancholici non fiunt pleuritici.

cilè per differentias partium corporis naturas affectuũ consequi possimus, quas methodo Curtij non tam promptè inueniremus, si quis enim percunctaretur à Curtio, vnde fiant pungitiui dolores in membrana, respõderet pungitiui doloris differentiam constitui ab illis, quę necessariò consequuntur primas qualitates, & forsitan diceret hanc esse densitatem, & nihil vltra diceret, hæc Curtij: Methodus sanè optimis subnixa principiis debito difficilior est, sed hæc, quam tradimus, ad decem illas differentias notissimas reuocat facili negotio, & resoluit tamquam ad prima, & notiora principia omnem specificam affectuum inquisitionem.

Cæterum pergamus variis exemplis, donec hæc anotomica methodus clarior, ac patentior euadat; si in musculorum carne est dolor, statim fit laceratiuus; sed quã ob causam fiat laceratiuus, nisi ad illas differentias partium confugias, non intelliges vnquam propter quid in carne fiat laceratiuus dolor; dicas ergo non fieri laceratiuum ob substantiam carnis, non ob figuram; & inuenies omnibus aliis differentiis sepositis, euenire ob situm, quoniam subtilissimi neruorum surculi situ, & loco adeò in carne dissociantur, vt in subtilissimos filos dissemimentur, antequam in tendinem desinant, quorum ob tantam tenuitatem à causa soluente continuum aliqui subtilissimi lacerantur, vnde persentitur laceratiuus dolor, quippe qui in mẽbrana non animaduertitur, quia filamenta membranę melius, & fortius contexta, ab humoribus non possunt lacerari, & frangi, sed cum tantummodo humores penetrent, faciunt puncturas. *Cur in carne dolor fiat laceratiuus.*

Si in arteriis causa soluens continuum erit, fiet dolor pulsatiuus, nõ ob substantiam, vel situm, vel figuram, sed (ne perpetuo enumeremus omnes) dicas ob officium, quod est pulsare, quod impeditur, & cum tristi sensu animaduertitur pulsatiuus dolor. Si in viscere aliquo sensus obtusi participe, vt in liene, hepate, cerebro, vel pulmone erit dolor fiet grauatiuus, eritque ob numerum: carent enim viscera hoc neruorum numero in imis partibus, vt doloris animaduersionem habeãt, vel dicimus ob compositionem, cum viscerum compositionem non ingrediantur instrumenta sentiendi, nisi exilia admodum, vel dicemus ob exordium, grauatiuum dolorem oriri, cum viscera efficiantur sarcina ligamentorum, & membranarum, quibus alligantur, & eorũ sunt extrema, & veluti exordia: ad eundem modum, si dolor persentitur frangitiuus, colligimus causam soluentem continuum esse in parte corporis omnium durissima, quia fractio solum rebus duris conuenire debet, vt sunt ossa, quæ licèt sensu careant habent tamen periostiũ, hoc est membranam ossa circumuestientem, quæ cum sit sensu donata animaduertit ossium continui solutionem, quæ alia non est, nisi fractio; tunc non ob situm, vel figuram, vel meatus, vel alias differentias in ossibus erit frangitiuus dolor, sed ob duritiem, quæ ad substantiam pertinet. Demum si consideratur dolor in neruis, statim fit conuulsiuus, quare oportebat, vt ob aliquam ex traditis differentiis id contingeret, erit ergo, vt breuibus, & strictim agamus, ob exordium. *Cur in visceribus quibusdam grauatiuus fit dolor.* *Cur dolor fit frangitiuus in ossibus.*

Cur dolor conuulsiuus fiat in neruis.

Conuulsio fieri non potest nisi in nerui exordio fiat aliqua contractio, vnde dolor cõuulsiuus trahit originem. Ecce quomodo hac methodo expendentes decem illas partium differentias nos peruenire possimus ad specificam, & vltimam affectuum cognitionem. Vnde & quid agendum,& recta remediorum administratio tota est colligẽda. Postremo, si de vlcere loquamur, cum sub genu procreet affectum saluberrimum, vt est cauterium, dicimus id fieri ob situm: adeò enim distat pars illa à parte aliqua principe, vt nullo modo reluctetur visceribus, ne expleant officiorum suorum munera, quinimo illis summas suppetias affert reuellendo, vel deriuando aliquam mali humori colluuiem: in pulmone verò cur illudmet vlcus pariat affectum illum depositum,& conclamatum; dicimus quoque, id fieri ob situm cordi propinquum,& ob substantiam pulmonis raram,& ob officium, cum in respirando diuellantur vlceris labia,& numquã coalescere valeant, & ob raritatem in putridum, & cachoeticum necessariò degenerent morbum,& ob situm cordi vicinum hectica in corde consurgat; quomodo ergo possumus aliam semitam præter istam venari pro cognoscendis specificis affectuum differentiis, nisi isthæc erit, quæ vltimas differentias partium declarat? quæ partium differentiæ sunt illæ, quæ omnem genericum affectum limitant, atque coarctãt, in quarum cognitionem omnem curam, omnémque diligentiam esse flectendam puto in secandis corporibus, alioquin actum esset de cognitione specifica affectuum, de indicationibus, & de recta auxiliorum administratione.

Probatur inductione sufficientissima, morbos constitui in esse specifico à differentiis partium nostri corporis specificis.

Cap. II.

PRÆSTAT aliis exemplis illustrare methodum cognoscendi specificas morborum ideas,& per omnia morborum genera ostendere specificos affectus constitui,& pendere ab illis traditis partium differentiis; quare si de affectibus, qui fiunt à bile loquimur, an-ne erysipelas in pleura pleuritidem facit & in cerebri membranis eadem bilis phrenesim excitat, in pede verò eadem bilis faciat erysipelas nullius considerationis? Dicant mihi cur, & afferant alias rationes præter illas, quæ colligi possunt ex decem propositis partiũ differentiis? an-ne erysipelas in pleura tantum minatur perniciem,& virtutis casum ob situm cordi vicinum, in pede tamen ob situm à corde,& à cæteris visceribus remotum nullius sit considerationis? in tunicis verò cerebri erysipelas sit lethale tum ob situm parti principi vicinum, vnde functiones principes, vt imaginatrix,& discursus deprauantur, tum ob numerum venarum,& arteriarum cerebri,& membranarum?

Vt morbus biliosus salubris ob variũ situm sit lethalis.

Præterea si affectus, qui fiunt ab atra bile, consideramus, an-ne dicit Ga-

cit Galenus 3. de symp. causis capite secundo, si atra bilis in vniuerso redundat, fieri elephantiasim, si in parte aliqua firmatur, cancrum, sicuti, si bilis in toto redundat, icterum; si in parte, erysipelas; vnde hęc quæso affectuum discrimina exoriuntur, nisi ab illis decem enarratis differentiis in superiori capite? amplius, si de catarrho loquimur, an-ne vidimus eandem materiam ob partium corporis varietatem sicuti ob varium situm, & ob varios meatus varios gignere affectus, nam sic catarrhus in capite firmatur epilepsiam facere potest, si illemet ex capite pellitur, & in pectus decumbit tussim tantummodo excitat, similiter si idem catarrhus, qui in cerebro epilepsiam, & in pectore tussim facit, in articulos procumbit, podagram faciet, vnde ergo prodire potest tanta morborum varietas ab vnica, & sola causa, nisi partium corporis differentiæ, & varietates sint illæ, quæ constituunt affectus communes in esse specifico, sicuti de catarrho vidimus, qui in cerebro existens quatenus inter nos meatus occludit tollere potest præstantissima munia rectricis, sensitricis, & motricis facultatis cerebri, vnde epilepsia; quatenus verò catarrhus est in pectore, impedit, sed non tollit inspirationem, ideò expellitur per tussim, quatenus verò est in articulis, facit podagram ob progressum vasorum, accidit enim, vt tot nerui, & partes sentientes progrediantur supra articulos, vt à catarrho particulæ sentientes vi distensæ faciant truces illos dolores; similiter, si catarrhus colligitur inter carnem, & cutim fiet œdema, ob situm à visceribus remotum, denique si illemet catarrhus erit in cerebri substantia, & non in meatibus, faciet non epilepsiam, sed veternum seu lethargum affectum, ecce quod situs, meatus, substantia, temperatura, progressus, & cæteræ conditiones partium corporis enarratæ sunt illæ, quæ specificos faciunt affectus.

Atra bilis in toto elephantiсū, in parte cancrum bilis in toto icterum in cute erysipelas facit.

Vt catharrus ob varium situm plures morbos gignit.

Sed pergamus ad alia exempla affectuum, vt concludere possimus omnes specificos fieri à conditione partium, an-ne intemperies frigida in cerebro obliuionem facit, eadémq; in hepate hydropisiam? vnde hoc prodit, nisi quia intemperies frigida in cerebro tollit motum, & cúm memorari sit motus quidam, vt dicit Galenus, propterea ob frigidam intemperiem tollitur memoria; ecce quod hoc officium cerebri intemperies frigida impediens facit obliuionem, deinde eadem frigida intemperies in hepate hydropisiam facit, tum quia impedit sanguificatricem, tum quia occludit meatus: similiter succus mordax, quando est in cerebro, ex Galeno 6. aph. 53. facit maniā, illemet in cute scabiem, quoniam pruritus exoriens à succo mordaci existente in cerebro facultatem discursiuam, & imaginatricem peruertit, & præcipuè imaginatricem, in qua phantasmata confunduntur ob mordacem succum perturbantem phantasmatum situm, vt hinc succus mordax non permittat, nisi deprauate cerebrum suum absoluere pensum, succus tamē mordax existens in cute cum nullum ibi alteretur officium pruritum solum facit, qui est affectus nullius considerationis.

Vt frigida intemperies in cerebro obliuionem, in hepate hydropisim facit.

Vt succus mordax in cerebro maniam in cute scabiē facit.

Ad eundem modum humor melancholicus feriens cerebri substantiam summum mœrorem, & summam mœstitiam sine causa in-

Vt melancholia in cerebro mœsti-

iam in stomacho famē faciat, in neruis catalepsim.

ducit, quoniam vapor melancholicus tenebricosum spectrum facit, quòd reluctatur non solùm cerebri substātiæ, quæ sua natura alba est, verum etiam spiritibus animalibus qui splendidi & lucidi existunt; si verò melancholia feriet orificium ventriculi, nō phantasma tenebricosum sed summam famem, & intensam picam seu malaciam excitabit; porrò si illemet succus melancholicus frigidus, & siccus, qui tantam excitare potest famem, existeret in capite, & à capite in spinam, & in omnes neruos motui destinatos propelleretur, non famem, sed cathocum faceret, quòd fiet ob neruorum substantiam; quoniam nerui sua natura molles sunt, vt recipiant splendorem radiorum spirituum animalium; quare si vapore isto frigido, & sicco replentur, adeò tenduntur & indurescunt, vt propterea reddatur corpus immobile, & quam simillimum lapideæ statuæ: ex altera parte si de affectibus pertinentibus ad cæteras partes loquimur, eandem considerationem habere possumus, veluti (ne recedamus ab exemplis) erit exilis flatus melancholicus in ventre, qui nullius erit impedimenti, quippe qui, si erit in corde, palpitationem, quæ follibus vtrium assimilari solet, efficere poterit; quoniam in corde flatus ille deprauabit, & corrumpet officiū systolis, & diastolis, vnde cor trahendo spiritum vita fruitur; in ventre tum ob loci amplitudinem, tum ob facilem exitum officium deprauare non potest: ecce ergo, quod varia officia partium corporis ab vnico efficiente læsa varios affectus specie differentes constituunt. Præterea in concauo ventriculi potest esse porracea bilis, quæ faciat diarrheam, sed curabilem, quæ bilis, si in os ventriculi obrepet, cardialgiam adeò trucem vt mortem repētinam, sicuti testatur Alex. Tral. inducere posset, quòd sanè fiet ob situm proximum cordi; videas quo pacto humor malignus ob tam breuem distantiam facere potest cōtrarios affectus, quia in fundo vētriculi curabilem affectum, in ore verò incurabilem, quinimò repentinum exitium adferre potest. Similiter fiet ob lubricum mucum læuitas intestinorum, vnde retinendi potentia, & per cōsequens concoquendi officium demitur nō sine manifesto mortis periculo, quod lubricum, si est in ossibus, non minatur summi momenti malum, cum facili negotio tolli possit, & nullum principale officium ab ipso auferatur; ecce quod idem affectus communis, vt est læuitas ob varios situs partium, & ob varia officia læsa varios affectus specificos constituere potest, possem sanè vagari per omnes specificas differentias affectuum, & plerisque aliis exemplis ostendere affectus specificos fieri à conditione subiectæ partis affectæ, sed cum videam enarrata affectuum exempla sufficientissimè hanc veritatem declarare, incipiemus supponere hoc fundamentum, quod vltimæ differentiæ affectuum trahant ortum à cōditionibus partium nostri corporis. Quocirca si medicus erit perperā excultus, & limatus anatomia, cuius munus est partium omnium situm, figuram, meatus, & cæteras non semel enarratas conditiones diligentissimè obseruare; quomodo vitare poterit errores tam in cognoscendis, quam in curandis affectibus? Quomodo ergo, vt exemplis illustremus hāc materiam, poterit cognosce-

Vt flatus & bilis porracea ob variū situm salubres, & lethales affectus faciant.

Mucum pituitosum salubrem, & lethalem ob varium sitū facere morbum.

Quadam medicorum errata ob situm partiū ignotum.

re an

re an orificiũ ventriculi sit læsum, si nesciet, vbi sit? sicuti videtur nescire omnes illi, qui dicunt orificium ventriculi esse sub mucronata cartilagine, cum re vera longè distet. Quo pacto non errabunt illi, qui dicunt pyloron à fundo ventriculi exordiri, cum palmi tractu eius exortus ab imo distet?

Similiter, si de meatibus loquimur, multi cum Galen. dicunt os cuneale esse per foratum, vt cribi specimen exprimat, & renes colatoriũ habere, de quo tam multa multi scripsere vt non sit mirum, si ignorato vero situ, & veris meatibus partium corporis medici in affectibus perquirendis, & curandis tam sæpè vacillent. Quinimò plurimos vidimus, qui se dogmaticos credunt, qui spreta illa anatomica cognitione solum per vniuersales quasdam causas remotas procedunt, vnde hauriunt indicationes vniuersales, & ab iis remediorum materias colligunt, quæ non sequuntur, quia inferre ex vniuersali medio attributum minus vniuersale, est paralogismus in secunda figura ex duabus affirmatiuis, sicuti dum curare volunt traulos (hi sunt illi, qui litteram r malè pronunciāt) dicunt homines fieri traulos ob intemperiem humidam capitis, ex qua positione colligunt, esse exsiccandum caput, & deinde cõcludunt attributum minus vniuersale, falsam videlicet, cauterium, & alia id genus, quæ exsiccandi virtutem habent, esse proponenda, quæ non sequuntur: ecce, quod isti, qui per normas, vel notiones vniuersales incedunt in perquirendis auxiliorum materiis, necessariò in paralogismos impingunt. Quocirca deberent in hoc casu illas conditiones enarratas, vt situm, meatum, & figuram palatus, & ossium maxillæ considerare, quoniam propter has conditiones talis affectus specificus, & particularis fieri debet, credimus enim nos traulos fieri ob duos meatus quarti ossis maxillæ superioris nimium apertos, quæ cum ita sint, si exsiccarent Empyrici caput decem annorum tractu, vel Oraculum mitteret balbos vel traulos in Libiam regionem calidissimam, quæ exsiccaret caput, numquam trauli consequi possent sanitatem, nisi inurerentur meatus illi duo, qui immediatè constituunt traulum, de qua re iterum paulò infra agemus, vt res melius declaretur.

Errata ob meatuum inscitiam.

Præterea si in superna medulla spinali essent collecti humores, illi sanè dolores aliquos mites facerent, deinde tamen si ipsimet humores descenderent ad ossis sacri medullam, ibi truces excitarẽt dolores; vellem, vt quis mihi sine illis differentiis à nobis traditis in omni parte corporis præcognoscendis rationem redderet, cur mites dolores fiant in parte superiori medullæ, truces verò in parte inferna medullæ, quæ causa tamẽ alia non est, nisi, quia medulla thoracis est mollior, & ideò molles, & mites dolores, medulla verò inferior est durior, ideò sæuissimi fiunt dolores, quoniam in parte dura maiori cùm violentia fit cõtinui solutio, ecce ergo quod hæc substãtia medullæ præcognita, causam huius rei aperit: amplius si de substãtia ossis ithmoidis loquimur, quæ est rara, & spongiosa, si ob tabum gallicum exesa è naribus portio aliqua emungitur, Empyricus non ita admirabitur rei nouitatem, si

Errata commissa ob substãtiam partium incognitam.

raritatem illius ossis substantię corruptioni valdè obnoxiam prius cognoscet.

Errata ob progressum vasorum incognitum. Denique si de progressu vasorum loquimur, an ne errant, qui dicũt salua tellam immediatè deplere splenem? quis amabo poterit melius tantam innanitatem cognoscere, quam anatomicus ille, qui sciet omnium venarum progressus & origines; an ne quoque errant, dum dicunt longè melius per basilicam iecur depleri, quã per cæphalicam, cum ab vnica concauitate existente in iugulari ambæ propagines prodeant? sed quod deterrimum est, iubent tonsoribus in vitiis iecoris, vt basilicam aperiant, quamuis delitescat, & quamuis cæphalica sit euidens & conspicua, ab illis spernitur, vt in simili occasione viderim tonsorem ter secasse innaniter basilicam parum cóspicuam & exilem.

Errata ob compositionẽ partium incognitam. Postremò, si de compositione partium loquimur in exemplum proponere possumus erratum illud, dum Empyricus credit mucronatam cartilaginem aliquando cadere posse: hæc tam vana nullo modo diceret, si vidisset, quomodo sit composita, & vnita ossi pectoris; vidisset enim illam vnionem esse non per diartrosim, sed per symphisim, quæ vnio, vel compositio non supponit motum, vt propterea non possit luxari. Patet ergo in omni consideratione specifica, siue sit morbus, siue sit causa, vel symptoma, nos non posse differentias specificas consequi, nisi prius cognoscantur differentiæ istæ decem partium nostri corporis. *Dub.* Nec mihi aliquis obiiciat, quòd alibi Galeni auctoritate probatum sit, locum affectum respectu affectus esse accidens separabile, vt est inflammatio respectu pleuræ; in hoc capite tamen nos asseruisse esse inseparabilem, & conuertibilem cum affectu, & affectum de loco affectu prædicari in secundo modo dicendi per se, perinde ac si diceremus inflammationem esse non posse, quin pleura quoque læsa sit. *Sol.* Quia respondemus locum affectum, vel considerari communiter, vel secundum differentias specificas iam citatas. Si communiter, est quid separabile, quia quilibet specificus affectus respectu loci affecti absolutè sine limitatione consideratus accidit loco affecto, vt accidit risibile animali, animal enim stat sine homine, & sine risibilitate. Similiter stat pleura sine inflammatione, cum variis affectibus affici possit. Hinc est, quod à loco affecto communiter sumpto procedere ad affectum aliquem specificum est argumentum à positione consequentis in quo colligitur conclusio affirmatiua in secunda figura, quę non sequitur, vt alias diximus. Si verò consideratur locus affectus secundum specificas differentias in quolibet affectu, sic redditur conuertibilis, & fit proprium subiectum, quod definit prædicatum, vt faciunt omnia subiecta, quæ ingrediuntur secundum modum dicendi per se; sic pleura affecta secundum tales meatus, talem figuram, talem situm, & reliquas differentias est inflammatio pleuræ, & viceuersa, scilicet si est pleuritis, pleura erit affecta secundum tales meatus, talem figuram, & talem situm, reliquæ enim varietates non pleuritidem, sed alios affectus facere possent: de qua re vberius in libro de indicatione agemus.

Ostenditur vbi agendum colligi modo ex partium Situ, & Meatu, modo ex progressu, & exordio.

CAPVT III.

NON solum decem illæ specificæ partium differẽtiæ enarratæ eleuare nos possunt ad cognitionem specificarum affectuum idearum, verum etiam ad notitiam eorum omnium, quæ consequuntur essentiam affectus, quòd valdè cohæret Arist. sententiæ dicentis in posterioribus analyticis, quod illud, quod dat quid, det quoque propter quid eorum, quæ consequuntur. Quare si per partium nostri corporis situs, meatus, figuras, compositiones, temperaturas, substãtias, numeros, officia, & progressus, internam, & singularem affectuum naturam cognoscere valebimus, inde cognoscemus quoque remedia, & remediorum administrationem; remedia, quia talem relationem habent cum morbis curandis, vt ex cognita affectuum essentia remedia illico inferantur; remediorum administrationem, quia non possent dici remedia, nisi rectè administrarentur, quæ recta administratio consistit in recta cognitione quatuor conditionum, quarum prima erit vbi sit medicina adiungenda, secũda quomodo sit danda, tertia quanta, & quarta quando sit adhibenda medicina.

Vt à decem nostris conditionibus cognitio affectuum remedia, & remediorum administratio dependeant.

Quare, si de vbi loquimur, facilè ostendere possumus modo colligi à situ partium corporis, modo à meatuum cognitione, modo à partiũ progressu, & aliquando ab exordio musculorum, & venarum, & cæterarum omnium partium. Dicimus igitur situm nos docere locum, vbi agendum sit, quod exemplorum luce cognoscitur per hypothesim, si quis vellet topicum aliquod hepati applicare, & crederet hepatis sitũ esse in parte sinistra, & illi parti affigeret locale medicamentum, quas suppetias afferret? quare expedit situm loci affecti callere, alioquin casu, & fortuito medicinam faceret; audias ex situ partium quarumdam ignorato in quos errores incidunt celebres quoque medici; sunt qui credunt orificium ventriculi supernum situm & locatũ esse sub mucronata cartilagine, quique in omni angore, & vomitionibus biliosis cerata roborantia, & calida adiungunt iuxta illam mucronatam cartilaginem, credentes ibi esse orificium ventriculi, attamen ibi est iecur, vt paulò infra declarabimus auctoritate anatomistorum, & propterea lacescunt valdè: præterea est sapientissimus Galenus (cui non licuit humana corpora secare) qui de renum situ loquens, dicit renem dextrum esse altiorem sinistro, vt in brutis obseruatur, quod contrarium in hominibus conspicitur, quoniam habent sinistrum altiorem dextro, tunc hoc situ ignorato, si alicui ren dexter, vel sinister doleret, vel alio malo affectu esset tentatus, quomodo posses appositè topica adiungere, nisi casu, & fortuito? Demum, vt non prætermittamus situm ventriculi, est Galenus, qui credit ventriculum magis vergere ad par-

Vt ex situ colligitur vbi agendum.

tem dextram, quam ad sinistram. Ex altera parte est sensus ipse, & anatomicorum testimonia, quibus sanè fides non est deroganda, qui dicunt ventriculum magis vergere ad sinistram partem, quam ad dextrã; comprimitur enim in læuam partem à iecoris magnitudine, dicas mihi si nescires hunc situm ventriculi, quando ventriculus esset munimentis extrinsecis tutandus, quomodo posses scire locum vbi essent localia applicanda? Ecce igitur, quòd vbi agẽdum ex situ partium aliquando colligi debet.

Præterea non solum potest colligi vbi agendum à situ partium, verum etiam à progressu, ab exordio, & à meatibus ipsis. Nec mihi obiiciant, dicentes, quòd vnum Galeni auctoritate indicet solum vnum, vt nos quoque admittemus, & altioribus principiis probabimus in libro de indicatione, & propterea dicant, vbi agendum indicari solum ab inhærentia indicantis, quæ vnica est, ergo non à situ, & ab aliis conditionibus; quia respondemus nos quærere, ex situ, & ex aliis conditionibus partium hanc inhærentiam indicantis, vbi sit; eámque dicimus non posse haberi per vnicum signum tantum, per situm videlicet, vel per meatum, & ratio est, quia inhærentia est multiplex, & est quid æquiuocum, cum modo per situm cognoscatur, modo per exordium, modo per progressum, & modo per meatus, sicuti enim locus non prędicatur de loco, similiter inhærentia non prædicabitur de inhærentia, quare per varia signa, & per varias conditiones enarratas varias inhærentias cognoscere poterimus, & non tollitur, quin vnum, vt vnũ non indicet vnum, vel vnum indicetur ab vno. Sed redeamus, vnde digressi sumus, dicentes non solum ex situ colligi vbi agendum, verum etiã ex progressu, veluti, si de vena basilica loquimur, nos scimus neruum magnum, & arteriam maiorem sub basilica progredi, sub cæphalica verò neque neruos, neque arterias excurrere; quare quando vtraque vena esset occulta, tunc tutius esset cæphalicam secare, quam basilicam. Ecce ergo, quod progressus vasorum docet, vbi sit agendum. Præterea ab exordio quoque colligimus vbi agendum sit, veluti cognoscentes nos ab vnica concauitate prodire basilicam, & cæphalicam, cognoscemus quoque vnicum esse exordium in iugulo, & propterea eamdem esse vtilitatem in omni casu tam in sectione cæphalicæ, quam basilicæ. Amplius à meatibus partium corporis colligere possumus vbi agendum sit; veluti contingit in illis, qui litteram r non possunt exprimere, qui trauli vocantur: hoc enim linguæ impedimentum oritur, vt puto, à duobus foraminibus nimium apertis, quæ sunt sub palato inter quartum os maxillæ, quare, si vruntur, vel tunica circunstans abscinditur, & obcalescit, vt meatus callo claudi possint, videntur deinde trauli, illa linguæ hæsitantia liberari, ecce, quod à meatibus non solum colligimus affectum, sed quid agendum, & vbi vel cui parti sit adiungendum remedium; possem alia innumerabilia proponere exempla, quæ ostenderent, vbi agendum à meatibus quoque colligi posse, sed cum res sit clara, & prænitens, non decet longiori discursu hanc tractare materiã: ex iis tamen colligere possumus, quantum

Dub.

Sol.

Vt inhærentia est, quod æquiuocum.

Vt ex progressu vasorũ colligitur, vbi agendum

Vt ex meatibus vbi agẽdum colligitur.

tum errent illi, qui spretis his specificis differentiis hauriunt indicationes à communibus, veluti sunt illi, qui credunt linguæ hæsitantiam prodire ab intemperie humida, de quibus paulò infra.

Ostenditur quomodo agendum colligi modo ex partium figura, & substantia, & compositione, modo ex numero, & officio partium.

CAPVT IIII.

QVOMODO agendum indicatur tantummodo à passione indicãtis, quia vnum, vt vnum indicat vnum solum, & non plura, vt cũ Galeno probabimus in libro de indicatione; quando verò nos dicimus, quomodo agendum colligi modo ex partium nostri corporis figura, modo ex substantia, modo ex partium compositione, modo ex numero, & demum ex officio, tunc nos non tollimus, quin à passione indicantis quomodo indicetur; sed illa signa colligimus à differentiis partium enarratis, quæ nos possunt docere modum, quo facilè indicans præter naturam vinci, & superari possit. Quomodo autem indicans possit pati, vt melius vincatur, & superetur, dicimus id colligi modo à cognitione figuræ partium corporis, modo à cognitione substantiæ partium, modo à compositione, & à reliquis citatis; sed quoniã exempla sunt illa, quæ promptè docent, aliquot afferamus. Numquid non ex ventriculi figura, quæ assimilatur oblongæ cucurbitæ, colligimus quomodo cerata sint affigenda ventriculo pro destructione indicantis? Ex hepatis figura imitante semilunium colligimus, quomodo extrinseca auxilia debeant hepati applicari; ex figura rectorum musculorum, dum illi tensi sunt addiscimus, quomodo topica sint affigẽda, vt in hac re plures errent videntes duritiem hanc oblongam in parte dextra, credentes spectare ad hepar, cum ad rectos musculos abdominis pertineat; in quæ errata non incurrerẽt, si hepatis, & horum musculorum figuram cognoscerent, quod erratum reiectum est in octauo capite secundi libri: ex figura splenis quoque colligimus, quomodo sint affigenda topica splenetica, splenis enim exigua pars occupat partem supernam, quæ topicis tantum potest tractari, interna verò nequaquam ob localia pati potest, supernæ igitur partis splenis figura assimillatur plantæ pedis, sed gibba est aliquantulum, in parte verò interna est concaua; quæ cum ita sint, quomodo poteris splenem tractare localibus, nisi perfectè prius scias figuram splenis, à qua præcipuè modus operandi, vel adiungendi emplastra, & cerata colligitur. Similiter ex figura coli intestini addiscimus, quomodo sint applicanda emplastra, vnguenta, & alia id genus, inferas ergo ex figura omnium viscerum cognosci posse, quomodo sint administranda remedia.

Exẽpla, quæ ostendunt, quomodo indicari à figura.

Præterea non modo à figura operandi modus colligitur, verum

Vt indicatur quomodo à substantia.

etiam à substantia partium, quoniam alio modo est agendum in parte dura, vt in ossibus, & dentibus, & alio modo in carne, alio modo in mammillis, & cæteris partibus glandulosis; alio modo in renibus, alio in medulla inferiori, quæ æmulari videtur nerui duritiem, quam in superiori, quæ est mollior: similiter in luxatione ossiũ chirurgus optimus quomodo agendum colligit à compositione; nam alio modo in diartrosi luxatæ partes in pristinum statũ reducuntur, alio in artrosi, & alio modo in symphisi, vbi nullus est manifestus motus, vt sunt suturæ ossium capitis, quæ per symphisim componuntur, & simul vniuntur; ex varietate igitur connexus, vel compositionis vario modo est agendum. Amplius, si considerationem compositionis transferimus ad partes componentes, tunc eodem modo à compositione in hoc sensu vsurpata colligimus quo modo agendum sit; exempli gratia, sit vulnus sub clauicula, vel in processu interno scapulæ, vbi reperitur rete illud neruorum, quod excurrit ad brachia, cui dubium, quod alio modo ob hoc rete, quod componit illam partem, erit agendum in dilatando, in secando illas partes, quam si in alio loco esset operandum? quinimo non solum in dilatando, & secando, verum etiam in localibus adiungendis esset temperatura neruorum expendenda; localia enim nimium frigida, & nimium calida neruorum temperaturam destruunt; ecce ergo, quod non solum compositio, sed etiam temperatura partium nos docere potest, quomodo agendum sit. Præterea, si numerum, & progressum partium componentium aliquod viscus spectamus, addiscimus quoque quomodo sit administrandum auxilium, cognoscentes nos splenem maximo venarum numero prodeuntium à porta cõstar ex hæmorrhoidibus, quæ venæ ab eodem trunco deducuntur, euacuamus, vt splenem subleuemus: idem dicendum de qualibet corporis parte; ecce, quod quomodo à numero, à progressu, & compositione colligitur. Postremò ex officio partis quomodo agendum haurire possumus; nam præcognito officio ventriculi esse chilificationem, quæ in illa caloris partium circumiacentium symetria consistit, nos ex officio læso partem circumiacentem, si est debito calidior, per interna remedia refrigeramus, si à naturali temperamento parum recedit, cibis refrigerantibus, vel topicis eandem virtutem habentibus conamur ad illam symetriam transferre calorem.

Vt indicatur quomodo à compositione partium.

Vt indicatur quomodo à numero.

Vt indicatur quomodo ab officio partium.

De quanto agendum sit, nostrates optimè dicunt, quantum desumi ab actione indicantis, nos verò hic laboramus, vt inueniamus illa signa, quæ nos docere possunt, an actio indicantis sit maxima, vel parua; quoniam scire quantum desumi ab actione indicantis, est communissima, & generica scire, à quibus nulla inferri potest consequentia. Quare dicimus nos quantum agendum, vel actionem indicantis desumi præcæteris à temperatura, per hypothesim, erit indicans calidum in capite, erit quoque simile indicans calidum in iecore, tunc temperatura capitis docebit nos, quod illud frigidum, quod hepati calido conueniret, capitis robur destrueret; quia capitis temperatura est frigida, hepatis verò calida; quare si actio indicantis debet vinci à potentiori,

Vt quantum indicatur à temperatura & à substantia partium.

tiori, nos pro hepatis calore refrigerantia eligemus intensioris virtutis, quam pro calore capitis, non quod eadem refrigerantia non superarent incendium capitis, sed quia destruerent temperaturam capitis; cerebrum enim ob suam temperaturam, & ob suam mollitiem, ita facilè alteratur, vt merito sagax natura ossibus cerebrum muniuerit, ne ae're extrinseco alteraretur; Quare dicimus temperaturam, & deinde mollitiem, duritiem, & qualitates ad substantiam pertinentes nos docere quantum agendum. Hinc mammillæ ob mollitiem; vesica ob suam frigidam temperaturam, oculi, aures, ventriculus tum ob temperaturam, tum ob situm quantum agendum admonere. Quando sumitur à præsentia indicantis, hæc præsentia verò colligitur à varijs symptomatibus, & aliquando à situ; sicuti videns Galenus pylorum in fundo ventriculi esse locatum, dicebat, liquida esse danda in principio conuiuij, vt promptè exeant, & ne impediantur ab iis, quæ sunt difficilioris concoctionis. *Vt indicatur quando à situ.*

Primum exemplum errorum nonnullorum Medicorum qui ob Situm partium corporis ignoratum dicunt cum Gal. pylorum exordiri a ventriculi fundo.

Cap. V.

Qvoniam ostendimus decem esse conditiones, vel differentias partium nostri corporis, quæ dant esse specificum affectibus tam naturalibus, quam præter naturam, & quæ docent remedia, & remediorum administrationem: nunc præstat de illis Medicorum erratis diligentius agere, quæ committuntur ob inscitiam prædictarum differentiarum, vel conditionum partium corporis, quæ sunt Situs, meatus, temperatura, & cæteræ superius enarratæ conditiones, quoniam illis erratis reiectis, reliqua vniuersa eadem methodo facilè corrigi poterunt: Exordiamur itaque à nonnullis erratis ad Situm pertinentibus. Errare igitur videntur nonnulli dicentes orificium ventriculi, quod in pyloron mittit esse in fundo, vel in decliuiori regione situm & collocatum, causaque huius tam communis erroris fuit sapientissimus Galenus, quoniam eius auctoritas talis est, vt non solum in totius Europæ tractus, verum in id quod Meridiano, & Septentrione finitur diffusa cultu obseruantiáque meritò existimetur. Hic vir igitur, cum ei nō licuerit secare humana corpora, videns in brutis quibusdam animantibus pyloron esse in fundo ventriculi, credidit in libro de tuenda sanitate, & in 4. de vs. par. capite 7. pyloron in hominibus quoque, à fundo ventriculi exordiri. Quæ opinio est falsa, & fuit multorum errorum origo. Falsa est, quia reluctatur experientiæ, quoniam in humanis cadaueribus oculis cognoscitur, pyloron ab imo ventriculo nō prodire, deinde reluctatur Vesalio, Columbo, & cęteris omnibus pręclarissimis anatomicis, qui quotidiè humana corpora secant; quare *Errare videtur Gal. dicens à fundo ventriculi exordiri pyloron.*

Vt Galen. reprehendit illos, qui in præceptorum placita iu rant.

esset vecordis, & nebulonis illa hominis natura, qui sententiam apertè falsam, & quæ aduersatur experientiæ non reiiceret. Quinimò est ipsiusmet Galeni præceptum 6.de morb.vulg.com.2.vbi habet, quod omnia sint examinanda ratione & experientia, & libertinos vocat illos medicos, qui sunt addicti auctoribus: & secundo methodi vocat tyrannicam illorum doctrinam, qui semper sunt addicti præceptoribus, & in libro de libris propriis reprehendit medicos, qui se vocant Praxagoreos, vel Hippocraticos, quapropter libero ingenio præditus non pepercit Hippocrati, Platoni, Crisippo, & Aristoteli, sæpè enim horum diuinorum hominum sententias reiicit atque explodit, demũ 1.sect.aph.com.1.dixit in arte medica, esse duo crura, quibus est incedendum, ratio nimirum, & experiẽtia: de auctoritate ne verbum quidem: quare & nos Galenum æmulantes despiciemus auctoritates philosophorum, si sensibus reluctabuntur, quoniam sicuti, vt dicit Arist. 8. phy. 22. est signum imbecillitatis intellectus dimittere sensum, & quærere rationem, sic dicimus longè maioris imbecillitatis intellectus esse, dimittere sensum propter auctoritatem alicuius summi phylosophi; à sensibus enim cognitio nostra dependet, vt iure Plato dixerit, sensus esse sinceros mentis internuncios, eósque appellauerit quasi satellites, & duces ad veritatem comparandam.

Exequamur ergo propositum; Galen.quarto, de tuenda sanitate capite vltimo, & 6.eiusdem libri & 4. de vsu par. 7. sustinet pyloron esse in imo ventriculi, habétque hæc verba 4. de tuenda: vbi ventriculus ali præterea non desiderat imam sui partem πυλωρὸν Græci vocant, id
" est, portam recludere, ac quod ciborum superfluit exprimere, ceu alie-
" num onus trudere; dicit igitur Galenus, quod pyloros est in fundo & imo ventriculo, idem dixit 4. de vs.par. 7. quod tamen reluctatur experientiæ, quoniam est in dextra parte ventriculi, quæ pars à fundo, & imo distat fermè palmi tractu, vt est videre in humanis cadaueribus, & hinc est, quod, licet ventriculus esculentis, & poculentis sit onustus, pyloro existente aperto, nihil ab ipso egrediatur, quod non contingeret, si pyloros à fundo ventriculi haberet exordium. Quod igitur ita se res habeat, ventriculi figuram obseruatam à Vesalio, & à cęteris anatomicis nostri temporis proponamus, an ne sensu patet vbi est A, ibi esse pylori exordium? an ne locus vbi est D, distat ab A, quod est ima ventriculi pars? videns igitur Galenus in simiis, & canibus esse pylori initium in fundo, credidit in eodem situ, esse quoque in hominibus.

Vt in multos errores cadunt, qui credant pyloren oriri ab imo ventriculi.



Cæterùm, quod pessimum est, hoc situ pylori malè percepto tra-

ctantur

ctantur quæstiunculæ ab iis, qui pertinaciter sunt addicti Galeno inanes, & futiles, veluti dum dicunt, à sumpto cibo esse operæpretium, se omnino abstinere ab exercitio, ne ob motum cibus incoctus in pylorum à fundo exorientem procumbat; cuius quæsiti causa non habet locum in hominibus; quia orificium pylori habent in parte superna, & nequaquam in fundo ventriculi.

Similiter, dum dicunt, quæ citæ sunt coctionis esse prius ingerenda, & postremò esse comedenda, quæ difficilioris sunt coctionis, rationémque desumunt à situ pylori, credentes orificium infernum ventriculi esse in fundo; ex qua falsa positione inferunt liquida, & ea quæ facilioris sunt coctionis, esse prius ingerenda, vt promptè, quando sunt cocta descendant; ea verò quæ sunt difficilioris coctionis, postremò ingerantur, quia diutius morantur in ventriculo, quæ omnia, cum ex falso principio prodeant, redduntur vanissima: patet enim situm orificij pylori esse in parte superiori, & palmi propemodum tramite distare ab imo. Quinimò sagax; & prudens natura meritò in superiori parte locauit orificium, quod in pyloron mittit, ne liquida, & quæ poculorum affluentia, atque frequentia ingeruntur, illico sic incocta descendant in pyloron; erat enim operæpretium, antequam cibus descenderet in duodenum intestinum, vt primam coctionem susciperet, quæ aliquo temporis spacio fit, & deinde in ventriculo suscepta aliqua coctionis elaboratione fieret chylus, & descenderet; sed nequaquam spontè, vt credunt Empyrici, sed à fibris rectis attractus, & à transuersis expulsus; munus enim præcipuum naturalium facultatum est, opificio rectarum fibrarum attrahere illud, quod coctum est, quia est dulce, & suaue, & ideo nequaquam graue, & onerosum quinimò tam expeditè à supernis, quam ab infernis partibus humores vtiles attrahuntur, vt in libro de reuulsione ostendemus. Quæ cum ita sint, omnes cessant quæstiunculæ; cessat illa, dum dicunt, quæ facilioris sunt coctionis, prius esse ingerenda, tum quia pyloros non exorditur ab imo, tum quia cibus ingestus regulatur à facultatibus naturalibus, & nequaquam sponte labitur: cessat quoque alia, dum dicunt, ob hâc rationem post cibum non esse faciendum exercitium, quia per orificium pylori incoctus cibus in intestina procumberet, quod non sequitur; quoniam orificium, vt diximus, est in parte superna, & non in fundo.

Vt errant Empyrici credentes chylum sponte descendere in pyloron.

Secundum exemplum errorum ob situm par. corporis ignotum est dum dicunt, os ventriculi esse sub mucronata cartilagine.

CAP. VI.

MEDICORVM vulgus (nescio quo fato) tam sæpè in rebus adeò apertis cæcutiat, & tanto tempore in hac versetur hæresi, quod

Errant qui credunt os ventriculi esse sub mucronata cartilagine.

videlicet sub mucronata cartilagine os ventriculi situm, & locatum sit: quilibet enim, qui semel tantùm perfectè videret humani corporis anatomen, vel saltem fidem adhiberet Vesalio, Columbo, & aliis anatomicis, quibus, in hac re præcipuè fides non est deroganda, is certissimè non diceret os ventriculi esse sub mucronata cartilagine, horum enim anatomicorum vnica est vox, quod ventriculi os ab illa parte distet, & situm, & locatum sit in sinistra parte, & vergat versus dorsum; aiúntque sub mucronata cartilagine esse aliquam iecoris portionem, quæ occupat regionem illam anteriorem, incipiens tamen à dextro latere, perueniénsque ad mucronatam cartilaginem, & aliquantulum vltra, vt amplectatur illam ventriculi partem gratia ipsum fouendi, & calfaciendi. Quare qui credunt mucronatam hanc cartilaginem, esse oris ventriculi munimentum, incidunt in plurimos errores, & illos inexcusabiles; quoniam existimantes os vẽtriculi ibi iacere, ex hoc errore in alium longè maiorem serpunt, veluti dum curantes animi deliquium factum ob bilem ferientem os ventriculi confugiunt ad mucronatam cartilaginem, credentes ibi esse os ventriculi, & illi parti admouent calida, vt sunt olea de nuce muscata, de spica, cerata stomacalia calida, & fomentationes: errant sanè, & lædunt maximè, quia ibi non est os ventriculi, sed iecoris portio, quæ à calidis his topicis insigne maleficium recipit; quinimò audias casum, quem semel vidi, erat vir quidam emaciatus ventriculo biliosis succis refertus, propter quos in anxietates & deliquia animi sæpè incidebat, erat quoque Empyricus ille notissimus ænobarbus, & obtrectator, quem tu nosti, qui misero huic patiẽti succurrere conabatur, admouebátque perpetuo, vbi est mucronata cartilago, calida, quorum maleficio, cum ad illum locum perueniat iecur, in calidissimos affectus, & incurabiles illum patientem reduxit; ecce igitur quàm sæpè maximi errores fiunt ob situs viscerum inscitiam; quis posset committere, quin valdè miraretur tam crassam multorum medicorum ignorantiam, cum tales sint, vt nunquam viderint, vel obseruauerint non dicam anatomen, vel anatomię scriptores diligẽtissimos, sed neque schema, & exemplar aliquod humani ventriculi vbi videre potuissent orificium vẽtriculi in lęua parte situm esse, & nequaquam sub mucronata cartilagine, sub qua portio hepatis manifestissimè iacet; insuper errare possunt ob situs mucronatæ cartilaginis, & adhærentium viscerum inscitiam, quando vulnerata cartilagine non animaduerterent vulnus illud esse lethale, tum quia munit septum transuersum, & cor: tum, quia tendo septi transuersi mucronatæ cartilagini subnectitur. Præterea aberrare plurimi videntur, qui perperam obseruant situm colli vesicæ, quoniam (dum à Lithotomo vesicæ calculo correpti inter anum, & testes secantur, gratia extrahendi lapidem) credunt in illa sectione secari quoque posse collum vesicæ, quem errorem sequi videtur Columbus anatomicus peritissimis, lib 5. cap. 26. vbi agit de musc. colli vesicę, dicitq; aliquando à Lithotomo, qui situm vesicæ ignorat, musculum ceruicis trãsuersim incidi, & inde nouum morbum induci, quoniam, dicit ille, secto

Vt lædunt ægrotos qui credunt os ventriculi esse sub mucronata cartilagine.

Cur vulnus mucronatæ cartilaginis sit lethale.

secto hoc musculo, inde vrinam non posse contineri, quæ sententia quamuis fuerit viri præstantissimi, vera esse non potest, quinimo si aliquis semel videret Lithotomum secantem, & incidentem, vt calculum extraheret, & semel vidisset vesicæ situm, illico certo sciret à Lithotomo non posse incidi, & secari ceruicem, vt admiratione dignum sit, quod Columbus, qui toties secauit hominum corpora, in hac re aberrauerit, cum tam clarè pateat collum vesicę palmi fermè interstitio abesse ab illa parte, quæ inter anum & testes secatur, & Lithotomi vulnus non perueniat ad collum vesicæ, sed solum vsque ad fistulam, quâ defertur Lotium, neque vltra penetrare potest, quia impeditur à quadam magna siringa imposita à Lithotomo, quę est tamquam vulneris terminus, & quæ immittitur, vt pars illa externa solũ secetur, in qua nullum subest mortis periculum.

Errat Columbus dicens, quod à lithotomo incidatur collum vesica.



Quia vbi est O ibi est locus, qui secatur à Lithotomo; vbi est E ibi est vesicæ collum; quare nullo modo vulnus Lithomi poterit lædere collum vesicæ.

Præterea patet experiẽtia vulnus Lithotomi periculo vacare, quoniam aliqui inueniuntur patientes, qui illo sæuissimo affectu vexantur, vt illis ob carunculas, vrina adeò supprimatur vt nullo modo cõsuetum iter facere potens exedat fistulam inter anum & testes, & sibi viam aperiens in loco vbi Lithotomus secare solet multorum annorum spacio sine aliquo vitæ discrimine lotium, perpetuò stillet: Patet quoque Hippocratis auctoritate qui 6. sect. aph. 18. dicit pertusa perfectave vesica, cerebro, corde, septo transuerso, &c. esse lethale, quare inferendum est, si Lithotomi secarent collum, omnes perituros, nec valet dum occurrunt collum vesicæ esse carnosum, & propterea vulnus non esse tanti faciendum, & Hippocratem intelligere de vesica, & nequaquam de ceruice; quia responsio est à veritate aliena, quoniam in ceruice vesicæ est maior neruorum, arteriarum, & venarum implexus, quam in qualibet vesicæ parte, & per consequens maius periculum, neruorum enim propagines sextæ coniugationis cerebri irrigant vesicam, & in collum tamquam in centrum vniuntur omnes, vnde exquisitior sensus; similiter venæ, & arteriæ vesicæ in collum omnes cõueniunt, vt necis periculum si respicimus vasa, maius sit ob læsum collum vesicæ, quam ob vesicam. Errant quoque dicentes collum vesicæ esse valdè carnosum, quod reluctatur sensibus, quoniam, si inspicient summa cum diligentia collum vesicæ, non videbunt esse carnosum; quinimò, vt meum sensum liberè dicam, fateor me inspexisse nõ semel collum vesicę, & nunquam vidisse in cadauerum vesicis aliquas fibras carnosas, adeò musculus ille est exilis, & ferè inuisibilis. Causa

Vulnus lithotomi carere periculo.

Vt errant qui dicunt vulnus colli vesica, non esse lethale, vt vulnus vesica.

Cur sæpè moriantur qui à Lithotomis secantur. verò, cur pereant aliqui, qui à Lithotomis secantur, est, quia post sectionem immittunt forcipem, & violenter collum dilatant, & dilaniant, vnde collum vesicæ sic laceratum, ob eius virtutem collisam, in cancrenam facilè cedere potest, vnde mors sequi solet. Quomodo autem vitari possint hæc mala, quæ à Lithotomis perpetrantur, agemus tum in lib. de mala administratione remediorum, tum in libro de ferro, & igne; nostrum enim in præsentia est animaduertere errata, quæ committuntur ab Empyricis ob inscitiam situs partium nostri corporis, & quia situs colli vesicæ à multis ignoratur, propterea in exemplum methodi nostræ proposuimus.

Primum exemplum errorum ob Meatus par. ignoratos est, dum dicunt, causas adæquatas Lithiasis esse materiam crassam, & calorem renum.

Capvt VII.

CORRVVNT in hanc communem sententiam medici nostri temporis, dum perquirunt causas passionis nephriticæ, dicente causas duas tantum esse sufficientissimas, materiam scilicet, & efficientem, causam verò principalem, quæ consistit in meatibus ad renes, & hepar pertinentibus omittunt, deberent enim per omnes propositas differētias partium percurrere, quia quæ ad esse specificum affectuum spectant, semper inuenirent. Primò enim dicunt materiam esse lentos, & crassos humores congestos, vel ob vsum ciborum crassorum, vt est lac, caseus, & alia id genus, quæ cùm facilè coctionis rationem aufugiant in crassa, & viscosa excrementa cedunt. Secundò dicunt necessariò quoque conspirare efficientem causam Lithiasis, quam dicunt esse calorem immoderatum renum, qui attrahit in renes crassa excrementa, quæ, si alicuius temporis tractu ibi morantur, in tophos, vel lapillos, vel arenulas degenerant, quæ sententia, cum versetur in vniuersalissimis, & nequaquam in specificis, aduersabitur nostræ philosophiæ, & ni fallor, veritati ipsi, semper enim constanter dicimus ex notionibus tantùm vniuersalibus neque specificam cognitionem, neque remedium nos posse colligere, quia incidimus in paralogismum affirmatiuum secundæ figurę, de quo paralogismo alibi à nobis actum est. Cæterum exequamur propositum, & ostendamus aliquid aliud requiri in nephritica passione præter crassa excrementa, & calorem renum, & ostendamus caloris excessum, & crassitiem humorum præter naturam non semper conspirare; an-ne innumerabiles reperiuntur homines, qui humorum crassitie sunt referti, qui semper lacte, & caseo victitant, & innumerabiles tales, quibus exardent renes, qui nullo vitæ suæ tempore lithiasim passionem sunt experti? quare quomodo poterunt defendere causas specificas lithiasis esse

esse crassitiem humorum, & caloré insignem renum? de ratione enim causarũ, quæ per se sunt, est, vt positis causis, ponatur effectus, vel saltem versa vice, posito scilicet effectu ponantur causæ; inquiramus igitur nos causam seu conditionem specificam lithiasis, eámque à decem illis citatis differentiis eliciamus, & ne semper eas vniuersas repetamus, confugiamus ad Galenum, qui adæquatam, & veram causam seu occasionem nephriticæ passionis docet, quæ continebitur quoque in illis decem propositis, dicit igitur Galenus, 14. methodi capi. 16. incidunt ex victu crasso diu exhibito in generationé calculi, & non omnibus contingit, quia quibusdam ita densi sunt renes, vel sunt angustissima ora venarum in iecinore, vt sine errore in victu hoc morbo corripiantur; ecce igitur, quod vera causa, quæ specificum reddit affectum hunc renalem, erant lati meatus, vt valeat consequentia, meatus sunt angusti, ergo (quamuis, & calor ingens, & maximus infarctus humorum sit in corpore) non fiet lithiasis. ""

Occasionem adæquatam calculorum esse latos meatus, & non crassos humores, & calorem renum.

Præterea, vt melius cognoscamus calorem, & crassitiem nullo modo esse veras, & immediatas causas: ad experientiam aciem oculorum conferamus, numquid non inueniuntur plures, qui vtuntur summa inedia, in quibus nullus infarctus colligi potest, attamen calculum, & arenulas gignunt? quomodo ergo erit necessaria in lithiasi passione multa crassities? similiter an-ne plures patiuntur hunc affectum, qui sunt omnino calore ferè spoliati, veluti sunt illi, qui ad extremam senectam peruenêre, qui calculos, & arenulas patiũtur? postremò an-ne fieri potest calculus in infantibus in vtero matris existentibus, in quibus causa adæquata non potest dici pituitosus infarctus, cum fœtus, vel embrio sanguine purissimo, & nequaquam viscoso nutriatur? quare crassities, & calor non erunt causæ adæquatæ, quinimò sæpè remotæ, & extraneæ; in omni enim homine tenuissimis humoribus prædito potest esse tanta crassities, quæ lithiasim facere posset, quare crassities, vel calor neque per se, & adæquatæ erunt causæ, neque ex illis, quæ saltem sunt de omni; relinquitur itaque causam veram, & adæquatam esse meatus in renum regione plus debito apertos; quoniam iis positis, ponitur lithiasis, & posita lithiasi, ponuntur meatus multum aperti; quod clarius quoq; colligitur à Galeno 6. de morb. vulg. 1. com. 5. vbi hoc verborum ornatu discurrit: quicquid in venis serosum, tenuéque cum sanguine mixtum est, id à rene in se ipsum trahitur, cúmque meatus, per quos id in ventriculos renum illabitur, latius aperiuntur, etiam aliquid ex crassioribus simul influit: quare Galenus vult apertos, & latos meatus esse causam lithiasis, & necessariò concurrere in generatione passionis lithiasis; cæteræ verò causæ non necessariò concurrunt, quia, vt diximus, inueniuntur senes calore nó solum renum, sed totius corporis priuati, qui calculos patiuntur, & deinde inueniuntur, qui renibus sunt calidissimis, & excrementis crassissimis sunt referti, qui nũquam patiuntur, vel passi sunt lithiasim affectionem, quare, si necessariò non concurrunt calores, & lentores, neque necessariò indicationes à crassitie humorum, & à calore intenso hauriemus. """

Vt errāt, qui in lithiasi vtuntur refrigerātibus.
Obiectio.
Sol.
Obiectio.
Sol.

Hinc errant illi Empyrici, qui refrigerant miseros senes lithiasim passionem habentes, qui sunt calore exuti; refrigerāt enim aquis thermarum, sero lactis, credentes excessum caloris necessariò concurrere ad gignendum calculum: nec obiiciant dicentes, quòd necessariò calor conspirare debeat, vt tenues partes resoluantur, & crassæ relinquantur, quoniam occurrimus in omni viuente corpore, quamuis sit secundum totum frigidissimum, tantum esse posse tenuum calorem qui possit temporis spacio lentorem illapsum cogere, & condensare. Similiter, neque obiiciant, non fieri lapillos sine crassitie humorū; quoniam nos concedimus, in omni viuente esse posse tantam crassitiē humorum, quæ si in renibus moraretur lapillum efficeret: negamus tamē illum calorem, vel crassitiem illam, quæ sunt præter naturam, & quæ alliciunt medicum, & quæ debent tolli contrariis conspirare semper in arenulas, vel lapillos gignendos, cum in omni homine non pituitoso tanta sit pituita, quæ vnum lapillum efficere possit, & propterea reprehendimus illos, qui in omni lithiasi vtuntur refrigerantibus, vt seminibus mellonum, sero lactis, & similibus: vel illos, qui semper attenuantibus, & incidentibus vtuntur, quasi arenulæ fieri non possint sine stomachi, & totius corporis repletione crassorum excrementorum, & quasi, non inueniantur biliosissimi homines, qui sanguinem, & cæteros humores tenues habeant, qui lithiasim patiantur affectum. Patet igitur auctoritate Galen. & experientia, crassorum humorum dominium, & caloris excessum nō esse semper causas per se calculorum, vel arenularum; sed esse latos & reclusos meatus hepatis, venarum emulgentium, & renum, qui necessariò in lithiasi affectu concurrere debent. Hinc errant Græci vt Paulus, Ætius, & Alex. qui vbi de hac re loquentes dicunt, caloris excessum esse causam efficientem lithiasis, quæ opinio, vt ostendimus, reluctatur experientiæ, & Galeno, qui 6. de morb. vulg. 3. com. 15. habet hæc verba; „ calor autem vel mediocris ad „ hanc cogendam materiam satis est, si quidem in calidis aquis spontè „ scaturientibus, & si tepidiores sunt moderatis, concrescere tophi conspiciuntur. Quid clarius vnquam explicuit Galenus, dicēs quòd possit esse causa efficiēs calculi calor moderatissimus, & quòd ob moram diutinam resoluatur humidum à quoque leuissimo, & tepidissimo calore? Hinc in vesica, quæ longè est frigidior renibus tum ob substantiam nerueam, tum ob cauitatem, in quam aër perpetuò permeat pòst excretionem lotij, ne detur vacuum, in vesica in quam lapides concrescunt, vbi est tam diminutus calor; quo pacto ergo caloris excessus erit efficiens causa lapilli, & arenularum? qua ratione igitur in sene annis obsito lithiasi affectione cathenato laudant refrigerantia? vt nuper fecit Empyricus qui tractauit hominem, in vltimo senio constitutum hac passione vexatum, refrigerantibus: quo pacto, si tophi, & lapilli à moderatissimo calore fieri possint, volunt semper in lithiasi renes refrigerare?

Vt errant aliqui Græci de lithiasis causis loquentes.

Tophos quoque cōcrescere ob calorem moderatum.

Secundum exemplum errorum ob Meatus par. ignoratos est, dum Galenus dicere videtur in renibus esse cribrum.

CAPVT VIII.

PRÆTEREA, vt decem conditiones partium nostri corporis diligentius expendamus, à quibus esse specificum affectuum colligitur, valdè prodesse poterit, si eas applicabimus plurimis corporis partibus; dum loquimur igitur de meatibus, se offert, vt proponamus illud erratum nonnullorum antiquorum, & ipsius Galeni, qui credebãt in renibus esse quosdam meatus, qui emularentur cribrum seu colatorium, per quos dicebant lotium sincerum percolari, vt portio sanguinea superne detenta renes aleret, addebántque cribro hoc dilatato atque recluso ab aliqua causa præter naturam aperiente, sanguinem deinde egredi cum lotio. Quis amabo certo scire poterit, an in renibus sit hoc cribrum seu colatorium nisi ipsos renes inspiciat, aperiátq;, & contempletur renum figuram, situm, meatus, & reliquas enarratas conditiones? quoniam ex harum conditionum, vel differentiarum partium corporis inscitia necessariò prauæ affectuum debent fieri intelligentiæ, & omnino à veritate alienæ; & ex mala intelligentia partium corporis indicationes deinde hauriuntur sępissimè transcendentes, & falsæ, vnde variis modis miseri læduntur ægrotantes: audias igitur cum anatomicis nostris quo pacto sint constituti renes, si vis cognoscere, an in ipsis sit crebrum, nec ne: in primis tam à vena maiori, quam ab arteria oriuntur emulgentes, per quas à renibus fit perpetua attractio ichoris sanguinis; emulgentes deinde ingrediuntur corpus renum, & coëunt simul in vnum truncum, qui deinde in ramos diuiditur, qui per vniuersam renum substantiam disseminantur, vt renes sanguinea portione nutriri possint; sed, cum serosa portio, vt inutilis, debeat propelli à renibus, & nulla adsint foramina sensibilia (vt oculis cognoscitur in anatomia) quæ imaginem habeant cribri, vel colatorij, eadem serosa humiditas penetrat quasdam renum eminentias, quæ sunt ramulis dispersæ, & per has in vreteres stillat, vel percollatur, & deinde ad vesicam per meatus vreteres qui sunt sensibiles procumbit; quare experientia patet, non dari hanc membranulam, quæ sit apposita finibus surculorum emulgentium, & quæ cribri imaginem exprimat gratia retinendi sanguinem; vt obseruatur in meseraicis venis gratia quoque retinendi sanguinem, quoniam sagax natura ex ipsamet substantia renum procreauit quasdam eminentias, quæ ingrediuntur in ramulos illos dispersos, quæ eminentiæ obstant, ne sanguis dilabatur. His rebus factum est, vt quando lapillus renum detruditur ad vesicam, eminentiæ hæ diuellantur ac aliquæ lacerentur, vt exinde fluat sanguis cum vrina, donec natura errorem illum correxerit; adeò vt cribrum, vel colatorium sit abiiciendum, cum re vera nulla membrana perforata, vel nihil, quod cribri specimen declaret, inueniatur; neque

Errare videt Galen. admittens cribrum esse in renibus.

Vt constituti sint renes.

In qua errata inciderẽt, qui admitterent cribrum in renibus.

ab anatomicis diligentissimis obseruetur; quapropter, si obtigerit deflui sanguinem cum lotio, non erit credendum cribrum esse dilatatũ, & propterea indicationes astringendi, vel incrassandi esse hauriendas, vt facerent illi, qui cribrum seu colatorium admitterent: vt ex iis cognoscere possimus, in quot errata inciderent, supposito cribro, vel colatorio.

Tertium exemplum errorum ob meatus ignoratos esse dũ Galen. admittere videtur cribrũ esse in osse cuneali.

Præterea veteres Medici, inter quos est sapientissimus Galenus, excogitarunt esse aliud cribrum in osse cuneali, vbi est sinus ille equi sellæ simillimus, dixerúntq;, quemadmodum in renibus percolatur lotium, & à sanguinea parte per cribrum secernitur; simili modo in osse cuneali, vbi insidet glandula colligens excrementosam pituitam cerebri, debet esse cribrum; putabant enim os cuneale in superficie habere osseam squamam multis foraminibus peruiam, quę cribri specimen exprimeret, quo mucosa pituita stillaret, & deinde per nares, & palatum deflueret. Hæc sententia non debet reiici rationibus, sed experimentis, quare cum nemo anatomicorum sit, qui viderit vnquam in superficie ossis cunealis foramina, & aliquid simile cribro, erit explodenda tamquam sensibus, & veritati contraria; in iis enim, quæ pertinent ad sensum, nulla debet esse disputandi occasio, nec rationes vllũ habent locum: reiiciemus tamen errata, quæ falsa illorum principia, & positiones sequuntur, dũ dicunt videlicet, cerebri excrementa omnia ab illa paruula glandula recipi, & deinde per cribrum descendere, & ad nares, & ad palatum procumbere, & propterea errhinis, & masticatoriis vtuntur, quasi alia non dentur foramina in capite, nisi illa, quæ mittunt ad nares, & ad palatum: errant primo dicentes pauxillam illam glandulam tantũ pituitæ excrementosæ aceruum recipere, perinde ac cerebrum alios non haberet meatus, quam ossis cunealis.

Dupliciter errant, qui tenent glandulam cunealis recipere omnia excrementa cerebri.

Secundò errant, dum in omni destillatione vtuntur errhinis, & masticatoriis, quia alia plura sunt foramina capitis; per quæ pituita secernitur. Audias igitur foraminum omnium capitis breuissimam historiam, nam alia vix inueniri possunt; os cuneale habet decem, & septem foramina propria, in temporibus octo sunt, in occipitio septem; deinde quatuor foramina maiora sunt illa, quæ sunt communia syncipiti, cuneali, & temporibus, duo sunt in fronte, in maxilla vero superiori sex obseruantur foramina propria, communia verò maxillæ septem; deinde inferior maxilla habet duo; præterea quatuor sunt foramina communia oculis, maxillæ superiori, & ossi frontis, & alia aliquando in aliquibus caluariis obseruantur, quia re vera nunquam seruatur in omni cadauere idem foraminum numerus ad vnguem; de qua re nostrum non est hic agere, satis enim mihi est ante oculos ponere plurimos meatus sensibiles esse in caluariis, de quibus Columbus, & Vesalius diligentissimè tractant: per hos igitur meatus aditum expeditissimum habent recrementa, vt sit ridiculum credere paruulam illã glandulam cunealis omnia cerebri excrementa recipere, & credere, quod omnia foramina ad nares, & ad pallatum excreméta mittant. Ex quorum omnium meatuum cognitione in reuellendis, & deriuandis excremen-

Quæ, & quot sint capitis foramina.

crementis summam intelligentiam colligemus, quoniam nisi meatus per quos meare possunt humores cognoscemus, neque reuellere, neq; deriuare sciemus.

Quartum exemplum errorum ob meatus partium ignoratos est, dum dicunt Traulos, & Balbos ob intemperiem humidam capitis fieri.

CAPVT IX.

PRÆTEREA, vt plurimis & conspicuis exemplis ostendamus affectum genericum ob meatuum varietatem fieri sæpè specificum, proponamus illos affectus, qui apertè docere possunt veram esse hanc nostram methodum, vt sunt trauli, balbi vel semilingues, qui habent tale specificum esse ob quosdam meatus existentes in maxillis: Trauli igitur illi vocantur, qui in locutione literam r non possunt exprimere; vt autem huius affectus immediatam causam consequamur, proposita nostra methodo est incedendum, proponendo decem illas enarratas conditiones partium corporis, & ex sufficienti enumeratione illarum colligere, quæ conditio ex illis faciat affectum specificum, veluti dicendo non fieri traulos ob figuram læsam instrumentorum pertinentium ad locutionem, quia nos vidimus figuram partium ad locutionem conspirantem eandem esse in iis, sicuti in cæteris hominibus; pergas deinde dicendo, non ob substantiã, situm, progressum vasorum, vel exordium læsum; quoniam eadem seruatur substantia instrumentorum pertinentium ad locutionem in iis, vt in aliis hac affectione priuatis, idem particularum progressus, & situs, & illudmet instrumentorum exordium. Similiter dicere valemus, traulos non fieri ob temperaturam linguæ, & cęterarum partium conspirantium ad locutionem, quia illi, qui malè exprimunt r, inueniuntur modo frigidi, modo calidi, modo humidi, modo sicci tam secundum totum, quam secundum omnes partes, vt trauli modo abundent sputis, modo priuētur, modo calidi, modo frigidi sint; quare temperatura traulos nullo modo constituet; inferas ergo post sufficientem enumerationē conditionum, traulos tales esse ob aliquam varietatem meatuum existentium in instrumentis pertinentibus ad locutionem; quoniam non dãtur aliæ differentiæ partium illarum, quæ possunt affectum aliquem facere, nisi illæ decē, quarum, si nouem optima ratione aliqua excluduntur, decima est illa, quæ dat esse specificum affectibus tam naturalibus, quàm morbosis; si aliquis igitur erit traulus, erit ob nimios, vel ob plures, & situ differentes meatus existentes in instrumentis pertinētibus ad locutionem. Instrumenta verò ad locutionem pertinentia sunt pulmo, trachea, larynx, lingua, palatus, dētes, & labia, dicas deinde, nullam illarum decem conditionum in omnibus iis instrumentis obseruari in traulis, quæ ad vnguem non obseruetur in iis, qui quam

Qua meth. inueniatur traulorum specifica causa.

Quæ sunt instrumēta ad locutionem pertinentia.

optimè loquuntur,præter illam differentiam, quæ consistit in meatibus,ergo meatus facient traulos, erítque affectus in conformatione, & nequaquam in intemperie: sunt enim in media palati regione, id est, in quarto osse superioris maxiliæ in illis omnibus quos hucusque viderim, qui hanc literam r exprimere non possunt duo foramina, quæ nullo modo adeò aperta,& obuia inueniuntur in iis,qui illo affectu carent,ergo causa immediata,quæ posita ponit, erũt duo illi meatus aperti,& affectus erit in conformatione.

Methodus inueniendi balborum & semilinguiũ immediatam causam.

Eadem methodo balborum,& semilinguium immediatam causam perquirimus percurrentes decem illas differentias instrumentorum pertinentium ad locutionem, dicendo, id non fieri ob figuram, quoniam eandem obsident figuram balbi & non balbi:neque ob substantiam illarum partium,vel progressum venarum vel neruorum vel ob exordium aliquod læsum, quoniam partes ad locutionem conspirantes neque in substantia,vel progressu, vel exordio, vel situ variantur; sequitur ergo esse ob meatus; sicuti enim diximus in media regione palati obseruari duo meatus, qui faciunt traulos. Similiter obseruamus iuxta dentes foramina(omnibus iis tamen ab ortu naturę congenita)maiora,per quæ pituita stillans, vel irrigans linguam in parte illa anteriori blesam locutionem facit, vnde balbi, & semilingues fiunt; nec propterea dicendum est balbos fieri à capite pituitoso, vel à cerebri humida intemperie; quoniam in qualibet valdè sicca cerebri intemperie tanta colligi potest pituita, quæ procumbens per illam partem irrigare linguam,& balbos facere possit,quæ pituita,si in maxima quantitate per alia foramina maxillæ descenderet,& bucam impleret, non balbos propterea faceret.

Vt errãt, qui dicunt traulos & balbos fieri ab humida intemperie capitis.

Communis ergo sententia,quod trauli, & balbi, & semilingues fiãt ob nimiam cerebri humiditatem aduersatur experientię;etenim quomodo nimia capitis humiditas erit causa traulorum, vel balborum, si non est semper & de omni? Quis non videt blesos aliquos aliquando summa capitis siccitate esse præditos,& viceuersa plures inueniri insigni humorũ diluuie correptos quos pituitosa excremẽta ab ortu naturæ ad vltimum vsque sunt comitata diem,qui locutionem ita facilem atque expeditam habent,vt nihil in locutione exprimatur, quod vacillet. Quin tandem hoc somno excitabimur in reiiciendis his omnibus causis,quæ non sunt adæquatæ, & conuertibiles? vt illos reiiciamus,qui afferunt causas,quæ,non sunt de omni, quippe quæ neque infimum necessitatis gradum sapiunt,quo nihil ineptius,aut stolidius in philosophia proferri potest; causas enim, quæ perpetuò veræ sunt & in omnibus,mulierculæ,& rustici conantur venari, & quæ solum in aliquibus, vel aliquo tantum tempore veræ existunt, à pueris quoque reiiciantur. Quia veræ causæ debent esse de omni, per se, & conuertibiles:omnes enim, qui sunt blesa irretiti locutione, vt experientia docet,habent meatus maiores circa dentes,& versauice: simili modo, omnes trauli habent meatus in palato circa quartum os maxillæ, & viceuersa. Quare cum intemperies cerebri humida non concurrat

currat in his affectibus, nescio quo spiritu diuinus Hippocrates ediderit aphorismum 32. 2. sectionis, Balbos fluxu tentari ob intemperiem frigidam, & humidam capitis, cùm æquè frequenter eueniant fluxiones in balbis, vt non in balbis: nisi dicamus in Aphorismo Hippocratis explicari causam aliquam remotam, quæ aliquando iuncta cum proxima affectum facere posset, & propterea Aphorismum aliquando solum, & non semper verificari posse.

Aphorismus Hippocratis de balbis non semper verus.

Similiter, nescio quo consilio ductum Oraculum apud Herodotum citatum dederit balbutienti responsum, vt in Lybiam regionem calidam se transferret, nisi hac communi doctrina percitum, quod scilicet balbuties oriatur à causa humida, & frigida; & propterea cum in Libya regione æstuet calor, crediderunt illi sacerdotes callidi, & vafri balbutientem adeò posse calefieri in loco illo calido, vt tota humiditas consumi possit, quod est impossibile; quia prius vita, quam tota humiditas stillans, & irrigans linguam adimeretur; atqui sacerdotes parum in anatomia occupati, & maioribus rebus deditii secuti sunt communem, sed falsam sententiam, quæ erat quod balbuties à frigiditate, & humiditate cerebri semper prodiret: colligas ergo esse prorsus impossibile, vt specificos affectus cognoscamus, nisi partium affectarum perfectè sciamus, & cognoscamus illas decem conditiones, quæ sunt situs, meatus, figura, compositio, temperatura, substantia, numerus, progressus, officium, & exordium partium affectarum; quia in examine harum conditionum semper facilè inueniemus esse, & naturam specificam affectuum omnium.

Vt errat Oraculum respondens balbutienti vt eat in Lybiam.

Postremò tot sunt affectus, qui ob meatus nimium apertos, vel nimium occlusos fiunt, vt non sit mirandum, si Methodici tam facilè in illum errorem inciderint, quod omnium affectuum origo essent meatus nimium aperti, vel nimium clausi, vel mixtum ex iis, quoniam raro obseruantur morbi, qui ob meatus læsos non sæuiant; audias quem morbum obseruat Auicen, fen. 1. doct. 4. capite 1. qui fit ob quendam meatum occlusum, dicitque quod colica aliquando contingere solet ob meatum felleum occlusum, veluti quando angustia fit in surculo illo, qui à porro felleo descendit ad intestina, tunc enim angustia transitum bilis ad intestina impedit, vnde non irritatur expultrix intestinorum, & per consequens retineantur feces, & ob moram durescant. Et quia colum intestinum est omnium maximum, & imbecillum colligit magnam fæcum copiam, & postquam est obfarctum atque onustum, intensus dolor gignitur, qui non tollitur medicamentis soluentibus (vt putant Empyrici) quia attrahunt nouam materiam, vnde maior fit humorum obfarctus, & per consequens maior dolor excitatur, neque tollitur Hiera, vel cæteris exsiccantibus, quia magis exsiccantur, & magis durescunt fæces; neque tollitur clysteribus, quia clausum est colum intestinum, sed solum tunc est fidendum oleo amygdalino dulci ad semilibram per os assumpto: videas ergo quo pacto meatus occlusi, vel aperti dent esse specificum affectibus: quomodo autem cognoscatur, quando hæc

Ostenditur colicam aliquando contingere ob meatum felleum occlusum.

Vt errant, qui pharmacis colicum dolorem auferre volunt.

proposita ægritudo fiat ob angustiam, & an angustia fiat à materia obstruente, vel ab affectu alio comprimente, vel à coalescentia, in primo lib. methodos tradidimus, quæ omnes affectuũ ideas genericas promptè docere possunt, hic verò illæ conditiones, vel differentiæ partium corporis, quæ nos possunt docere specificas, & vltimas affectuum differentias, quæ sunt situs, meatus, compositio, & cætera, proponuntur, quæ maximè conferre poterunt proposito nostro.

Errant, dum in temperatura perquirenda paralogizant, & sumitur in exemplum cor, vt pars omnium præstantissima.

Cap. X.

INFINITI propemodum affectus specifici tam naturales, quàm non naturales à temperatura prodeunt; sed quoniam priscis, & modernis temporibus, medici semper faciles fuerunt ad credendum, affectus prodire à temperatura, vt abundè ostendimus in 1. libr. capite 22. propterea non decet, vt nos acta agamus, & conspicua & comperta exemplis illustremus. Veruntamen mihi videtur in cognitione temperaturæ partium illud plurimis negotium facessere, & rudiores in plurimos propterea elabi errores, dum non distingunt temperaturam totius à temperatura partium; incidunt enim in paralogismum dum à partibus ad totum procedunt, veluti de corde loquendo ostendi potest, partes enim solidæ cordis omnes sunt frigidæ, attamen totum cor est calidum, vt sit paralogismus, dum dicunt, omnes partes cordis sunt frigidæ, ergo cor est frigidum, non valet; nec valet, totum cor sua natura est calidissimum, ergo & partes omnes, quoniam re vera tantum abest, vt partes cordis sint calidissimæ, vt potius sint frigidæ: atqui, ne hoc videatur paradoxum, excutiamus hanc materiam; & in primis, quibus nitantur auctoritatibus, in medium afferamus. Est igitur Galeni locus pro illorum sententia 5. de loc. affe. 1. vbi hac verborum serie de corde dicit, declarauimus in aliis libris, cor esse veluti fontem innati caloris, & in lib. de fœtus formatione habent, cor esse animalibus inditum, vt esset focus ignis, & libr. de vsu. par. 6. cor caloris natiui quo animal regitur, esse quasi fontem quendam, & domicilium, ex iis alogiatri colligunt, cor secundum omnes partes esse calidissimum, adiungunt quoque Galeni placitum 8. de vsu par. cor nimirum esse refertũ arteriis, & venis, quibus nulla est calidior in corpore animalis particula, quare si nulla particula est calidior corde, res erit certissima, quod secundum omnes partes cor sit caloris ferax. Præterea referunt Arist. loca lib. de sens. & sensib. cap. 2. vbi scribit, cor esse oppositum cerebro, quare si cerebrum est frigidum secundum omnes partes, erit quoque cor calidum secundum omnes partes.

Est paralogismus dicere omnes partes solidæ cordis sunt frigidæ, ergo totum cor.

Hanc sententiam in hoc loco reiicere constitui, tum, quia de hac fabella semel disserui cum Empyrico, tum, vt hac occasione declarare

possim,

possim, cuiuslibet visceris diuersam esse intemperiem totius, & partium, & nullam esse consequentiam à partibus ad totum, neque à toto ad partes, quia Aristo. 7. meth. text. 60. dicit, quod syllaba ba non est ipsa elementa, nec idem quòd b & a, sed aliquid aliud, & 8. meth. text. 15. habet hæc verba, totum non est quasi coaceruatio partium, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes: & 12. meth text. 22. dicit, formas simplicium esse alias à formis compositorum; hæc sunt principia quæ nos docent, cur à partibus ad totum non valeant consequentiæ. Causa autem cur temperaturam cordis proposuerimus est, quia cor est omnium viscerum principalissimum; vnde singulari hac præceptione tudiores, qui de re medica consulunt, admoniti poterunt de quolibet viscere intemperiem partium, & totius expendere, vt diuersam: & aliquando contrariam, vt de corde dictum est.

A quibus fontibus colligitur à toto ad partes, vel à partibus ad totum, nullas esse cōsequentias.

De cordis igitur temperatura dicimus, quod constat ex panniculis, & membranis, cartilaginibúsve, & neruis à 6. pari prodeuntibus, quæ vniuersæ partes sua natura sunt frigidæ, quod fundamentum confirmatur Galeni testimonio, & Auic. in sua anatomia: Galeni, quia 3. de alimentis cap. de visceribus pedestrium habet, cordis substantiam esse carnem fibrosam, ac duram, ideo cor coctu esse difficile, & tardè permeare, quare si habet carnem fibrosam, & fibræ naturaliter frigidam substantiam obtineant, vt omnes consentiunt; cordis partes similares erunt frigidæ. Similiter Arist. 2. de hist. animal. c. 16. & cap. 30. habent cor iungi arteriæ vinculis fibrosis, è quibus componitur, atqui hæ partes frigidæ sunt, ergo constat cor ex partibus continentibus sua natura frigidis: quare nulla erit consequentia, cor est fons caloris, ergo partes solidæ sunt calidæ, quia cor est dissimilare, cuius munus per motum systolis, & diastolis est gignere spiritum vitalem; neque potuisset gigni calor ob motum, nisi partes continētes fuissent duræ, & fibrosæ, & per consequens frigidę, quoniam calor, qui à motu pendet, fit ob collisionem corporum durorum. Quare erat necessariū, vt in corde duo obseruarentur temperamenta, aliud videlicet totius, & aliud partium; nullum enim est inconueniens, vt cor secundum totum sit fons caloris, & sit calidissimum; secundum partes continentes sit frigidum, secundùm verò contenta, & impetum facientia, quod est secundum sanguinem arteriosum, & spiritum vitalem, sit calidissimum.

Ostenditur omnes partes similares cordis esse frigidas.

In corde duo temperamenta.

Quare posita hac distinctione temperaturarum, omnia argumenta cadunt, & euanescunt, quinimo clarè vidimus, illa omnia argumenta esse à partibus ad totum, quæ argumenta sunt à diuisis ad coniuncta, vbi idem sensus non seruatur in antecedentibus, & consequentibus, & sunt argumenta falsissima, reiectáque ab Aristot. in libr. perihermę. & alibi, de quo paralogismo in libr. de analogismo, & de falsa experiētia quoque agemus. Concludimus ergo, solidas partes cordis esse frigidas; ratio autem, cur à natura contextum sit cor ex frigidis, & duris partibus, desumitur ab Alberto Magno libr. de sen. & sensa. tract. 1. capit. 1[illegible]. quæ est, vt magis resistat alterationibus, & perpetuis motionibus. Natura enim rerum opifex sagacissima propter finem agens, sem-

Cur partes solida cordis frigida, & dura facta sint.

per id quod melius est efformat; composuit carnem illam habentem mediam quandam naturam inter carnem, & neruosam substantiam, vt dicit Alex. Aphrodiseus 1. de anima, vt ratione carnis neruis mollioribus præditæ sensum, ratione verò nerui durioris systolem, & diastolem cor haberet.

Exemplis declaratur, Medicos ob substantiam partium corporis ignoratam in plurimos posse incidere errores.

CAPVT XI.

COMPERTVM hactenus est, corporis nostri partes, nunc ob situm mutatum à statu naturali recedere, nunc ob meatus impeditos, nunc ob temperaturam alteratam, & aliquando ob variam substantiam partium alterari, & variis affectibus præter naturam coinquinari; substantiam partium vocant medici secundas qualitates, vt duritiem, & crassitiem, & reliquas qualitates, quę insequuntur temperaturam partium ab ortu naturæ. Proponamus ergo exempla, in quibus aliquem specificum affectum cognoscere possimus, qui immediatè à partium substantia læsa factus sit; age, exordiamur ab aliquo ossium affectu facto ob ossium substantiam; obseruantur duo ossa in interno naso sita spongiosa, & inæqualia, vbi mucus retinetur, quæ ob suam substantiam mollem, vel spongiosam, & corruptioni obnoxiam à gallico tabo tam facilè eroduntur, vt lue infecti, dum emungunt, cum muco ex naribus aliquando detrahãt horum ossium frustulum; quod si accidit, vt Empyrici videant, adeò admirantur, vt credant morbum gallicum iam corrupisse cætera omnia capitis ossa, quia credũt omnia ossa esse eiusdem substantiæ: vidi enim Empyricum non edoctum horum spongiosiorum ossium substantiam credentem ob exitum frustuli ossis corrupti cætera omnia ossa capitis marcuisse; est igitur necessarium in cognitione, & curatione illa principia morborum scire, à quibus esse specificum morborum pendet, & hæc sunt decem illæ conditiones propositæ, quæ in omni corporis particula affecta debent considerari, vt ad specifici cognitionis apicem perueniamus, Empyricus enim, vbi præcognouisset substantiam illam spongiosam corruptioni obnoxiam, & situm illorum ossium, non fuisset admiratus illorum ossium corruptelam, & non ita turpiter in talem incidisset errorem.

Vt Empyricus errat ob partium substantiã ignoratam, dum vidit emungi os putridũ.

Præterea, vt superius diximus, ob diuersam substantiam spinalis medullæ in eadem quoque variæ atque diuersæ dolorum species fiũt, quoniam, si ex capite pulsus catarrhus per spinalem medullam descẽdat vsque ad extremum thoracis, dolorem grauatiuum faciet, si verò vltra procumbat per medullam videlicet, quæ ad lumbos, & os sacrũ pertinet, dolorem intensissimum extabit, ecce quod dolor, qui erat paulò antè grauatiuus in eadem medulla, sed in parte, vbi est mollior, in eadem medulla, vbi est durior, transit in conuulsiuum dolorem; quod

Vt dolor grauatiuus spinæ fit cõuulsiuus ob diuersam eius substantiam.

quod experientia obseruatur, quæ cum ita sint, quomodo sine cognitione substantiæ partium distinctè affectus cognosci poterunt? vellem sanè audire medicum non excultum hac nostra methodo, qui horum dolorum varietatis rationem, & causam traderet; quia nō possum credere, quin in errores incideret; etenim arbitror illum dumtaxat specificas essentias facilè perquirere posse, qui cuiuslibet partis affectę perquiret decem propositas conditiones, verbi gratia, ne recedamus ab hoc exemplo, si velles perquirere, vnde immediatè prodeat, quod in medullæ spinalis superiori parte dolor fiat grauatiuus, in inferna verò conuulsiuus; tali pacto vti posse; methodos sufficientissimam videlicet enumerationem faciendo omnium illarum decem conditionum, dicendo medullam existentem in osse sacro conuulsiuo vexari dolore, vel ob situm, vel figuram, vel meatum, vel tēperaturam, & sic enumerabis omnes, quia illarum aliqua erit, quæ dat esse specificum affectibus, quos perquiris; & deinde enumeratis, & ob oculos collocatis omnibus, statim inuenies in spinalis medullæ parte inferna, de qua loquimur, trucem esse dolorem ob eius duriorem substantiam; ratio est, quia vbi pars est durior, ibi solutio continui fit violentior, vbi violentior, ibi dolor maior; quare, cum in vertebris superioribus vsque ad duodecimam thoracis medulla spinalis seruetur mollis, & cerebri substantiam, & mollitiem æmuletur; propterea sine violentia solutio continui fit, in lumbis verò, & in osse sacro spinalis medulla euadit durior, & neruis assimilatur, vt propterea sentiatur dolor cōuulsiuus, qui est neruorum proprius; eccę igitur, quòd substantiæ varietas nos facilè docet differentiam hanc doloris spinalis medullæ, nō situs, non figura, non meatus, nec cæteræ conditiones enarratæ, quæ tamen aliis affectibus, vt ostendimus, & ostendemus, dant esse specificum.

Qui dicit cerebellum esse durius cerebro in plures alios incidit errores.

Ex hac malè cognita, & perspecta substantia partium nostri corporis, Galenus quoque videtur aliquando in falsas corriuare sententias, & præcipuè vbi agit de cerebro, & cerebello, credidit vir sapientissimus cerebrum esse molius cerebello, & cerebellum esse durius cerebro; ex qua falsa positione plurima emersere inconuenientia, quod igitur cerebrum, & cerebellū æquè mollia sint, patet sensu; omnes enim, qui experiuntur digitis propriis mollitiem cerebri, & cerebelli, æquè mollia iudicant. Quinimo Anatomici omnes, qui diligentissimè secauerunt humana corpora, & omnia anatomica scripserunt, qui Galeno, dum à verò deflexit, non pepercere, tenent, æquè molle esse cerebrum, & cerebellum.

Duo errata sequuntur ex duritie cerebelli supposita.

Cæterum audias quot falsa, & inconuenientia prodeunt ex hac duritie cerebelli falsò supposita, primo dicunt, neruos, qui sunt motui destinati, propterea prodire à cerebello, & non à cerebro; quia cerebellum est durius; in his verbis duo, quæ falsa sunt, continentur; primum, dum dicunt; cerebellum esse durius; secundùm, dum dicunt, à cerebello prodire neruos, quod est falsum; quia auctoritate anatomicorum omnium patet, & sensu ipso, qui magis potest, omnes neruos à cerebro pendere, & nequaquam à cerebello.

Errare videtur Galenus ſi dicat ſecũdum par neruorum cerebri non dare motum.

Secundo, vt oſtendant ipſi neruos prodeuntes à cerebro ſenſum, & non motum præſtare, dicunt ex ſententia Galeni, ſecundùm par neruorum prodire à cerebro, & propterea ſenſum, & non motum porrigere, quod eſt falſiſſimum, quia ſecundum par neruorum præſtat motum, & ſenſum, motum muſculis oculorum, & palpebrarum ſuperiorum, & muſculis qui oriuntur à proceſſu ſtyloide: quare erit falſa illa Galeni ſententia, ſi vniuerſaliter ſuſtinebitur, quod videlicet nerui cerebri ſenſum præſtent, & non motum, omnes enim nerui, opticis exceptis, præſtant ſenſum, & motum, quare ego Galenum neſcirem defendere, ſi ita eſt intelligẽdus, vt dicat omnes neruos cerebri dare ſenſum tantum, cum ipſemet Galenus fateatur, ſecundum, tertium, & quartum paria neruorum oriri à cerebro, quæ neruorum paria ex omnium conſenſu dant non ſolum ſenſum, verum etiam motum.

Omnes nerui dant motum, opticis exceptis.

Errare videtur Galen. dicens ſeptimum par neruorum à cerebello oriri.

Tertio errare videtur Galenus, & ab anatomicis non defenditur, dum dicit, ſeptimum par neruorum à cerebello oriri, & propterea ob ſuã duritiem tantummodo motum perhibere, quod videtur eſſe falſum, quoniam hoc ſeptimum par antequam caluaria egrediatur à ſpinali medulla exoritur, & deinde mittit ſurculos muſculis linguę, hyoidis, & laryngis, quibus & motum, & ſenſum perhibet; & quãuis egrediatur hoc ſeptimum par per foramen obliquum occipitis, non propterea à cerebello exoritur; ſed à ſpinali medulla, quæ ex opinione omnium anatomicorum, & ex ſenſu ipſo prodit à cerebro; quinimo ſpina videtur conſpicientibus ipſam eſſe cerebri progreſſus, quæ ſimiliter obducta eſt pia, & dura matre: poſtremò ex hac ſubſtantia cerebelli malè percepta errata, quæ ſequuntur, non ſolum ſtant in opinionibus, verum etiam in operationem tranſeunt, quoniam, qui dicunt cerebellum eſſe durius cerebro, & propterea neruos deſtinatos motui à cerebello pendere, & non à cerebro, ſi viderent muſculos, qui ſunt induti ſecundo, & tertio neruorum paribus, quæ ex omnium conſenſu prodeunt à cerebro, non explere ſuorum officiorum munera, eſſent coacti in curatione confugere ad cerebellum, ad occipitium videlicet, vt eliderent ſymptomatum radicem, & non ad cerebrum, à quo (vt aiunt) nerui motui dediti nullo modo prodeunt.

Ignorata ſubſtantia locorum affectorum ignorantur indicationes, vitales, curatiuæ, & præſeruatiuæ.

Videant ergo omnes, quot errata contingant ob vnicam petitionem principij quæ erat, quod cerebellum eſſet durius, quæ poſitio, vt probauimus, eſt falſiſſima, quare colligimus tanti debere eſſe præcognitionem ſubſtantiæ partium affectarum, quanti ferè eſt ſanitatis, & bonæ valetudinis adeptio, quoniam ignota partium affectarum ſubſtantia, ignorantur indicationes vitales, curatiuæ, & præſeruatiuæ, vitales; quia alio modo eſt corroboranda pars mollis, & alio modo pars dura; curatiuæ, quia modus ſpecificus curandorum morborum pendet à parte viuente, tanquam à proprio ſubiecto, quod ingreditur definitionem paſſionis: præſeruatiuæ, quatenus ſubſtantiæ partiũ varię, vt mollities, durities, craſſities, raritas, grauitas, leuitas, lentor, & friabilitas, & reliquæ ſecundum magis, & minus læſæ varia cauſant ſymptomata: quare ignorata ſubſtantia partium ignorantur indicationes, ignoratis indica-

indicationibus non methodo, sed casu, vel cæcorum more in affectuum curatione procedimus.

Demum proponimus illud erratum Galeno adscriptum, dum loquitur de substantia appendicum ossium 9. de vsu par. dicens appendices esse duriores ossibus, quod videtur omnino falsum, quia appendices ossium sunt spongiosæ, & molles, & facilius franguntur dentibus, quam ossa, quinimo sunt succo refertæ, & propterea ob earum mollitiem ad esum maximè accommodatæ, vt omnes admittant esse molliores ossibus. Adsunt plurimi, qui defendunt Galenum, interpretantes per ossa partem illam, qua appendices committuntur ossibus; quæ expositio merito non recipitur, quoniam expositio est nimis voluntaria, dum dicunt Galenum per ossa intelligere partem, qua cōmittuntur appendices, debebant potius postquam voluntariè voluerunt interpretari dicendo, quod per ossa intellexerit appēdices, & per appendices ossa, eadem enim esset interpretandi licentia, arbitror ego potius mendum fuisse in codice, quia non est rationi consentaneum credere, quod Galenus nunquam comedisset appendices vituli, pulorum, & aliorum animalium, in quibus omnibus appendices sunt molliores ossibus, quod non solum pueri, & rustici sciūt, verum etiam canes, & lupi, vt omnino reiiciendi sint illi, qui crediderunt Galenum nesciuisse appendices esse molliores ossibus. Semper enim Galenus decem propositarum conditionum partium fuit studiosissimus; optimè enim nouit non solum affectum specificum pendere modo à situ partium, modo à meatibus, modo à figura, & modo à substantia, & à cæteris enarratis: verum etiam affectuum cognitio, & curatio, veluti loquentes nos de appendicibus, si in aliquam dyscrasiam humidam prolaberentur, illico cognita mollitie appendicum, supponimus appendices molliores magis pati, quam patiantur ossa, quia ossa magis resistere possunt. Similiter, si quis incipit premi gallica lue in ossibus iuxta appendices, cum sint molliores, & minus resistant, & ocyus patiantur, indicabimus appendices prius esse læsas, quam ossa, & deinde cum topicis, si opus esset affectum delere, appendices prius, quam ossa, essent detegendæ. Ecce igitur, quo pacto nos maximam vtilitatem consequimur ob cognitam substantiam partium; ideò de aliquarum partium substantia tantum egimus, & in exemplorum formam tradidimus, vt methodum vniuersalissimam cōsequi possimus, lectores tamen adire poterunt sectiones anatomicas, & deinde Vesalium, Columbum, Valuerdem, & alios præclarissimos anatomicos, & ab ipsis colligere, quod certum & exploratum est; quod verò inter illos dubio vertitur, & est perplexum αὐτοψία sit illa, quę decernat, & terminet litem; in hunc modum quomodo omnes corporis partes sint curandæ ocyus, & perfectius addiscent.

Tertium exemplum erroris adscripti Galeno dicenti appendices esse duriores ossibus.

Defenditur Gal.

Vt cognitio substantiæ prodest curationi appendicum.

Exempla errorum ob progressum vasorum ignoratum, dum nescire videntur, sub qua vena cubiti neruus, & arteria maiores progrediantur.

Cap. XII.

PRogressvs vasorum non solum docere nos poterunt affectuũ sympathiam, vt in 2. lib. de neruis, & musculis longis ostensum est; verum etiam vari, atque diuersi progressus venarum, neruorum, & cęterarum partium variis affectibus esse proprium, & specificum dare poterunt; in 2. libr. plurimas methodos proposuimus, quæ declarant nobis mirabiles sympathias humani corporis, quæ fiunt à longo vasorum progressu, hic verò aliqua pauca errorum exempla de venarum progressu afferuntur tum, quia de venarum progressu in 2. lib. nihil diximus, tum vt exemplis lucidissimis incipiamus videre, quomodo progressus vasorum sæpissimè nos doceant affectus specificos & eorum curationem; pauca tamen exempla proponimus, ne videamur in alienas messes ponere falces: præstat autem in primis proponere illud erratum Empyricorum nostri temporis, quod committitur, dum videntur nescire, sub qua vena cubiti progrediantur maior neruus, & maior illa arteria, quæ pulsum digitis medicorum accommodatum facit; quoniam ex horum vasorum progressu non solum affectus specificos præter naturam, qui in cubiti phlebotomia contingere possunt, cognoscemus, sed etiam in quo vase, vel in qua cubiti vena maius immineat periculum; an videlicet secando basilicam, vel cephalicam, vel medianam, percipiemus. Sed quia hæc, quæ de progressu venarum aguntur, ad sensum pertinent, & rationibus non possunt absolui, & tractari; ideò ad duos iudices erit confugiendum, ad anatomicos scilicet præstantissimos, vel (si inter illos esset dissidium) ad αὐτοψίαν; quæ non potest decipere quando diligentissimè secantur corpora.

Qui sint recti iudices de rebus anatomicis.

Quo ad anatomicos, ex illis colligimus, neruum magnum, vel arteriam magnam brachiorum non progredi sub cephalica, & mediana, sed tantummodo sub basilica: audias Columbum, qui hac verborum seriè eandem explicat sententiam capite proprio de neruis brachiorum: propè humerariam, & medianam neruum adesse nullum, propè basilicam verò neruum esse: nullus neruus maior in brachium excurrit, quàm ille, qui subreptus est basilicæ venæ: sub, vel propè cephali-
„ cam nulla extat nerui propago. Præterea quantum ad arterias attinet
„ ex omnium consensu arteria illa magna, quæ facit pulsum medici di-
„ gitis accommodatum, excurrit sub basilica, & nequaquam sub cephalica, vel mediana.

Cur immineat maius periculum secando basilicam quam cephalicam.

Quæ cum ita reuera sint, patet quot immineant pericula in secanda basilica, quæ non sit prominens, & conspicua, quare errant nonnulli, qui

qui basilicam secant latentem, & profundam, credentes basilicam immediatè iecur deplere, & non cephalicam; modo enim ob sectam basilicam excitantur dolores, modo pars illa venæ vulneratæ inflammatur, & quia subest neruus, contractiones, & spasmi fieri possunt; quia verò subest arteria, potest incidi, & aneurisma fieri, quæ symptomata, si secabitur cephalica, vel mediana contingere non poterunt; quoniam sub his neque neruus, neque arteria excurrit, & quamuis non pungatur neruus, vel arteria, dum læsiones fiunt post sextum cubitum, quod sæpenumero contingere vidimus, dolores maiores concitabuntur circa basilicam, quam circa cephalicam, si quidem confluxus humor extra venam comprimit neruum, & arteriam maiorem; vnde dolores pulsatiui, & aliquando conuulsiui sentiuntur. Quæ symptomata Strato Erasistrateus, & Apemantes in secando cubito animaduerterunt, quos tamen Galenus lib. de sect. ven. aduersus Erasistratæos capite 2. non propterea irrisit, quia crederet Galenus, hæc pericula non imminere; sed irrisit Eristrateos, quia erant αἱμοφόβοι, id est, timentes sanguinis euacuationem, & sanguinis euacuationem semper despiciebant, despiciebántque phlebotomiam, non solum latentis, & profundæ basilicæ, vt nos despicimus veram omnium venarum apertionem, quòd sanè nimis ab arte abhorret. *Cur sint irridendi Erasistratei αἱμοφόβοι.*

Afferamus ergo has conclusiones in omni hepatis affectu, sitque prima, si cephalica patentissima est, & oculis tonsoris certissimæ operationis, eam esse eligendam, vel saltem quam medianam vocant, quia sub cephalica neque neruus, neque arteria excurrit, vt sub basilica; sub mediana verò arteria excurrit, neruus nequaquam. Secunda, quamuis basilica aliquantulum aperta sit, ob neruum tamen, & arteriam, nisi sit apertissima, eam non esse secandam: tertia æquè cephalicam, & basilicam respicere hepar, vt ostendemus, antequam summam huic tertio lib. imponam coronidem; quare in omni casu ratione hepatis, & cuiúsque visceris à cephalica sanguinem haurientes eam colligemus vtilitatem, perinde ac à basilica sanguis extraheretur, præterquam vbi aliquis vellet reuellere vel deriuare à loco circa mammillas: quoniam post ortas cephalicas, & basilicas ab exteriori iugulari, à basilica propago exoritur, quæ exporrigitur ad mammillas vsque, & hæ sunt illæ venæ, quæ in mulierum mammillis nigræ, & tumidæ aliquando apparent.

Præterea, vt exemplis ostendamus, quanti sit hæc partium progressus contemplatio, & quot errata contingant ob huius progressus inscitiam, aliquot tonsorum errata afferamus, dum in apostematibus aperiendis ignorant fibrarum progressum: sed quia musculorum fibræ, vel progrediūtur in rectum, vel transuersim plus, vel minus: de musculis transuersis, qui immediatè sub cute progrediuntur, qui pauci sunt, agendum, quoniam cognitis transuersis, subintelligemus cæteros non connumeratos rectà progredi, & sectiones in iis in longum esse faciēdas: scias prius musculos duos frōtis habere fibras rectas, vt notat Vesalius, quamuis neget Columbus hos musculos habere fibras rectas *Exempla errorum ob progressum fibrarum rectarum ignoratum. Errare videtur Columbus dicens musculos frōtis non habere fibras rectas.*

Secundum exemplum, errant qui musculos frõtis transuersim incidũt.

lib.5. capite de musculis frontis, errare enim videtur Columbus, quoniam experientia visum fuit, quando ob frontis inflammationem, vel ob alias causas tonsores, qui transuersim secauerunt fibras; statim motum attollendi supercilia fuisse ablatum, quod non sequeretur, nisi fibræ essent rectæ, transuersalis enim incisio lædere non potest fibras transuersas: quare errarent illi, qui transuersim inciderent musculos frontis.

Errant quoque tonsores ob insciriam progressus fibrarum primi musculi brachij, dum secant in longum in osse pectoris, quâ fibræ transuersæ progrediuntur, musculus enim primus brachij exoritur ab osse pectoris, & tendit ad humerum, in hoc musculo si inflammationes, vel abscessus fiunt, & profundè aperiendi detur occasio, si tonsor in longum secaret fibras, officium huius musculi, quod est adducere brachium ad pectus, deficeret, vel saltem, cum in latissimo hoc musculo omnes non possint abscindi fibræ, diminutè ageret suum munus. Simili modo si quis in rectum incideret musculum quartum circa os sacrum, vnde exoritur, tolleret, vel diminueret eius officium, quod est trahere deorsum brachium, quare, si quis errare non vult in apostematibus altè aperiendis obseruet, incisionem, vel sectioné semper esse faciendam versus principium fibrarum, quia hoc modo secando nunquam officiet, quod non possumus scire sine diligéti anatomiæ cognitione, quia licet pauci sint musculi, qui transuersim progrediuntur, vt musculi frontis, & primus, & quartus brachij, cæteri tamen ferè omnes in rectum progrediuntur: suntque nonnulli exiles musculi, & qui aliquo modo obliquum progressum habent, qui nisi incidantur adunguem versus suum principium amitterent suum vsum, veluti est primus musculus tibiæ, qui oritur à suprema ilium parte, & inseritur in anteriorem partem tibiæ; tunc si aliquis illum altè secaret in longum; sed versus aliud crus, secaret fibras, & virtutem musculi destrueret.

Tertium exemplum, errant qui in longum incidũt primum musculum brachij.

Quartum exemplum, errant, qui secant in lõgum primum musculum tibiæ.

Quintum exemplum, dum ignorãt progressum. retis, & venarum, & arteriarum sub clauicula.

Denique se offert aliud exemplum errorum Empyricorum, dum nesciunt quâ quinque paria neruorum, vena basilica, & arteria axillaris simul progrediantur: à quattuor enim colli vertebris, & à prima thoracis quinque paria illa neruorum oriuntur, quæ mirabile illud brachiorum rete constituunt, quod cum vena maiori, & arteria axillari, progreditur sub clauicula per internum processum scapulæ; quorũ vasorum omnium progressus præuisio, atque præcognitio nos plurimos docere poterit specificos affectus, qui omnino laterent sine hac præcognitione. Verbi causa, si quis in scapulæ interno processu profundè sit vulneratus: quo pacto chirurgus nesciés progressum horum vasorum scire poterit hoc particulare, & specificum, an scilicet vulnus sit lethale nec-ne, nullum ingenij acumen sine cognitione progressus de vulneris exitu aliquid scire poterit; qui verò neruorum rete cognoscet illac progredi, spasmum, & inde exitium venturum præuidebit, qui basilicam, & simul videret hæmorrhagiam, pronunciabit non fore, vt supprimatur; sed vt totus profundatur; & vita cum morte commute-

mute-

mutetur; qui arteriam axillarem illâc progredi animaduertet, & eam ob magnitudinem vulneris necessariò iudicabit esse læsam, pronunciabit fore, vt exiliat totus spiritus, & confirmabit mortem vsquequaque esse pertimescendam; quare inferas in omni cognitione, & operatione specifica, & singulari esse perquirendos vasorum, vel fibrarum progressus; quoniam sæpissimè tota cognitio, & curatio ab altissimo hoc principio proficiscitur.

Vt errant Empyrici in hæmorrhagia narium supprimenda.

Postremò, ne omittam alium nonnullorum abusum, qui similiter contingere solet ob venarum progressus inscitiam, dico esse illum Empyricorum proprium, dum narium hæmorrhagiam supprimere conantes, fronti valentissima astringentia adiungunt, credentes illum sanguinem è naribus exeuntem à venis frontis profluere, quod est falsissimum; quoniam non à frontis venis prouenit ille sanguis, sed ab internis venarum surculis, ad quas vis illa astrictoria nullo modo peruenire potest: colligas ergo præcognitionem progressus vasorum tam in cognoscenda, quàm in facienda medicina esse adeò necessariam, vt sit omnino impossibile sine ipsa rectè cognoscere, & rectè curare affectus præter naturam.

Exempla errorum ob numerum partium corporis ignoratum.

CAPVT XIII.

INTER conditiones, quæ nos docere possunt naturam specificam affectuum tam naturalium, quam præter naturam est partis viuentis numerus; hinc varij committuntur errores ob numeri inscitiam; quoniam aliquando additur numerus aliquibus partibus non addendus: veluti (vt in exemplis famosis insistamus) Galenus addere videtur glandulam amplectentem infernum orificium vẽtriculi, quam nemo anatomicorum, quod sciam vidit vnquam in humano cadauere, quod si quis non credat eat, & videat: audias deinde in quot errores ex falsò supposita glandula quis serpere potest; concepta igitur ab aliquo hac fictitia glandula, ille necessariò imaginabitur, glandulam quoque esse sedem multorum affectuum, supposito hoc, necessariò proponet pro fictitio morbo pellendo varia irrita, & vana medicamenta, sicuti faciunt illi, qui credentes sub mucronata cartilagine esse os ventriculi variis modis, & importunis remediis, illam partem ab ore ventriculi remotam vexant, & deuerberant.

Errare videtur Gal. dum dicit infernũ orificiũ ventriculi habere glãdulam.

Errant non solum, qui partibus viuentibus addunt numerum non addendum, verum etiam errant, qui demunt numerum, veluti errare videtur Galenus (nisi melius quis eum interpretetur, quam hactenus factum est) dicens in liene nec arterias, nec venas adesse, quæ sententia videtur falsa, quoniam apertissimè obseruantur venæ, quę vestiunt totum lienem, plurimas, & copiosissimas esse, quæ omnes à vena porta exoriuntur: deinde copiosissimæ obseruantur arteriæ, quæ ab Aorta

Errare videtur Gal. dicens in liene non esse venas, vel arterias.

ſub ſepto tranſuerſo mittuntur in ſplenem, vt à venis nutrimentum, & ab arteriis vitam ſuſcipiat: hoc experientia, & auctoritate anatomicorum omnium comprobatur: quæ cum ita ſint, quis ex hoc concepto numero venarum, & arteriarum ſplenis non admitteret, numerũ conferre ad ſpecificam affectuum cognitionem, & curationem? numquid non ſcimus ſpecificas, & vltimas affectuum differentias, quando eius principia, & cauſæ habentur? an-ne qui ſciunt eſſe venarum ſurculos, & arteriarum in ſplene, ſciunt modum, & principium, quo in viſcere colliguntur humores? quoniam perquirimus exordium illarum venarum; quod ſine anatomia fieri non poteſt, cognoſcimúſque exordium eſſe venam portam: inferamus deinde, ſi à vena porta illi venarum ſurculi trahunt initium, ergo abundat humor melancholicus, & craſſus; quoniam in vena porta naturaliter craſſus detinetur, vel quia non poteſt exiles meatus hepatis peruadere, vel quia à parenchima hepatis non attrahitur, ideò retinetur; deinde cognito numero venarum, & exordio, inferimus ſpecificum, & particularem modum curandi ſplenem, deriuando, vel reuellendo humores fluxos, fluentes, & fluxuros in ſplenem, per hyrudines applicitas hæmorrhoidibus; quoniam à porta vena hæmorrhoides trahunt initium, vt maxima ſit communicatio, & ſympathia inter ſplenem, & hæmorrhoides; vel per cucurbitulas applicitas natibus, quæ induuntur venis portæ; & præcipuè ſiniſtræ parti, quæ irrigatur quadam propagine venarum ingredientium ſplenem, quæ immediatè & κατ' ἰξιν reſpicit ſplenem.

Cur humor melancholicus colligitur in vena porta, & non in caua.

Cur hæmorrhoides, & cucurbitulæ natibus applicitæ proſiciant ſpleni.

Demum ex concepto hoc numero venarum ſplenis pleræque plures difficultates de medio auferuntur, & ſymptomatum cauſæ inueniuntur, & errores rudiorum medicorum illico cognoſcuntur; quare, vt exemplis omnia, quæ dicuntur, eluceſcant, an-ne eſt relata à Columbo, & Valuerde, & ab aliis Hiſtoria illa Cardinalis Cibò, qui ob vomitum copioſiſſimi ſanguinis edidit extremum ſpiritum? cuius ſecto cadauere, ſtatim, vnde defluxiſſet ſanguis, viſum fuit; quoniam dũ comprimebant ſplenis regionem, ad orificium ventriculi ſanguis reſtagnabat, quare admoniti à ſplene ad ventriculum mitti propagines venarum, irrigantes tum ſupernam, tum infernam partem, inuenerunt à ſplene læſo ſanguinem fuiſſe perfuſum; quare ſi quis neſciuiſſet ſplenem eſſe venarum numero exornatum, nullo modo potuiſſet in huius fluxionis cauſæ cognitionem peruenire, qui verò venarum numerum ſplenis, & exordium ſciuiſſet, & progreſſum, potuiſſet non ſolum inuenire illius vomitus vehementiſſimi cauſam propriam, & ſpecificam, verum etiam quo pacto ſanguis potuiſſet reuelli in contrarium, inueniſſet, quoniam ille cognouiſſet reuulſionem per hæmorrhoidas eſſe faciendam, non per cubitum, vt rudiores medici affecto ſplene facere ſolent ſecando ſaluatellam, perinde ac ſaluatellæ à ſpene penderet, cùm nulla ſanè ſit ſympathia inter cubitum, & ſplenem, neque vlla propago venarum cauæ venæ irrigat ſplenem, vt omnino ſympathia lienis cum cubito nulla ſit vtilitas tamen ſplenis, quæ aliquando à ſecta ſaluatella ſequitur, eſt quia iecur ſubleuatur à ſuauiſſima illa eua-

Qualis ſit ſympathia inter venam & lienem.

Vt errãt, qui credunt eſſe conſenſum inter ſaluatellam, & lienem.

euacuatione, quo adiuto, facilè omnia viscera hauriunt emolumentum.

Exempla errorum ob compositionem, vel connexum ignoratum.

CAP. XIV.

SEQVITVR alia partium nostri corporis conditio, quæ nos docere potest specificos affectus, éstque compositio vel connexus, qui prædicatur de diarthrosi, synarthrosi, & symphisi, quare de ossium, vel cartilaginum compositione, vel vnione, vel connexu est loquendum, cum iis partibus solum connexus conueniat; si igitur partes vniantur simul, & habeant motum manifestum, vt habet femur cum tibia, vel vlna cum humero appellabitur hæc compositio, vel connexus diarthrosis. Si verò vniantur partes & componantur habeántque motum obscurum, vt quædam ossa brachialis inter se, & tali os cum calce, appellabitur synarthrosis, vel vniuntur, & nullum habent motum nec manifestum, nec obscurum, & appellabitur hæc compositio symphisis, sub quibus generibus variæ sunt species, de quibus omnibus singillatim non est agendum, cum munus hoc ad anatomiam pertineat, nostrum enim est compositionem partium proponere, vt ex hac cognita compositione specificas quasdam differentias affectuum cognoscamus; & cæteras vniuersas animaduertamus: sed exequamur propositum secundum stylum, quem ab initio pepigimus, exemplis errorum illustrando hanc conditionem expendendam in ossium, & cartilaginum compositione.

Quis sit connexus per diarthrosim. *Quid synarthrosis.* *Quid symphisis.*

Errare igitur videntur nonnulli credentes decidere mucronatam cartilaginem, quam aliqui appellant gladiolum, vel scutiformem, & Arabes malum granatum; credunt enim Empyrici, & mulieres deorsum cadere hanc cartilaginem, cuius casu plurima symptomata inde contingere existimant; deinde ex hac falsa principij petitione hauriũt indicationem attollendi collapsam hanc mucronatam cartilaginem; & quod deterrimum est, se exponunt mulierculis, & infimis Empyricis, qui conantur manibus trahere sursum benè constitutam cartilaginem, & topica affigunt importuna, & extranea, quibus ægrotos lacerant & in perenni detinent fastidio. Causa verò huius erroris est, quia non expendunt compositionem, & connexum huius mucronatæ cartilaginis, an videlicet sit composita, & vnita cæteris ossibus superioribus per diarthrosim, vel per synarthrosim, vel per symphisim, quod si expenderent, facilè specificam cognitionem haberent, an possit decidere nec ne, modus verò quo hæc compositio expendi, & cognosci possit desumitur tum ab anatomiæ experientia, quæ acquiritur in cadauerum diligentissima sectione, tum ab Anatomicis præstantissimis: sciant ergo experientia, & ex omnium consensu mucronatam cartila-

Errant, qui credunt decidere mumucronatã cartilaginẽ.

Quo cõnexu sit vnita mucronata cartilago.

ginem adeò vniri partibus, quibus annectitur, & adeo esse imo pectori connatam, vt diuelli non possit, nisi summa cum violentia, quare colligimus, hanc compositionem non esse diarthrosin, quia hæc compositio supponit motum manifestum, qui non potest seruari in his partibus hoc modo connexis, & colligatis; erit ergo vel composita, & vnita per synarthrosim, quæ motum obscurum supponit, vel per symphisim, quæ compositio nullum prorsus supponit motum manifestũ, vel obscurum, omnia enim, quæ fortiter adhærẽt aliis partibus, & quæ cum primis sunt annexa, & colligata, dicuntur esse composita, vel cõnexa per symphisim, vel per synarthrosim; dicas igitur mucronatã cartilaginem non componi, vel connecti per symphisim, quoniam species symphisis, vel sunt vniones, & cõpositiones factæ per suturas, vt sunt suturæ commissuræ coronalis, & sagitalis, quæ in serræ modum fiunt, vel sunt vniones per harmoniam, vt est ossium vnio per simplicem lineam, vt sunt commissuræ maxillæ superioris, & præcipuè commissura, quæ in naso habetur, hæc verò cartilago cum osse pectoris non vnitur neque in serræ modum, neque per harmoniam, vel simplicem lineam, sed vnitur inter media cartilagine, ergo hęc vnio motum obscurum supponet, & vocabitur compositio per synarthrosim, non erit tamen talis, quæ cadere deorsum possit, quinimo adeo est vnita, vt in cadaueribus, nisi summa cum violentia diuelli possit.

Errant, qui credunt coccygem non posse dimoueri in parturientibus.

Errant dum dicunt caudam, quæ est vltima dorsi portio, quam coccygem vocant non posse in parturientibus loco moueri: sagax enim & prouida natura instituit & parauit omnia illa instrumenta, quibus ad exoptatum finem agentia in suis obeundis muneribus peruenire possunt, ideo parturientibus tanta mole refertis posuit inter primum, & secundum os coccygis maiorem cartilaginem, quam in viris, vt in enixu & fœtus conatu cauda posset aliquantulum dilatari, & loco dimoueri, vt aditus fieret patentior, non tamen sine cruciatu insigni parturientium; quare compositio caudę mulierum cum osse sacro est synarthrosis, quia cauda flectitur, & laxatur versus posteriora; in hominibus vero, cum magis sit connexa, & cartilago qua componitur coccyx cum osse sacro sit minor, & propterea motum non supponat, ideo potius est dicenda compositio per symphisim factam, quam per synarthrosim.

Errant mulieres dum credũt omnia ossa, & præcipuè pubis in parturientibus loco moueri.

Postremum exemplum errorum, quod proponimus pro cognoscendis iis compositionibus, est, dum mulieres, vel Empyrici credunt in parturientibus dextram partem ossis pubis à sinistra dimoueri; quæ opinio præcipuè in omniummulierum animis est inueterata, illæ enim credunt non solum in parturientibus dextram partem ossis pubis à sinistra dimoueri; sed omnia ossa è suis sedibus exilire. Qui igitur vellent certissimè cognoscere, an errent mulieres in hac re, nec-ne, eant, & videant in anatome, quomodo ossa pubis sint simul composita, quia illis subito visis sine dubio asseuerabunt nullam symphisim esse posse in humano cadauere maioris nexus, quam sit ista, quoniam dextra pars ossis pubis cum sinistra adeo fortiter coalescit, vt cultro, vel

scalpello

ſcalpello non poſſit ſine difficultate ſeparari. Quare cum hæc compoſitio pubis non ſupponat motum à ſynarthroſi, & ab artrodia toto cœlo diſtabit, & vocabitur ſymphiſis, quod opinionibus mulierum reluctatur.

Exempla ob exordium vaſorum, vel partium corporis ignoratum.

CAPVT XV.

SEQVITVR in præſentia, vt proponamus aliquot exempla errorum, qui à rudioribus committuntur ob exordium vaſorum, ſeu partium corporis ignoratum. Cæterum, quia egimus in ſecundo libr. de exordiis muſculorum, & neruorum; hic de quibuſdã venarum exordiis ab Empyricis ignoratis tractabimus, vt exemplis omnium generum errorum illuſtremus decem propoſitas conditiones, quæ dant eſſe ſpecificum affectibus omnibus: agamus igitur, an à diuerſo ſtipite exoriantur baſilica, & cephalica, quia ſatis vetuſta, & ad hanc vſque diem in plurimorum medicorum animis inueterata eſt opinio, quod ſcilicet cephalica, & baſilica vena oriantur à locis valde diuerſis: dixerunt enim vetuſtiſſimi medici, & Galenus (qui forſitan ſua auctoritate fuit cauſa huius communis erroris) cephalicam originem ducere à iugulari exteriori baſilicam vero à venarum trunco magis hepati propinquo, qui excurrat ad axillas ſub clauiculam iuxta primam coſtam; hinc ſuppoſita hac differentia exordij venarum cubiti non eſt mirum, ſi noſtrates tam ſæpè digladiantur in ægrotantibus curandis, an ſcilicet cephalica, vel baſilica ſit ſecanda; iſti enim, qui in Galeni placitum iurant, & qui plus auctoritati, quam ſenſibus ipſis deferunt; dicunt in affectibus capitis eſſe eligendam cephalicam, baſilicam vero eſſe deſpiciendam: In affectibus vero iecoris verſa vice, ſcilicet baſilicam eſſe ſecandam & nequaquã cephalicam; ſed quod deterrimum eſt, tam ſeuerè tonſoribus præcipiunt, vt modo baſilicam, modo cephalicam feriant pro diuerſa morbi opinione, vt debeant tonſores ſæpè ſe exponere ad ſecandam venam à medico propoſitam, quamuis omnino delitеſcat; quinimo coacti à medicis debeant cæcorum more experiri, an ſuo gladiolo poſſint eam inuenire; vt non ſit mirum, ſi aliquando cõtingat, vt inaniter feriant bis, & ter latentem venam magno cum ęgrotantium incommodo; quinimo vel tonſori, ſi loco baſilicæ ſecaret cephalicam, omnes enim eum arguerent, & exploderent, & ſi exitium ob alias etiam cauſas internas contingeret, non deeſſent inſani medici, qui necem acceptam omnia referrent tonſori.

Errare videtur Galenus dum dicit, quod cephalica, & baſilica à diuerſis truncis oriantur.

Quæ mala ſequantur ignorato venarum cubiti exordio.

Expedit igitur huius inueterati erroris radicem amputare experimentis anatomiæ, & auctoritate anatomicorum; experimentis, quia quiſque cognoſcet cephalicam, & baſilicam ab vnico puncto & ab vnica concauitate venæ iugularis ſimul enaſci, ſi ad humana cadauera

ſecanda ſe trãſtulerit, & ramos illos examinauerit & ad proprios oculos exordium illorum ramorum, tamquam ad proprios iudices detulerit; tunc enim ipſe videbit, quod Galenus, cui non licuit ſecare humana cadauera, forſitan non potuit videre: quod autem verum ſit, Galenum in humanis cadaueribus ſecandis non fuiſſe verſatum, antequam vlterius prouehamur, hoc oſtendamus, cum multi ſint, qui credant, Galenum in ſecãdis humanis cadaueribus fuiſſe verſatiſſimum. Legamus igitur librum primum de anat. adminiſtr. cap. 2. vbi videtur fateri, ſe toto vitæ ſuæ curſu tantum duo vidiſſe humana cadauera admodum imperfecta, quoniam alterum eorum poſt aliquot menſes ſepultum à cuiuſdam fluuij impetu fuit delatum ad ripam quandam; alterum erat latronis cadauer à coruis biduo dilaniatum, in quibus cadaueribus imperfectiſſimis vir præſtantiſſimus non potuit omnia videre; etenim ſi Galeno, vt his noſtris temporibus, datum eſſet, vt corpora humana diſſecare potuiſſet, non eſſet negandum, quin multo diligentius, quam hactenus factum fuerit, de hac humana fabrica ſcripſiſſet.

Vt colligitur Galenum nõ ſecaſſe humana cadauera.

Nec mihi obiiciant, quod omnino temerarium ſit Galenum reiicere, quia reſpondemus ex propria Galeni ſententia 6. de morb. vulg. com. 2. citata; illos potius, qui magis credunt auctoribus, quam experientiæ, & rationibus, eſſe temerarios: hinc in libr. de liberis propriis Galenus vocat ſeruos illos, qui hippocraticos, vel praxagoreos ſe nominant, & ſecundo methodi Tyrannicam doctrinam contentionis, & confuſionis plenam illorum, qui dictis aliorum nituntur: vt apertè à veſtigiis Galeni recedant illi, qui pluris faciunt ſententiam Hippocratis, vel aliorum, quam experientiam. Præterea Ariſtot. 8. phyſ. text. 22. dicit, quòd illi, qui dimittunt ſenſum, & rationem quærunt, ſunt excordes; nos vero addimus, multo magis illos errare, qui ſenſum ob auctoritatem hominum dimittunt; quia ſemper apud Galenum, & apud omnes philoſophos pluris eſt facienda ratio, quam auctoritas: quamuis hodierno die in plurimis Europæ Gymnaſiis hæc inſania inualeſcat, vt magis Ariſtoteli, Galeno, & Hippocrati credant, quam ſenſibus propriis.

Vt aduerſantur Galeno & Ariſtoteli qui auctoritatibus magis credunt, quam rationi, & ſenſibus.

Audias vnum, quod non poſſum ſubticere de quodam noſtri temporis peripatetico Gymnaſiarcha, qui in philoſophia Ariſtotelis conſenuerat, is enim videns in Anatome publica venam cauam multis, & innumerabilibus filamentis, & radicibus originem trahere ab hepate, longo verborum apparatu publicè fatebatur, venas, quoad ſenſum (poterat ſanè negare filamenta eſſe radices) ab hepate trahere ortum; ſed cum dicat Ariſtot. venas à corde prodire, addidit quaſi ſuffuſione obtenebratus magis auctoritati Ariſto. eſſe tribuẽdum, quam αὐτοψίᾳ, & propriis ſenſibus; dixitque facilius fore, vt ſenſus noſtri decipiantur, quam Ariſtoteles. Inſuper idem philoſophus, cum videret in corde pinguedinem, & eam ad candelam liqueſcere, nihilominus, vt defenderet Ariſtotelem negantem pinguedinem eſſe in corde, audebat quoque in præſtantiſſimorum hominum cœtu negare illam eſſe pin-

Duo errata cuiuſdam peripatetici credẽtis magis Ariſtot. quam ſenſibus.

pinguedinem, quod illis, qui propriis sensibus sibi constituerant philosophiam addiscere, fuit maximè admirationi, videre scilicet philosophum Gymnasiarcham magis auctoritati, quam sensibus deferre, tanto magis cum ipse Aristo. 2 post. circa finem, & primo meth. dicat à sensibus omnes scientias habuisse exordium; videas igitur in quot absurda incidant, qui iurant in placita magistri.

Quocirca, si vnica est Aristotelis & Galeni vox, vt sensibus ipsis magis sit danda fides, quam rationibus, & auctoritatibus virorum, cur, si Galenus aduersabitur sensibus, ipsum reiicere non poterimus? numquid non Galen. fuit homo? an ne hominis proprium est errare? audias verba Galeni secundo lib. de compositione Med. secundum locos capite 8. edita hoc ornatu; difficile enim est, vt qui homo sit, non in multis peccet, quædam videlicet penitus ignorando, quædam verò malè iudicando, & quædam tandem negligentius tradendo; quare fuit possibile, vt Galenus, vel quia fuit homo, vel quia non secuit humana cadauera, in anatomia à veritate in paucis saltem deflecteret; quare cum Galenus neque meus fuerit affinis, & consanguineus, vel maiorũ meorum auunculus, quod sciam, neque in sanctorum catalogo sit collocatus, qui afflatus diuinitate fuerit locutus, non video, cur omnes non possint honorificè, si sensibus aduersatur, eum relinquere. Concludimus ergo ex iis, quæ sunt sensibus manifesta, basilicam, & cephalicam ab vnica concauitate venæ iugularis exterioris prodire, quod quoque confirmant omnes anatomici, qui quotidie cadauera dissecant. Hinc Falopius his verbis suum sensum declarat, à vena magna duas magnas propagines excurrere ad brachia, alteram ad dextrum, alteram verò ad sinistrum sub clauicula iuxta primam costam vsque ad axillas, in qua parte diuiditur vena magna in duos ramos, quorum alter facit cephalicã, alter verò basilicam, vt vnicum tamẽ sit exordiũ, vnicum centrum, à quo fluunt cephalica, & basilica, & quamuis Falopius, & Vesalius de progressu harum venarum digladientur, & sint discordes, attamen in hoc conueniunt cephalicam scilicet, & basilicam ab vno puncto prodire; quare audias Falopium, qui iterum his verbis vnicum venarum cubiti exordium fatetur: patet in quo pelago versentur Medici anatomes imperiti, qui in secanda vena in affectibus capitis tam magnum promunt discrimen inter humerariam, & axillarem, ac si illæ ab eodem ramo non prodirent. Similiter Vesalius, & Columbus, & cæteri præclarissimi anatomici omnes affirmant cephalicam, & basilicam ab vnico puncto prodire, vt in schemate ab illis diligẽtissimè obseruato, à nobisque in sequenti capite proponendo erit videre; quia ab illa communi concauitate, vbi est n vel c in vtroque brachio exoriuntur cephalica, & basilica, quod cum ita reuera sit, secetur basilica, vel cephalica in hepatis, vel cerebri passionibus, quod eadem vtilitas, & idem fructus sequetur, postquam ab vnica concauitate existente in iugulo debeat sanguis necessariò prodire; quare nostratum plurimi malè agunt, dum semper tonsores vexant, vt modo basilicam, modo cephalicam aperiant.

Opinio Falopij de ortu cephalica, & basilica.

Error Mondini, & Quinternij de ortu basilica.

Hinc errãt Mondinus,& Quinternius in sua institutione,& quamplurimi alij veteres,& moderni,qui voluerunt potius errare cum Galeno, quam sensibus propriis credere, dicentes, basilicam sub axillis suum habere exordium,cephalicam vero in iugulari exteriori.

Videntes igitur aliqui ex modernis anatomicis cephalicam, & basilicam à communi concauitate re vera prodire, valde laborarunt, & multum studij posuerunt,vt modum aliquem inuenirēt, quo possent veterum opinionem defendere, quæ erat, quod cephalica magis responderet cerebro,quàm basilica:& tandem inuenerunt, quod paullulum supra hoc commune exordium iterum ab eadem iugulari ramulus quidam mittatur, qui deinde infra commune exordium adnectitur cephalicæ venæ, ex qua obseruatione colligunt, cur cephalica magis capiti conferat, quam basilica; verum hoc cephalicæ patrocinium nullius est considerationis, tum quia adeo raro in cadaueribus ramulus iste inuenitur,vt in mille vix vnico accidat cadaueri,vt vidēt illi anatomici, qui libere philosophantur; tum quia ramulus iste à recentioribus obseruatus est capillaris propago. Quare neque ob ramulum hunc inuentum, qui adeo raro obseruatur, vt potius inter monstruosa sit ponendus, debemus nos in affectibus capitis apertam, & obuiam oculis,& manibus tonsoris basilicam relinquere, & cephalicam absconditam quærere,vel versa vice in hepatis affectibus quærere basilicam latentem, quando cephalica, vel saltem mediana conspicua redditur tonsori, & tanto magis, quanto tutius secari potest cephalica,quia sub ipsa neque neruus,vel arteria maior excurrit. Neque obiiciant aliquando fuisse inuentum, non oriri cephalicam, & basilicam ab eadem concauitate,& propterea euenire posse,vt antiquorum, & Galeni sententia de harum venarum exordio verificetur; quia occurrimus in hominis fabrica aliquando accidere monstruosa, vt non solum basilica à loco sub axillis exordiri possit, verum etiam dicimus hepar (vt relatum est) aliquando fuisse inuētum in parte sinistra, splenem vero in parte dextra: verum de iis, quæ raro apparent non est seruanda norma: certum est, quod ex mille, quæ dissecantur cadauera, noningenta,& vltra sortiantur basilicas, & cephalicas venas exortas à communi concauitate iugularis exterioris.

Vt errant, qui dicunt cephalicam ob surculum capillarem & monstruosum conferre capiti.

Obiectio.

Sol.

Præterea est communis rudiorum medicorum sententia, quod saluatella exordiatur à vena basilica,vena vero exiltens inter indicem,& pollicem à cephalica,quorum sententia cum sit hausta potius è triuiis, & circulis Empyricorum, quam ab anatomicis auctoribus, vel à diligenti dissectione cadauerum, est reiicienda, quoniam hac supposita falsa sententia, & supposito quod cephalica ab alia concauitate exordiatur, quam basilica, eædem sequuntur difficultates in secandis venulis iis, sicuti diximus superius de iis, quæ sunt in cubito: vera igitur opinio erit illorum hominum,qui toto vitæ suæ curriculo dissecuerūt humana cadauera, qui vnanimiter dicunt, venas irrigantes manus à communi vt plurimum exordiri; audias igitur Valuerdem lib.6.de venis & arteriis cap.8.à communi vena, postquam à coalitu cephalicæ, & ba-

Vt errant, dicentes saluatellam à basilica. venam verò existentem inter indicem, & pollicem à cephalica oriri. Opinio Valuerde, & Falopij de venis manus probatur.

& basilicæ constituta est, mox ab ipsa cõmuni descendente duæ oriuntur propagines, quæ deorsum excurrentes demum vestiunt summam manum, altera enim ex illis saluatellam facit, quam credunt vulgares esse hepaticam, altera propago dictæ communis venæ, quam medianã vocant, excurrens versus digitum medium facit illam venam, quæ est inter indicem, & pollicem, quam imperiti arbitrantur esse cephalicæ surculum. Idem dicit Falopius lib. 4. suæ institutionis, & cæteri præclarissimi anatomici quod scilicet venæ illæ summæ manus exordiantur à vena communi, & nequaquam à cephalica, vel basilica; quare concludimus & nos saluatellam, & venam, quæ est inter indicem, & pollicem à vena communi vel mediana, vt plurimum exordiri. „ „ „ „ „ „

Vt errant Arabes dicētes venā inter indicem, & pollicem non ita prodesse spleni vt saluatella.

Hinc errant Arabes, & nostratum plurimi, & inter hos vanissimus Ænobarbus credẽtes spleni sectionem saluatellæ prodesse magis, quã sectio venæ existentis inter indicem, & pollicem; errant enim isti dupliciter, primo quia vena saluatella, & ea quæ est inter indicem, & pollicem à mediana prodeunt tamquam à communi trunco: errant secũdo, quia dato, quod saluatella à basilica prodiret, & alia à cephalica, quid tum? an ne cephalica, & basilica à communi concauitate iugularis venæ exterioris oriuntur? quomodo ergo saluatella præcipuè splenem iuuabit, vel præcipuè hepar, cum vtraque vena hepar æquè respiciat? quare medici, qui disputant à qua vena manus in ægritudinibus melius sit sanguinem euacuare, tempus conterunt, & aliquando hac ignorantia ducti frustra secant propaginem occultam, & inaniter feriunt patientem sine sanguinis euacuatione proposita. Præterea, quamuis, vt plurimum verum sit, saluatellam, & illam, quæ est inter indicem, & pollicem exordiri à mediana, attamen aliquando surculi isti venarum irrigantes manus faciunt tam varios & diuersos implexus, vt eadem origo semper seruari non videatur, sed nos loquimur de iis, quæ vt plurimum contingunt; hinc Valuerdes dicit quod aliquando cephalica iungitur basilicæ, & statim suum amittit esse, cum desinat in surculos & distribuatur in venarum ramos, vt non conspiciatur eadem venarũ series, idem situs, & idem venarum numerus. Quinimo Vesalius de iis surculis loquens dicit inter quamplurimos homines vix duos æquali correspondentíque venarum in ramos distributione inueniri, cum in singulis variæ sint venarum manus distributiones, quæ tamen distributiones, vt diximus, plurimum à mediana oriuntur.

Eandem seriem, & sitū venarum in omnibus non seruari.

Qui dicunt, venas cubiti dextri melius euacuare hepar, quam sinistri, videntur ignorare exordium venarum brachiorum.

Capvt XVI.

Receptvm videtur esse apud omnes, tamquam suppositũ, quod venæ cubiti dextri scilicet basilica, cephalica, & mediana sint hepati proximiores venis illis, quæ irrigant cubitum sinistrum, & pro-

præterea dicunt, sanguinis missionem è dextro brachio factam maius habere momentum, quam è sinistro in hepate euacuando, & refrigerando, & à cæteris affectibus præseruando, & sectam basilicam sinistri non eodem modo deplere sanguinem hepatis, vt dextri. Quod commune commentum vel falsa sententia eò est perducta, vt sæpè cogitauerim, neque ipsam reiicere, neque de hac re vllum verbum mouere, sed opinionis meæ vestigia obliterare, sententiæque obliuisci, & ad flammas dare hanc paginam; quia lectores videntes me cæteris omnibus auctoribus reluctari facilè despexissent, & flocciteciissent, nouam hanc sententiam; verum hoc me non deterruit, quoniam ab initio pepigi vnam veritatem liberè sectari, & omnia satius pati, quam subticere illud, quod rationibus, & sensibus ipsis obuium & apertũ est. Quare exequamur propositum, & ostendamus æquè posse depleri, vel refrigerari iecur ob sectum cubitum læuum, quam dextrum, & venas cubiti dextri non esse hepati proximiores, nec magis iuuare quam venæ sinistri cubiti. Vt igitur hoc ostendatur, duo sunt supponenda fundamenta, quorum primum omnium manifestissimum est, sanguinem è vena cubiti egredientem ad cubiti venas esse missum primo à iugulari, & deinde ad iugularem venam à magno trunco, & ab hepate, vt ob sectum cubitum sanguis existens in caua vena, & in hepate prius ascẽdat ad communem concauitatem, & deinde ad iugulum, & à iugulo ad cubitum, antequam per sectam venam egrediatur, vnde iecore hoc modo exonerato sarcina, qua premebatur, veluti flabello ventiletur, & cætera sequantur beneficia, quorum merito deinde possunt malæ valetudines superari & depelli; an ne est verum hoc fundamentum? subest-ne in verbis scrupulus? mihi adeo certum esse videtur, vt nulla indigeat probatione, quinimo adduci non possum, vt credam inueniri posse hominem, qui reiiciat hoc secundum fundamentum, quod assensu omnium philosophorum & anatomicorum confirmatum est, quod scilicet vena caua omnium maxima, cũ primum exporrecta est, ad iugulum non magis vergens ad dextrum, quam ad sinistrum brachium bipartiatur in duos insignes ramos, vt alter ipsorum diffundatur in brachium sinistrum, alter in dextrum, tamquam caudex in ramos, & deinde isti rami maiores in surculos vocatos cephalicos, basilicos, & communes & communes venæ, vel medianæ tandem in germina desinant constituentia saluatellam, & cæteras summæ manus propagines: iactis his fundamentis, non video, cur dici non possit, per sectum cubitum sinistrum æquè iuuari hepar, vt per dextrum; quoniã, si sanguis, qui euacuatur per cubitum à venis dilabitur, & ad illas venas mittitur à trunco maiori supra iecur existente, & verum est tunc iecur subleuari; quia caua vena depleatur æquè vt diximus, auxiliabitur cubito sinistro; quia non magis distant venæ cubiti sinistri à trunco maiori, quam distent dextri, diuiditur enim truncus faciens venas brachiorum in iugulo, & non magis vergit ad dextrum, quam ad sinistrum brachium, vt omnino æqualis sit distantia, quinimo vbi est cor in læuam partem potius flectit maximus truncus, cogimur ergo inferre ab

Vt probatur venas cubiti sinistri æquè iuuare hepar vt cubiti dextri.

re ab hac sensata hypothesi æquè hepati auxiliari sectum sinistrum, vt dextrum: sed vt melius veritas appareat experiamur, an res hoc modo se habeat in schemate obseruato quoq; ab anatomicis præclarissimis; an-ne locus, vbi est, *a*, est illa vena maxima, quæ ad iugulum exporrigitur, & quæ in ambo brachia æquè bipartitur, & sanguinem mittit ad venas cubitorum? nemo sanè audebit asserere; quod detur alia vena, quæ mittat sanguinem ad illas venas cubitorum, quæ sit hac breuior; anne ramus *c* excurrens ad sinistrum brachium est eiusdem longitudinis cum ramo *n* perreptans ad dextrum brachium? quare si distantia ab *a* ad *n* est æqualis illi distantiæ, quæ est ab *a* ad *c*, sequitur, quod venæ cubiti sinistri eodem modo proximæ sint iecori, vt dextri, ergo sanguis extractus à cubito sinistro æquè à dextro hepar iuuabit, quod est illud, quod erat probandum, reliquum ergo est, vt liberè communem sententiam, quę negat brachium sinistrum hepati auxiliari, vt dextrum, dimittamus.



Nec statim obiiciant dextram partem esse hepati proximiorem sinistra, quia occurrimus, nos debere considerare vasa per quæ excurrit sanguis, quoniam sanguis insensibiliter non euacuatur, sed cum sit sua natura crassus, & mistus omnium humorum debet per vasa sensibilia, vt sunt venæ, euacuari, quare nos distantiam volentes metiri, necessariò debemus venas ipsas metiri, quæ cum nō sint proximiores in dextra, quam in sinistra parte, ideo sectum sinistrum cubitum æque iuuabit, vt dextrum.

Neque primo obiiciant dicentes, experientiam iam docuisse, quod sanguinis missio facta à dextro cubito maius emolumentum afferat, quam à sinistro. Neque secundo obiiciant, naturam reuulsionis nos docere, quod ex eodem latere sit euacuandum, vt seruetur rectitudo; quare cum hepar sit in parte dextra; si fiet reuulsio ab eodem latere, ei certo auxiliabitur, quod nō eueniet, si à sinistro cubito euacuabimus. Primæ obiectioni respondemus, non esse eundum inficias, experientiam hactenus nos docuisse, sectionem cubiti dextri auxiliari hepati, verum, dum inferunt, ergo sectio sinistri cubiti æquè auxiliari non poterit hepati, nos negamus consequentiam; quoniam nunquam potest colligi negatiua ex puris affirmatiuis, nisi in contradictoriis; in ipsis enim eadem est disciplina; quare, qui non fidunt rationi desumptæ ab anatomia (quæ scilicet ostendit clarissimè, truncum maiorem existentem propè iugulum æquè à dextro, vt à sinistro distare, & per conse-

Duæ obiectiones.

Sol. 1. obiectionis.

Negatiua nō colligitur ex affirmatiuis nisi in contradictoriis.

quens æquè hepar iuuari à sinistro, vt à dextro brachio) longo temporis spatio experiatur in affectibus hepatis sinistrum cubitum, & summam quoque in hac experientia obseruanda adhibeat diligentiam, hac tamen conditione obseruata, vt spoliet & exuat se antiquæ opinionis beneuolentia, quoniam solum hoc modo à multis experimentis illibatum iudicium colligere poterit.

Cur experiẽtia sit argumentum fallax.

Præterea non solum experientia est periculosa, quia primarum opinionum amor est impedimento, ne in nouo experimento veritas cognoscatur, verum etiam, quia experientia re vera est parologismus, nisi seruentur illæ conditiones, quas declarabimus in lib. de analogismo; est paralogismus, quia est argumentum, quod procedit à particularibus ad vniuersale, & est tale, vt in duos errores semper incidat, quorũ primus est, dum infertur in conclusione, quod non est in præmissis, secundus verò est, dum ex particularibus infertur conclusio vniuersalis, quod reluctatur diuinis Aristo. principiis, & fundamẽtis in libris priorum propositis, vbi probat conclusionem non posse consequi nobiliorem partem præmissarum, sed deteriorem; insuper argumentum propositum, sumptum ab experiẽtia, quod scilicet euacuatio per dextrum cubitum semper hepati maius emolumentum attulerit, quam per sinistrum, peccat quoque in materia; quia falsum est illud assumptum, scilcet, quod experientia pateat, missionem sanguinis factam à dextro cubito maius beneficium afferre, quam à sinistro, exordium enim venarum vtriusque cubiti docebit falsitatem huius assumpti, docebitque, fore vt missio sanguinis sinistri cubiti æquè ac dextri hepati auxilietur, quia exordium harum venarum est in medio, & non magis distat ab hepate sinistrum, quam dextrum, ergo æquè cubitum sinistrum, ac dextrum auxiliabitur hepati.

Sol. 2. obiectionis.

Quo ad secundam obiectionem, quæ est, dum inferunt ex natura reuulsionis non potius ex dextro, quam ex sinistro latere esse consecuturos beneficium in hepate refrigerando. Respondemus, quod in reuellendo sanguine iecur opprimente, æquè seruantur conditiones reuulsionis in euacuatione sanguinis per sinistrum, ac per dextrum cubitum; audiásque rationem; an-ne quatuor sunt veræ reuulsionis conditiones? quarum prima est, vt reuulsio fiat secundum rectitudinem, secunda per vasa communia, tertia per distantissima, & quarta, vt placuit Curtio in reuulsione semper esse trahendos humores ad origines, id est, versus illam corporis partem à qua humores habent principium motus: age, examinemus singillatim omnes has quatuor conditiones; quare, de prima conditione loquimur, dicas mihi quam rectitudinem vis, vt in reuulsione seruemus, illam scilicet. quæ est vasorũ, qua humores trahi possunt, vel illam, quæ est in illis partibus, per quas humor reuellendus neque excurrit, neque excurrere potest? dicere nullo modo poteris, esse seruandam rectitudinem illarum partiũ, per quas humores non possunt transire, esset enim ridiculum considerare illarũ partium rectitudinem, qua neque excurrũt neque excurrere possunt, quoniam illæ partes cum humoribus, qui debent reuelli, nihil habent com-

Vt quatuor sint conditiones reuulsionis & quomodo sint intelligenda.

cõmune, erit itaq; illa seruãda rectitudo, quę est illorum vasorum, per quæ potest humor reuelli, sed sic est, quod sanguis solum excurrit per venas, & nequaquam per alias partes, ergo si reuulsio debet fieri secũdum rectitudinem, non possumus per rectitudinem intelligere, nisi illam, quæ est vasorum; quæ cum ita sint, quis negabit, seruari rectitudinem in reuellendis humoribus ab hepate in euacuatione sanguinis æquè à cubito dextro ac à sinistro; si verum est illud, quod probauimus, sanguinem, videlicet euacuatum per cubitos primo prodire à trunco maiori venarum existente in iugulo, quippe qui non magis vergit ad dextrum, quam ad sinistrum brachium, & deinde ab hepate, vbi est sanguinis officina, vt omnino eadem sit rectitudo vasorum ab hepate ad cubitum sinistrum, vt est, ab hepate ad dextrum. Quo ad secundam conditionem reuulsionis, quæ est, quod semper reuulsio fieri debeat per vasa communia, nemo anatomicorum, quamuis stolidus negaret, venam cauam esse æquè communem brachio sinistro, ac dextro; quare non est, cur aliquis amplius negare possit, quod euacuatio sanguinis per sinistrum cubitum æquè non sit secundum rectitudinem, & per vasa communia, & æquè per distantissima in sinistro, ac in dextro cubito.

Vt errat Fernelius, dum reddit rationem, cur dextrum cubitum hepati, sinistrum spleni magis auxilietur.

Videns igitur Fernelius, venas sinistri, & dextri cubiti æquè distare ab hepate, vidensque Galenum 3. de crisib. cap. 3. & alibi loquentem his verbis, oportet sanguinem recto cursu fluere ex dextra nare propter hepar, ex sinistra propter lienem, vt seruetur rectitudo partium corporis, propterea nouam quandam causam excogitauit, cur sectum dextrum cubitum iecori, & sinistrum spleni magis opem ferat, dixítq; id contingere ratione fibrarum rectarum, quæ habent vim pellendi sanguinem in eodem latere, & propterea secundum eandem longitudinem corporis seruandam esse rectitudinem; perinde ac essent à splene ad sinistrum cubitum fibrę, quę illuc, & non aliò sanguinem expellerent, vel essent ab hepate ad dextrum cubitum aliæ extensæ fibræ, quæ per illam partem dextram sanguinem pellerent, quæ opinio est falsa; quoniam omnes venæ habẽt fibras rectas, obliquas, & transuersas, falsa quoque est, quia supponit sanguinem per sectum cubitum fluentem esse à fibris rectis propulsum, quod fundamentũ est falsum, & à nobis reiectum in lib. de reuulsione, vbi ex professo de hac re agitur. Insuper sunt alij, qui dicunt, aliam non esse causam, cur sectum cubitum dextrum magis conferat hepati, quam sectum sinistrum, nisi, quia euacuato sanguine ab aliqua parte, illico sequitur magnus trãspiratus illius partis, quæ transpiratio si erit in parte dextra iuuabit iecur, si in sinistra splenem, confirmántque exemplis, quanti sit hæc insensibilis transpiratio facta per partem proximam, & vicinam in pellendis affectibus præter naturam, exempláque sunt duo, quorum primum est illud Galeni notissimum, dum dicit, vesicam vrina omnino repletam, si non potest expellere lotium ob nimiam plenitudinem. clysteribus aliquantulum depleri, & euacuari, & inde illo liberari affectu; secundum est, dum clysteres tollunt dolorem coxendicum; colligũt ex

Alia opinio, quomodo sit intelligẽdum hepar iuuari magis à dextro cubito.

præterea dicunt, sanguinis missionem è dextro brachio factam maius habere momentum, quam è sinistro in hepate euacuando, & refrigerando, & à cæteris affectibus præseruando, & sectam basilicam sinistri non eodem modo deplere sanguinem hepatis, vt dextri. Quod commune commentum vel falsa sententia eò est perducta, vt sæpè cogitauerim, neque ipsam reiicere, neque de hac re vllum verbum mouere, sed opinionis meæ vestigia obliterare, sententiæque obliuisci, & ad flammas dare hanc paginam; quia lectores videntes me cæteris omnibus auctoribus reluctari facilè despexissent, & floccifecissent, nouam hanc sententiam; verum hoc me non deterruit, quoniam ab initio pepigi vnam veritatem liberè sectari, & omnia satius pati, quam subticere illud, quod rationibus, & sensibus ipsis obuium & apertũ est. Quare exequamur propositum, & ostendamus æquè posse depleri, vel refrigerari iecur ob sectum cubitum læuum, quam dextrum, & venas cubiti dextri non esse hepati proximiores, nec magis iuuare quam venæ sinistri cubiti. Vt igitur hoc ostendatur, duo sunt supponenda fundamenta, quorum primum omnium manifestissimum est, sanguinem è vena cubiti egredientem ad cubiti venas esse missum primo à iugulari, & deinde ad iugularem venam à magno trunco, & ab hepate, vt ob sectum cubitum sanguis existens in caua vena, & in hepate prius ascédat ad communem concauitatem, & deinde ad iugulum, & à iugulo ad cubitum, antequam per sectam venam egrediatur, vnde iecore hoc modo exonerato sarcina, qua premebatur, veluti flabello ventiletur, & cætera sequantur beneficia, quorum merito deinde possunt malæ valetudines superari & depelli; an ne est verum hoc fundamentum? subest-ne in verbis scrupulus? mihi adeo certum esse videtur, vt nulla indigeat probatione, quinimo adduci non possum, vt credam inueniri posse hominem, qui reiiciat hoc secundum fundamentum, quod assensu omnium philosophorum & anatomicorum confirmatum est, quod scilicet vena caua omnium maxima, cũ primum exporrecta est, ad iugulum non magis vergens ad dextrum, quam ad sinistrum brachium bipartiatur in duos insignes ramos, vt alter ipsorum diffundatur in brachium sinistrum, alter in dextrum, tamquam caudex in ramos, & deinde isti rami maiores in surculos vocatos cephalicos, basilicos, & communes & communes venæ, vel medianæ tandem in germina desinant constituentia saluatellam, & cæteras summæ manus propagines: iactis his fundamentis, non video, cur dici non possit, per sectum cubitum sinistrum æquè iuuari hepar, vt per dextrum; quoniã, si sanguis, qui euacuatur per cubitum à venis dilabitur, & ad illas venas mittitur à trunco maiori supra iecur existente, & verum est tunc iecur subleuari; quia caua vena depleatur æquè vt diximus, auxiliabitur cubito sinistro; quia non magis distant venæ cubiti sinistri à trunco maiori, quam distent dextri, diuiditur enim truncus faciens venas brachiorum in iugulo, & non magis vergit ad dextrum, quam ad sinistrum brachium, vt omnino æqualis sit distantia, quinimo vbi est cor in læuam partem potius flectit maximus truncus, cogimur ergo inferre ab

Vt probatur venas cubiti sinistri æquè iuuare hepar vt cubiti dextri.

te ab hac sensata hypothesi æquè hepati auxiliari sectum sinistrum, vt dextrum: sed vt melius veritas appareat experiamur, an res hoc modo se habeat in schemate obseruato quoq; ab anatomicis præclarissimis; an-ne locus, vbi est, *a*, est illa vena maxima, quæ ad iugulum exporrigitur, & quæ in ambo brachia æquè bipartitur, & sanguinem mittit ad venas cubitorum? nemo sanè audebit asserere; quod detur alia vena, quæ mittat sanguinem ad illas venas cubitorum, quæ sit hac breuior; anne ramus *c* excurrens ad sinistrum brachium est eiusdem longitudinis cum ramo *n* perreptans ad dextrum brachium? quare si distantia ab *a* ad *n* est æqualis illi distantiæ, quæ est ab *a* ad *c*, sequitur, quod venæ cubiti sinistri eodem modo proximæ sint iecori, vt dextri, ergo sanguis extractus à cubito sinistro æquè à dextro hepar iuuabit, quod est illud, quod erat probandum, reliquum ergo est, vt liberè communem sententiam, quę negat brachium sinistrum hepati auxiliari, vt dextrum, dimittamus.



Nec statim obiiciant dextram partem esse hepati proximiorem sinistra, quia occurrimus, nos debere considerare vasa per quæ excurrit sanguis, quoniam sanguis insensibiliter non euacuatur, sed cum sit sua natura crassus, & mistus omnium humorum debet per vasa sensibilia, vt sunt venæ, euacuari, quare nos distantiam volentes metiri, necessariò debemus venas ipsas metiri, quæ cum nō sint proximiores in dextra, quam in sinistra parte, ideo sectum sinistrum cubitum æque iuuabit, vt dextrum.

Neque primo obiiciant dicentes, experientiam iam docuisse, quod sanguinis missio facta à dextro cubito maius emolumentum afferat, quam à sinistro. Neque secundo obiiciant, naturam reuulsionis nos docere, quod ex eodem latere sit euacuandum, vt seruetur rectitudo; quare cum hepar sit in parte dextra; si fiet reuulsio ab eodem latere, ei certo auxiliabitur, quod nō eueniet, si à sinistro cubito euacuabimus. Primæ obiectioni respondemus, non esse eundum inficias, experientiam hactenus nos docuisse, sectionem cubiti dextri auxiliari hepati, verum, dum inferunt, ergo sectio sinistri cubiti æquè auxiliari non poterit hepati, nos negamus consequentiam; quoniam nunquam potest colligi negatiua ex puris affirmatiuis, nisi in contradictoriis; in ipsis enim eadem est disciplina; quare, qui non fidunt rationi desumptæ ab anatomia (quæ scilicet ostendit clarissimè, truncum maiorem existentem propè iugulum æquè à dextro, vt à sinistro distare, & per conse-

Duæ obiectiones.

Sol. 1. obiectionis.

Negatiua nō colligitur ex affirmatiuis nisi in contradictoriis.

quens æquè hepar iuuari à sinistro, vt à dextro brachio) longo temporis spatio experiatur in affectibus hepatis sinistrum cubitum, & summam quoque in hac experientia obseruanda adhibeat diligentiam, hac tamen conditione obseruata, vt spoliet & exuat se antiquæ opinionis beneuolentia, quoniam solum hoc modo à multis experimentis illibatum iudicium colligere poterit.

Cur experiẽtia sit argumentum fallax.

Præterea non solum experientia est periculosa, quia primarum opinionum amor est impedimento, ne in nouo experimento veritas cognoscatur, verum etiam, quia experientia re vera est parologismus, nisi seruentur illæ conditiones, quas declarabimus in lib. de analogismo; est paralogismus, quia est argumentum, quod procedit à particularibus ad vniuersale, & est tale, vt in duos errores semper incidat, quorũ primus est, dum infertur in conclusione, quod non est in præmissis, secundus verò est, dum ex particularibus infertur conclusio vniuersalis, quod reluctatur diuinis Aristo. principiis, & fundamẽtis in libris priorum propositis, vbi probat conclusionem non posse consequi nobiliorem partem præmissarum, sed deteriorem; insuper argumentum propositum, sumptum ab experiẽtia, quod scilicet euacuatio per dextrum cubitum semper hepati maius emolumentum attulerit, quam per sinistrum, peccat quoque in materia; quia falsum est illud assumptum, scilcet, quod experientia pateat, missionem sanguinis factam à dextro cubito maius beneficium afferre, quam à sinistro, exordium enim venarum vtriusque cubiti docebit falsitatem huius assumpti, docebitque, fore vt missio sanguinis sinistri cubiti æquè ac dextri hepati auxilietur; quia exordium harum venarum est in medio, & non magis distat ab hepate sinistrum, quam dextrum, ergo æquè cubitum sinistrum, ac dextrum auxiliabitur hepati.

Sol. 2. obiectionis.

Quo ad secundam obiectionem, quæ est, dum inferunt ex natura reuulsionis non potius ex dextro, quam ex sinistro latere esse consecuturos beneficium in hepate refrigerando. Respondemus, quod in reuellendo sanguine iecur opprimente, æquè seruantur conditiones reuulsionis in euacuatione sanguinis per sinistrum, ac per dextrum cubitum; audiásque rationem; an-ne quatuor sunt veræ reuulsionis conditiones? quarum prima est, vt reuulsio fiat secundum rectitudinem, secunda per vasa communia, tertia per distantissima, & quarta, vt placuit Curtio in reuulsione semper esse trahendos humores ad origines, id est, versus illam corporis partem à qua humores habent principium motus: age, examinemus singillatim omnes has quatuor conditiones; quare, de prima conditione loquimur, dicas mihi quam rectitudinem vis, vt in reuulsione seruemus, illam scilicet. quæ est vasorũ, qua humores trahi possunt, vel illam, quæ est in illis partibus, per quas humor reuellendus neque excurrit, neque excurrere potest? dicere nullo modo poteris, esse seruandam rectitudinem illarum partiũ, per quas humores non possunt transire, esset enim ridiculum considerare illarũ partium rectitudinem, qua neque excurrũt neque excurrere possunt, quoniam illæ partes cum humoribus, qui debent reuelli, nihil habent com-

Vt quatuor sint conditiones reuulsionis & quomodo sint intelligenda.

cõmune, erit itaq; illa seruãda rectitudo, quę est illorum vasorum, per quæ potest humor reuelli, sed sic est, quod sanguis solum excurrit per venas, & nequaquam per alias partes, ergo si reuulsio debet fieri secũdum rectitudinem, non possumus per rectitudinem intelligere, nisi illam, quæ est vasorum; quæ cum ita sint, quis negabit, seruari rectitudinem in reuellendis humoribus ab hepate in euacuatione sanguinis æquè à cubito dextro ac à sinistro; si verum est illud, quod probauimus, sanguinem videlicet euacuatum per cubitos primo prodire à trunco maiori venarum existente in iugulo, quippe qui non magis vergit ad dextrum, quam ad sinistrum brachium, & deinde ab hepate, vbi est sanguinis officina, vt omnino eadem sit rectitudo vasorum ab hepate ad cubitum sinistrum, vt est, ab hepate ad dextrum. Quo ad secundam conditionem reuulsionis, quæ est, quod semper reuulsio fieri debeat per vasa communia, nemo anatomicorum, quamuis stolidus negaret, venam cauam esse æquè communem brachio sinistro, ac dextro; quare non est, cur aliquis amplius negare pòssit, quod euacuatio sanguinis per sinistrum cubitum æquè non sit secundum rectitudinem, & per vasa communia, & æquè per distantissima in sinistro, ac in dextro cubito.

Videns igitur Fernelius, venas sinistri, & dextri cubiti æquè distare ab hepate, vidensque Galenum 3. de crisib. cap. 3. & alibi loquentem his verbis, oportet sanguinem recto cursu fluere ex dextra nare propter hepar, ex sinistra propter lienem, vt seruetur rectitudo partium corporis, propterea nouam quandam causam excogitauit, cur sectum dextrum cubitum iecori, & sinistrum spleni magis opem ferat, dixítq; id contingere ratione fibrarum rectarum, quæ habent vim pellendi sanguinem in eodem latere, & propterea secundum eandem longitudinem corporis seruandam esse rectitudinem; perinde ac essent à splene ad sinistrum cubitum fibrę, quę illuc, & non aliò sanguinem expellerent, vel essent ab hepate ad dextrum cubitum aliæ extensæ fibræ, quæ per illam partem dextram sanguinem pellerent, quæ opinio est falsa; quoniam omnes venæ habẽt fibras rectas, obliquas, & transuersas, falsa quoque est, quia supponit sanguinem per sectum cubitum fluentem esse à fibris rectis propulsum, quod fundamentũ est falsum, & à nobis reiectum in lib. de reuulsione, vbi ex professo de hac re agitur. Insuper sunt alij, qui dicunt, aliam non esse causam, cur sectum cubitum dextrum magis conferat hepati, quam sectum sinistrum, nisi, quia euacuato sanguine ab aliqua parte, illico sequitur magnus trãspiratus illius partis, quæ transpiratio si erit in parte dextra iuuabit iecur, si in sinistra splenem, confirmántque exemplis, quanti sit hæc insensibilis transpiratio facta per partem proximam, & vicinam in pellendis affectibus præter naturam, exempláque sunt duo, quorum primum est illud Galeni notissimum, dum dicit, vesicam vrina omnino repletam, si non potest expellere lotium ob nimiam plenitudinem, clysteribus aliquantulum depleri, & euacuari, & inde illo liberari affectu; secundum est, dum clysteres tollunt dolorem coxendicum; colligũt ex

Vt errat Fernelius, dum reddit rationem, cur dextrum cubitum hepati, sinistrum spleni magis auxilietur.

Alia opinio, quomodo sit intelligẽdum hepar iuuari magis à dextro cubito.

iis euacuationem semper partibus vicinis, quamuis non sint vasa communia, opem ferre. Quæ causa est omnino vera, si est intelligendum de illis humoribus, qui sua natura solent in spiritum, & vaporem resolui; de quibus forsitan Gal. loco citato intellexit; quoniam causa, quę mouet hemorrhagiam narium, de qua Gal. loquebatur, vt plurimum est vapor acutus, qui peruadit, & penetrat ad instar ignis insensibiles poros omnium membranarum: cæterum, quia nos loquimur de massa sanguinea, quæ est crassa, & omnibus humoribus mista, ideo dicere non possumus, vt post phlebotomiam ea sequatur transpiratio insensibilis, quæ possit hepar iuuare, tum, quia sanguis excurrere, solum potest per canales sensibiles & patentes; tum, quia post sanguinem euacuatum pars illa, sit dextra, vel sinistra, magis frigescit, & per consequens minus transpirat. Quare non immerito de sanguine loquentes dicimus non esse longius iter ab hepate ad sinistrum cubitum, quam sit ab hepate ad dextrum, sed esse eandem rectitudinem à vena caua ad ambos cubitos; ideo eundem fructum, & eandem vtilitatem pro affectibus hepatis pellendis esse expectandam ab vno, quam ab altero cubito. Quæ cum ita sint, facilè apparet illorum error, qui in hepate refrigerando vel alio modo adiuuando volunt semper, & seuerè à cubito dextro sanguinem euacuare, quamuis illud cubitum esset sua natura debile, vel semistupore affectum, in quo casu euacuatio sanguinis non potest, nisi cubitum, & totum brachiũ refrigerare; deberent enim tunc eligere sinistrum cubitum minus læsum, & minus operationibus commodum, quod idem prorsus hepati beneficium præstare potest.

Vt errant, qui dicunt post phlebotomiam iecur sublenari ob dextræ partis trãspiratum insensibilem

In quæ errata aliquando incidunt qui pro hepate solum dextrũ cubitum secant.

Vt errat Vesalius, dum dicit in omni pleuritide esse à dextro, & non à sinistro brachio sanguinem euacuandum.

CAPVT XVII.

IN omni pleuritide, siue sit dextri, siue sinistri lateris, tenet Vesalius, solum à dextro cubito sanguinem esse euacuandum, ratio, quæ cogit Virum præstantissimum ad hoc dicendum, est, quia, postquam à corde supergressa est maxima omnium vena, illico mittit à latere dextro magnam quandam propaginem, quæ vena sola vel sine pari nuncupatur, gratia nutriendi omnes musculos intercostales dextri, & sinistri lateris; dicitque ab hac vena solum prodire sanguinem facientem inflammationem in pleura; deinde infert ex iis consequentiam (ni fallor) absurdam, & minimè necessariam, quæ est, quod in pleuritide quoque sinistri lateris sit cubitum dextrum secandum, & nullo modo sinistrum; quinimo addit numquam in pleuritide euacuationem sanguinis à sinistro latere factam, ob huius venæ sine pari exordium collocatum in parte dextra, aliquid opis afferre posse. Quæ Vesalij sententia hac verborum serie exprimitur; omnes thoracis costas venæ sine

pari

pari propaginibus enutriri, hæc Patauii, & Bononiæ vidimus multo- «
ties, & nemo ex tanto eruditorum virorum cœtu inficiari potuit: dein- «
de dicit cum ad nonam vertebram pertingit hæc vena sola in duos «
truncos diuiditur, quorum vnus dextri lateris costarum radicibus, al- «
ter verò sinistri exporrigitur; & hæc vena (addit) vergit ad partem dex- «
tram, quam ob causam in pleuritide quoque sinistra à cubito dextro sanguis est euacuandus. Condonemus Vesalio, musculos intercostales dextri, & sinistri lateris solum enutriri à surculis venæ sine pari: condonemus quoque, membranam succingentem costas aliunde non trahere alimentum, quam à vena sine pari, & demum omnem pleuritidem fieri à sanguine prodeunte ab illa vena. Quid tum postea? peruenit ne illa vena sine pari ad cubitum? vel ad axillas? propagatur ne ab ipsa in brachium dextrum aliquod germen? nescio sanè quo fundamento vir alioquin solertissimus, & sectatores ipsius potuerint illam sententiam defendere, tum, quia vena sine pari nullum mittit surculum ad brachia, tum quia vena caua, quæ dumtaxat varijs venarum propaginibus irrigat brachia, æquè distat à dextro, ac à sinistro cubito, tum demum; quia si debet exire sanguis existens in vena sine pari per cubitum, plus est omnino necessarium, vt à vena hac sola, vel sine pari vocata excurrat in cauam, quæ est omnium venarum maxima, & deinde ascendat ad iugulum, quo in loco existens, vt ostendimus superius æquali distátia distat à dextro, vt à sinistro cubito, & tam commodè per vnum, quam per alterum latus sanguis hic depleri potest; sequitur ergo quod vena sine pari æquè benè euacuetur per sinistrum, ac per dextrum cubitum.

Vt fiduciariè reijcitur Vesalius de vena sine pari.

Æquè euacuatur vena sine pari per sinistrum, vt dextrum cubitum.

Cur ergo, qui Vesalius vidit valde diligentius, quam ego viderim venarum exordia, & progressus, & venas vtriusque cubiti æquè distare à iugulo, & venam sine pari nullum mittere ramum in brachia, nihilominus noluerit vanitatem huius quæstiunculæ animaduertere, quod potuisset millies in anatome rectè cognoscere. Hinc Valuerdes Vesalij discipulus libr. 5. cap. 7. animaduertens venam sine pari non peruenire ad brachia, fauere videtur nostræ sententiæ, vbi dicit, in pleuritide extrahatur sanguis à quouis cubito, semper est necessarium, vt sanguis prius egrediatur à vena maxima, & deinde à vena sine pari.

Vt nostra sententia fauet Vesalij discipulus.

Postremò errare videtur alio modo Vesalius, & potest quoque alio modo conuinci per fiduciariam reprobationem, scilicet condonando, venam sine pari posse euacuare per dextrum cubitum, & nequaquam per sinistrum, quod est falsissimum: occurrimus tamen negando, quod semper pleuritis fiat à sanguine egrediente à vena sine pari, quia accidere potest, vt fiat pleuritis à sanguine egrediente è venis musculorum thoracis, qui tandem in pleuram excurrere potest, quod facile fieri potest, dum ob frigus, & ventos maximos externi musculi constringuntur, quibus compressis exprimitur sanguis in pleuram, vel ob nimium calorem liquefit sanguis, & factus liquidus similiter

Alio modo fiduciariè reijcitur Vesalius ostendendo à quibus fontibus veniat sanguis faciens pleuritidem.

in pleuram fluit; quare vndequaque Vesalij sententia patitur naufragium, patitur, quia licet solum à sanguine venæ sine pari fieret pleuritis, non tamen sequeretur maius emolumentum à secto dextro quam sinistro cubito; patitur quoque, quia negamus pleuritidem solum à sanguine prodeunte à vena sine pari fieri posse.

Aliquot errata adscripta Gal. ob situs, & meatus partium corporis ignoratos.

CAPVT XVIII.

MAXIMA sanè esset illius hominis insolentia, & arrogantia, qui vellet in arte medica cum Galeni ingenio certare, qui tam diuinitus scripsit totam artē medicam, vt merito apud omnes gentes multis ab hinc centenis annis summa veneratione eius scripta obseruentur. Verumtamen, quia viro præstantissimo, vt probauimus superius, non licuit humana corpora secare, & corporis particulas expendere, vt est in more hodierno die, idcirco cum sensus præcellat in veritate comparanda rationi, & auctoritati, nos in exemplorum formam, vt melius declaremus nostram methodum, proponimus illa Galeno adscripta errata, quæ veritas, & αὐτοψία docuit; ex hac breuissima enarratione errorum firmius & constantius colligemus origines omnium errorum consistere in decem partium nostri corporis conditionibus malè perceptis, quales sunt meatus, situs, & cæteræ non semel propositæ, quoniam ab illis decem solum omnes naturæ specificæ affectuū fiūt: quare, multis erroribus Galeno adscriptis dimissis, qui in bonum sensum possunt reuocari, aliquos incipiamus proponere: à quibus non videtur, quod possit vindicari.

Errata ob situm par. ignoratum. Quare si de situ loquimur, quæ est conditio partium viuentis principalissima, an-ne credidit vir præstantissimus in hominibus dextram emulgentem esse altiorem sinistra? attamen clarissimè patet in omni humano cadauere sinistram emulgentem, & renem sinistrum esse superiorem, & altiorem dextro; hoc igitur est signum, quod brutorum tantummodo exemplaria in sua anatomia tractauerit; bruta enim habent emulgentem, & renem dextrum altiorem sinistro. Ex hoc igitur malè percepto situ renum, & venarum emulgentiū Gal. longo discursu inquirit, cur factum sit, vt ren dexter, & vena emulgens dextra superior sit in hominibus sinistra, & huius rei (sicuti est philosophi proprium) multas rationes reddit, quæ ob eius ingenij excellentiam sunt quoque adeo præclarę, vt ad hanc vsque diem renem, & emulgentem dextram esse superiorem sinistra plurimis magis suadeant, quam inspectio propria. *Error Gal. adscriptus de situ renum, & emulgentium.*

Error Gal adscriptus de situ ventriculi. Amplius situm quoque ventriculi vir sapientissimus videtur nō rectè nouisse; quia dixit ventriculum magis esse in dextro latere, quam in sinistro, quod nullo modo est admissum, quoniam maius spatium relin-

relinquitur ventriculo in sinistra parte, quam in dextra ob hepatis magnitudinem, & lienis paruitatem: vnde ex hoc situ male percepto in affigendis stomaticis plurimi possent errare, ipsi enim cerata affigerent magis dextræ parti, quam sinistræ; attamen ventriculo occupante potius sinistram, quam dextram, potius quoque in sinistra parte erunt localia affigenda.

Similiter si de meatibus loquimur, an-ne in errores aliquos incidit? an-ne primo de vsu par. credere videtur, ossa digitorum non esse concaua, sed solida? quamuis apertissimè concauitatem habeãt, quod obseruatur non solum in hominibus, verum etiam in simiis ipsis: à quo errore Iacobus Syluius in suis virulentis depulsionibus aduersus Vesalium non potest vindicare Galenum, quamuis ipsum defendat variis auctoritatibus Aristotelis, & Galeni, sed minimè ad rem conferentibus. Insuper Galenus putauit esse quendam meatum inter oculos & nares, vnde dicit, quod medicamenta in oculos propterea immittantur, vt per nares effluant, & versa vice, aliquando scilicet in nares immittantur, & oculis egrediantur, quod nunquam à nostratibus anatomicis est obseruatum, etenim illud quod separat oculos à naribus, est septum subtilissimum quâ peruadunt, & exsudant ichores, & lachrymæ, vt in illis, qui, lachrymis conficiuntur aliquando vidimus, quod septum subtilissimum in mortuorum cadaueribus ob suam tenuitatem rarissimè inuenitur.

Error Gal. adscriptus de meatu siue de concauitate.

Error Gal. adscriptus de meatu inter oculos & nares.

Colliguntur aliquot errata Galeno adscripta in iis quæ pertinent ad figuram, & progressum partium humani corporis.

CAPVT XIX.

IN partium figuris non semel errare videtur Galenus, & præcipuè dum simiis deceptus habet, quod processus vertebrarum colli integri sint, cum re vera sint biffurcati: Amplius de osse humeri dixit esse omnium maximum femore excepto, & non excipit tibiam, quæ similiter humero maior est, vel saltem sacrum os, vel os ilium, quæ magnitudine tibiam superant.

Errata Gal. adscripta in figura partiũ corporis.

Similiter de hepatis, & renum figura dicit in primis, quod hepar humanum in lobos sit diuisum, vt in brutis vidimus; quis ab hoc errore ipsum vindicaret? nemo qui semel tantum vidisset humanum hepar, affirmaret hepar in lobos esse diuisum. Similiter, dum de figura renum loquitur, dicit renes ea figura esse donatos, vt cribro in partibus internis constituti sint, de qua re superius egimus, dicitque aliud cribri specimen esse in osse cuneali, quæ omnia sensu ipso, & non longo discursu sunt ab anatomicis reiecta.

Amplius de figura spinalis medullæ loquens dixit, quod in extrema parte spinæ sit neruus quidam inconiugatus & sine pari, quem nemo in humano cadauere vidit vnquam, additque neruum hunc præ-

terlabi per quartum musculum femoris, quod si esset verum, sequeretur hoc insolitum, & monstruosum in morbis; quod non posset dari paralysis in vna parte tantum, dextra videlicet, vel sinistra quarti musculi femoris, quod est falsum, quia sæpissimè experiētia vidimus musculum quartum femoris in vnica tantum parte paralysi esse affectū, & non semper in vtraque: sequitur ergo, quod neruus ille postremus sit coniugatus; dicimus ergo cum anatomicis nostris in extrema parte medullæ fieri distributionem postremi nerui in duos surculos, quorū alter excurrit in partem dextram, alter verò in sinistram. Insuper de figura pulmonis humani habet Galenus, esse diuisum in quinque lobos, quorum tres dixit esse in dextro latere, duos vero in sinistro, quod in brutis obseruatur, in hominibus verò nequaquam, quoniam humanus pulmo tantum quatuor habet lobos. Demum lapsus esse videtur, dum ventriculi figuram obseruat, vt pylori orificium fundum ventriculi respiciat, quod mihi videtur experientiæ, & schemati proposito reluctari: alia adscripta errata Galeno de figuris posse afferre, voluit tamen hæc pauca subnectere, cum mihi hæc præcipuè videantur veritati, & sensibus nostris reluctari.

Errata Galeno adscripta in vasorum & aliarum partiū progressu.

Si verò de progressu loqui volumus, inuenimus non pauca esse errata ei adscripta, an-ne dicit temporalem musculū in medio sui ipsius esse tendinosum, in exordio verò, & vbi inseritur esse carnosum? quòd sanè in hominibus non est repertum, quamuis in lupis, & aliis brutis inueniatur. Progressus sanè huius musculi præcognitus valdè poterit conferre affectibus cognoscendis, & curandis, per hypothesim si vulnerabitur musculus temporalis in medio, vbi credidit Galenus esse tēdinosum, cogetur Galenus falli in cognitione naturæ vulneris, in pręsagio, & curatione; in cognitione, quoniā alia est natura vulneris partis tendinosæ, & alia carnosæ: in præsagio, quoniam vulnera in parte tendinosa sunt deteriora, & aliquando lethalia; in carnosa verò sunt minus periculosa: in curatione; quoniam omnino diuersa sunt remedia, quæ debent applicari tendini, ab iis, quę carnibus applicantur; docet enim ipsemet Galenus in methodo, alia esse suppurantia in tendine, aliáque in carne, alia digerentia, aliáque sarcotica, vt tota diuersa reddatur curatio partis tendinosæ affectæ, & carnosæ; videant ergo lectores quanti sit hæc cōsideratio progressus partium, quoniam sicuti, si musculus temporalis esset in medio tendinosus, vulnus in medio esset ferè lethale: pari modo dicimus, quod si musculus temporalis in principio esset tendinosus, in principio quoque esset periculosum & difficilis curationis, si verò in medio esset carnosus, vt omnes anatomici affirmant, vulnus mediæ partis minoris esse considerationis.

Propo-

Proponuntur errata Galeno adſcripta in iis, quæ pertinent ad numerum partium corporis.

CAP. XX.

SI de numero partium loquimur ſæpè decipitur Galenus, numquid non dixit os ſacrum ex tribus tantum oſſibus conſtare? dixitq; tria tantum habere foramina, vt forſitan obſeruauit in Cane, & Simia: nihilominus os ſacrum ſeorſum tamen à coccyge conſideratum (ne erremus cum Syluio, qui, vt defenderet Galenum ſub hoc nomine oſſis ſacri nō ſolum coccygem comprenderet, ſed lumborum, & dorſi vertebras, adeo in Galeni placitum ex animo viſus eſt iuraſſe) ex quinque, & ſex vt plurimum oſſibus contextum eſt, quare ſi oſſa ſunt ſex, quinque neceſſariò vniuntur commiſſuris, & quinque foraminibus vtrobique præditum erit: hæc cognitio tanti eſt in medicina, vt ſit impoſſibile rectè mederi numero partium & foraminum ignorato, an-ne ſi in primo, in quarto, vel in quinto oſſis ſacri foramine caput aliquod illorum neruorum, per illa foramina exeuntium, eſſet à tumore compreſſum, & paralyſi affectum, eſſet impoſſibile rectè mederi iis affectibus, ſi numerum, & ſitum foraminum, & neruorum permeantium vſum ignoras? quomodo ſcire poteris, cui parti ſint adiicienda emollientia, vel deriuantia localia, quæ à profundo trahunt, veluti ſunt cauteria, vel auxilia pyrotica, niſi perfectè ſcias locum, vbi ſunt foramina, quorum ſi numerum neſcis, illa perquirere non poteris.

Vt Syluius vel maximè iurauerit in Gal. placitū.

Præterea Galenus dixit decimam vertebram eſſe mediam vertebrarum dorſi, quod in canibus; & ſimiis obſeruatur, in hominibus verò nequaquam; quia vbi eſt duodecima, ibi eſt mediū dorſi, qui enim ad vnguem omnium vertebrarum numerum, & neruorum prodeuntium ab illis cognoſcet, multos affectus animaduertere, & curare poterit, quemadmodum contigit quoque ipſimet Galeno, qui diuinitus potuit digitis hominis venientis Romam, percuſsíque in ſeptima colli vertebra ob caſum è vehiculo motionem dare, quod non feciſſet, niſi cognouiſſet à ſeptima vertebra pendere neruos irrigantes digitos illos: tunc enim ſi Galenus credidiſſet, non à ſeptima ceruicis vertebra, ſed à tertia, vel quarta dorſi prodire ſurculos nerueos influentes in brachia, & dorſo adiunxiſſet, & non collo topicum illud emolliens, miſer ille non fuiſſet ſanatus; eſt igitur neceſſarium, vt cognoſcamus affectus pertinentes ad hāc humanam fabricam, prius ſcire numerum omnium partium compoſitarum.

Videtur errare Galen. dicens mediū dorſi eſſe decimam vertebram.

Inſuper Galenus putauit os pectoris contextum eſſe ex tot oſſibus numero, quot ſunt legitimæ coſtæ, vt cuilibet datum eſſet, cui adhæreſceret, quod in canibus, & ſimiis, & aliis animantibus ratione carentibus eſt videre, in hominibus verò tria, vel quatuor ad ſummum obſeruantur. Ex quo numero præcognito, plura colligimus neceſſaria in

Quanti ſit ſcire ex quot oſſib conſtet os pectoris.

curandis contusionibus, & vulneribus pectoris; in his enim affectibus, qui perfectè scit numerum ossium pectoris, necessariò sciet, quot sint commissuræ, vbi sint & vbi sita est cartilago, quæ est osse mollior, & tenerior; his cognitis certo sciet, an vulnus totum sternon peruadat, quoniam si vbi est cartilago, vulnus sit, quia est molior, ensis facilius penetrare potest quo percepto, naturam morbi, præsagium, & remedia colligere poterit.

Ad hæc credere videtur lib. de musculis scapulas à septem musculis moueri, attamen in hominibus quatuor tantum repeiiũtur; & optima cũ ratione, quoniã in scapulis quatuor quoq; obseruantur motus, sursum scilicet, deorsum, ante, & retro: quare horum musculorum prçcognito certissimo numero, tũc si scapula amitteret motum sursum, vnicus esset curandus musculus, si verò essent septem musculi scapulam mouentes, necessariò plures essent præcognoscẽdi, sed in iis experientiæ standum est. Insuper putauit quoque Galenus, musculum cucularem esse duos musculos, quia duos in simiis cuculares reperit, verum in hominibus vnicum tantum omnes anatomici inuenerunt.

Errare videtur Galenus in numero musculi scapula.

Non dari duos musculos cuculares.

Insuper plurima quotidiè inueniuntur, non solum ad numerum, sed ad situm, meatus, substantiam, & ad cæteras enarratas cõditiones pertinentia; & ne dimittam numerum ossiculorum auris, scias ab anatomicis nostris, multis tamẽ ab hinc annis, esse inuenta illa tria ossicula, quç sunt auditus instrumenta, vt primum vocetur malleus, secundum incus, tertium stapha, de quibus apud Galenum neque sub his nominibus nuper inuentis, neque sub aliis mentio aliqua facta est, quare cum quodlibet ossiculorum in formando auditu necessariò concurrat, sequitur, vt vnico læso statim lædatur auditus, quare in cognitione auditus erit necessarium cognoscere numerum illorum ossiculorum, si quis verò exoptat cognitionem omnibus numeris absolutam horum instrumentorum ad auditum pertinentium, legat mirabilem tractatum Hieronymi ab Aquapendente, qui summo studio ac diligentia de horum instrumentorum numero, & de cæterarum partium figuris & magnitudinibus adeo diligenter scripsit, vt sine controuersia omnes, qui hactenus de hac re edidere, præcellat.

Instrumenta auditus noviter inuẽta

Præterea Galenus addit neruorum numerum in coccyge, quos neruos in humano cadauere nemo vidit vnquam; dixítque à coccyge oriri coniugationes neruorum, quod re vera in brutis, quæ habent caudam, reperitur, verum in hominibus nequaquam.

Errare videtur Galenus dum dicit à coccyge oriri neruorum coniugationes.

Postremò habet Galenus quod inferius orificium ventriculi hoc insolito numero sit præditum, vt glandula circumducatur, alibi quoque tenet nec venas, nec arterias esse in liene, quæ errata in capitibus superioribus sunt reiecta; in hæc, & in alia plura errata Galenus alioquin sapientissimus incidit, quia non potuit humana cadauera secare, hæc errata tantummodo proposuimus, non solum, vt methodus proposita magis eluceat, verum etiam, vt omnes videant, quod omnia errata, quæ fiunt, & quæ imaginari possumus, pendeant ab inscitia decem illarum conditionũ partiũ corporis, quas superius proposuimus.

Proponuntur aliquot errata Galeno adscripta in pertinentibus ad substantiam, compositionem, efficium, & exordium partium nostri corporis.

Caput XXI.

SI loquimur de substantia partiũ, aliquando Galenus visus est quoque in scopulos impingere; numquid non est falsum, dum dicit cerebelli substãtiam esse cerebro duriorem? qua falsa positione data, anne de vno in alium serpere videtur errorem; dicit enim neruos duros à cerebello oriri, quia cerebellum est durius, quod est falsum, vt ostendimus, quia à cerebello nullus oritur neruus, sed omnes à cerebro, & à spinali medulla: additque tertium errorem ortum ex prima positione dicendo neruos motiuos à cerebello, sensitiuos verò à cerebro oriri, perinde ac secundum par, & tertium neruorum, qui manifestè ex Galeni sententia à cerebro oriuntur sint sensus, & non motus auctores, quod reluctatur experientiæ, quia, vt superius ostendimus, omnis neruus (opticis exceptis) motus, & sensus simul sunt opifices: ecce quo pacto parua, & exigua erroris macula in opinione, si longius progrediatur mille falsas opiniones parere possit. *Nonnulla errata Galeno adscripta in par substãtia declarantur.*

Similiter secundo de temperamentis, & alibi loquens Galenus de substantia spinalis medullæ dixit esse molliorem ea medulla, qua ossa nutriuntur, quod nullus sensus admitteret. Amplius Galenus, & cum eo Aristoteles habent in calida corporis particula; vt est cor, non esse pinguedinem, cùm apertè in hominis corde pinguedo sit, nisi interpretemur Galenum, & Aristotelem, quod intellexerint, non esse pinguedinem in intima cordis parte, vbi cor igne pene est emicans; vbi re vera non est pinguedo: est enim valdè rationi consonum, vt credamus Galenum, & Aristotelem cognouisse in cordis externa parte, esse pinguedinem, quoniam in cordis omnium animalium terrestrium, aquatilium, & volatilium externa parte reperitur pinguedo; esset nimium à ratione alienum credere Galenum, numquam vidisse, vel comedisse animalium corda, quæ omnia forinsecus habent pinguedinem.

Demum 9. de viu. part. habet Galenus appendices esse ossibus duriores, quod superius est reiectum; habet enim appendix corpus molle, & spongiosum, de hac re ego quoque Galenum defendi, quod in codice forsitan sit mendum, quia vix mente concipi potest, quod Galenus in re tam manifesta errauerit, perinde ac nunquam comedisset ossa vituli, vel volatilium, in quibus canes, & pueri quotidiè experiuntur appendices esse molliores ossibus.

De compositione partium varia Galeno adscribuntur errata; hocq; prius afferrimus, quod scilicet voluerit Galenus lib. de ossibus vertebras cõiungi per tertiã tunicã vestientem spinalẽ medullã, quod vide-

tur falsum; quoniam re vera coniungitur medio proprióque ligamento, vt mirandum sit, Galenum credidisse, vt tam subtilis tunica posset sustinere ossa illius magnitudinis. Ex qua compositione malè præcognita plurimi errores contingere possunt in curandis dislocationibus, & contusionibus.

Errata ad scripta Galeno pertinentia ad compositionem.

Præterea habet Galenus caput infimum vlnæ componi cum brachiali, quod nullo modo in hominibus obseruatur, quia cum nulla parte brachialis videtur habere connexum aliquem; alia quoque attulimus superius pertinentia ad compositionem, propterea paucis hic, & per epilogum hæc collecta sunt.

Quantum attinet ad officium partium in primo, & secundo libris plura de officio musculorum, & aliarum partium proposuimus: cæterum, quia officia partium læsæ affectus præter naturam pariunt, par est hic, vt saltem vnicum exemplum proponamus: an-ne vir sapientissimus habet quartum musculum hyoidis, illum videlicet subtilem, & longum, ortum quoque ex Galeni sentētia ab ipsomet hyoide, & qui terminatur in latus hyoidis, hoc explere officium, vt scapulam attollat? hoc sanè ab omnibus anatomicis merito iudicatur impossibile, quod scilicet tantum scapulę pondus ab hoc solo subtilissimo musculo attollatur: supposito ergo hoc errore ab aliquo sectatore, qui in placita iurauerit Galeni, an-ne, si videret scapulam non posse attolli, statim firmiter crederet musculum illum subtilem esse læsum, & illi parti topica summo forsitan cum ægrotantis detrimento adiungeret? ecce quanti sit officia omnium partium perfectè cognoscere; quare quod de huius musculi officio animaduertimus, de omnibus idem faciendum, hac scilicet perpetua conditione seruata, vt in omni parte affecta cognoscenda, & curanda prius loci, vel partis affecta officium cognoscamus.

Errare videtur Galenus dicens quod officiū quarti musculi hyoidis sit scapulam attollere.

Postremò de partium exordiis loquens Galenus non semel visus est à veritate deflectere; afferatur exemplum; an-ne dicit substantiam penis exordiri à superiori parte penis? quod sanè non recipitur, quoniam penis (vt patet in anatome) exorditur ab inferiori parte, & ab ano origine carnea.

Hæc, & alia plura errata sunt, quæ Galeno adscribuntur, quorum aliquot, quia sensibus aduersantur, non possunt defendi: fatemur tamen aliquot esse non omnino spe destituta, vt ab aliquo, qui sit ingenio excellenti, qui tamen non auctoritate tantum; sed ratione, & experientia incedat, non possint in bonum sensum reuocari. Etenim illorum hominum ingenia in catalogum excellētium nullo modo sunt collocanda, quibus auctoritates magis quam sensus ipsi persuadent, quinimo sunt fugienda, & præcipuè iis temporibus, quoniam plurimi alioquin celebres sunt eo ingenio, qui malunt autopsię, quam Aristoteli, & Galeno fidem derogare, quíque quod deterrimum est, tanto odio prosequuntur illos, qui liberè philosophantur, vt audeant conuicia, & libros contumeliosos promere insensatos, & liberos philosophos. Hinc Syluius tanti nominis vir sequens Tyrrannicam doctrinam

nam tanto animi impetu inuehitur in Vesalium, de anatomia optimè meritum, tótque calumniis, vocibúsque contumeliosis mordet, & lacerat eum, qui tanta industria, & tãtis laboribus occultas partium nostri corporis conditiones aperuit, vt ipsum Syluium non pudeat in suis depulsionibus pro Vesalio vesanum perpetuò substituere; deinde librum Vesalij tot inuentis ornatum vocare rudem, & indigestam farraginis colluuiem & cloacam, librum Vesalij dignissimum vocare indignissimũ, & hortari tam efficaciter lectores, vt ipsum lacerent, conculcent, & Vulcano deuoueant; postremò pergens Syluius impudenter dicat, quod sit multo facilius Augiæ stabulum repurgare, quam centonem huius ex furtis consutum, & calumniis fartum, mendis etiã insignioribus tantum emaculare. Denique adeò recandescit ira, & in talem insaniam proruit, vt iis verbis imploret Cæsaream Maiestatem, quæ Vesalium (quia sensibus propriis magis credidit, quam auctoritati Galeni) tamquam monstrum ignorantiæ, ingratitudinis, & arrogantiæ, impietatis exemplar perniciosissimum, domi suæ natum, & educatum, vti est commeritum, malè mulctet, ac omnino comprimat, ne suo pestilenti halitu Europam reliquam venenet: quid vlterius dici posset, si idem Vesalius esset reus, non dicam Galeni, sed læsæ Cæsareæ maiestatis? Quare dimisso Syluio, vt qui non ratione, & experientia aggressus est Vesalium, sed vanissimis, & tumidissimis vocibus; (sicut in Apologia quoque Renatus eloquenter ostendit) & dimissis omnibus, qui solum auctoritatibus sunt addicti, concludimus primò sensibus, & experientiæ esse credendum, secundò rationi, tertiò auctoritatibus Hippocratis, Galeni, Aristotelis, & aliorum excellentium philosophorum.

Vt iniustè Syluius adoritur Vesalium librũ ingenio præditum.

Ex traditis in hoc libro poterimus omnes specificas morborũ ideas occultas perquirere, quia in exordio huius libri ostendimus, quod omnes affectus specifici fiant à decẽ propositis conditionibus; & quia affectuum curatio pendet à recta cognitione essentiæ, ideò declarauimus in sequentibus capitibus quo pacto recta administratio remediorum in curandis affectibus possit colligi à conditionibus propositis, tamquam à propriis fontibus: exinde plurimis, & conspicuis exemplis ostendimus, quod omnes errores, qui fieri possunt in specificis morborum ideis perquirendis, oriantur ab inscitia decem propositarum conditionum: postremo aliquot errata Galeno adscripta proposuimus à quibus vix defendi potest, vt ostenderemus errata omnium generum prodire ex malè intellectis illis decem locorum affectorum conditionibus, quæ sunt situs, meatus, substantia, temperatura, compositio, numerus, officium, exordium, figura, & progressus.

Epilogus.

SANCTORII SANCTORII Iuſtinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in ſpecificis Morborum, & Symptomatum ideis metiendis.

LIBER QVARTVS.

Oſtenditur eſſe metiendos receſſus morbificos à ſtatu ſalubri aduentitio, & nequaquam à primogenio.

CAPVT I.

Tantus eſt morbus quãtus eſt receſſus à ſtatu ſalubri.



IN præcedenti libro oſtendimus vniuerſos affectus præter naturam fieri ſpecificos, dum corporis noſtri partes recedunt à ſtatu ſalubri in figura, meatu, ſitu, numero, compoſitione, temperatura, ſubſtantia, officio, exordio & vaſorum progreſſu; neque alias præterea imaginari potuimus partium conditiones, quæ diſtinctius formare, & conſtituere poſſent affectus ſpecificos & particulares: relinquitur ſolum, antequam extremã manum imponamus huic contemplationi de affectuum præter naturam ideis; vt in hoc 4. libro cognoſcamus, qualis ſit hic ſtatus ſalubris, à quo, dum recedunt partes, conſurgant morbi; quę cognitio eſt valdè neceſſaria, quoniam ex Galeno primo ad Glauc. cap. primo tantus eſt morbus, quantus eſt hic receſſus à ſtatu ſalubri.

Quare niſi expendamus & cognoſcamus hunc ſtatum ſalubrem, qui eſt terminus à quo partes affectæ recedunt, numquam ſciemus metiri

metiri recessum, & numquam vltimam differentiam morbificam attingemus; quo circa, ne in æquiuoco laboremus, singularis est animaduertenda distinctio, quæ est, vt in omnibus affectibus præter naturam dupliciter considerari possit recessus à statu salubri, alter enim consideratur recessus à statu salubri primigenio, qui ab exordiis generationis comparatur, alter verò consideratur recessus ab aduētitio statu partium salubri, qui aduentitius status in viuentia corpora non illico, sed tractu temporis sensim à consuetudine sex rerum non naturalium intromittitur, quippe qui non solum est diuersus à primigenio, verum etiam sæpè cōtrarius; & de hoc præcipuè agere debemus, quoniam status salubris, quo nuper ægrotantes, dum erant sani, fruebantur, nō potest esse primigenius, sed nouus & aduentitius; ideò ab ipso metimur recessum, & ad ipsum pro viribus reducimus ægros, vt ipsos sanos reddamus, hinc Galenus 11. methodi cap. 3. dicit in morbis non debere seruari natiuum temperamentum, sed aduentitium; quæ proposita distinctio cum ab Empyricis non rectè sit præuisa, non est mirum, si in plurimos labantur errores.

In omni morbo esse duos recessus à statu naturali.

Labuntur in primis rudiores Medici, dum in exordiis suarum consultationum recessum ab aduētitio statu salubri cum primigenio cōfundunt, veluti dum expendunt signa temperamenti ægrotantis sine vlla distinctione duplicis huius recessus, proponunt enim signa temperamenti ab ortu naturæ comparati, & nequaquam perpendunt signa aduentitij illius temperamenti, quo nuper, dum erant sani fruebantur; quinimo ipsi errant valdè, quoniam, vt plurimum primigeniū temperamentum, vel primigenia constitutio potest esse adeò remota à constitutione, & ab illo temperamento aduentitio, quod æger recuperare desiderat, vt non solùm possit esse diuersa, verum etiam contraria, quinimò talis potest accidere, qualis si adesset, vitam ægrotantis omnino destrueret.

Vt errant, rudiores medici in consultationum exordiis.

Hinc Galenus lib. de tuend. sanit. præsagus tanti erroris erupit in hanc sententiam; quæ in præsentia sumitur pro principio nostræ considerationis: in debilibus, & senibus esse conseruandam consuetudinē, quamuis deterrimam, idem videtur quoque asserere 11. methodi cap. 3. quare si ex Galeni sententia, ęgri, senes, vel debiles sunt reuocandi ad consuetum siue aduentitium statum, quamuis sit malus; quanto magis ergo licebit transferre ægros ad illum statum aduentitium non deterrimum, sed salubre, quo, dum nuper erant sani, fruebantur. Quorsum ergo nostrates in omni ægrotante proponunt signa solum primigenij temperamenti? quando in omni viuente status primigenius tractu temporis multoties alterari, & mutari possit, & sæpè tantum absit à statu salubri, quem exoptamus, quantum abest morbus à sanitate? an-ne quis nasci potest cum iecore calidissimo, & per consequens venas habere latas & amplas, & deinde temporis interuallo adeò in frigidum temperamentum properare, vt tandem cachexia, & iecoris frigiditate prematur? an-ne salubris status istius, quo dum proximè erat sanus, fruebatur, fuit potius frigidus, quam calidus? etenim natura non

Malas consuetudines in debilibus & senibus non esse mutādas.

transit ab extremo ad extremum nisi per media: an-ne habebat eandem latitudinem venarum in omni aduentitio statu? quia ob temperamentum mutatum à primigenio calido in aduentitium frigidũ magnitudo venarum non minuitur. Quare cum hæc ita se habeant, quomodo volueris per signa primigenia cognoscere salubrem statum aduentitium? & quòd deterius est, volueris variis pharmacis ægrum semper transferre ad statum primigenium? Etenim latitudo venarum (ne ab hoc exemplo recedamus) conseruatur in omni temperamento primigenio, & aduentitio, quia est signum insequens conformationem; quare nulla erit consequentia à conformatione ad temperaturam, neque à temperatura ad cõformationem, quia sunt status, & naturæ admodum diuersæ, vt propterea illi Empyrici in maximos irruant errores, qui connectunt has consequentias, aliquis habet venas latas, ergo habet iecur calidum, ergo refrigerandum. Insuper quid vetat hominem esse caloris feracissimum à primordiis suæ generationis, qui tamé ob frigidorum assuetudinem, sibi naturam frigidam comparauerit, sed sanam, eadem semper manente venarum latitudine? qualem ergo naturam cõseruare erit medici officium, præsentem sanam, vel vetustam illam primigeniam iam diu amissam? neminem esse puto dicentem, dũ ægri tam remoti sunt à primigenia ipsos esse ad eam reducendos, vel eam in ipsis, cum non sit, esse conseruandam; quia iam in primo libro docuimus de ratione indicantis siue sit in methodo curatrice, siue in conseruatrice esse præsentiam, docuimúsque quod est in fieri, non indicare; quia, quod est in fieri non est adhuc exactè præsens, quoniam exactè præsens in methodo debet esse in facto esse stabile firmum & non fluens, quam doctrinam colligimus passim ex Galeno, & præcipuè in methodo medendi loco superius citato, vbi clarissimè dicit in ægris non esse seruandum temperamentum natiuum, sed illud, quo ægri incidunt in morbos, & ratio est, quia natiuum non est præsens, vt aduentitium.

Ægros ad statum aduentitium sanum esse ducendos, & non ad primigenium.

Cur primigenium natiuum temperamentum in ægris non sit seruandũ.

Sed ad exempla accedamus: Socrates ab ortu naturę humidissimus in ætatis progressu redditur siccus, verumtamen sanus, Socrates deinde in ægritudinem cadit; tunc medici in suis consiliis proponunt esse conseruandum temperamentum naturale, & ad illud Socratem reuocandum, proponúntque à temperamento naturali esse metiendum recessum; sciscitor ab eis, vt mihi dicant, qualenam temperamentum conseruare volunt, vel à quo volunt metiri recessum, à naturali statu primigenio, vel aduentitio? dicere non possunt primigenium esse conseruandum, vel à primigenio esse metiendum recessum; quia non est, & non entis non sunt indicationes, quare nullo modo status primigenius indicabit, quinimo potest accidere, vt præsens temperamentum Socratis magis distet à primigenio, quam morbus ab eius aduentitio statu salubri; quæ cum ita sint, sequitur, vt constitutio aduentitia salubris in ægrotantibus sit conseruanda, & ab ipsa sit metiendus recessus, & nequaquam à primigenio.

Exemplo cõfirmatur non esse seruandũ natiuum tẽperamẽtum.

Ad eumdem modum biliosa corpora euadunt pituitosa, eáque in-

ter latitudinem sanitatis conseruantur; quoniam sub vtraque sorte æquè benè munerum suorum officia explere possunt. Cur ergo hoc corpus, quod à primordiis suæ generationis fuit biliosum, & deinde factum pituitosum, pristina manente valetudine, si labitur in ægritudinem, vis reducere ad statum primigenium? vel à constitutione primigenia eius recessum metiri volueris? Quorsum ergo in omni medica consultatione perpendere vis primigeniam temperaturam, quæ est remotissima, & quæ potest omnino reluctari salubri constitutioni aduentitiæ? cur vis inferre à signis ortis à primigenia constitutione status præsentis conditionem. Sicuti dicendo est latitudo thoracis, & thorax hyspidus, ergo totum corpus est calidum; quod non sequitur, quia ob longam consuetudinem frigidarum rerum, nulla facta mutatione in latitudine, vel hyspiditate thoracis potest accidere, vt cor, & totum corpus acquisierit naturam frigidiusculam, & sanam, neque obiiciant signa hæc, & alia id genus esse desumpta à Galeno in arte medicinali. Quia occurrimus Galeni signa tradita in arte medicinali seorsum & sine sufficienti syndrome aliorum signorum considerata arguere potius constitutionem illam, quæ est à primordiis generationis comparata, quam aduentitiam, idcirco nisi illorum omnium signorum fiat sufficientissima syndromes, numquam cognoscemus præsentem constitutionem, vel aduentitium statum, colligere ergo firmiter possumus nullam esse consequentiam à signis primigenij status ad statum salubrem vt nunc & aduentitium; cum toto cœlo distent: addimúsque quod illi, qui sumunt signa primigenij status loco signorum pertinentium ad aduentitium apertissimè labantur in paralogismum æquiuocationis, quod argumentum est in quatuor terminis, tandémque concludimus ægrotantes reducendos esse ad statum, quo, dum nuper erant sani, fruebantur, & nequaquam ad primigenium.

Est latitudo thoracis vel thorax hyspidus ergo temperamentum est calidum nō sequitur.

Qui arguit à signis aduentitij status ad primigeniū argumētum, facit in quatuor terminis.

Ostenditur posse mutari sine morbi introductione temperaturam, meatum, situm & figuram partium: exordia vero, substantias, numeros, compositiones, officia, & progressus non posse mutari.

CAPVT II.

OSTENDIMVS superius decem tantum esse differentias partium corporis, quæ affectus vniuersos tam naturales, quam præter naturam constituunt: hic verò paucis declaratur, quod aliquæ illarum differentiarum ab exordiis naturæ non possint per totum vitę cursum in animantibus mutari sine noui, & aliquando lethalis morbi introductione, aliquæ verò possint mutari sine morbo. Quæ verò non possunt mutari videntur esse exordium, substantia, numerus, officium compositio, & progressus partium, quæ verò possunt mutari sunt tem-

peraturæ, meatus, situs, & figuræ partium. Etenim multum interest in aduentitij status contemplatione scire, quæ conditiones sint mutatæ, quoniam alio modo recessus à statu naturali est metiendus læsa temperatura, vel læsis meatibus, vel figura, vel situ, quam si reliquæ conditiones essent mutatæ, quoniam partium temperaturæ, situs, meatus, & figuræ sæpè alterantur, & mutantur, manente tamen valetudine inter limites naturales; potest enim esse, vt aliquis habuerit iam diu, & ab ortu naturæ ventriculum calidum, attamen tractu temporis mutauerit in frigidum, & frigidum aduentitium, & acquisitum conseruauerit sine noua morbi introductione, quod non euenit in officiorum mutatione, quoniam officia videntur esse immutabilia, alterabilia tamen in viuente secundum magis, & minus; hinc si ventriculi officium, quod est chilificare, & officium hepatis quod est sanguificare, & alia omniũ partium officia cõsideremus, videbimus, quod omnia, dum viuit animal, sunt immutabilia, alterabilia tamen secundum magis & minus, quoniam si destruitur officium ventriculi, quod est chilificare, fit statim illa lienteria, quæ est indelebilis, & lethalis: similiter, si iecoris officium, quod est sanguificare, adimitur, nulla amplius salutis spes est relicta, quare experientia patet, in officiorum mutatione non solum nouos morbos introduci, sed aliquando exitia, & hominum mortes.

Temperaturas, meatus figuras mutari sine morbo.

Quæ sanè in temperaturis mutatis non obseruantur, vidimus enim sæpè mutari temperaturas sine noua morbi introductione, sicuti patet, dum iecur, quod est sua natura calidum temporis spacio fit frigidũ sine morbi introductione, similiter caput ab ortu naturæ, & in prima generatione humidum redditur siccum, eadem manente bona valetudine. Quo ad meatus, eadem videntur dici posse, quia sæpè corporis meatus fiunt maiores, vel minores, & valdè dissimiles à primigenia constitutione, attamen in latitudine sanitatis conseruari possunt; ita vt non semper affectus in meatibus recedant à statu salubri. Simili modo figura omnium partium potest adeò mutari, vt nulla similitudo illarum amplius conseruetur, attamen non semper ob figuræ mutationem nascitur recessus à statu salubri.

Quæ differẽtiæ partium corporis non mutentur sine morbo.

Cæterum hæc quæ dicta sunt de temperatura, meatu, & figura partiũ, non videntur, posse obseruari in cæteris conditionibus; non enim videmus homines conseruari sanos iam mutatis partium aliquarum exordiis, officiis, numero & reliquis propositis; quoniam, si neruorũ, venarum, siue arteriarum numerum quis amitteret esset impossibile, vt inter limites sanitatis conseruaretur. Ad eumdem modum, si quis amitteret alicuius partis propriam substantiam, veluti si ossa sua substantia dura euaderent mollia, absque dubio morbo aliquo vexarentur, & quod diximus de ossium substantia de qualibet partiũ substantia dici potest. Similiter videmus vasa, & partes corporis non amittere suũ progressum sine morbo, & maximo recessu à statu salubri, quoniam si venarum, vel neruorum surculi mutarent progressum illico in ægritudinem talis fieret lapsus, vt sæpè de animalis vita actum esset; quare vasorum progressus debent seruari ab exordiis naturæ vsque ad vltimum

vltimum diem, etenim si vena magna, quæ est in iugulo vel sextum par neruorum mutarent suorum surculorum progressus, vt surculi venæ iugularis non excurrerent in caput, vel surculi sextæ coniugationis neruorum non progrederentur ad pulmonem ad iecur, & ad os ventriculi, tunc hæc mutatio progressus non solum ægritudinem, sed certum exitium promitteret: similiter compositio quælibet mutata, vt omnes sciunt siue sit synartrosis, siue sit diartrosis, siue symphisis sine morbo esse non potest. Hæc sanè de temperatura mutata nō sequuntur, quia, vt diximus, ventriculus siccus si sit humidus, non solum destruitur, sed conseruari potest inter salubres limites; neque in meatibus mutatis videmus semper sequi malas valetudines, cum magis, & minus aperti seruentur, eadem manente bona valetudine. Nec demum videmus, ob figuram mutatam illico ægritudines oriri, quoniā si de figura loquimur, vt faciei & aliarum partium externarum, & internarum aliquando figura mutatur secundum totum, attamen nulla sequitur ægritudo, quemadmodum in illis est videre, qui ab infantia vsque ad senectutem numquam in ægritudinem prolapsi sunt: in quibus figuræ omnium partium internarum, & externarum sunt millies mutatæ sine morbi introductione. Colligimus ergo mutari posse sine morbi introductione temperaturam, figuram, meatus, & situm partiū: non mutari sine morbi introductione exordium, officium, numerum, substantiam, progressum, & compositionem partium corporis. Ex iis quoque colligimus, quæ sint illæ conditiones, quæ magis pertinent ad primigenium, & quæ ad statum aduentitium; quæ enim magis pertinent ad primigenium sunt illæ, quæ in viuente difficile mutantur, vt sunt quæ sine morbo non mutantur, cæteræ verò, quæ promptè mutantur, magis pertinent ad statum aduentitium.

Habet latitudinem venarum ergo iecur habet calidum, ostenditur consequentiam esse nullam.

CAPVT III.

EX traditis facilè colligimus, quomodo errent illi, qui volunt metiri morbificum recessum à statu naturali aduentitio per illa signa, quæ potius declarant morbificum recessum à primigenio statu; quoniam ob hanc signorum æquiuocationem incidunt in paralogismum quatuor terminorum; aduentitius enim status in ætatis progressu à causis externis introducitur, & valdè differt à primigenio statu, qui in primis generationis exordiis acquiritur; cum igitur status isti sint diuersi, valdè miror nonnullorum Empyricorum inscitiam, qui ex signis primigeniæ constitutionis colligunt aduentitiam, & præsentem cōstitutionem, sicuti dum ex latitudine venarum, quæ tales factæ sunt in prima nostra generatione, colligunt hepar esse calidum, in qua re maximè decipiuntur; quoniam hepatis caliditas præsens, & aduenti-

tia non est illa, quam in prima nostra generatione acquisiuimus, quandoquidem tractu temporis temperamenta variantur, & viscera, quæ ab initio erant calidissima ob vsu & consuetudine externarum rerum possunt in temperamenta frigidiora degenerare, & variis modis alterari tam secundum passiuas quam actiuas qualitates, eadem manente vasorum magnitudine, & figura; hinc hepar, quamuis in maximas incidat febres, & infinities temperatura ipsius nouetur, & permutetur, magnitudo tamen hepatis & venarum seruatur immutabilis. Similiter videmus hominem capite magno præditũ modo in calidam, modo in frigidam, modo in siccam, & modo in humidã dyscrasiam corruere eadem magnitudine capitis sub omni sorte perseuerante.

Errant qui dicunt magnitudinem partium indicare temperaturam.

Quæ cum ita sint, facile patere potest, quantum errent, qui ex venarum latitudine caliditatem iecoris necessario inferunt. Errant primò, quia confundunt signa ostendentia recessum à statu primigenio cum signis ostendentibus recessum à statu aduentitio. Secundò errant, dum credunt solam latitudinem venarum caliditatem iecoris significare, quod videtur ipsi Galeno aduersari, quoniam in arte medicinali non interebat ardorem hepatis solum ex latitudine venarum, sed ex syndrome signorum sufficientissima, scilicet ex flauæ bilis abundantia, ex atræ in consistenti ætate, ex corpore vniuersim calido, ex ventre, & hypocondriis hirsutis, & ex latitudine venarum calidam iecoris temperiem colligebat. Tertiò errant, quia magnitudo non pertinet ad temperiem, sed ad compositionem, ergo magnitudo venarum non arguet hepatis temperaturam calidam.

Signa art. medi. cum syndromen aliorum significare.

Præterea possumus quoque altioribus principiis probare, venas nullum habere nexum necessarium cum hepate, quoniam potest defendi, quod venæ in prima generationis nostræ origine non trahant ortum ab hepate, quod probatur tum ratione, quæ est desumpta à Galeno secundo de temperamentis, vbi affirmare videtur hepar esse parenchyma venarum: tum experientia, quæ obseruatur in formatione fœtus pulli, in quibus fracto ouo, quod quatuor dierum spacio à glociente gallina sit fotum, antequam aliquod vestigium & rudimentum hepatis appareat, venula quædam conspicitur; quæ cum ita sint, dicere non possumus, quod venæ sint hepatis germina cum re vera in ipso fœtu venæ prius generentur: quare nullo modo venarum conformatio caliditatem iecoris significabit, si illo erunt priores.

Vt errant, qui dicunt venas ab hepate prodire.

Præterea potest comprobari virtute analytica, quæ re vera cogit, & deuincit animos, quod scilicet nullus sit necessarius nexus inter venas, & hepar, & per consequens neque iecur calidum magnas venas facere neque magnas venas ostendere caliditatem ipsius, age, exequamur, an-ne Aristoteles 2. post. habet, si causa est temporis momento prior effectu; illam nullum habere nexum necessarium, & per se cum effectu & per consequens illam non esse veram causam illius effectus, & ratio est, quia si effectus non semper est in sua causa, sed aliquando tantum, causa illa non prædicabitur de illo effectu de omni ratione

Vt conuincatur virtute analytica, qui dicunt hepar esse initium venarum.

cuius prædicationis duæ requiruntur conditiones, altera est æternitas, altera verò, quòd ille effectus sit in omnibus indiuiduis illius speciei, veluti (vt exemplis notissimis illustremus) si homo esset prior risibilitate horæ momento, sequeretur quod homo non esset risibilis, quia hæc propositio, quę dicit, hominem esse risibilem, non esset semper vera, & ratio est, quia non esset de omni, illud enim quod non est semper non est de omni, & quod non est de omni, non est per se, & quod non est per se est accidentale, & quod est accidentale, vt sustinet Auerroes, est falsum ergo venæ quæ erunt horis, & diebus in generatione priores hepate, vt patet per experientiam propositam; non erunt causæ hepatis, nec hepar causa venarum, similiter, nec venæ indicabunt iecoris conditiones, neque hepar venarum magnitudinem, vel paruitatem; quomodo ergo poterunt venæ latæ, & amplæ ostendere caliditatem iecoris intensam; quare nisi dicamus latitudinem venarum cum syndrome aliorum signorum tantum posse indicare caliditatem iecoris, nullo modo colligere poterimus ex latitudine venarum caliditatis inditium, quia signa per syndromem collecta sunt omnia accidentalia, signum enim proprium, & per se vnicum est, quia vnius rei vnicum tantum est signum per se, quia de ratione signi proprij est, vt cōueniat omni, soli, & semper, & conuersim dicatur de eo cuius est proprium, & tandem propria collocentur in secundo modo dicendi per se, & hæc sola sunt, & non plura in vnica specie; quando verò fit syndromes, eo fit, quia proprium signum est ignotum, & innominatum, ideò circumscribitur. Ecce ergo quam benè fauent sententiæ nostræ principia analytica.

Hactenus arguimus per instantiam, & ostendimus latitudinem venarum non significare temperaturam iecoris, quia venæ non prodeunt à parenchymate. Nunc illudmet infringi potest per fiduciariam reprobationem, dato scilicet, & non concesso, quod venæ sint hepatis germina, negamus tamen latas, & magnas venas semper fieri à magno visceris calore & ratio est, quia partium magnitudo non sequitur primas qualitates calidas, vel agentia calida, sed formatricem, & multitudinem materiæ. Quod roborari potest auctoritate, ratione, & experientia, auctoritate, quia Galenus 2 de temperamentis cap. 8 habet partium magnitudinem sequi virtutem formatricem, & multitudinem materiæ. Similiter lib. de art. medicinali vbi agit de capite paruo, & magno dicit magnum caput fieri posse, vel à virtute facultatum, vel à multitudine materiæ non regulatæ à virtute, cuius facultatis instrumentum ex Galeno est calor. Ecce ergo quod magnum fieri potest à multitudine materiæ tantum, & non semper ab aliqua virtute determinata calida, vel frigida; quare si non semper à calore, ergo non erit per se hæc propositio, calor efficit magnas partes, ergo erit per accidens, ergo erit falsum dicere, esse caloris proprium efficere magnas venas, & magnum caput, & cætera viscera maiora.

Vt fiduciariè reyciuntur dicentes venas indicare iecoris caliditatem.

Reyciuntur auctoritate.

Insuper probatur ratione, quoniam si materiæ multitudo pos-

Ratione.

sit reddere viscera maiora, hæcque materię multitudo possit sequi modo frigidas, & modo calidas, causa ergo contingens erit, vt calor efformet magna viscera, contingens inquam, quia si calor debet efficere hanc viscerũ magnitudinẽ requiritur in primis, vt materia sit proportionata, vt absint impedimẽta, vt materia non sit euaporabilis, & diaphoretico modo exhallet, vel calor nimius non sit; quia exsiccaret resoluendo, & absumendo aqueum humorem, quippe qui auget continuando partes terrestres, eásque secundum omnes dimensiones distendit.

Experientia. Postremò experientia confirmatur, quoniam videmus Germanos, qui sunt vt plurimum proceres, calore vacare, vel saltem esse feruoris expertes, vt hinc pituitæ grandem copiam coaceruent, & eorum corpora vndique pituitosis scateant recrementis. Similiter versa vice obseruatur, inueniri homines paruæ staturæ; qui sunt caloris feracissimi: quinimo, vt plurimum obseruamus paruos esse calidiores, magnos verò esse frigidiores, quare nullo modo dicendum est, calorem, qui est instrumentum facultatis, efformare partes, sed dicendum, pertinere ad formatricem, quæ variis instrumentis, & non calore tantum id efficere potest; quæ autem sint hæc instrumenta formatricis facultatis, hic non est locus.

Relinquitur ergo vt in hoc capite inferamus has consequentias nõ valere, est latitudo venarum, ergo hepar calidũ, est hepar calidum, ergo latitudo venarum, latæ enim venæ modo sua natura magnæ sunt, modo paruę videntur magnæ ob distensionem factam vel à copia sanguinis, vel ab impetu spirituum, vt in violentissimis exercitiis, & balneis obseruatur. Similiter dicimus venas ab ortu naturæ magnas reddi adeò flacidas, & paruas ob spirituum, vel sanguinis caritatem, vt vix conspici possint; quare inferimus esse vanissimum colligere ex latitudine venarum iecur esse calidum, vel ex paruitate venarum iecur esse frigidum. Demum tanto maior istorum error redditur, quia si latitudo venarum ostenderet temperamentum, quod (vt probauimus) est impossibile, ostenderent temperamentum primigenium, & nequaquam aduentitium, quod quærimus, & quo metimur recessum morbificum, & ad ipsum conamur ægrotantes transferre, quare patebit experientia auctoritate & plurimis altissimisque rationibus latitudinem venarum non ostendere iecoris caliditatem.

Ob quas causas vena parua magna appareant.

Ostenditur aduentitium statum solum acquiri per consuetudinem sex rerum non naturalium.

CAPVT IIII.

EX præcedentibus patet, omnes illos errare, qui in specificis cognoscendis affectibus solent à statu primigenio metiri morbificum recessum; supponunt enim morbos vniuersos à primigenio statu recedere,

dere, & ad ipsum solum ægros esse reducendos: quod est omnino falsum: etenim ægrotantes alium non exoptant statum, quam illum, quo (dum proximè erant sani) fruebantur, & talis est aduentitius, & nequaquam primigenius; de hoc igitur aduentitio agendum relinquitur in hoc quarto libro. Cæterum cum aduentitia natura ex omnium opinione fiat à longo vsu, & consuetudine sex rerum non naturalium, quatenus videlicet causæ non naturales alterando mutant varias constitutiones tam naturales, quam præter naturam, & mutatis illis nouæ gignuntur, proinde volentes agere de statu aduentitio, vel de nouis constitutionibus, non possumus de alia re agere, quæ melius status nouos declaret, quam de consuetudine, quoniam à longa consuetudine omnes noui & aduentitij status seu constitutiones introducuntur, vt propterea non sit mirum, si à plurimis consuetudo vocetur altera natura, quam opinionem auctoritate, & experientia nostrates confirmant, auctoritate, quia Galenus libro de assuetud. capite 2. habet hæc verba, quæ longa consuetudine sunt comparata, vim ferè proprietatis naturalis contrahere; experientia, quia à consuetudine sex rerum non naturalium omnes facultates animales, vitales, & naturales adeò alterantur, vt temporis cursu infinitos status possint recipere. Quæ omnia exemplis confirmantur: an-ne corpus quod est à primordiis naturæ calidum tractu temporis ob assuetudinem rerum non naturalium frigidarum fieri potest frigidum, eadem manente valetudine? Similiter biliosa corpora fieri possunt pituitosa, & talia inter limites sanitatis possunt conseruari. An-ne (quod maxima admiratione dignũ est) ob assiduam consuetudinem, & vsum cicutæ tolli potest etiã eius venefica virtus? sicuti relatũ est à Galeno de Anu quadã, quæ cicutã ob longum vsum in nutrimentum conuertit. Similiter in facultatibus vitalibus idem obseruatur, timidos videlicet assuetudine belli fieri corpore, & animo fortes, thymodes verò ob cõtrarios vsus fieri timidos: demum animales tam rectrices, quam cæteræ omnes longa, & varia assuetudine adeo alterantur vt nouos habitus, & nouas naturas recipiant, & tales inter latitudinem quoque sanitatis conseruentur.

Constare igitur videtur auctoritate, & experientia omnes aduentitios status à consuetudine, & vsu sex rerum non naturalium habere originem. Quod cum ita sit, videtur rationi consentaneum, vt de consuetudine, tamquam de principio omnium nouarum constitutionum verba faciamus agentes prius singillatim de iis quæ à consuetudine alterantur, deinde de definitione, & proprietatibus consuetudinis, definitione enim & proprietatibus consuetudinis præcognitis, plurima ad medicinam pertinentia fient clariora. Adest enim inter cæteras consuetudinis proprietates illa admodum præcipua, quod scilicet assueti minus lædantur à contrariis, cuius rei cognitio quanti sit in arte medica infra quoque patebit. Similiter sit in arte medica vidimus consuetudinem tantum posse, vt assuetus rhabarbaro ab ipso non purgetur, assuetus lactucis à lactuca non al-

teretur, assuetus veneno ab ipso non interficiatur. Quid multa? audias demum quantum potuit consuetudo; noui hominem, qui tractu viginti annorum vitam in obscurissimo carcere traiecerat, qui vt primum tenebris carceris, & putridis illis halitibus fuit liberatus in ægritudinem incidit lethalem, eáque ægritudine liberatus vixit anni spacio malè affectus, data tamen occasione vt iterum mitteretur in carceres, incepit sanari, & sanus conseruari. Hinc Galenus dicit in senibus, & debilibus non esse mutandas consuetudines quamuis deterrimæ sint. Quare cum tanti sit hæc de consuetudine inquisitio, summa diligentia de ipsa est agendum.

Exemplis ostenditur à longa consuetudine, & vsu externarum causarum vniuersas humani corporis facultates in varias, & aliquando contrarias naturas mutari posse.

Cap. V.

CVM optimus Medicus vltimas affectuum differentias consequi non possit, nisi recessum ab aduentitio statu sciat metiri; & quilibet aduentitius status à longa consuetudine sex rerum non naturalium suum initium trahat; par est, antequam consuetudinis definitionem excutiamus, vt luce exemplorum pertinentium ad omnes facultates corporis ostendamus quanta perrenis rerum externarum consuetudo potentia, & virtute polleat, & quæ sint illæ animantium facultates, quæ adeò mutentur ob longam aliquam consuetudinem, vt status aduentitios & nouos acquirant: videbimus enim assiduam consuetudinem tantum posse, vt modo facultates animales siue sit rectrix, siue motrix, siue sit sensatrix alterentur, & in ipsis ingenerentur noui & aduentitij status; modo vitalem, & naturalem adeò mutari, & alterari, vt diuersos & contrarios suscipiant habitus, sicuti si de intellectiua potentia loquimur, videmus solertes homines ob præceptorum consuetudinem in falsa dogmata vocari, si de vitali potentia videmus fortes malo vsu. ineptos, & debiles assiduo vsu in omni opere aptissimos reddi, si de naturalibus facultatibus, videmus eo vsque potentiam longæ consuetudinis peruenire, vt venena in optima conuertantur alimenta, sicuti de vetula longo temporis tractu alta cicuta, Galenus refert. Expedit ergo quamplurimis exemplis tantam virtutem consuetudinis præcognoscere; quoniam illa virtute præuisa status aduentitios ingeneratos in corporibus nostris promptius perquiremus, nec aduentitias constitutiones cum primigeniis confundemus.

Vt perturbetur facultas discursiua à consuetudinibus.

Quantum igitur attinet ad rectricem animalem (qualis est discursiua facultas) si hanc diuinam facultatem expendimus quoties ob longum, & malum vsum falsarum opinionum peruertitur, atque decipitur; possem exemplis sexcentis hoc demonstrare, quomodo scilicet

cet falsæ opiniones longa consuetudine ab illis, qui sunt addicti sectis iudicentur veræ, & rationi consonæ. Platonici enim ad credendum soliti rerum species, & ideas non hic, sed in mente sub Deo locari, eo veniunt, vt dicant in Mundo hoc sublunari non esse verum hominem, & verum equum, vel alias species; sed dumtaxat vestigia & simulacra specierum, vel (vt aiunt illi) essentiarum vmbras; & vlterius dicant, Deum carere intelligentia, esse tamen intelligentiæ fontem, mundum habere animam, & Demones plures variis modis vagari, & alia innumerabilia sustinent, quæ sunt veræ philosophiæ aduersa; nihilominus fabulosis iis opinionibus ita accommodantur & assuescunt, vt alio modo ob illius doctrinæ consuetudinem Platonici nec velint, nec sciant philosophari.

Falsa opiniones Platonicorum.

Peripatetici verò ita ex animo philosophi vestigia sequuntur, vt in vltimo senio credant, & ad mortem vsque defendant varia ipsius dogmata, perinde ac essent coacti, & deuincti, quinimo væ illi, qui peripatetico diceret dari vacuum, dari infinitum actu, mundos plures esse posse, mundúmque non esse æternum; negarétque nunc esse copulam temporis præteriti cum futuro, vel alias rationes, quæ re vera sunt paullo fortiores, sicuti veluti dum dicunt mundum non esse factum, quia ab agente antiquo non proueniat actio noua, vel quia motus quilibet semper alium motum supponat vsque ad infinitum. Similiter væ illi qui negaret dari quintam essentiam, dari elementum ignis supra aërem sub orbe lunæ, vnicum esse intellectum agentem in tota humana specie, & alia plura id genus quibus firmiter credunt, sed non statim, quando addiscunt, sed quando hanc philosophiam temporis cursu defendere assuescunt, tunc enim firmiter & pertinaciter illis opinionibus, siue sint falsæ, siue veræ, æquè adhærēt; túncque dicimus in animis ipsorum consuetas opiniones tam altas agere posse radices, vt ipsi videntes philosophos aliter sentire, illos vrgeant conuiciis & putent re vera esse mentis lumine obcæcatos.

Opiniones peripateticorum.

Sed Aristotelem dimittamus, quia forsitan quam plurima obscura, & quæ tenebrarum velo prius erant obducta aperuit; addeamúsque Aristotelis interpretes, si volumus cognoscere quantum possit opinionum consuetudo, sunt aliqui assueti principiis, & opinionibus Scotistarum, quibus si anni spacio assuescunt, inde toto vitæ suæ tempore sectam illam tam constanter sequuntur, vt philosophis aliarum opinionum crimen ignorantiæ liberè obiiciant, dicúntque præcipuè à veritate deflectere Thomistas, tantóque animi impetu pro sua opinione disputant, vt odio prosequantur alios philosophos. Ex altera parte non desunt Thomistæ de illis malè cogitare, Scoti doctrinam explodendo, sectatoréśque ipsius increpando, quinimo tanta animi vi sententias aduersariorum arguunt, vt illos detrectent, & crimina seu σκώμματα illis inurant: eædem ferè obseruantur contentiones inter expositores Græcos & Arabes, vt nemo sententiam longo vsu creditam odio habere possit, quamuis esset falsissima. Tale quippiam in iuris-

Dissidia inter Scotistas & Thomistas.

prudentię scriptoribus accidit, vt pro consueta opinione quilibet pertinaciter in arenam conscendat.

De consuetudine diuersarum gentium.

Denique, si consuetudines diuersarum gentium consideremus statim obseruamus, proprios mores omnibus videri optimos, & rationi consentaneos. Liceatque mihi aliquas diuersarum regionum consuetudines hic afferre, vt videamus quantum consueta placeant. Anne Turcæ consuetudinem ducendi plures vxores, vel maximè approbant? quam nos refellimus, diuino tamen afflati spiritu, qui fallere non potest. An-ne in Germania vino repleri, & ebrietate lymphare, ob vsum, & consuetudinem vitium minimæ considerationis iudicatur? quinimo vino hylari animo obrui apud illos (vt vidimus) erat signum probi & sinceri hominis; in Italia tamen, & variis Europæ partibus, vbi non viget hæc bibendi libido, ebrietas iudicatur summum probrum, & extrema turpitudo. Similiter, an-ne apud Herodotum legimus libro primo, Messageres dum senes parentes extrema ingrauescerent ætate interfecisse & comedisse? & illorum tantummodo, qui à filiis propriis occisi atque comesti erant, seruabantur honoris condigna elogia? quos apud nos nullum esset facinus magis dirum, atque scelestum. Insuper, an-ne apud nos vxores violari est maximè vetitum? verum audias quantum possit consuetudo. Ferunt relationes in quodam Indiæ loco, quandò vxores ducuntur, maritos prius ipsas ducere ad sacerdotem illius loci, qui octo dierum spacio illas coëundo exerceat, & colligat primitias, & mox maritos sic stupratas recipere, vt digniores & præstantiores; quia talis est consuetudo, vt illæ mulieres, cum quibus sacerdos primo non coiuerit, non sint admissæ, vt inter alias versentur, qua apud nos nulla mulierum infamia, nullàque turpitudinis nota maior esset; videas ergo quam variæ sunt assuetudines gentium, quæ infinitos mores monstruosos approbant; quinimo tanta obseruatur varietas consuetudinum diuersarum gentium, vt omne quod in nostris regionibus videatur turpissimum, apud aliquas gentes iudicetur pulcherrimum, & quod est apud nos falsum, apud alios ob malas aliquas consuetudines verissimum existimetur. Demum (ne prætermittamus hoc exemplum quod est adeò commune, vt quilibet ab ipso quantum possit consuetudo colligere valeat) an-ne qui capiuntur amore, qui est re vera quædam species humanæ stultitiæ orta ob assuetudinem obiecti amati; aliquando tam turpissimo obiecto flagrent, vt omnes mirentur irrideántque quo pacto homines alioquin sapientes in hanc insaniam cadant? quæ sanè fit, quia toties approbantur obiecta, vt inde approbandi repetitio fiat consueta, vnde à consuetudine oritur amor: quare rectè inferre possumus, quod nihil magis impediat veritatis cognitionem quam consuetudo.

Opinio Aristotelis consuetudo quod impediat veritatem.

Verum ne scrupulum criminis quispiam mihi inurat, quod tanti faciam consuetudinem; adeamus Aristotelem 2. metaphisices text. 15. qui de consuetudine loquitur hac verborum serie, consuetudo maximè impedit veritatis cognitionem, quod leges declarant, in quibus

pueri-

puerilia, & fabulosa magis possunt quam veritas in se; ecce igitur quod consuetudo auctoritate quoque philosophi impedire potest cognitionem, & quod deterius est facit, vt fabulosa magis possunt, quam veritas ipsa. Possem hic proponere quam plurimos auctores, qui de moribus gentium monstruosis agunt, sed ne lectores diutius demorer, dimissis aliis afferamus solum, quæ referuntur à Sexto Empyrico, qui hac verborum serie de variis gentium consuetudinibus scripsit. Indis cum primis placet cum vxoribus in propatulo congredi, quod à nobis ridiculum existimaretur. In Tauris Scythiæ lex erat, & consuetudo, peregrinos Artemidi immolari, quod apud nos adeò est vetitum, vt non solum non interficiantur homines in templis, verum si iussu principis quis debeat interfici, si templum ingrediatur, fit tutus: pergit apud Persas esse consuetudinem vti Venere præpostera, apud nos verò nihil est tam vetitum: apud Persas licitum esse matris concubitum, apud Ægyptios posse cum sororibus contrahi nuptias; quare quemadmodum nos illorum consuetudinem increparemus, ita illi nostras accusarent, vt omnes assueti laudent & extollant ad sydera proprios mores, quia omnes gaudent assuetis.

Varij mores gentium citati à Sexto Empyrico.

Cæterum non solum variæ consuetudines intellectum sæpè perturbant, sed quod miserrimum est, decipiunt sensus ipsos, à quibus omnium nostrarum cognitionum exordia desumimus, & bona doctrinæ semina colligimus, quod potest ostendi lucidissimis exemplis; incipiamúsque à sensu gustus, qui est manifestissimus omnium, & ne illico lectoribus videatur paradoxum, quod scilicet ob consuetudinem decipiatur gustus; afferamus Aristotelis auctoritatem sect. 21. problemat. 14. vbi hæc verba leguntur, consuetudine fiunt alimenta gustui suauiora, ostendamus ergo exemplis gustum ob consuetudinem, & vsus varios sæpissimè alterari & mutari: quinimo aliquando accidere, vt quæ vsui nostro sint accommodata morib. diuersarum gentium sint inuisa, & ferè deleteria, & versa vice. An-ne Tartari assueti à primis annis incoctæ carni equinæ, ea oblectantur? quæ nobis insolitis adeò esset inuisa, vt illico gustus prorsus explodetet. Similiter nostranis vescimur, Germani, & Græci respuunt; quinimo consuetudines variant, & alterant gustum in hominibus vnius ciuitatis, inueniuntur enim aliqui, quibus ita displicet appium, quod seleno vulgariter vocatur, vt priusquam assuefiant, variis refellant iurgiis, quippe qui, si assuescunt, nesciant carentes illo comessationes adire, & quod de appio dictum est, idem de caseo, & de sexcentis aliis potest dici; tale quippiam mihi contigit dum in Hungariam secessi; quia primis mensibus panem illum azimum Hungaris assuetum abhorrui, attamen paullo pòst, dum assuescerem dulcior mihi est visus. Similiter vinum, quod Italico erat aliquantulum dissimile mihi videbatur minus suaue, itidem de omni ferculo, demum tamen acquisita illorum consuetudine, reuersus in Italiam amissa aliquantulum nostrarum ciborum consuetudine, ægrè sanè in primis mensibus paternis cibis potui me accommodare, vt propterea nouæ introducantur con-

Exemplis ostenditur sensum gustus à consuetudine decipi.

ſuetudines, quæ amitti, & iterum acquiri poſſunt, patet poſtremò ſenſum guſtus ob vſum longum omnibus accommodari exemplo illius vetulæ, quæ cicuta alebatur, patet enim experientia cicutam guſtui eſſe ingratiſſimam.

Vt errãt, qui à proprio guſtu colligunt, quod vinum ſit conualeſcentibus profuturum.

Colligimus ergo, quam ſæpè errare poſſint medici, qui deguſtant, an vinum ſit profuturum conualeſcentibus, & ſine alio examine colligunt ex proprio guſtu, quod illis ſit collaturum, quod non ſequitur, quia ſi conualeſcens dum optimè ſanus erat quoque aſſuetus illi vino, licèt à medici guſtu non probetur, eſſet tamen vinum ſolitum approbandum; requiritur ergo, vt obſeruentur ægrotantium conſuetudines, & diſpoſitiones, de quibus diſpoſitionibus hic non eſt locus, vt agamus, quia in primo libro de iis actum eſt, & in 6. quoque diligentiſſimè agemus in capite de ſignis diſpoſitionum ægrotantium: hic tantum exemplis colligimus ſenſum guſtus omnium manifeſtiſſimum à conſuetudine decipi poſſe.

Exemplis oſtenditur ſenſus viſus à conſuetudine decipi.

Quæ verò pertinent ad ſenſum viſus, ea ſolum, quæ longa aſſuetudine oculis plurimorum hominum arriſêre vocantur pulchra, quæ verò diſplicuere turpia. Hinc cum ſoliti ſimus credere mulieres ornatas margaritis eſſe pulchriores, tantum poteſt aſſuetudo, vt plurimę alioquin deformes illis ornatæ oculis tantum arrideant, vt pulcherrimæ, & elegantiſſimæ videantur. Similiter ſoliti longo vſu videre mulieres capillis ad inſtar cornuorum eleuatis ſine hoc fuco hic eas deſpicimus, quibus ornamentis ſi ab externis excultæ videntur, putant nil turpius illis videri poſſe. Si verò noſtrates inſpiciant Germanas mulieres ornatas orbiculis ſuper clauiculas ſtatim illa, vt inſolita ſpernunt, & irrident ornamenta, vt conſuetudo ſola videatur eſſe iudex pulchritudinis. Inſuper ſi de oculorum pulchritudine loquimur, an non in tota Europa iis temporibus creditur nigros oculos magis exornare, quam albi, & glauci, nihilominus in Africa pulchræ mulieres oculis albis donatæ præferuntur cæteris omnibus. Similiter priſcis temporibus Anacreon Poëta Lyricus celebrans excellentes pulchritudines oculorum amicæ ſuæ, refert glaucis oculis fuiſſe donatam. Similiter Petronius arbiter ad ſydera extollens pulchritudines elegantiſſimæ iuuenis, refert habuiſſe oculos albos, qui ſtellæ lucentis, ſpecimen æmularentur. Hæ variæ atque diuerſæ opiniones pertinentes ad ſenſum viſus ſenſim fermè comparantur, quoniam à pueritia, vel longo temporis tractu incipimus ab aliis edocti dicere hoc eſſe melius, & pulchrius, deinde facilè eò labimur, vt ob vſum, & conſuetudinem firmiter credamus. Præterea, vt plurimis exemplis oſtendamus conſuetudinem alterare ſenſus viſus, libeat hæc ſubdere, qui incolunt Mauritaniam putant fœminas nigras, vt atramentum, eſſe pulcherrimas. Qui Europam albas ſimúlque colore roſeo præditas; in Mauritania (vt audio) luciferum pingunt album, nos verò melioribus fundamentis edocti, nigrum. Concludimus ergo, dum aſſueſcimus vocare aliquid pulchrum, vel turpe, hanc conſuetudinem tantum poſſe, vt ſenſus viſus facilè decipiatur, quinimmo, ſi ſoliti eſſemus

mus videre homines cornua gestare, vt boues, si duos oculos in fronte, quatuor nares, aures asini, dentésque elephantis, vbi sine his monstruosis conditionibus videremus hominem, vt insolitum iudicaremus esse turpem, indecorum, & monstruosum, meritóque circulatores possent obolum pro ostensione insoliti hominis efflagitare; patet ergo experientia sensum visus omnium præstantissimum in adiscendo quàm sæpissimè falli posse.

Exemplis ostenditur sensum odoratus à consuetudine decipi.

Sensus odoratus simili modo ob consuetudinem decipi potest; hæcque sunt exempla, plurimi sunt, qui laudant muscum, rustici non assueti illum arguunt, & proiiciunt. Viri politici alij odorem explodunt, rustici verò allium præferunt musco Orientali. Indi (vt refert Nicolaus Monardes loquens de assa-fetida) ferculis, assam-fetidam, vt suauius oleant, immiscent. Nos autem præ fetore illius ferè morimur.

Exemplis ostenditur sensum auditus à consuetudine decipi.

De auditu varia sunt exempla, quæ ostendunt, quo pacto sensus iste à consuetudine decipi possit: adest Turcarum musica auribus nostris insuauis, nostra verò artificiosa Turcis est inuisa, Turcis enim cum primis placent rithmi improportionati, quia illos audire soliti sunt, proportiones verò nostræ ipsorum auribus insolitæ reprobentur. Sed vt familiarissimis exemplis cognoscamus auditum à consuetudine mirum in modum moueri, & alterari, dicas mihi quid auditum nostrum magis lædere potest quam fabrorum limæ sonus ille acutus? nihilo secius fabri soliti, libenter elimare audiunt; quinimo, quo acutior est sonus, illis est eo gratior, quare tantum abest, vt limæ sonum acutum abhorreant, vt potius approbent, laudéntque limam, dicentes ex optima materia esse factam, & eis maximè arridêre; nemo sanè dicet mihi aliam causam harum variarum opinionum pertinentium ad auditum, quam consuetudinem & vsum. Concludimus ergo quemlibet sonum alicui insuauem posse, alteri assueto longo temporis cursu placere, nisi sit ita vehemens, vt sensum corrumpat, veluti sunt instrumentorum bellicorum bombi, tonitrua & fulmina potentissima, quæ suo impetu aërem ingenitum auris eneruant, & expansum illum neruum valdè percutiunt, quod contigit præcipuè in debilioribus, quoniam fortiores possunt quoque assuesci bombis illis vehementissimis instrumentorum bellicorum, & inde illis potius oblectari, quam vexari: ratio autem, cur vsus longus vehementissimi strepitus auditum non lædit, eadem est, cur vetula ob longum vsum cicutæ non lædatur, quinimo ea oblectetur, de qua ratione, & causa infra diligentius agemus.

Exemplis ostenditur sensum tactus à consuetudine decipi.

Postremò tactus longo vsu, & consuetudine potest plurimis rebus contrariis atque aduersis assuescere, quemadmodum illi, qui incolunt regionem frigidissimam, si eunt in Syriam nemini dubium quod primis mensibus insolitum calorem vix possunt sufferre, cui tandem assueti aptentur illi regioni, quæ antea erat contraria, & nullo modo vexentur. Similiter si homines, qui in delitiis viuere consueuerant fiant heremitæ, nudisque pedibus incedant, primis diebus antequam cutis

calo obducta sit valdè torquentur, quippe si assuescunt adeò aptantur frigidis obiectis, vt per niues nudis pedibus incedant.

Ostenditur virtutē motiuam à consuetudine roborari.

Præterea non modo intellectiua, & sensitiua potentia à longo vsu, & consuetudine decipiuntur, & alterantur, verum etiam virtus motiua, quod experimentis plurimis ostendi potest, sicuti quando videmus homines fieri in illo motu, quem exercent validiores, quamuis debiles extitissent, antequam se illi exercitio tradidissent; imbecilles enim consuetum motum facilius exercent, & ad illum se præstant validiores insolitis, quamuis robore validissimo essent donati, vt ex iis certo colligere possimus à robore differre consuetudinem, esseque aliquid aliud: hæc quoque ab Hippocrate paucis explicata sunt 2. sect. aph. 49. iis verbis: quotidianis laboribus assueti, si inualidi sint, aut senes, insuetis, quamuis robustis, & iuuenibus facilius consueta ferunt exercitia. Potest ergo consuetudo indere robur facultatibus naturalibus, quia assueti sunt promptiores, & validiores ad actionem, quam robustissimi insoliti.

Ostenditur facultatem vitalem à consuetudine fieri fortem.

Similiter obseruare possumus vitalem facultatem à consuetudine alterari: spiritus enim vitales, qui sunt instrumenta huius facultatis, ob longos vsus & consuetudines diuersas, & aliquando contrarias suscipiunt habitus & dispositiones, sic timidus diutius in bello detentus adeò assuescit, vt audax euadat, & versa vice fortis cum timidis vitam agens fit timidus, idémque obseruatur in omnibus passionibus pertinentibus ad cor, vt non sit, quod in re manifestissima tempus conteramus.

Demum in facultatibus naturalibus obseruare possumus, consuetudinem dare robur alteratrici, expultrici, attractrici, & retentrici facultatibus; hinc Galen. 2. de ratione vict. 33. habet pro hac opinione
„ hanc sententiam; cibos, quibus vti consueuerunt facilè ferunt, tamet-
„ si haudquaquem boni fuerint naturæ, idémque de potu dicit, vt alteratrix facultas ob consuetudinem cibos peruicacissimæ coctionis coquat, sed quid vlterius dici potest, quod magis ostendat virtutem consuetudinis in roborandis facultatibus naturalibus, quam historia illa vetulæ Atheniensis, cuius memoria est percelebris, à Galeno quoque citata 3. simp. Med. Fac. capite 18. quod fuit enutrita cicuta, & illa Mitridatis, qui longo vsu veneni reddidit se à venenis immunem. Hinc non est mirum, si Tartari carnem crudam equinam digerant, quia à pueritia assuescere incipiunt, vnde illis redditur caro adeo familiaris, & amica, vt sine controuersia ventriculus amplectatur eam, & in sui substantiam conuertat.

Ostenditur facultatem alteratricem à consuetudine roborari

Videns igitur Aristoteles in philosophia, & in Medecina perspicacissimus, naturam ope consuetudinis fieri familiarem venenis, & medicamentis, & pharmaca reddi familiaria, & similia, & per consequens nullius virtutis: quia actio medicandi non versatur inter similia, sed inter contraria, tradidit nobis mirabile præceptum in affigendis localibus, 1. sect. probl. 46. quod est, vt ex certis interuallis debeant mutari cataplasmata, quamuis sint eiusdem naturæ, vbi habet hæc verba: cataplas-

taplasmata permutari ex certis interuallis quamuis iisdem prorsus viribus sint, si debeant sanare, quia natura contemnit consueti pharmaci vires; quod Aristoteles tradit de cataplasmatibus intelligitur de omni locali, & de omni medicamento tam alterante, quam catharrico, quoniam hæc omnia propterea agunt, quia sunt contraria, quando ergo ob consuetudinem fient similia, amplius agere non poterunt, quia à similibus, vel ab assuetis non fiunt passiones. Hinc errant sæpissimè illi rudiores medici, qui in affigendis ceratis pice confectis dicunt tandiu parti læsæ affixa detinenda, quandiu cerata, vel emplastra sponte cadant, quod spacio aliquando quindecim dierum non contingit, vt adeò mollescant, vt spontè cadant, dicant mihi quæso, quodnam emolumentum post diem consequi poterunt ex iis emplastris, si erunt reddita familiarissima, assueta, & similia. Si natura diei spacio venenum superat, vt de Anu, quæ quotidie veneni modicum comedebat, vt assuesceret, quanto magis emplastra, quæ malæ qualitatis sunt expertia, poterunt vinci & superari à natura diei spacio. Præterea errant quoque, quia aduersantur Galeno, & Auicennæ, quorum vnica est vox, naturam non esse medicamentis intrinsecis, vel extrinsecis faciendam consuetudinariam, infra enim diligentius declarabimus, medicamenta eatenus operari, quatenus inter naturam, & medicamenta conseruatur discordia, quando verò assuescimus medicinis & venenis tunc natura, medicamenta, & venena inuicem talem contrahunt pacem & amicitiam, vt nullum amplius sequatur certamen; colligas experimentis propositis omnes facultates viuentis corporis à consuetudine alterari, & mutari, in varios habitus, & status aduentitios.

Errant, qui volunt affixa teneri cerata, donec sponte cadant.

Agitur de consuetudine ex Galeni sententia, & agenda in hoc libro proponuntur.

Cap. VI.

Cvm ope consuetudinis tam varios status aduentitios cognoscere valeamus, & varias morborum ideas, indicationes, præsagia, & remedia ex tanto principio colligere possimus, propterea, vt statis principiis philosophemur, valdè conuenit, vt prius addiscamus ea, quæ nos docuit Galenus libello de consuetudine, in toto enim illò tractatu docet, quomodo fiat consuetudo in facultatibus naturalibus, in potentiis animalibus, intellectiuis videlicet, sensitiuis, & motiuis; & demum cur in externis tantum possit consuetudo: primo igitur reddit rationem, cur facultates naturales assuescant, redditque rationem cur alteratrix, si aliquo longo vsu assuescit, non solum cibo malo, & ab omnibus exploso, verum etiam veneno non lædatur, vt dictum est de vetula iam citata, affert Galenus rationem iis verbis ex differentia, quibus vescimur, particulæ nutriuntur illo sanguine, vt ad ve-

Argumenta Galeni efficacissima, quod consuetudo det robur alteratrici facultati.

nena fiat consuetudo, afficitur natura tractu temporis, & aucta differentia notabilis fit, addit, quæ sunt longa consuetudine comparata, vim ferè proprietatis naturalis contrahere; vt ostenderet igitur facultates naturales assuescere, & accommodari posse omnibus cibis, quamuis sint durissimæ coctionis, ostendit prius facultates naturales ob consuetudinem digerere, & concoquere posse venena, quia inde valebit hæc consequentia, assuetus venenis venena digerere potest, ergo eo facilius assuetus ferculis durissimis ea digerere poterit, quoniam si de quo minus videtur inesse, & inest, ergo & de quo magis, quod autem alteratrix facultas venena possit in alimentum, & in sui substantiam conuertere, patet exemplo illius vetulæ Atheniensis, quæ longo vsu cicutæ ea nutriebatur. Quo pacto autem natura id efficere possit, paucis docet Galenus, dicens naturam nutriri illo sanguine, & tractu temporis naturam fieri similem veneno, verbi causa minima cicutæ quantitas non est tantæ virtutis, vt facultatem alteratricem euincat, relinquitur ergo, vt euincatur & superetur à natura, mox superata illa exigua, & pauxilla veneni dosis conuertitur in sanguinem, quo sanguine partes corporis aluntur, altis particulis veneno, si iterum sumitur venenum, concoquendi negotium non est ita difficile, quia ob similitudinem partes corporis expeditius illud euincunt, vt longo tempore assuetus perexiguæ portioni veneni possit inde liberius illo nutriri, quod quoque à Galeno non solum in hoc libello de assuetud. declaratur, verum etiam in 3. de temperamentis cap. 4. vbi altioribus fundamentis ostendit, cur inter facultatem alteratricem, & ea quæ ingeruntur in ventrem contrahi possit familiaritas, & amicitia, sumit primò hoc principium, quod omne agens corporeum quacunque virtute præditum agendo repatiatur, & omne patiens patiendo reagat, quod principium desumit ab Aristotele tum in 3. libr. physicorum text. 8. & text. 16. dum dicit omne mouens physicè in mouendo moueri, tum in primo de generatione & corrupt. text. 53. vbi dicit, omnia, quæ conueniunt in materia, agere, & pati inuicem: deinde Galenus dicit, quemadmodum facultas alteratrix agit in obiectum, vt in sui similitudinem illud conuertat, similiter obiectum reagendo conari reddere facultatem sibi similem, vnde colligimus, agentia, & patientia concorditer in hunc finem conspirare, vt inuicem contrahant similitudinem, eáque contracta inde necessariò sequi, vt sibi inuicem non reluctentur: vbi enim est similitudo, ibi est amor & pax, vbi verò est dissimilitudo, ibi est lis & discordia, quibus positis principiis. Sequitur non esse impossibile, vt natura tunc assuescere possit veneno, cum prima vice pauxillum veneni superauerit, & in nutrimentum conuerterit, quoniam secunda vice cum minori difficultate idem superauerit, & in nutrimentum conuerterit, quoniam secunda vice cum minori difficultate idem superabit, sibique assimilabit: huius enim rei duæ afferri possunt rationes potissimæ, altera est, quia si prima vice assimilatur, quando adhuc non est contracta similitudo, quanto magis secunda vice, quando iam incipit contrahi amicitia & familiaritas, natura

Vt fit amicitia inter naturam, & venena.

Ob duas rationes homines posse assuescere veneno.

natura

tura illud euincere poterit? Secunda ratio est, quia veneni perexigua portio prima vice assimilata imprimit qualitates similes, sed euictus & superatas; in sanguinem quo si nutritur corpus, corpori venenum inde reluctari minus poterit. Quare non est mirum, si vetula Atheniensis, superatis primis difficultatibus libere, & copiose cicutam comederet, cicuta enim sua natura frigida non est tantæ virtutis, quantæ sunt venena corrodentia, & calida, vt est arsenicum, sublimatum, & napellus: numquam sanè vetula potuisset assuescere sublimato, vel napello: non sublimato, quia licet pauxillum quid sublimati prima vice sumpsisset, attamen ob corrosiuam eius virtutem à natura non potuisset assimilari: quare illud, quod esset sumptum secunda vice, vnitum cum primo loco sumpto non assimilato maiorem dissimilitudinem fecisset, & inde maius damnum secutum esset: non napello, tum quia erosione & putredine enecasset vetulam, tum quia est calidissimus, & per consequens insuperabilis: docet enim Galenus 3. de simp. Med. F. capite 18. calida venena non posse vinci & superari. *Cur calidis, & corrodentibus venenis assuescere no possumus.*

Quare in hoc loco non possum committere, quin valde mirer Valesij oscitantiam, qui à Galeno desumens historiam vetulæ Atheniensis in locum cicutæ substituerit napellum, audias igitur Valesium libr. 8. controuersiæ cap. 5. his verbis loquentem, non solum alimentis, & medicamentis assuescit natura vsque adeo, vt ab illis minus alteretur, sed „ etiam venenis, quod apertè ostendit vetula Atheniensis, quæ frequen- „ ter vescebatur napello; Gal. 3. de simp. med. fac. c. 11. Nescio sanè vn- „ de Valesius in Galeno hoc acceperit, cum de vetula non loquatur ca- „ pite 11. sed 18. vbi hæc verba leguntur: si verò exiguum cicutæ sumatur, mortem homini nequaquam inferret. Id, quod Anus Atheniensis experimento docuit, cuius apud omnes percelebris memoria est, etenim ea ab exigua cicutæ portione auspicata nullo detrimento ad permagnam progressa est copiam; quod caput, si vidisset Valesius vtique non incidisset in tot errores; in primis enim errare videtur, quia Galenus non refert vetulam fuisse nutritam napello, sed cicuta. Secundò quia napellus, nec tempore Atheniensium, nec tempore Galeni erat cognitus: tertio, quia natura non potest superare calida venena, vt ipse Galenus capite iam citato fortissimis probat rationibus. *Obseruantur tria errata Valesij loquentis de vetula veneno alita.*

Cæterum dimissis altercationibus concludimus ex superius dictis, consuetudinem & vsum reddere omnia magis familiaria, & amica, vt meritò Galenus lib. de assuetudine dicat, longa consuetudine comparata vim ferè proprietatis naturalis contrahere; colligimúsque non esse mirum, si assueti bouinæ carni eam citius digerant, quam pisces saxatiles, si insoliti sint; ratióque ex enarratis colligitur, qui assueta sunt similia & illico ea amplectimur, & sine lite in nutrimentum transeũt, quoniam inter symbola facilior est transitus: quare quanto passum est agenti similius, eo citius assimilabitur, quo discrepantius, eo tardius ad finem optatum perducetur opus: hinc omnia illa, quæ propius accedunt ad naturam sanguinis, velocius in sanguinem conuertuntur; hinc caro, panis, oua, quæ sanguini similia sunt, citius quoque in san- *Cur aliquando caro bouina citius digeritur piscibus saxatilibus.*

guinem transeunt, quam brassica, & cæpæ, nisi consueta facta sint, & per consequens similia, quoniam hæc promptè admodum à facultatibus superantur, & assimilantur.

Postquam Galenus declarauit, quomodo fiat consuetudo in facultate alteratrice, deinde ostendit, quomodo introducatur in externas corporis partes, dicitque hoc nobis innotescere, dum videmus rusticos gelida hyeme sub dio minus frigore premi, atque vexari, quam insoliti ciues vtentes hypocaustis, dúmque videmus (quod melius vim consuetudinis declarat) Monachos, & heremitas nudis pedibus per niues incedentes ob assuetudinem nullas pati læsiones, licet aliqui ex iis inueniantur, qui primò luxui dediti vix hyberno tempore pellibus induti potuissent hypocaustis egredi: reddit igitur rationem Galenus, cur minus externo lædantur frigore, dicendo, in iis fieri cutim densam, & callosam à frigore astringente, & exsiccante, & propterea frigus non sentiri; quo pacto vero frigus habeat vim exsiccandi, & per consequens callum inducendi, docet Galenus, id contingere posse per se, & per accidens; per se, quoniam frigus astringit, & astringendo exprimit, & absumit pabulum partium proximarum, quo absumpto partes corporis statim durescunt: per accidens quia cute frigore condensata, calor, qui perpetuò è corporibus nostris exhalare solet, illico detinetur, detentúsque adeo crescit, vt inde maximè exsiccet corpus, & callum inducat, vt hinc Galenus colligat durescere quoque externas corporis partes sole æstiuo, quoniam degentibus aliquantulum sub radiis solaribus cutis non exsiccatur, quinimo humores funduntur, cutísque lenitur & mollis redditur, si verò diutius in sole quis moratur, adeò exsiccatur eius cutis nimio calore radiorum, vt epidermis corij specimen æmulari videatur.

Cur rustici minus lædantur frigore externo.

Cur vis intelligendi, & memorandi, exercitio augeantur, & ocio contabescant.

Postremò Galenus de consuetudinis vi in animi, & corporis exercitiis agens, dicit vim memorandi, & intelligendi exercitio augeri, ocio vero contabescere; quod auctoritate Platonis, & Erasistrati confirmat, qui dicebant vsum robur addere, ocium verò dissoluere, & eneruare. Credimus autem nos, facultates animales vsu, & exercitio augeri, quia assiduo exercitio spiritus animales excrementis purgantur, vnde puriores redditi reddunt quoque mentem & memoriam vegetiorem, & puriorem. Etenim sicuti exercitium, vel motus corporis expurgat musculos excrementis, musculísque dat robur. Similiter si spiritus animales, qui sunt instrumenta propria intellectus, & memoriæ expurgantur per assiduam contemplationem, quæ est horum facultatum proprium exercitium, vsque adeò puri redduntur, vt acutissima, & maxima virtute pollens fiat intelligentia, & memoria: quod quoque videtur experientia constare, quoniam videmus, quando quis se tradit exercitio intelligendi, & memorandi, facultates has fieri potentiores: idem obseruatur in sensibus ipsis, qui nisi exercerentur contabescerent: quinimo exercitium functionum pertinentium ad quinque sensus vsque adeò est necessarium pro confirmandis sensuum facultatibus, vt nisi in videndo nos ipsi exerceremus, amittere quoque possemus

Exemplis ostenditur facultates sensitiuas ob insuetudinem amitti.

possemus visionem sicuti contigit cuidam misero in obscurissimo carcere multo tempore detento, qui statim egressus cognouit se in vinculis functionem videndi propter dissuetudinem amisisse. Hinc quoque fit, vt si quis incipiat conspecillis vti, intra breue deinde spacium sine illis minus videat, quam prius videret. Similiter, quod ob ocium facultates quoque motrices diminuantur, exempla plura sunt: in primis illi se offerunt homines, qui cum vel multos dies iacuerint, vel plures sederint horas, cum postea resurgunt, vix incedere valent: se offerunt quoque auiculæ in caueis diu retentæ, quæ si exiliunt volare nequeunt. Patet igitur vsum consuetudinem, vel exercitium dare robur facultatibus animalibus, vitalibus, & naturalibus: patet quoque id contingere, quia ob exercitium instrumenta omnium facultatum excrementis liberantur: ob ocium verò maiori copia excrementorum premuntur, & inde contabescunt, & diminuuntur.

Cæterum præter hæc, quæ à Galeno tractantur de consuetudine, variæ se offerunt excutiendæ difficultates, ideò antequam huic contemplationi finem imponamus in hæc capita diuidemus tractatum.

Primò agetur, an vera sit communis illa sententia, quod consuetudo in naturam conuertatur.

Secundò quid sit consuetudo declarabitur.

Tertiò ostendemus errare, qui volunt inueteratas consuetudines, quamuis deterrimæ sint, statim amouere.

Quartò ostendemus, illos errare, qui volunt amouere senum, & debilium deterrimam consuetudinem, cum nec statim, nec sensim sit amouenda.

Quintò ostendetur, errare illos, qui volunt ægrorum, vel robustorum malas, & vetustas consuetudines indicare sui ablationem.

Sextò ostendetur, assuetum plurimis rebus minus lædi à contrariis.

Septimò errare ostendemus, qui non mutant alterantia in ægris curandis, quando ob consuetudinem omnes vires amittantur.

Octauò ostendemus errare, qui introducunt consuetudinem medicamenta soluentia, & alterantia.

Ostenditur consuetudinem non posse conuerti in naturam, deinde argumenta in contrarium adducta soluuntur.

CAPVT VII.

EST ferè communis opinio, quod consuetudo sit altera natura; an verò idem sit cum natura, vel possit in naturam conuerti, excutiendum est. Etenim plerique incidunt in hanc sententiam, vt credant, consuetudinem in naturam transire; idcirco præstat in primis fundamenta istorum proponere, & deinde sententiam, quam arbitramur esse veram, in medium afferre; & demum pro viribus dubia soluere. Qui

Argumenta pro parte cõtraria.

igitur dicũnt, consuetudinem in naturam posse conuerti, illud probare videntur auctoritate Aristotelis 7. Ethicorum cap. 10 vbi philosophus non solum dicit, consuetudinẽ esse similem naturæ, verum etiam in testem vocat Euenum Poëtam, qui his duobus carminibus clarè affirmat consuetudinem esse naturam.

„ *Vsus longus mos est, ac meditatio crebra*

„ *Hunc tandem assero naturam mortalibus esse*

Insuper afferunt historiam illius vetulæ à Galeno citatam 3. de simp. med. fac. cap. 18. ex qua colligunt, longum vsum, & consuetudinem cicutæ versam fuisse in naturam: Demum referunt historiam Regis Mitridatis, qui ob veneni vsum se à venenis immunem reddidit, quod non contigisset nisi veneni vsus versus esset in naturam.

Vt probatur auctoritate, consuetudinẽ non posse in naturam transire.

Cæterum, antequam horum argumentorum inanitatem amputemus, præstat probare auctoritate, ratione, & experientia, quod nullo modo consuetudo verti possit in naturam: audias igitur philosophum lib. de memor. & rem. cap. 3. consuetudo est tamquam natura, & naturæ similis, nunquid nõ ex hac philosophi sententia statim inferre possumus, consuetudinem non esse naturam: quoniã si esset natura Arist. non dixisset, consuetudinem esse tamquam naturam, vel similem naturæ, sed expressè dixisset, esse naturam. Præterea 2. Ethicorum cap. 7. dicit consuetudo propterea est valida, quia naturæ insidet, quare si naturæ insidet, consuetudo erit accidens, natura verò subiectum; cui dubium, quod est discrimen inter accidens, & subiectum.

Amplius primo Rethoricorum cap. 45. de assuetudine philosophus habet hæc verba, consuetum quasi naturæ insitum est. Simile enim est naturæ, quod enim sæpè fit, propè accedit ad semper; ex quibus verbis colligere valemus, consuetudinem non solum in naturam conuerti posse; verum prædicari per accidens de natura: ratio est, quia prædicatum, quod est per se, & naturale supponit inhærentiam perpetuã, si igitur consuetudo accedit ad semper, & non sit semper naturæ insita, non erit de omni, erit ergo naturæ accidens separabile. Insuper Aristoteles 7. Ethicorum capite 10. iis verbis clarissimè ostendit consuetudinem differre à natura, facilius curari possunt, qui per assuetudinem, quam qui per naturam incontinentes sunt, quare colligimus, naturam differre à consuetudine, quia nisi differret, æquè difficilis esset cura incontinentis per assuetudinem, ac per naturam; colligas ergo non solum consuetudinem esse diuersam à natura, verum etiam morbos introductos à consuetudine esse diuerso modo curandos. Postremò dicit philosophus 2. Ethicorum in exordio libri, & alibi, affectus duum generum inueniri, aliquos scilicet naturales, qui eduntur κατ' ἀνάγκην, sicuti dicimus naturaliter, & secundum necessitatem lapidem tendere deorsum, quem si millies (ait philosophus) sursum proiiceres nunquam lapis huic motioni assuesceret: aliquos deinde dicit esse affectus qui per consuetudinem acquiruntur, qui non sunt naturales, & & necessarij. Patet ergo pluribus philosophi auctoritatibus naturam adeo differre à consuetudine, vt nulla assuetudo, quamuis sit vetustissima,

ſima, poſſit conuerti in naturam; quoniam ſicuti lapis æterno tempore ſurſum proiectus, æterno tempore tendit ad centrum, & nunquam aſſueſcit aliis motionibus, ſimiliter affectus per conſuetudinem introductus, quia nō eſt naturalis, & neceſſarius aliter ſe habet, quia aſſuetudines variæ, & aliquando contrariæ ſuſcipi poſſunt, vt nullo modo conſuetudo dici poſſit natura.

Verum, vt exactius probetur, conſuetudinem non eſſe naturam, præſtat quoque, vt ſecundum ſtylum medicum oſtendamus conſuetudinem differre à natura, indicationéſque vario modo deſumi; remediáque amouentia affectus naturales eſſe omnino diuerſa ab iis, quæ conueniunt affectibus introductis à mala conſuetudine. Exequamur ergo: ſit aliquis tali modo aſſuetus, vt ei viginti annorum curſu annuatim ſecta fuerit vena, fingas cauſam tam longæ conſuetudinis fuiſſe, quia annuatim colligebatur bilis, quæ niſi ope phlebotomiæ fuiſſet repreſſa, & retuſa, in morbos ſemper ille incidiſſet: an-ne, ſi contingeret, vt poſt 20. annorum ſpatium bilis amplius non colligeretur, & per conſequens ab illa non vexaretur, eſſet irritum, & vanum, ſanguinem euacuare? abſente ſcilicet bile, quæ eſt cauſa, & quæ eſt, indicans phlebotomiæ? Si quidem ablata cauſa, aufertur indicans, quo ablato amplius non debent indicata ſeu remedia adminiſtrari; quare ſi vetuſta conſuetudo phlebotomiæ neceſſario non indicabit, conſuetudo non erit ſignum indicantium perpetuum, & verum, & per conſequens toto cœlo à natura diſtabit, quæ ſemper, & in omnibus eſt inuariabilis.

Vt probatur experientia conſuetudinē differre à natura.

Præterea alio quoque lucidiſſimo exemplo oſtendamus hoc diſcrimen inter naturam aduentitiam, & conſuetudinem. Sit igitur vir temperamenti calidi in primo gradu, hicque ob conſuetudinem, & vſum calidorum ſit effectus calidus in 2. gradu. Sitque alter temperamenti calidi in 3. qui vſu, & conſuetudine frigidorum ad ſecundum ſimiliter peruenerit: cui dubium, quod in vtríſque idem erit aduentitium temperamentum ob aſſuetudines tamen contrarias acquiſitum; fingas ambos in frigidum morbum corruere, calidíſque auxiliis ambos eſſe medicandos; quem credis citius curari poſſe, ocyúſque euadere frigido morbo? qui erat in 13. aſſuetus frigidis? vel alter aſſuetus calidis? dicere minimè poſſumus citius curari ſolitum frigidis, quia hic non poteſt tam promptè ad calida, quæ ſunt ei inſolita tranſire ſequitur ergo quod alter aſſuetus calidis, qui erat temperamenti calidi in 1. citius curetur, quia derepente, & ſine periculo calidis vti poteſt, ad ſolita enim facilior eſt tranſitus, & ad inſolita difficilior; eſt enim Hippocratis, & Galeni, præceptum ad inſolita non eſſe tranſeundum, & Ariſtotelis libris de generatione inter ſymbola ſemper faciliorem eſſe tranſitum: ecce ergo quod eadem aduentitia natura acquiſita per contrarias conſuetudines varias, & contrarias indicationes habet, quas non haberet, ſi conſuetudo conuerteretur in naturam.

Secunda experiētia qua probatur cō-ſuetudinem differre à natura.

Inſuper ſi idem eſſet conſuetudo, & aduentitia natura, ſequeretur, quod ambo vnam indicarēt, eſt enim Galeni 2. meth. 13. & 9. meth. 12.

Si idem esset natura & consuetudo vnum indicaret plura.

quod vnum, vt vnum indicat solum vnum, quod altioribus principiis in libr. de indicatione à nobis quoque probabitur, quod vero consuetudo indicet vnum, & natura, vel temperamentum aduentitium aliud, non solum ex ratione proposita facile est colligere, verum ex Aristotelis auctoritatibus allatis, & præcipuè ex illa, quæ colligitur 7. Ethicorum cap. 10. vbi dicit, facilius curari posse, qui per assuetudinem, quam qui per naturam incontinentes sunt. Quæ cum ita sint, sequitur necessariò, quod consuetudo differat à natura primigenia, & aduentitia.

Solutio argumentorum aduersariorum.

Quantum verò spectat ad apotimata, cognita veritate statim, quæ in contrarium sunt adducta, ruunt. Erat enim primum argumentum aduersariorum, consuetudo est similis naturæ, ergo est natura. Respondemus consequentiam esse nullam, quoniam similitudo non est identitas, quinimo contrarium inferimus, scilicet consuetudo est similis naturæ, ergo non est natura: error hic sanè est satis communis rudiorum, liceátque mihi alium similem paralogismum, qui per scholas, vagatur, subdere, vt melius argumenti vanitas innotescat, éstque dum colligunt calidum innatum esse cœleste, quia Aristoteles lib. de gen. animal. dixit proportione, & similitudine respondere elemento stellarum, quod tantum abest, vt sequatur, vt potius contraria consequentia sit vera, scilicet calidum innatum proportione respondet cœlesti calori, ergo nullo modo est cœleste, quoniam ea quæ proportione, & similitudine conueniunt; non sunt vniuoca, sed distant genere, & prædicamento, si prædicamenta vniuoca sunt: ad eumdem prorsus modum errant, qui dicunt consuetudinem esse naturam, quia est similis naturæ: quia contrarium necessariò colligitur, scilicet consuetudo est similis naturæ, ergo non est natura.

Paralogismus proprius rudiorum

Consuetudo est similis naturæ, ergo est natura, est Elenchus compositionis.

Demum, vt altioribus principiis argumenti inanitas innotescat, confugias ad Aristotelem, vbi de Eléchis agit, qui te illico docebit argumentum propositum esse Elenchum compositionis, ratio est, quia colligitur in conclusione, quod non est in præmissis, assimilatúrque illi exemplo, quod proponitur pro declaratione argumenti malæ compositionis, quod est tale, qui sedet potest iacere, Socrates sedet, ergo iacet, consequentia non valet, quia aliud est posse iacere, & aliud actu iacere, similiter aliud est dicere consuetudinem esse similem naturæ, & aliud re ipsa esse naturam; sequitur ergo, vt argumentum propositum sit paralogismus, qui vocatur Elenchus compositionis.

Solutio 2. argumenti.

Quo ad Euenum Poëtam, dicimus in carminibus nomina sumi latiori modo, quam sumantur à philosophis, qui de rerum naturis profundè philosophantur, poëtásque multo amplissimas loquendi licentias habere; solent enim Poëtæ mores, vitia, omnésque proprietates, & accidentia naturæ vocare naturas, quoniam furore Poëtico perciti non debent, antequam canant prius expendere, quid conueniat per se, & quid per accidens rebus omnibus, quare in tradendis definitionibus longè melius est credere philosophis, quam Poëtis. De Vetula Atheniensi, & Mitridate, quod nouam comparauerint naturam:

Solutio 3. argumenti.

ram. Respondemus Galenum non dixisse naturam nouam, sed consuetudinem nouam esse acquisitam. Colligas ergo consuetudinem non esse alteram naturam, neque in naturam vllo vnquam tempore transire posse.

De consuetudinis definitione, eiúsque declaratione.

CAPVT VIII.

RELIQVVM est, vt breuiter, quid sit ipsa consuetudo, explicemus: commodè enim ex dictis colligi potest; quoniam patet in primis ex omnium consensu, consuetudinem esse qualitatem aduentitiam; patet quinetiam, consuetudinem ab assiduo exercitio sensim & sensim introduci, vt ex traditis exemplis colligere possumus: patet similiter, omnia agentia, & patientia ob consuetudinem & vsum sibi inuicem reddi similia. Demum patet ob longum vsum, & exercitium semper diminui patientium resistentiam, indéque agentia in obeundis officiis fieri paratiora. Quibus positis, mihi videtur, quod breuiter colligi possit hæc consuetudinis definitio. Consuetudo est dispositio constitutionis naturalis sensim introducta ab assiduo exercitio agentis, & reagentis, vt agentia, & patientia reddantur inter se similia: in qua definitione omnes quatuor causæ continentur: dispositio enim sensim introducta est causa formalis: cõstitutio verò naturalis est causa materialis & subiectiua: ab assiduo exercitio agentis, & reagentis est efficiens: vt agentia, & patientia reddãtur similia, est finis quæ omnes causæ singillatim sunt declarandæ.

Definitio cõsuetudinis.

Quantum igitur attinet ad causam formalem dicimus esse dispositionem; per dispositionem verò intelligimus primam speciem qualitatis, quæ prædicatur (vt optimè dicit Aristoteles) de habitu & dispositione; habitus enim, & dispositio non sunt duæ species qualitatis diuersæ, quoniam differunt solum secundum magis & minus; quare si consuetudo erit inueterata, vocabitur habitus, si verò erit noua, & non confirmata, vocabitur dispositio, quæ facilè mutari, vel aboleri poterit.

De causa formali consuetudinis.

Valesius tamen libro 8. controuersiarum medicarum considerans quo pacto consuetudo possit dici dispositio incidit in hanc sententiam, quod consuetudo sit dispositio respectu naturæ, natura verò respectu consuetudinis sit tamquam habitus, dicítque naturam esse tamquam habitum, quia firmioribus & stabilioribus principiis innititur, consuetudinem esse dispositionem, quia est facilioris mutationis. Quæ sententia nullo modo defendi potest, quoniam natura neque propriè loquendo, neque metaphoricè potest esse habitus consuetudinis, non propriè; quia si natura propriè esset habitus, consuetudo verò eius dispositio, sequeretur hoc inconueniens, quod aliquando consuetudo in naturam transire posset; omnis enim dispositio

Vt errat Valesius dum dicit, naturã esse habitum, consuetudinem dispositionem.

ob vsum longum transit in habitum, & hic transitus sanè non est impossibilis, quoniam (vt dicit Aristoteles) habitus & dispositio differunt tantum inter se secundum magis, & minus: præterea, an ne natura differt specie à consuetudine; natura enim est subiectum dispositionum, & vt subiectum ingredi non potest primam speciem qualitatis; quoniam subiectum à prædicato accidentali differt genere, & genera sunt impermiscibilia, vt nullo modo detur transitus de genere in genus, nec de specie in speciem. Sequitur ergo naturam non posse esse habitum respectu consuetudinis ob hanc singularem rationem, quia nulla consuetudo conuerti potest in naturam. Demum si natura esset habitus, consuetudóque dispositio, daretur transitus de accidente in subiectum, quod reluctatur veris philosophiæ principiis; consuetudo sanè est accidens naturæ separabile; quare si propriè loqui volumus, dicere non possumus, naturam respectu consuetudinis esse habitum. Si vero Valesius non propriè; sed per quamdam similitudinem intelligeret. naturam esse tamquam habitum consuetudinis, apertè quoque erraret, quoniam dantur aliquæ consuetudines, quæ respectu naturæ videntur esse habitus, quæque tam firmis plantantur radicibus, vt potius mutentur & persæpè innouentur naturæ, quam illæ consuetudines. Quocirca sæpe videmus in sene septuagenario conseruari puerilem aliquam consuetudinem; quare natura non erit habitus respectu consuetudinis propriè, nec metaphoricè; quia experientia docet, nonnullas consuetudines inueniri, quę sint difficilioris mutationis, quam ipsa natura; quare potius est dicendum, consuetudinem esse habitum, & dispositionem: habitum, quando est difficilis mutationis dispositionem vero, quando facilis: eam tamen in definitione vocauimus dispositionem, quia dispositio (vt diximus) prædicatur de habitu & dispositione, & sub dispositionis nomine habitus, & dispositio continentur.

Sapè consuetudines inueniri difficilioris mutationis quam natura.

De causa materiali cōsuetudinis.

Quo ad causam materialem diximus esse naturalem constitutionem, quæ re vera est subiectum omnium consuetudinum; naturalis constitutio prædicatur de partibus similaribus, & dissimilaribus, in similaribus tamen continentur consuetudines pertinentes ad facultatem naturalem; in dissimilaribus verò pertinentes ad animales, & vitales, vt superius docuimus.

De causa efficiente consuetudinis.

Quo ad causam efficientem; est virtus agentis, & reagentis assidua, non solum enim assiduum exercitium agentis parit consuetudines, sed reagentis, quia nisi patiens patiendo reageret, nulla posset patientium similitudo conseruari: confirmatur experientia, & ratione; experientia, quoniam videmus patientium similitudines in prolem, sobolémque transire: ratione, quia omne patiens patiendo agit, & quatenus agit conatur pro viribus suam ideam multiplicare: postremo est Galeni auctoritas, qui 3. de temperamentis circa finem de cibo loquens, quatenus patitur, & in nutrimentum conuertitur, dicit cibum non solum affici & assimilari, verum etiam afficere & assimilare, & merito, quoniam nisi patiens quoque reagendo afficeret, & assimilaret

ret nunquam ſequeretur ille amplexus, illáque indolentia, quæ temporis curſu obſeruatur in agentibus, & patientibus; quinimo hæc eſt ratio, cur ab aſſuetis non fiat paſſio, vel cur poſt longam, & diuturnam litem agentium cum patientibus oriatur amicitia, & pax. Diximus itaque ab aſſiduo exercitio; quoniam niſi aſſiduè, & quotidiè agentia, & reagentia ſibi inuicem veſtigia ſuarum ſimilitudinum imprimerent, primo impreſſa certò euaneſcerent, vnde numquam fieret conſuetudo, & amicitia. Diximus tandem ſenſim conſuetudines introduci, quia naturæ proprium eſt ſenſim & κατὰ μικρὸν omnia facere, ne agentia deſtruantur; etenim ſi anus prima vice cicutæ copiam comediſſet, interiiſſet; ſi timidus illico in acerbum & exitioſum bellum ſe cõferret, adeo perhorreſceret, vt pro ineptiſſimo exploderetur, idémque de aliis dici poſſet. Quare meritò inferre poſſumus, ea eſſe amica, eáque nos citius amplecti, & minus lædere, quæ ab aſſiduo, & diuturno exercitio ſenſim comparantur.

Cur conſuetudines fiant ab aſſiduo exercitio.

Hic oritur dubitatio, quod alimenta magis conſueta non videntur ſemper minus lædere; extat enim illa ſatis vetuſta & peruulgata ſententia, videlicet omnis repletio mala, panis autem peſſima, quæ videtur id comprobare, panis enim ex omnibus cibis, quibus homines paſcuntur, eſt maxime conſuetus. Reſpondemus illam ſententiam eſſe legendam, ſicuti à Græcis citatur, quod ſcilicet omnis repletio ſit mala, ſed τῆς σαρκὸς, id eſt, carnis ſit peſſima, & non panis, & meritò, quia minus aſſueti ſumus carni, quam pani, caróque in minori quantitate comeditur, & demum caro putredini eſt magis obnoxia, quam panis. Nec obiciant plures homines inueniri pane parcos, qui carnis multum comedunt, & homines in Scythia, qui melle, & lacte, & nunquam pane veſcuntur: quoniam concedimus, illis, qui non conſueuerunt pane veſci, panis repletionem eſſe peſſimam; credimus tamen ſententiam potius legendam eſſe quod repletio carnis ſit peſſima, & non panis, quia vt plurimum homines in Europa pane replentur, in Scythia vero vbi panis non comeditur, vbique diſciplinæ non coluntur hanc ſententiam non eſſe prolatam. Demùm diximus cauſam finalem eſſe, vt agentia, & patientia reddantur inter ſe ſimilia, & ratio eſt, quia non ſolum omnium agentium, verum etiam patientium quatenus reagunt eſt naturalis conditio, vt conentur introducere pro poſſe ſuum ſimile, ne propria ſpecies aliquando deſinat, quod ab Ariſtotele 2. de anima text. 34. diuinitus explicatur iis verbis, cum natura non potuerit conſeruare æternitatem indiuiduorum, fuit ſaltem ſolicita ſpeciem ipſam conſeruare, quæ alio modo non conſeruatur, niſi quatenus agens naturale agendo ſuum ſimile generat; & multiplicat. Colligas ergo conſuetudinem eſſe diſpoſitionem ſenſim introductam ab aſſiduo exercitio agentis, vel reagentis, vt agentia, & patientia reddantur inter ſe ſimilia.

Omnis repletio mala, carnis autem peſſima, non panis.

De cauſa finali conſuetudinis.

Vt errant, qui volunt malam consuetudinem statim amouere, cum sensim sit amouenda.

Capvt IX.

CVM sit consuetudo dispositio sensim introducta ab exercitio assiduo agentis, vel reagentis; sensim quoque mala aliqua consuetudo erit amouenda: eadem enim est via (vt Aristotelis exemplo vtar,) à Thebis ad Athenas, quæ est ab Athenis ad Thebas: eandem sententiam habet Galenus 2. de ratione vict. 33. quæ iis verbis explicatur, consuetudinem plurimum posse, & repentinam mutationem corpora non mediocriter offendere, ratio est quia consuetudo, quæ sensim increbuit, & paulatim inoleuit; sensim quoque, & paulatim amouenda, & κτ' μικρὸν. Similter fauet huic sententiæ Auicennas, qui par. 2. cant. capite 2. dicit, quod omnis consuetudo subito, & sine gradatione ablata nocet, & offendit illum, cuius est. Ecce igitur, quod auctoritate Galeni, & Auicennæ patet, sensim consuetudinem esse introducendam, & sensim amouendam. Hinc errant plurimi, qui consuetudinem inueteratam, quæ iam callum obduxit, & quæ altas egit radices, volunt è vestigio depellere.

Probatur auctoritate Galeni, & Auicennæ, cur sensim amouenda sit consuetudo.

His positis, an-ne facile est colligere plurima Empyricorum errata? numquid non errant, dum illis qui sunt soliti multorum annorum cursu potationibus meracioris vini dant consilium, vt illico se ad tenuissimum vinum, & ὀλιγοφόρον transferant, spreta omnino hac consuetudinis lege, quod sensim, & paulatim sint amouenda, quæ sensim increbuerunt, & paulatim inoleuerunt, hoc præceps sane, & inconsideratum consulendi genus reluctatur naturæ, quæ tali pacto est instituta, vt saltus non patiatur, quæque non transit ab extremo ad extremum sine gradatione; quare si esset demenda consuetudo generosi vini, in primis oporteret vti minus potente, & deinde sensim ad tenuissimum deueniendum, quod non statim, sed mensium, & annorum cursu esset faciendum: audias pro huius rei confirmatione, quid mihi contigit, dum in Hungaria Medicum agerem; erat percelebris quidam comes assuetus toto vitæ suæ cursu vino meracissimo, hic detentus lassitudine, & capitis dolore me accersiuit, vt aliquid opis sibi afferrem, ego (spreta aliquantulum consuetudinis lege) dedi id consilij, vt meracissimum deponeret, hauriretque tenuissimum vinum, ille vt primum est executus, in talem lassitudinem incidit, vt anima deficere videretur, vnde consilio mutato ad solitum vsum meracissimi me consulente se transtulit: & illico reuocatæ sunt vires, quæ antea ferè erant collapsæ; patet ergo ex hac experientia, malam consuetudinem inueteratam in ægrotantibus, & debilibus, vt dicit Galenus libr. de tuend. valetud. indicare

Vt errant, qui solitu meraco consulunt illico tenuissimũ vinum.

dicare sui conseruationem, in robustis verò non statim, sed sensim, & per gradus tantum esse amouendam, & ratio est; quia subita mutatio ad opposita sæpè in grauissimorum morborum culpam transire solet.

Vt errant, qui coitus antiquum vsum subito & omnino debilibus interdicunt.

Præterea errare quoque videntur Empyrici, dum coitus consuetudinem inueteratam prorsus, & illico auferendam proponunt: errant primo, quia illico, & omnino inueteratum vsum demere, est impossibile. Secundò, quia coitus assuetis quoque debilibus non est omnino interdicendus, quoniam est sua natura salubris, si tantum interualli in eius vsu adhibeatur, vt resolutio non sentiatur; hæc sunt Galeni verba libr. de art. med. cap. 86. venereorum verò " iuxta Epicuri sententiam, nullus est vsus salubris: re vera autem " confert, si tantum interualli in eorum vsu adhibeatur, vt neque " resolutio aliqua sentiatur, & ipsa se ipso homo quodammodo leuior factus, ac melius spirare videatur. Tria igitur proponuntur à Galeno signa, quæ nos possunt docere quantum interualli in coitus vsu debeat adhiberi: primum, vt resolutio aliqua post coitum non sentiatur. Secundum, vt homo post coitum sentiat se leuiorem: tertium, vt melius, & facilius spiret, quæ signa salubria in omnibus assuetis venereo exercitio post aliquod temporis interuallum possunt obseruari, hac tamen differentia, vt in debilibus post longum, in robustioribus verò post breue interuallum sequantur; quare si coitus vsus est sua natura salubris, assuetis non debet omnino prohiberi. Verum data, & non concessa Epicuri opinione, quod videilcet venereorum nullus vsus sit salubris, numquid non errant Empyrici nostrates, dum illico, & omnino inueteratum vsum coitus proponunt esse amouendum? natura sanè non patitur saltus ab extremo ad extremum sine læsione, quare si esset consuetudo coitus auferenda, in primis vsus, qui multorum annorum spacio increbuit, & inoleuit, aliquantulum esset moderandus, deinde post menses, & annos cohibendus, & non subito & immediatè consuetudo, quæ altas habet radices, esset submouenda.

Vt errãt, qui omittunt cõsuetos cibos coctionis difficiles vt pullos insolitos edant.

Insuper falluntur, dum consuetudinem illorum, qui durissimis cibis vescuntur, reiiciunt, putántque, eam esse confestim amouendam: nec vident præter allatas rationes, experientiam oppositum docere, quod videlicet qui piscibus perpetuò vescuntur, si semel paruis pullis, ouis recentibus, & similibus insolitis vtantur magnos inde languores experiantur: vt hinc quædam optima Religio Monachorum pisces perpetuò comedentium videns Monachos insuetos pullis, ouísque recentibus, ab iis maximè lædi, decreuerit, vt in posterum ob nullam ægritudinem Monachi carne, similibúsque cibis insolitis vescantur.

Vt errant qui aerem mutant consuetum.

Similiter aliquando conualescentes læduntur, dum id consilij recipiunt à rudioribus medicis, vt pro sanitate recuperanda aërem patrium, & consuetum mutent, eligántque siccum & subtilem, quamuis aër, in quo sanitatis suæ tempore conseruabantur, humi-

dus, & australis esset: falluntur primo, quia transitus ad opposita semper nocet: oporteret sanè, quando aër siccus prodesset ab humido ad minus humidum transire, & deinceps ad moderatè siccum, & demum ad subtilem confugere. Secundò errant, quia naturæ & consuetudini reluctantur; tertiò quoniam iis qui sunt assueti aëri humido, humidum cœlum confert, & oppositum nocet: idémque de omnibus regionibus, & aëris constitutionibus est dicendum. quod scilicet ad oppositam aëris constitutionem non sit transeundum, nisi prius per media fiat transitus; meritò enim Hippocrates, & Galenus concludunt mutationes temporum morbos parere, quia alteratur aër, quo alterato, necessariò spiritus, humores, & solida continentia alterantur; vnde omnia morborum genera oriuntur.

Vt errant dum somnum meridianum consuetum reijciunt.

Amplius aberrant, dum spernunt somnum meridianum multorum annorum cursu consuetum, perinde ac carmina Scholæ Salernitanæ non patiantur castigatores, dum dicunt fuge somnum meridianum; tot enim sunt crases, & tam diuersæ constitutiones naturales in humanis corporibus, vt nihil sit tam noxium, & tam incommodum infinitis hominibus, quod alicui non possit esse medicina, vel suauissimus cibus: quare, qui somnum meridianum consuetum omnino reprehendunt, primo reluctantur consuetudini, & deinde experientiæ; videmus enim nos per experientiam somnum meridianum adeò aliquos iuuare, vt nisi statim à meridie paululum dormiant summa lassitudine vesperi detineantur; quare vbi esset opus somnum meridianum aliquibus interdicere ob aliquas vigentes causas, tunc non illico esset consuetudo amouenda, sed sensim, & per gradus faciendum.

Vt errant, qui consulunt antiquũ exercitium esse omittendum.

Postremò sunt, qui errant, dum plurimis persuadent, vt exercitium toto vitæ suæ tempore consuetum omittant, & ad subitam quietem se tradant, neglectis antiquissimæ consuetudinis conditionibus, nec vident quanti sit consuetudo vetusta, quæ licet mala sit in senibus & debilibus, attamen non est omnino mutanda.

Medicos & Aduocatos nunquam debere suum exercitium omittere.

Hinc mihi videntur omnes illi errare, qui præcipuè Medicis, vel Aduocatis senibus id dant consilij, vt omnino deponant vetustissimum exercitium, & se quieti ociosæ tradant, quia excrementa, quæ solito exercitio absumebantur, congeruntur, & in ægritudinem labuntur, & miseri ante diem è viuis decedunt his & similibus erroribus illidunt, qui malè obseruant consuetudinis vetustæ potentiam, & virtutem.

Errant dum inueteratam, & deterrimam consuetudinem senum, & debilium hominum volunt amouere, cum nec statim, nec sensim sit amouenda.

Cap. X.

Constat ex superius traditis deterrimas, & inueteratas consuetudines non esse statim amouendas, sed sensim, quod temporis progressu fieri potest. Nunc ostendimus deterrimas consuetudines antiquas senum, vel debilium, vel ægrotantium nec statim, nec sensim esse auferendas: ratio est, quia longè melius est permittere, vt debiles, & senes viuant cum malis, & inueteratis consuetudinibus, quam vitam periclitari ob consuetudines nouas, quæ licet sua natura bonæ sint, non possunt tamen introduci in corpora debilium sine maxima virium dissolutione; quare, qui malas consuetudines vetustas debilium conantur amouere experientię, rationíque & auctoritatibus Galeni, & Hippocratis, aduersantur; dicit enim Galenus lib. de tuend. sanit. in senibus & debilibus nec statim, nec sensim consuetudines esse amouendas. Hippocrates verò 2. sect. aph. 50. habet, consueta deteriora minus molesta esse insuetis melioribus; quare si consueta deteriora sunt minus molesta insuetis melioribus, sequitur necessariò consuetudines inueteratas, quamuis sint deterrimæ, non esse amouendas, quia amouere solita, & insolita introducere in senes & debiles, qui habent vires diminutas, est vires ipsorum opprimere, & per consequens mortem illis inferre: omnes enim qui ad insolita se transferunt, debent magna virtute esse prædiri, vt resistant insolitis obiectis, quia ægritudines oriuntur, dum obiectis non resistimus, quare cum senes & debiles vix solitis resistant, non par est, vt consueta dimittant, & insolita amplexentur. Hinc experientia obseruatur, dum senes, & debiles ad insolita se transferunt, illos in maiores ægritudines prolabi, ratio est manifestissima, quia ob nouas consuetudines, vt diximus, summum laborem patiuntur; & inde debilitantur, vnde excrementa maiora colliguntur, & tandem ægritudines sæpè incurabiles fiunt; & versa vice obseruantur senes alioquin debiles assueti violenti exercitio, qui sunt fortiores iuuenibus, sicuti aliquando videmus senes & debiles esse saltatores, qui velocius, & excellentius saltant, quam insoliti robustissimi. Similiter Nauta optimis confirmatus viribus si non est solitus equitare, multa incommoda equitando sentiet, quæ non patietur assuetus debilis. Demum si quis robustus, sed non assuetus iret in triremes ad remigandum, & triduo ibi se exerceret; hic sciret vtique explicare, quam suis viribus resolutus, & destrutus esset, miraretúrque hominum illorum fortitudinem, qui assueti triennio, & vltra tot labores paterentur: possem alia plura

Senes debiles assueti facilius omnia tollerant iuuenibus robustis insolitis

Cur nauta incommoda equitandi sentiat.

exempla proponere, ſed cum in re tam aperta: hæc mihi videantur ſufficere, concludamus conſuetudines antiquas in debilibus non eſſe amouendas.

Vt non vident vitioſas, ſed inueteratas conſuetudines ægrorum, vel robuſtorum indicare ſui conſeruationem: in ſanitate vero ſui ablationem.

Cap. XI.

PATET ergo inueteratam, & deterrimam conſuetudinem in ſenibus, & iis quibus vires confractæ ſunt ſui conſeruationem indicare: reliquum eſt, vt obliteremus illud, in quod incidunt Empyrici, erratum, dum non animaduertunt conſuetudinem malam non eſſe demendam, dum morbis vexamur, ſed ſolummodo, quando ſanitate, & optima valetudine fruimur: adſunt enim plures rudiores Medici, qui ſimul morbum præſentem, & malam conſuetudinem euellere volunt, quamuis conſuetudo callum obduxerit, & ad ſummum increbuerit, in quorum opinionem mulieres ſæpe incidunt, quæ deinde præcipiti ſuo conſilio in ſuum ſenſum ægros facilè trahunt: age, tanti erroris exempla afferantur: ſolent aliquando homines deſtillatione vexari, tuſſi, vertigine, vel aliis plurimis affectibus à cerebro prodeuntibus, an-ne ſi ægrotanti iuncta eſt antiqua conſuetudo dormiendi à prandio rudiores pleríque omnium morborum cauſam ſtatim referunt in ſomnum meridianum? dicúntque primum, & principale auxilium eſſe tunc meridianum ſomnum fugiendum? vnde miſeri morbis perculſi incipientes conſuetum ſomnum dimittere in tales languores inde cadunt, vt niſi ſint fortes erroris huius cauſa aliquando ad exitium perueniant; nec vident in debilibus nullo modo eſſe amouendas conſuetudines; nec vident ægrotantium ſtatum nullo modo poſſe tantam alterationem ſufferre, vt mutentur inueteratæ conſuetudines, quæ ſolum depulſo morbo, eſſent tollendæ; quare credímus eos dupliciter errare, primò, dum tollunt conſuetudines inueteratas ægrotantium, quando eſſent tollendæ, morbo euicto, & reſtitutis viribus. Secundò, quia tollunt illico, quando nec ſtatim, nec ſenſim eſſent auferendæ.

Vt errant, qui malas conſuetudines demunt, dum ægrotamus.

Afferatur aliud exemplum, ſit quiſpiam vrinæ ſuppreſſione detentus, eiúſque conſuetudo fuerit vti ſæpè coitu; an-ne in ſimili caſu vidimus Empyricos inſcios virtutis inueteratæ conſuetudinis hoc præcipere, vt à coitu prorſus, & immediatè ſe abſtineat? quod ſenſim eſſet faciendum: errant enim tum, quia omnino, & ſubito inueteratum vſum tollunt, tum, quia coitu omnino dimiſſo excrementum conſuetum non excernitur, ſed retinetur, quo retento paraſtates implentur, quæque impletæ comprimunt meatum vrinarium, vnde vrina ſæpè ſupprimitur: ecce ergo, quam maxima ſit iactura, dum volumus

Vt errant, qui ſe omnino abſtinent à conſueto coitu.

lumus statim amouere inueteratum vsum; iactura enim ex duplici causa potest oriri, vel à symptomatibus ortis à retentis excrementis ob consuetudinem dimissam, vel à virium dissolutione, quia nunquam potest introduci noua consuetudo, quamuis optima sit sine virium iactura, etenim omnia insolita sunt nobis contraria, & aduersa: quinimo, si rectè expendimus, videmus naturam solum pati, & affligi ab insolitis.

Dum statim tollatur inueterata cõsuetudo duplex consurgit iactura.

Redeuntes igitur vnde digressi sumus, dicimus si ægrotantes maxima cum difficultate possunt morbi impetum superare, cur volunt in ea naturæ afflictione, in eóque naturæ certamine, amouendo solita & consueta, naturam vexare? deberent sanè Medici sua arte auferre contraria, & non similia; consueta enim omnia sunt similia, quinimo nihil est naturæ similius consuetudine; quare merito dicere possumus, dum consuetudines ægrorum tollunt, ægrotantes habere duos hostes, scilicet morbos, & Medicos: Concludimus ergo nullas malas, & inueteratas consuetudines in ægrotantibus esse omnino, & subito auferendas; quinimò si hac ætate inuenretur illa vetula, quæ olim cicuta nutriebatur, & incideret in febrim, ego pro eius salute (si vera sunt illa duo prima Medicinæ axiomata, vt sunt verissima; alterum scilicet quod similia similibus conseruentur, alterum verò, quod contraria contrariis curentur) nescirem imaginari amuletum pro eius virtute conseruanda præstantius cicuta, quæ cicuta erat vsque adeò facta ob longum vsum similis, vt in nutrimentum abiret; quare in ægrotantibus non oportet malas, vetustásque consuetudines euellere, & nouas introducere, quia hoc facientes euellemus similia, & introducemus contraria, vel in labores nouos reducemus miseros ægrotantes; quia, sicuti quilibet robustissimus vir, ísque sanus ob nouum, & insolitum exercitium languet, & facta assuetudine nihil patitur; similiter ægrotus non solum debilis, verum etiam ille, qui firmioribus est viribus in tollenda consuetudine vetusta, nouáque introducenda patietur, & vires amittet, & demum vita ipsius in discrimen adducetur.

Si vetula cicuta alta hic esset, & incideret in febrim quale amuletum ei conueniret.

Ostenditur assuetum plurimis rebus minus lædi à contrariis.

Cap. XII.

Si consuetudo est dispositio, qua agentia, & patientia redduntur similia, sequitur necessario, quod consuetudo sit causa, cur agentia promptius, & sine indolentia amplectantur consueta obiecta, quia simile non patitur à simili, sed à suo contrario. Sequitur quoque, quod quanto copiosiores, & potentiores sunt impressæ in agentibus dispositiones, & consuetudines, tanto minus agentia à

contrariis lædi possint. Quare mihi videtur necessariò sequi, quod plurimis rebus assuetus minus lædatur ab extrinsecis occursantibus; hincque assuetus plurimis cibis tam facilis, quam difficilis digestionis ob tam multas dispositiones, & vsus habeat virtutes naturales digerendi, & concoquendi meliores, & fortiores: ratio verò potissima est, quia vsus longus diuersorum esculentorum imprimit illorum omnium similitudines in ventriculum, hepar, & cæteras corporis partes; quibus impressis, ventriculi, vel hepatis facultates non refugiunt diuersos cibos, sed promptius amplectuntur, quod exemplis ostendi potest: an-ne venter senis, & debilis rustici hominis alium melius, ociúsque digerit, atterit, & in nutrimentum conuertit, quam viri politici robustissimi, qui illud comedere non sit solitus? an-ne solitus aquæ potioni sine læsione tempore hyberno eam vincit, & superat? quam insolitus summóque robore donatus non audet haurire. Similiter, qui solum pullis, ouísque recentibus vtuntur, & dimittunt cætera firmiora fercula, si aliquando suillam carnem, caules, fabas, & cætera duriora comedunt, non conficiunt, sed summo angore in digerendo afficiuntur, quod assuetis omnibus ferculis non accidit, quamuis debiles sint.

Prima ratio, cur assueti minus lædãtur à contrarÿs.

Causæ verò, cur assueti minus lædantur à contrariis, ex dictis, & ex dicendis quoque colligi possunt: ex dictis enim colligimus, assuetum minus lædi ab obiecto simili, quia agentia non refugiunt obiectorum similium amplexum, quare, cum non refugiant, minor sequitur resistentia, & per consequens actio fit celerior; quod enim impedit, & moratur actionem, est solum passi resistentia, quæ consistit in dissimili, quia inter symbola semper facilior est transitus.

Secunda ratio.

Præterea assuetus minus læditur, quia plurimarum rerum assuetudo reddit fibras fortes, quod probatur tum auctoritate Erasisttati, & Platonis dicentium, vsum robur dare, ocio verò omnia contabescere, & eneruari: tùm ratione superiùs allata, quæ scilicet est, quia vsus absumit corporis excrementa, quibus absumptis, semper facultatum instrumenta efficiuntur validiora.

Tertia ratio.

Insuper assuetus plurimis rebus miminus læditur, quia non-solum ab iis, quibus est assuetus, verum neque à similibus læditur; habet enim hic omnibus rebus assuetus tot dispositiones, & consuetudines impressas, vt data occasione noui obiecti (vel si de cibis loquimur) noui obsonij, & non amplius visi, quamuis sit senex, & non valdè robustus melius conficiet, quam ille, qui paucis est assuetus. verbi causa, si esset aliquis qui nunquam comedisset cepas, haberétque consuetudinem comedendi allium, cui dubium, quod ob similitudinem, quam habet allium cum cepis promptius iste digeret, quam alter assuetus pullis, quamuis fortis sit?

Quarta ratio.

Demum assuetus paucis cibis adeò eius natura abhorret insolita, vt in ipsa non agat, sed semper refugiat, quare non est mirum, si ab illis patitur, & aliquando vincitur, qui enim vincere vult non debet refugere, quoniam obiecta reagendo possent eum vincere, & superare; quod

quod in illo, qui est omnibus assuetus, numquam accidet, quia non fugit certamen, sed agit quantum potest, & agendo, facilius est, vt vincat, & superet.

Postremò an-ne experientia patet plurimis rebus assuetos difficilius in morbum prolabi, quam paucis? ratio sanè est, quia tot habent consuetudines, vt raro accidat, vt ab illis omnibus sint dissimiles, etenim isti non possunt morbis premi, nisi recedant ab omnibus illis consuetudinibus; vetula enim ob cicutæ vsum poterat cætera venena similia superare. Vnde colligimus, quod quanto maiores, & copiosiores sint vsus, & consuetudines externarum causarum, tanto minus ab illis nos lædi possimus; quod cum ita sit, si solitus paucis, & solitus plurimis exempli causa vnà proficiscerentur in Regionem remotam, vbi aër, cibus, potus, & omnia externa essent illis insolita, absque dubio assuetus plurimis minus altero læderetur; ratio est, quia plurimis assuetus, quamuis externis illis non esset assuefactus, facilè tamen fieri posset, vt haberet aliquas consuetudines similes, quibus facilè posset amplecti obiecta illa noua, & ipsa vincere, & superare, hic enim plurimis rebus assuetus ali posset herbis, quia habebat aliquas impressas herbarum consuetudines ob vsum saltem acetariorum; hic hauriret nutrimentum ex cæpis, omnium generum, ex carnibus durissimis, & tandem ex glandibus, si pasceretur illis; nec tamen facilè incideret in morbum: huic non officeret aër nocturnus palustris, & conuallium, quia eius corpus ob plurimas consuetudines externarum rerum tam firmis, & duris filamentis est contextum, vt aliquando paruipendere possit, non dicam aërem nubilosum, verum etiam pestilentem. Qui verò admodum paucas habet consuetudines, ab infinitis lædi poterit, & quotidie vita periclitabitur, & innumerabilibus morbis erit obnoxius.

Experientia probatur assuetum plurimis rebus minus lædi à contrariјs.

Audias quam leui morbo potentissimus, & ditissimus vir, quia paucis erat assuetus è viuis decessit. Hic, vt diutissimè huius lucis vsura frueretur, deposuit antiquam consuetudinem omnium ferculorum, quibus liberè toto vitæ suæ tempore erat vsus, proposuitque sibi in posterum Caponis stillato solum vesci, ratus non solum eo viuendi genere naturam melius, & sine labore foueri, verum etiam ex tam substantifico alimento ea congeri non posse excrementa, quæ possunt morbos excitare; is tamen non multo post interuallo, in leuissimam incidit diarrhœam, quæ incœpit ob animi passiones; contingit deinde, vt protracta affectione, non amplius potuerit conficere, & in nutrimentum conuertere illud substantificum edulium, quare conuocauit Medicos, vt inirent consilium de nutrimento, quibus conuocatis, mille fuerunt proposita obsonia, quorum nullum ab illo poterat confici, quia omnia erant difficiliora, & insolita magis; itaque nullo deprehenso obsonio, quo posset refici, adeò confirmata fuit illa ventriculi leuitas, vt immature obierit. Videas ergo quo pacto homines paucis assueti facilè pereant, ille enim si consueuisset vti carnibus omnium generum, caseo, fabis, &

Vt potentissimus vir quia erat paucis assuetus immature perit.

cæteris cibis peruicacissimæ coctionis sine difficultate in affectu illo nullius considerationis stillatum confecisset, & per consequens euasisset.

Cur rustici sine pharmacis sæuissimis morbis liberantur.

Hinc quoque fit, vt rustici omnibus cibis, & omnibus incommodis in sanitate accommodati, si in morbum sæuissimum corruant, vbi quiescunt, & optimo vino vtuntur, adeò reficiantur, & recreentur, vt sine pharmacis ipsorum spiritus resurgant. Nec obiiciant, quod leuia cibaria rusticis sint insolita, & propterea consuetudinem non esse causam facilioris coctionis sed propriam naturam. *Obiectio.* *Sol.* Quia occurrimus, Rusticos omnibus assuefieri, & aliquando inediæ, quæ est omnium (vt ait Hippocrates) tenuissimus victus; quare omnibus ferè accommodantur rustici, quia multos vsus, & multas consuetudines habent impressas, merito quarum omnibus externis accommodantur. Præterea dicimus ab illo, qui est solitus durissima superare & vincere, leuissima quoque vinci, & superari posse. Neque iterum obiiciant ex Galeno passim & in methodo, quod biliosi bouinam carnem melius, & facilius coquant, quam pisces saxatiles. Respondemus hoc ab aliis prodire causis dicit enim Galenus, quod bilis collecta in ventre digerit dura obsonia, sed non conuertit illa in biliosum succum, dicitque, quod eadem bilis non solum digerit saxatiles, verum etiam eos conuertit in bilem, quod non accidit in carne bubula, quare si qui durissima coquit, aliquando non coquit leuissima, accidit ratione bilis collectæ in ventre, & nequaquam ratione virtutis concoquentis.

Quod damnum sequatur ex victu ciborum tenuium.

Ex dictis ergo patet, satius esse indifferenter pasci quolibet obsonio in proportionata tamen quantitate, quam ea ciborum tenuitate nutriri, qua ægrotantes alantur; accedit, quod sanguis ex cibis tenuibus confectus reddit homines debiles, & effœminatos, spiritus enim vitales à sanguine tenui prodeuntes fiunt adeò languidi, & flacidi, vt facilè resoluatur. Similiter spiritus animales sequuntur mala vestigia vitalium, quoniam sicuti sanguis est pabulum spirituum vitalium. Simili modo spiritus vitales sunt pabulum animalium, & quod diximus de cibis, idem de omnibus sex rebus non naturalibus est dicendum, quod videlicet sit melius omnibus assuescere quam paucis.

Duæ conditiones obseruandæ, antequam omnibus assuescamus.

Conditiones verò, quæ sunt obseruandæ, vt aliquis omnibus assuescat, hæ sunt; prima, vt sit sanus, & satis robustus, in senibus enim, & debilibus hæc conditio non habet locum, quia vbi senes, vel debiles se inueteratis moribus spoliarent, & nouos induerent. Secunda debet à teneris annis, vel saltem à iuuentute sensim assuescere omnibus externis causis, cibis videlicet, vigiliis, aëri & exercitiis omnium generum, quibus obseruatis habitus adeò firmus in membris ingeneratur, vt nisi magnum quidpiam accidat, sanus, & incolumis ad extremam senectam commodè transferri possit.

Errant dum dant ægrotantibus alterantia, eáque non mutant.

CAPVT VII.

OSTENDIMVS, quod omnibus rebus assuetus minus læditur à contrariis, quoniam ea, quæ prius erant contraria, ob longam assuetudinem redduntur similia, & ea quæ sunt similia nullam habent vim alterandi, quod probatur tum auctoritate Aristotelis dicentis, quod alteratio versatur inter contraria, & nequaquam inter similia, tum Galeni 3. de temperamentis loco citato, & sexcentis aliis in locis, vbi dicit lactucam assimillatam non refrigerare; quam philosophiam cum Empyrici non animaduertant, in plurimos errores incidunt dum alterantibus vtuntur. Etenim si de alterantibus extrinsecis, vt vnguentis, emplastris, & reliquis topicis loquamur, in iis administrandis sæpè falluntur, dum ea permittunt debito diutius adhærescere partibus affectis: nec vident consuetudinem reddere topica calori partium similia, redditáque similia nullas amplius habere alterandi facultates, & ratio est manifestissima, quia alterantia vniuersa tamdiu alterant, quamdiu sunt dissimilia.

Cæterum errata illorum animaduertamus: sunt, qui semel in die oleum rosatum, vel infrigidans Galeni adiungunt renibus gratia ipsos refrigerandi; cui dubium, quod spacio quatuor vel quinque horarum amplius hæc topica non refrigerent? quoniam à calore partis hæc topica illo interuallo à natura adeo superantur, & redduntur similia & consueta, vt ferè amittant totam reagendi virtutem: alterantia enim non agunt, vt alimenta, quæ solum, dum sunt victa, & superata nutriunt, & augent vires, sed priusquam vincantur; verbi causa alterantia frigida dum reagunt, refrigerant, quando verò sunt superata, certamen, & alteratio cessat, & inde ab illis nullum est sperandum refrigerium. Hæc sanè ex tam firmis philosophiæ fundamentis pendent, quod, si cum philosophis agerem, nullum vlterius esset mihi verbum proferendum; sed, quia cum rudioribus loquimur, propterea vberius omnia debent explicari, auctoritatéque, & ratione confirmari. Audiamus in primis Aristotelem 1. sect. probl. 46. vbi ostendit consuetudinem vires alterantium auferre: cur mutari cataplasmata debeant? an vt plenius sentiantur, solita enim, vt ea, quæ ventriculo mandamus, non amplius medicamenta sunt, sed pro alimentis recipiuntur; sic etiam hæc fungi suo munere nequeunt: philosophus in hoc problemate supponit tamquam notissimum, quod debeant sæpè mutari cataplasmata, cur verò sint mutanda, docet, inquit igitur, sicuti ea, quæ ventriculo mandamus, si medicamenta existunt temporis interuallo non amplius medicamenta sunt, sed alimenta; ad eumdem modum cataplasmata, consueta suo non funguntur

Vt errant, qui semel tantum in die oleum rosatum & alia topica renibus adiungunt.

munere. Quod verò de cataplasmate dicit philosophus, de omnibus alterantibus extrinsecis, & intrinsecis est intelligendum, quòd ob consuetudinem reddantur similia, & à similibus non oriatur passio, quia omnis actio, & omnis passio versatur inter contraria, & nequaquam inter similia. Eadem ferè explicantur à Galeno 3. de temperamentis capite 4. vbi dicit omnia alterantia afficere, & affici agereque, & pati, dicitque alterantia vires alterandi amittere, quando sunt su-
" perata: habétque hæc verba; lactuca, prissana, & quælibet alterantia
" intrinsecus exhibita afficiunt, antequam sint assimilata, assimilata non
" afficiunt, sed augent calorem nostrum, & non refrigerant: dicit igitur, quod lactuca refrigerat tantum, antequam sit assimilata, quando verò est assimilata, & conuersa in nutrimentum calfacere, & nequaquam refrigerare; & quod de alterantibus intrinsecis dictum est, de omnibus est intelligendum. Quare his positis principiis, numquid non errare videntur Empyrici (vt de topicis loquamur) dum erisipelati apocrustica, & cætera refrigerantia semel, vel bis in die applicant? deberent sanè, dum pars aliqua ardore deflagrat non bis, sed decies in die superlinire, tum quia topica quanto minus consueta sunt, tanto magis alterant, & per consequens iuuant, tùm, quia singulis horis partes affectæ ob perustos humores fluentes recandescunt, nouo indigent refrigerio.

Errant dupliciter, qui iubent cerata affixa teneri, donec cadant.

Præterea errare quoque videntur, dum spleni, vel stomacho læso iubent, vt cerata eo vsque teneantur affixa, quousque spontè cadant, quod post quinque & sex dies, & vltra accidere solet; credúntque ceratorum casum esse signum perfectæ sanitatis illius partis. Errant in hac re dupliciter, primo quia diei spacio euanescit omnium localium virtus, calor enim diei cursu assimilat cæpas, allium & similia, tanto magis poterit ceratum reddere sibi amicum, & familiare: quare frustra eo interuallo affixa tenentur cerata. Secundò errant, quia cerata affixa non redduntur mollia, quia trahant forinsecus humores causantes morbum, sed quia retinent & colligunt halitus transpirantes, quibus collectis cedunt in excrementosam humiditatem, quæ est illa, quæ adeò mollia reddunt emplastra, vel cerata, vt amplius cum non possint adhærescere necessariò decidant.

Aliquando errant, qui dant syrupum de lactuca, vel cichorea.

Insuper errant dum pro alterantibus refrigerantibus dant ea, quæ sunt valdè consueta, vt est cichorea, & lactuca: errant, quia natura cum his talem consuetudinem, amicitiam, & familiaritatem contraxit, vt ab iis nullum certamen, & per consequens nullum beneficium sit expectandum; quoniam iis assueti, dum sani sunt, integram lactucæ, vel cichoreæ patinam quotidie comedunt, quare vanissimum est credere, quod homines iam diu nutriti lactuca, & cichorea possint duobus, vel tribus foliis refrigerari; quinimò est valdè ridiculum tam sæpè audire medicos pro morbis difficillimæ coctionis præscribentes duo, vel tria folia lactucæ, vel cichoreæ pro illorum salute, qui erant soliti in prima mensa maxima lactucæ, vel cichoreæ copia se implere.

Idem

Idem dicendum de cæteris oleribus consuetis, vt de petroselino, & similibus, quæ ob amicitiam contractam ab illis, qui soliti sunt iis pasci, nullum afferre possunt fructum, quia ab iis natura non patitur: audias cuiusdam medici erratum, quod accidit ob neglectam consuetudinis virtutem. Erat æger quidam pertinaci artrithide catenatus, hicque accersiuit hunc Medicum, vt sibi aliquo modo præsto esset pro morbo demulcendo, hic multis anodynis prætermissis, quæ potuissent ægrotanti aliquam pacem afferre, proposuit pro singulari remedio, vt quotidie duas petroselini radiculas in iure coctas comederet: primo errauit, quia æger erat consuetus non duas tantum radiculas quotidie comedere, sed decem, & vltra: ab assuetis enim certamen non fit. Secundo ex duabus radicibus expectare victoriam conclamati affectus erat ridiculum. Tertio petroselinum non poterat demulcere dolorem, cuius occasione fuit vocatus: hinc podagricus ille cognoscens remedij vanitatem, non poténsque se continere in Medicum, me præsente, his verbis erupit, abi væsane, neque dicas amplius radiculas duas petroselini tam graui affectu vexati allaturas beneficium, quia si paululum auxiliarentur, ego non duas, sed saccum integrum radicum illarum quotidie comederem: videas ergo quo pacto rudes homines inanitatem remediorum non animaduertunt: videásque quanti facienda sit inquisitio omnium consuetudinum, antequam præscribantur alterantia ægrotantibus, nisi enim recte examinemus, quæ sint consueta ægrotantibus & quæ non, committere non possumus, quin sæpè erremus in præscribendis receptis.

Vt errauit quidam Medicus negligens consuetudinis vim.

Vt errant, qui introducunt consuetudinem sumendi medicamenta soluentia, & alterantia.

CAPVT XIIII.

EX traditis optimè colligere possumus non esse introducendas consuetudines sumendi medicamenta soluentia, vel alterantia. Colligimus enim à definitione consuetudinis, quod patientia ob vsum longum fiant agentibus adeo similia, vt arctissimo amoris vinculo deuinciantur, & facta pace, nulla sequatur discordia, vel alteratio, & merito, quoniam discordia, & alteratio excitatur inter contraria, & nequaquam inter similia. Quod autem ita res se habeat, patet experimentis, sicuti numquid non vt refert Galenus 3. de simp. med. facultatibus 18. vetula assimilauit sibi cicutam ? an-ne historia Mithridatis est percelebris, quod ob vsum, & consuetudinem non læderetur veneno ? an-ne vt refert Auicennas libro de viribus cordis ex sententia Ruffi. fuit puella, quæ veneno alebatur, quæque suo amplexu alios venenabat? an ne plures inueniũtur infecti gallica peste, qui ob vsum illam non sentiant, alios tamen inficiant ? Similiter an-ne plurimi infi[...]ex peste, quippe qui, vbi semel curantur, amplius ab ea non læ-

Vt probatur experientia consuetudinẽ medicamentorum esse refellendam.

dantur, alios tamen inficiant? quare, si consuetudo tantum potest, qua ratione igitur moti nostratum plures introducunt consuetudinem medicamentorum soluentium, & alterantium? numquid non vident, lues varias, & mortiferas longo post interuallo reddi adeo similes naturæ humanæ, vt nullam alterationem, vel discordiam pariant? quanto igitur magis ob longum vsum medicamenta soluentia, & alterantia amittent suas vires purgandi, & alterandi?

Auctoritate. Præterea patet Galeni auctoritate, quod vsus & consuetudo medicinarum non sit introducenda; audias igitur Galenum 3. aphorismorum 14. sic loquentem, & si volueris ne aggregentur superfluitates, „ bis in mense, aut semel vti pharmaco, præter quam nocebit, trahet corpora in malam consuetudinem. Ecce ergo, quod Galenus clarè „ docet, si semel in mense pharmaco vtimur, nos in malam consuetudi- „ nem trahere corpora: audias demum Auicennam libro primo fen. 4. vbi habentur hæc verba, naturam non esse faciendam consuetudinariam medicinis; quid clarius apud celeberrimos auctores esse potest, quam hoc, quod non assuescamus medicinis?

Ratione. Rationes demum, quæ nos cogunt medicinarum consuetudinem refellere, plurimæ sunt, omnésque à definitione consuetudinis colliguntur, prima colligitur, quia ob vsum obiecta euadunt similia, inter quæ non est alteratio. Secunda ab assuetis non fit passio. Tertia, quia, si medicamenta ob consuetudinem non euacuant, necessariò assimilantur, si verò non rectè assimilantur, saltem ex Galeni sententia conuertuntur in illud humoris genus, quod debebat euacuari, vnde medicamenti consuetudine affectus præter naturam non auferetur, sed augebitur. Tertia ob vsum medicamentorum necessariò naturales facultates expellendi, & reliquæ, desides, & ociosæ reddentur, tum quia tollitur expultrici facultati expellendi occasio, tùm, quia medicamenta promptè euacuant materiam biliosam, quæ est naturalis nostra medicina, quæque vellicans partes corporis sentientes est tamquam calcar excitans, & irritans facultatem expultricem ad excrementa expellenda. Quarta ob vsum medicinarum alteratrix, cuius robur fouetur solum à calidis, & humidis læditur, quia omnia medicamenta exsiccant, & impediunt coctionem, qua impedita, plura excrementa congeruntur. Quinta consueta omnia non afficerent, neque agerent; sed solum afficerentur, & paterentur, & per consequens non euacuarent, quia essent facta similia naturæ, vt Galenus docet libro de assuetud. capite secundo his verbis, quæ longa assuetudine „ comparantur, vim ferè proprietatis naturalis contrahere. Quare concludimus coacti experientia, auctoritate, & ratione fugiendam esse consuetudinem medicinarum, quia consueta purgantia tandem eo venient, vt non euacuent: alterantia verò, vt non alterent.

Epilogus vniuersalis. Egimus in his quatuor libris de omnibus methodis quibus possemus non solum affectuum omnium præter naturam ideas cognoscere, verum etiam omnia Empyricorum errata, quæ in perquirendis morborum formis contingunt, corrigere. Etenim in primo libro

egimus

egimus de tribus methodis, quibus genericas morborum ideas cognoſcere valemus: ſed quoniam affectuum ideæ modo per eſſentiam, & modo per conſenſum competunt partibus noſtri corporis, idcirco in ſecundo libro illas methodo declarauimus, quæ poſſent nos docere omnes ſympathias, & idiopathias partium humani corporis: cognitis iis genericis morborum formis, in tertio libro egimus de methodis quibus perquirere poſſumus vltimas, & ſpecificas morborum differentias: quibus cognitis, reliquum erat antequam ad extremam coronidem de ideis perueniremus, vt declararemus modum, quo poſſemus metiri omnium morborum receſſus, ideo in quarto libro in primis oſtendimus, omnes affectus nos metiri oportere à ſtatu aduentitio, & non primigenio: deinde diligentiſſimum examen inſtituimus de ſtatu aduentitio, oſtendimúſque primò omnem ſtatum aduentitium acquiri ob vſum, & conſuetudinem ſex rerum non naturalium: deinde quantum poſſit aſſidua conſuetudo in mutandis, & alterandis omnibus corporis potentiis, & facultatibus. Demum oſtendimus in plurimos errores rudiores medicos incidere ob naturam conſuetudinis ignoratam, ſicuti dum falluntur volentes in debilibus, & ſenibus conſuetudines inueteratas mutare cum non liceat deterrimas conſuetudines ab iis, qui ſunt debiles; amouere ſimiliter, dum falluntur non mutantes alterantia extrinſeca, & intrinſeca; & tandem errare oſtendimus dum introducunt conſuetudinem medicinarum.

Finis Quarti Libri.

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in Humoribus peccantibus per propria signa perquirendis.

LIBER QVINTVS.

Præfatio.

HACTENVS eò vsque Lectorem transtulimus, & in tali semita ipsum locauimus, vt nullo modo in perquirẽdis morborũ ideis & formis (nisi me fallit opinio) errare possit. Nunc expedit efficientes morborum causas perquirere. Cæterum, quia causarum omnium, quæ efficiunt morbos, aliquæ sunt internæ, & aliquæ externæ, quæ sunt sex res non naturales, de quibus agemus in sequenti libro, & præcipuè in libris pertinentibus ad fontem dieteticum; internarum verò aliquæ sunt, vt morbi causantes alios morbos, de quorum omnium ideis egimus in quatuor libris superioribus; & aliquæ demum sunt efficientes internæ, quæ in contentis collocantur; reliquum est, vt in sequentibus sex libris agamus de illis causis efficientibus, quæ in contentis, vel in humoribus continentur.

De humoribus ergo acturi, valde conuenit, vt hic acta, & probata à Galeno supponamus, & ex iis ad alia maximè conferentia medicinæ mentis aciem intendamus. Supponamus ergo in primis cum Galeno, quatuor esse suprema humorum genera, pituitam videlicet, bilem, melan-

melancholiam, & sanguinem, & deinde sub his, quindecim esse famosas humorũ species, in primis enim sunt (vt dicit Galenus) 2. de differentiis feb. capite 6. quatuor pituitæ, dulcis videlicet, acida, vitrea, & salsa: deinde (vt refert libro de atra bile capite 2. & alibi) septem sunt biliosorum humorum species, quarum prima est pallida bilis, quæ est mitior omnibus. Secunda est flaua: tertia vitellina: quarta porracea: quinta æruginosa: sexta cerulea, quæ isatidis dicitur: septima est rubra, quæ est ille sanguis serosus, qui dicitur bilis, quia ob nimiam tenuitatem (vt dicit Galenus) non potest concrescere: & quamuis Galenus 10. de simp. med. fac. dicat esse duas biles isatides, & primo de natura humana text. 4. dicat dari præterea alias species biliosorum humorum, quæ nomine carent, nihilominus hic solum ea censemus esse supponenda, quæ ex omnium consensu approbantur, etenim alibi in loco magis opportuno de iis locupletius agemus: præterea tres sunt melancholiæ, vt 3. de loc. aff. & lib. de atra bile, & alibi attestatur Galenus, melancholia, quæ est fex sanguinis, melancholia, quæ est fex sanguinis adusta; & melancholia, quæ est bilis adusta: postremo est sanguis, qui copia tantum peccare potest; hæ sunt igitur efficientes causæ internæ in humoribus collocatæ, quæ certissimis methodis sunt præcognoscendæ, vt rectè sciamus quando extra limites naturales elabuntur, & quando vario, & diuerso impetu modo vnam partem, modo aliam adoriuntur, perturbántque viuentia, ab iis enim innumerabilia morborum germina exundant: cum igitur ego viderim, Tyrones Medicos de humoribus loquentes vel sæpissimè in errores prolabi, optimum factu existimaui, in quolibet libri limine afferre methodos perquirendi omnes modos, quibus partes humani corporis à peccantibus humoribus vexantur, & perturbantur; etenim veritate methodicè comparata, quisque melius, & facilius animaduertet an decipiatur nec-ne, & numquid à recto calle abscedat, & demum promptè vniuersos errores, qui fieri possunt in peccantibus humoribus perquirendis, cognoscet.

Quindecim species famosæ humorum quæ sint.

Septem species bilis.

Tres species melancholiæ.

Quinque in sex libris sequentibus proponuntur capita generalissima, quæ methodis declarantur, & ad quæ errores omnes, qui fieri possunt in peccantibus humoribus perquirendis reducuntur. Primum, quod proponitur, quódque methodis est declarandum, est cognoscere, an humor peccans sit pituita, vel bilis, vel alter humor; quod in hoc libro, & in sequenti perficitur: quia in hoc quinto libro agemus de signis propriis, & in sexto de syndrome signorum communium ostendentium peccantes humores. Cæterum, quia, vt plurimum humores peccantes sunt misti; ideo hoc secundum caput se offert statim examinandum, an scilicet mistura peccantium humorum sit facta ab humore intrinsecus ob varias alterationes transmutato, vel ab humore extrinsecus adueniente, per hypothesim, an-ne potest esse in venis, vel in alia corporis parte bilis, cuius portio tantum, & non tota ob nimium calorem aduratur, & conuertatur in atram melancholiam? hæc igitur portio adusta, si erit commista cum reliqua bile

Quæ capita proponantur in sex libris sequentibus.

non adusta, faciet mixturam, quam vocat Auicennas intrinsecus factam. Si vero mistio fiat ab humore non ibi existente, sed aliunde proueniente; mistio erit alterius generis, & vocabitur mistio ab extrinseco humore facta, quarum misturarum varietas non solum cognitionem, verum etiam curationem morborum variat. Cognitis ergo sigillatim omnium humorum misturis: cadit considerandum quo pacto humores tota substantia, & abditis qualitatibus operentur, agetúrque de primis reconditarum qualitatum exordiis, quibus initus perceptis, magna rudiorum medicorum confusio ob perperam intellectas qualitates occultas animaduerteretur. Exinde, qua quantitate humores perturbant patientes, methodo declarabitur: postremo agetur de iis, quæ pertinent ad peccantium humorum motum.

Vtilitas sex librorum sequentium de humoribus.

Quæ omnia si percipiemus, plurimos quoque Empyricorum errores inde animaduertere, & reiicere poterimus, quorum omnium intelligentiam, si rectè assequemur, quam sit profuturum, cæteri iudicent; quoniam nullus datur effectus, pro cuius recta intelligentia, & medella non conspirent interni humores, quia illos in omni morbo euacuamus, illósque alteramus: quinimmo neque de tabidis tractamus, quin eorum humores aliquando alteremus, & euacuemus: denique adeo hæc humorum peccantium cognitio medicis vtilis est, vt quando morbi idea specifica omnino lateret, peccantes tamen, & prædominantes humores internos consequeremur; nostras quoquo pacto in re medica adhuc videremur absoluere partes; quoniam ab humoribus præcognitis saltem indicationes alterandi, & euacuandi colligeremus; quibus si satisfaceremus, aliquis opis necessario ægrotantibus afferre possemus.

Quibus methodis sit incedendum in occultis humoribus vitiosis perquirendis.

CAPVT I.

CVM in hoc, & sequenti libro nostrum sit propositum, vias aliquas tradere, quibus facilè cognoscere possimus, quisnam sit humor peccans in quolibet malè affecto corpore, an bilis videlicet, vel pituita, an melancholia, vel sanguis peccet; idcirco in tanto negotio si profundè philosophari velimus, non possumus committere, quin ad principia analytica, tamquam ad proprios fontes confugiamus; ab iis enim solum haurire possumus infallibilem sciendi modum, quem dum consequimur, illico animaduertere quoque possumus quam sæpè rudiores in qualibet facultate, & præcipuè in arte medica curatrice, dum in salubria corpora sibi proponunt consideranda, atque curanda, falluntur. Etenim sæpè contingit, vt in corporum latebris causa

causa morborum sit melancholia, attamen non desint Empyrici, qui credant esse bilem; interdum vero corpora ægrotantium sunt biliosis recrementis vexata, atque perculsa; nihilominus hauriunt indicationes à pituita, vel viceuersa; itaque sæpissimè nesciunt nostrates alogiatri an sit vnus, vel alter humor, qui peccet. Causa vero, & radix tantorum errorum est, quia sine methodo, & cæcorum more, signisq; communibus inartificiosis examinant peccantes humores, quò fit, vt non sit mirum, si curationes crebro instituant in magnam ægrotantium perniciem.

Quatuor loca ostendentia peccantes humores.

Quatuor per scholas circumferuntur loca, quibus occulti humores peccantes indagantur, quæ tamen, nisi ad bonum vsum reuocentur, potius confusionem, quam rectam intelligentiam nobis afferunt. Loca vero sunt quatuor, scilicet antecedentia, consequentia, iuuantia, & lædentia, quippè quæ, (si philosophicè loqui volumus) ad bimembrem diuisionem bellissime redigi possunt: omnis enim diuisio melius, & commodius docet, si (vt ait Boëtius) ad bimembrem reducatur. Dicimus ergo, quod omnia loca, per quæ animaduertimus, & perquirimus humores peccantes in aliqua penitissima corporis parte sunt antecedentia, vel consequentia, quia omnia iuuantia; & lædentia sunt consequentia; afferamus igitur distinctius omnes modos antecedentes, & consequentes, qui possunt nos ad cognitionem peccantium humorum ducere, vt possimus antecedentia, & consequentia vtilia ab inutilibus separare, exordiamúrque ab antecedentibus. Antecedentia omnia, quæ in congerendis humoribus præter naturam concurrunt, & quæ possent docere, quisnam sit humor peccans, ad tria genera dumtaxat reducuntur, quoniam aliqua antecedentia sunt sex res non naturales: aliqua sunt causæ remotæ, quæ differunt, vt infra patebit, ab iis sex rebus non naturalibus: & aliqua demum antecedentia sunt causæ proximæ efficientes humorum peccantium; alia non dantur, quæ possint nos docere, an peccet humor, & quando peccet, & an sit bilis, vel pituita, melancholia, vel sanguis.

Ad tria genera omnia antecedentia reduci.

Cum igitur sex res non naturales primæ sint, quæ collocantur in numero antecedentium, videamus, an ab ipsis colligere possimus aliquam notitiam peccantium humorum: sex sunt genera rerum non naturalium vt dicit Galenus libro de tuend. sanit. scilicet aër, cibus, & potus, somnus, & vigilia, exercitium, animi passiones, inanitio & repletio; sub iis tamen non omnia externa continentur, quoniam nec medicamenta, vel alterantia extrinseca, vt vnguenta, & alia topica id genus, quæ alterant, & sunt externa, & sunt res non naturales sub aëre, cibo, & potu, & sub aliis enarratis continentur; ideo longe melius Galenus 5. de tuenda sanitate capite 10. reduxit omnia externa procatarctica, vel omnes res non naturales ad quatuor capita, vt primum contineret ea, quæ assumuntur: secundum ea, quæ fiunt animo, vel corpore: tertium ea, quæ excernuntur, & retinentur: quartum ea, quæ foris adhibentur: ad quæ summa genera omnes res non natura-

Vt errant, qui credunt sex tantum esse res non naturales.

Omnes res non naturales ad quatuor capita reduci.

les, quas possumus imaginari, reducuntur.

Hæc igitur antecedentia externa, quæ vocantur res non naturales, quamuis alterent humores, ab erroribus tamen in iis externis causis non possumus cognoscere peccantes humores, quia, vt humor euadat vitiosus, aliæ plures causæ internæ cõcurrunt, sicuti est dispositio multorum viscerum, vt ostendimus in primo libro capite 9. & 10. hic tamen exemplis confirmare possumus eandem sentẽtiam, quod scilicet externi errores occultos humores peccantes non manifestent. Sit igitur æger in aëre feruido, ísque in malam valetudinem cadat, valebitne dicere, aër feruidus præcessit, & deinde in morbum est lapsus, ergo humor peccans est bilis? nemo sanæ mentis inferre poterit hanc consequentiam minimè necessariam; quoniam potest contingere, vt in calida illa aëris constitutione collegerit magnum pituitæ aceruum, quo in anasarcam potius esset lapsurus, quam in ardentem febrem. Similiter numquid nõ videmus in gelido anni tempore multos biliosis humoribus premi, & in solstitiis hiemalibus aliquando corpora ignitis conflagrare humoribus? Simili modo, si de cibo loquimur, non semel obseruauimus in cachexiam illos cecidisse, qui continuo aromatis, & calidissimis potationibus se tradidere, quare causæ istæ externæ nos fallere possunt, calidæ enim frigidos, & frigidæ calidos morbos aliquando facere solent. Ad eundem modum de ætate dici potest, quia non valet, est ætas senilis, ergo humor frigidus, & melancholicus necessario peccat, quoniam sæpè vidimus, senes effreni bile refertos in ardentissimas febres cecidisse. Postremò, neque longa consuetudo harum omnium rerum non naturalium erit tanti, vt necessario hunc, vel illum humorem prædominari doceat; quoniam sæpè contingit, vt videamus assuetos maluatico vino, veneri, exercitio, & cibis calidis vexari paralysi, & cachexia: qui affectus à frigidis humoribus fiunt, sequitur ergo, quod nullo modo possimus inferre ab externis rebus non naturalibus calidis, calidos humores in corporibus prædominari; neque ab externis frigidis, frigidos. Sequitúrque, vt omnino errent illi, qui ex antecedentibus externis (nisi ad meliorem vsum antecedentia reuocentur) solent colligere humores peccantes.

Exemplis ostenditur humores peccantes non posse colligi ab erroribus externis.

Insuper ratione, & auctoritate patet, ab externis rebus non naturalibus non posse colligi peccantes humores, quia res non naturales nec signa, nec causæ peccantium humorum esse possunt; non signa, quia hæc externa sunt antecedentia, & priora morbis, de ratione vero signorum est, vt sint morbis posteriora: nõ causæ, quia vel essent proximæ, vel remotæ; non proximæ, quia causa illa, quæ posita non ponit effectum, vel non est causa, vel si est causa, est remota; nemo est, qui dicat, posita æstate statim sequi febrem: neque sunt remotę, quia effectus fieri non potest sine causa remota, attamen sine procatarcticis calidis calidus humor fieri potest, sicuti dum gignitur bilis sine errore in rebus non naturalibus calidis, & pituita sine errore commisso in frigidis, quod non euenit in causis remotis, quoniam remotæ necessariò ad effectus productionem concurrunt. Hinc Auerroës videns effe-

Ostenditur ratione, & auctoritate res non naturales non esse causas remotas morborum.

ctus

ctus non sequi sine causis remotis in libris post. passim dicit, remotas causas omnes esse virtute in proximis, sicuti virtus solis, quæ est causa remota hominis, est in homine ante generationem filiorum: quinimo, si auferantur causæ remotæ omnia sequentia pereant oportet. Hinc philosophus de remotis causis efficientibus verba faciens 9. metaphysices text. 17. dicit, nisi darentur substantiæ separatæ, quæ sunt motores primi, & remoti, nil vlterius reperiretur; & Auerroës 2. de substantia orbis, si cœlum non esset, desinerent inferiora moueri, & mundus rueret, vt remotæ causæ necessario concurrant in effectuum productionem; quod de sex rebus non naturalibus respectu generationis humorum dici non potest; quoniam, quamuis omnia externa frigida auferantur, attamen morbi & humores frigidi gigni possunt; similiter, si omnia calida externa amoueantur, humores tamen calidi fieri possunt, quod non euenit, si amouerentur causæ remotæ humorum quare sicuti valet consequentia fuit homo, ergo fuit Sol; & valent fuit bilis, ergo fuit hepar, fuit homo, fuit animal, & fuit Sol. Similiter hæc non valebunt, fuit bilis, ergo fuit ætas florens, fuit æstatis tempus, & aër calidus. Præterea principiis analyticis ostenditur sex res non naturales non esse causas remotas generationis humorum, quoniam omnes causæ remotæ de effectibus affirmatiuè, & de omni, quod est semper, & in omnibus prędicantur, quæ conditiones non possunt conuenire externis rebus non naturalibus, cum neque semper pituitosis humoribus antecellant procatarctica humida, & frigida, neque in omni pituitæ generatione.

De potentia remotarum causarum ex Aristotele, & Auer.

Principijs analyticis probatur sex res non naturales non esse causas remotas.

Postremo non solum hæ res non naturales separatim consideratæ possunt dici causæ remotæ, verum neque omnes simul collectæ tantam efficaciam habent, quantam remotæ causæ, quæ ex Aristotele dare possunt quæsitum, quod res sit, ab iis verò procatarcticis nullo modo quæsitum quod colligi poterit, quare ex illis peccantes humores non colligemus: per hypothesim sit aliquis morbo correptus, sitque hydropicus, ponamus præcessisse aërem æstiuum, vsum ciborum calidorum, animi passiones, coitum, exercitium, & adesse ætatem iuuenilem, quæ omnes sunt res non naturales calidæ, ex iis poterimus-ne inferre necessariò hanc consequentiam, quod scilicet humor, qui dominatur, sit bilis? posset forsitan, vt plurimum contingere, sed quod semper accideret, nemo sanè affirmaret; quia hydropici, & paralytici, & cachexia correpti mille inueniuntur, quibus omnes res non naturales calidissimæ præcessere, quare cum non sit de omni, consequentia, nulla erit; videmus enim sæpissimè post vsum calidorum in æstate ægrum pituitosis destillationibus conflictari. Hinc Hippocrates, & Galenus videntes res non naturales nullo modo esse posse causas proximas, vel remotas internorum affectuum, eas noluerunt appellare causas, sed προφάσεις, id est, occasiones; rationes demum, cur non sint causæ, longiori discursu à nobis allatæ sunt in primo libro capite 21. diximúsque causas peccantium humorum esse dispositiones viscerum, & quæ necessariò ad has

Exemplis ostenditur, res non naturales omnes vnitas non indicare peccantes humores.

dispositiones concurrunt. Galenus enim libro de causis morb. capite 2. dicit, quod sine subiecti aptitudine neque ignis comburere, nec gladius abscindere valeret; & Aristoteles 2. de anima text. 24. dicit, quod actus actiuorum est solum in patiente disposito; quare hic inferre rectè possumus sex res non naturales omnes vnitas sine viscerum dispositione non posse esse causas generationis peccantium humorum; & per consequens ab illis nec indicationes, nec cognitionem necessariam de statu peccantium humorum, sed solum τὸν στοχασμὸν, id est, euidentem coniecturam nos colligere posse, vel signa, quæ concurrant ad faciendam perfectissimam syndromen, de qua in sequenti libro agemus.

Si igitur externæ illæ sex res non naturales antecedentes certò non poterunt naturam humorum peccantium nobis significare, sequitur, vt diligenter inquiramus, an per alia antecedentia, vel consequentia possimus in morbis cognoscere, quis sit humor peccans. Alia igitur præter sex res non naturales antecedentia non sunt, nisi causæ proximæ humorum, vel remotæ. Si de proximis loquimur, facile patebit causas proximas nobis præstare non posse quæsitum quod, vt scilicet cognoscamus in morbis, an peccet vnus, vel alter humor; & ratio est, quoniam causæ proximæ dant propter quid, nos autem quærentes humores peccantes, quærimus an res sit, quod quæsitum, consentientibus omnibus logicis, non habetur per causas proximas: præterea per causas proximas generationis humorum procedere, est ardua, ac difficilis via, quoniam vt plurimum causæ sunt effectibus magis obstrusæ, & reconditæ, debemus ergo aliquam viam facilem inuenire, quæ nos semper doceat illud, quod quærimus, & per notiora nobis, ne in principij petitionem incidamus.

Cur per causas proximas humorum procedentes non possumus cognoscere humores peccantes.

Quare cum quæsitum, an sit vnus, vel alter humor in corpore ægrotantis, non possit colligi ab erroribus commissis in sex rebus non naturalibus, nec à causis proximis, relinquitur ergo, vt colligatur, vel à causis remotis, vel à signis consequentibus; quia non datur alter modus cognoscendi, an insit aliquid alicui; hinc diuinus philosophus, cui in tradendis methodis summum deferri debet fastigium, primo post. capite 10. clarissime docet, duplicem esse methodum, quæ nos docere potest, an aliquid inexistat, aliam scilicet esse demonstrationem quia, aliam verò demonstrationem à causa remota; aliámque nec Aristoteles nec posteriores philosophi vmquam inuenire potuerunt. Cæterum, quia demonstratio per causam remotam nihil affirmatiuè concludit, cum nullus detur concludendi modus affirmatiuus per medium remotum, vt probat Aristoteles in prioribus analyticis, idcirco nos, qui volumus affirmatiuè colligere, an peccet bilis, vel alter humor, sequitur, vt demonstratio per causam remotam pro inueniendis humoribus vitiosis, qui sunt causæ efficientes morborum, sit prorsus inutilis.

Duplicem tantum esse methodum ostendentem aliquid esse in aliquo

Cur per causam remotã an insit bilis vel alter humor, non cognoscimus.

Sequitur ergo, vt demonstratio quia, quæ procedit per signa consequen-

sequentia, sit illa, quæ nos vnicè docere possit, an sit vnus vel alter humor: Sed quoniam signa consequentia, quæ necessariò & non per coniecturam docent, debent esse conuertibilia; de signis conuertibilibus erit agendum: Scias igitur conuertibilia signa esse duplicis generis, alia propria, & alia communia, sed per syndromem collecta, & coarctata determinatio subiecto, vt docet Aristoteles 2. post. dum coarctat animal habens tres ventres per conditiones illas habere cornua, & carere dentibus superioribus, & Galenus in tota arte medicinali procedit declarando viscerum temperaturas per syndromem signorum communium; idcirco nos æmulantes diuinos hos Auctores, non solum per propria signa, verum etiam per syndromem communium signorum procedemus: Agemus enim in hoc quinto libro de signis humorum peccantium propriis, quæ tria solum videntur esse, sapores videlicet, colores, & periodi, vel motus humorum; ostenditurque quod, qui ex propriis credunt procedere in perquirendis humoribus per alia signa, quam per illa tria, necessario incidant vel in signa communia, quæ faciunt paralogismum secundæ figuræ ex duabus affirmatiuis, vel in signa partialia, quæ faciunt paralogismum à particulari ad vniuersale, quod est monstruosum, vel in signa extranea, vnde oritur elenchus vocatus non causa pro causa, quia sumitur pro medio signum, quod nullomodo potest esse causa cognitionis, cum sit extraneum & alterius generis. Deinde in 6. libro agemus de signis communibus per syndromem collectis æmulantes Aristotelem, qui solum virtute logica potuit veteres philosophos conuincere, potuitque primo phy. inuenire materiam primam, & veteres philosophos reiicere, eademque via primo post. in principio inuenit dari scire de nouo, & aliis in locis quanti sit ostendit; vt nihil videatur esse inuentum ex omnium memoria, quod sit ea facultate diuinius, illa enim expurgat in scientiis contingentiam & probabilitatem, & sine illa difficile admodum est in rebus arduis, & obstrusis consequi veritatem.

Signa conuertibilia peccantium humorum esse duplicis generis.

Qui nō procedit ex propriis in tria genera paralogismorum incidunt.

Ostenditur, quomodo ex saporibus, tanquam ex signis propriis colligere possimus, quinam sint humores prædominantes.

CAP. II.

QVindecim videntur esse famosæ humorum omnium nostri corporis differentiæ; in primis enim Galenus 2. de differentiis febr. capite 6. enumerat quatuor species pituitæ, dulcem videlicet, acidam, vitream, & salsam, deinde lib. de atra bile capite 2. & alibi proponit septem differentias humorum biliosorum, scilicet pallidam, flauam, vitellinam, porraceam, æruginosam, ceruleam quam Græci ἰσατώδη appellant, & rubram, demum eodem loco, & 3. de loc. affectis tres melancholias, fæcem sanguinis adustam, & bilem flauam assatam, postremo est sanguis: ad quindecim igitur has differentias à Galeno ob-

Quindecim humorum differentiæ ex Galen. colliguntur.

settuatas referuntur humores omnes, qui copia, vel qualitate humana corpora perturbare possunt: Qui quantitate solum peccant, sunt pituita dulcis, bilis pallida, flaua, rubra, sanguis, & fæx sanguinis; quoniam in quolibet sano corpore hi humores reperiuntur, quique dum quantitate non excedunt, magnum fructum afferunt humanis corporibus: quinimò, si horum aliquis deficeret, viuens non posset conseruari. Humores vero, qui qualitate peccant sunt vitellina bilis, porracea, æruginosa, cerulea, fæx sanguinis adusta, & bilis assata, pituita vitrea, salsa, acida, ab iis re vera prodeunt innumerabiles affectus præter naturam: quare erit pernecessarium, vt prius per signa propria, antequam ad signorum syndromem accedamus illos omnes peruestigemus.

Cæterum, quia superius dictum est, quod omnia signa propria peccantium humorum reduci videntur ad tria capita, ad sapores, colores, & periodos humorum; de saporibus prius est agendum: Sapores igitur humorum peccantium, quantum mente, animoque colligere potuimus reduci videntur ad ista sex capita, quæ sunt distincte declaranda, si volumus humorum existentias peruestigare: in humoribus

igitur nostri corporis videntur obseruari posse solum hæc sex genera saporum, quæ sunt	vel	dulce insipidum	pituita aquosa similaris vel dissimilaris
		dulce manifestū	sanguis
		amarum	bilis
		salsum	pituita salsa
		acetosum	melancholia, & pituita
		ponticum	melancholia adusta, vitrea & pituita.

Hæ igitur valent consequentiæ, est sapor insipidus, ergo est pituita aquosa similaris, vel dissimilaris, hinc Galenus 2. de differentiis feb. capite 6. dicit, quod insipidus sapor conuenit pituitæ aquosæ: Est sapor dulcis manifestæ dulcedinis, ergo est sanguis per se, ichor verò sanguinis, vel rubra bilis per accidens; quia ex Galeno 9. methodi 12. & ex Aristotele 2. post. vnum vt vnum solum vnam indicat naturam, & 2. priorum habetur, ab vnica naturam vnicam tantum prodire proprietatem, & vnicam proprietatem vnicum fontem, & vnicam solum originem arguere, quare licet dixerimus insipidum significare pituitam aquosam, vel dissimilarem, quæ est illa, quæ partim cruda, partimque est cocta, vnicum tamen intelligimus, quod est aquosum, expersque aliorum humorum; Ad eundem modum dicimus saporem dulcem manifestæ dulcedinis, sanguinem, vel ichorem indicare; quia sanguis est per se dulcis, ichor verò per participationem, quia dicit Galenus 2. de fac. naturalibus 9. quod dulcedo est proprietas sanguinis, quare ichor est dulcis per accidens: quapropter supponere semper oportet, quando duo humores habent eandem qualitatem, vel non esse diuersos, vel alteri eorum per se, alteri vero per participationem, & per

Ab vnico sapore vnum tantū humorem per se indicari, & non plures.

per accidens illam qualitatem conuenire.

Post dulcem sequitur amarus sapor, ex quo necessariò colligimus biliosorum humorum genus, vt est bilis pallida, flaua, vitellina, porracea, æruginosa, &c. quæ bilis species sunt omnes amarissimæ, & nullus in corpore datur succus amarus, qui non prodeat ab his speciebus, vel saltem sit mistus ex illis: Quo pacto autem possimus distinctè cognoscere, quando est bilis flaua, vel porracea, vel æruginosa, vel aliæ species enumeratæ, ex coloribus facilè colligemus, quoniam si humor erit amarus & pallidus, arguet bilem pallidam, quæ est mitior omnibus, mista enim est ex flaua & aquosa humiditate, vt dicit Galenus lib. de atra bile capite 2. & alibi; si vero humor erit amarus & citrinus arguet flauam bilem, quæ est paullo calidior, quinimmo hæc flaua bilis si eruperit per aluum, ex solo colore eam cognoscemus; Si verò sapor amarus erit cum colore præ se ferente specimen vitellorum ouorum, vitellinam bilem significabit: Itidem amarities cum porraceo colore prassinam choleram ostendet; demumq; eadem amarities cum ferri æruginis colore æruginosam bilem declarabit: si verò amarities copulabitur cum colore tendente ad ceruleum isatidem colligemus, & demum, si videbitur sanguis, qui non possit congelari, dicemus cum Galeno loco citato esse rubram bilem: & demum si congelabitur, dicemus esse sanguinem.

Quæ nã sint signa propria biliosorum humorum.

Si de saporibus pituitosorum humorum loquimur. Salsus sapor illico pituitam salsam, non bilem, vel melancholiam indicabit; quia bilis, vel melancholia non potest salsedinem acquirere: Quo pacto autem fiat salsedo, & à quibus causis, an à putredine; vel à mora, vel tandem à mistura biliosi succi cum pituitoso, & cui per se, & cui per participationem conueniat in libro de misturis, vt in proprio loco sententiam meam explicabo: Sufficit in præsentia, vt salsus sapor salsam pituitam perpetuò ostendat: Quantum attinet ad acetosum saporem, dicimus significare rem siccam, & frigidam, etenim sapor acetosus ostendit in halitum resolutum fuisse humidum tenue, & calidum proprij temperamenti; audias experimenta, an ne dulcia dum ebulliunt resoluunt tenue? quod sua natura est humidum, & calidum, vnde mutata crasi, vel temperamento dulcia euadunt sicciora, frigidiora, & acetosa? hæc enim obseruantur in officinis, quia dum mista, & cæteri succi dulces sponte ebulliunt acetosi euadunt: tale quippiam in vino contingit, quia si à calido extraneo separatur aqua vitæ, quæ est pars tenuis, & calida vini, illico fit acetum, acetum enim est vinum, sed sine aqua illa ardente; experientia enim docet, à vino in acetum conuerso nullam, vel per exiguam extrahi posse aquam ardentem; hinc melancholia, quæ est fæx sanguinis, quia est priuata parte tenui calida, est acida, quoniam acetum fit ob resolutas portiones illas calidiores & humidiores, quæ aquam vitæ constituunt, ad differentiam vappæ, quæ fit ob resolutum humidum non tenue, sed oleaginosum, quo mistum est mistum, sed de iis in libro de misturis diffusius agemus, hæc dicta sunt, vt experientia aliqua edocti

Sapores proprij pituitosorum succorum qui sint.

Acetosus sapor unde prodeat.

Vappa vnde fiat.

possimus colligere acetosum significare vnicam naturam, id est siccum non ad iustum, sed terreum frigidum, ob separationem aquæ vitæ; quod vero acetum sit frigidum, legi potest caput 19. primi de simpl. med. fac. vbi potentissimis rationibus, & experimentis ostendit Galenus acetum esse frigidum: An vero acidus sapor indicet pituitam acidam, vel melancholiam, quæ est fæx sanguinis, vel aliam naturam, non hic, seu in libro de misturis sermonem habebimus.

Pôticus sapor à frigido & calido efficiente prodit.

Postremò ponticus sapor, cùm sit in pituita vitrea, vel in fæce melancholica illa adusta, & in atra bile, quæ fit ab adustione flauæ, vnicam tamen naturam solum declarare potest, cum vnum (vt dictum est) vnum indicet: indicat ergo solum siccitatem intensiorem, quam illa, quæ est in salso; ponticitas enim introducitur modo à frigido congelante, & resoluente humidum, modo à calido adurente, & resoluente; quare eò maior erit ponticitas, quo calor, vel frigus vehementius fuerit: cur autem, & quomodo hæc fiant in libro septimo declarabimus.

Quomodo ex coloribus colligere possimus prædominantes humores.

Capvt III.

Qvemadmodvm humorum sapores vnicè declarare possunt, qui sint illi humores, qui peccant & prædominantur in corpore; similiter varias humorum species prædominari colligi potest ex coloribus excrementorum, & humorum sub cute immediatè existentium, dicimus immediatè sub cute existentium, quia faciei, & aliarum partium colores non possunt indicare humores altas partes insidentes vt ait Galenus 1. aphorismorum com. 2. dum recitat hanc Hippocratis » sententiam, humorem autem superabundantem ex colore debemus » coniectari, nisi aliqui fortè in profundum recesserint, color enim similis efflorescit humoribus, si non retrò regurgitauerit: Similiter 4. in 6. de morb. vulg. com. 28. docet ex colore oculorum perueniri posse » in cognitionem internæ valetudinis, habetque hæc verba, si oculi be- » nè colorati sunt etiam γυῖον, hoc est corpus totum, declarant esse offensum, atque in oculis propter eorum munditiam atque nitorem celerius, quam aliis in partibus coloris mutatio perspicitur: subdit, ex signis, quæ in oculis apparent nos peruenire posse ad totius corporis cognitionem: nec obiiciant, naturam, & quidditatem non posse cognosci ex coloribus, quia occurrimus hic nos proponere, quinam sit in corpore humor peccans, & nequaquam quid sit.

Dicimus

Dicimus ergo, quod omnes humorum colores, qui possunt obseruari in humanis corporib. ad hæc colorũ genera reducantur.

ad	Album	est pituita
	rubrum	est sanguis & bilis rubra
	pallidum	est pallida bilis
	flauum	est citrina bilis
	vitellinum	est vitellina
	porraceum	est porracea bilis
	æruginosum	est prassina bilis
	cæruleum	est isatidis bilis
	nigrum turbidũ	est melancholia, quæ est fæx sanguinis
	nigrũ splendidũ	est atra bilis

Modo colligimus peccantes humores ex solis coloribus, modo ex coloribus & saporibus simul: Ex solis coloribus, veluti, dum videmus album colorem in humoribus, statim dicimus esse pituitam aquosam similarem, vel dissimilarem: dissimilaris est species pituitæ aquosæ adhuc crudæ, quia caloris actione adhuc non est æquata, minus sanè cruda est, quam similaris aquosa, quoniam dissimilaris est crassior, dicit enim Aristoteles 4. meteororum capite de coctione, quod coctio fiat incrassando, propterea diximus, quod dissimilaris pituita partim est cocta, & partim cruda, quia partim crassa, & partim tenuis existit.

Similiter rubeus color primo, & per se ostendit sanguinem, secundario bilem rubram; pallidus color, pallidam bilem, flauus, flauam, porraceus significat porraceam, quamuis porracea sit mistura ex æruginosa, & pituita, de qua in libro de mixturis agemus; vitellinus color vitellinam bilem significat: fit enim hæc bilis vitellina, vt dicit Galenus 5. in 6. de morb. vulga. tex. 13. ex flaua crassescente, crassescit enim dum à calore aliqua portio aquosa absumitur, sed hac seruata lege, vt sine adustione humiditas illa serosa resoluatur, quia, quæ aduruntur, nigrum vel obscurum colorem necessario acquirunt, quousque enim conseruatur color flauus, & vitellinus, eo vsque humores non possunt dici adusti, videmus enim persæpè in officinis, dum rectè coquitur mel, vel iulapium, quæ flaua sunt, nisi adurantur, flauities suas conseruare, & nequaquam nigrescere, si verò plus iusto ebulliant, incipiunt nigrescere, & amara fieri; quare donec conseruabitur color flauus, vel vitellinus in humoribus, minime dici poterunt adusti.

Quæ sint signa propriissima biliosorum succorũ.

Flauus color, & vitellinus non indicant adustionem.

Æruginosus color supponit æruginosam bilem, quæ fit à calore magis adurente, humores enim si plus iusto coquuntur, eo vsque aliquando absumuntur ipsorum ichores, vt inde supramodum torrefiant, fiantque æruginosi, & deinde cærulei. Hinc Galenus 2. præsag. capite 47. loquens de gradibus adustionum habet hæc verba, "flauus color fit seroso absumpto, pallidus fit immisto ex mistione flauæ bilis in serosa humiditate, æruginosus fit seroso valde torrefacto, niger fit seroso supramodum torrefacto, qui nunc atra bilis excedens vocatur."

,, quomodo autem fiat cærulea bilis, & quem gradum teneat adustio-
,, nis inferius agemus.

Quid indicet color niger turbidus. Niger turbidus ex Galeno 3. de loc. aff. 7. alter est in fęce sanguinis, estque admodum spissus, & est fæcibus vini haud absimilis, estque melancholia naturalis acida; hic humor subit naturam terrę, vt ex colore, & spissitudine cognoscitur, est fæcibus vini haud absimilis, quia sicuti fæx vini est tartarum, quod est sua natura acidum, similiter hęc melancholia terrestris est acida nigra, spissa, turbida, & nequaquam splendida, tum quia non est à calore ingenti perusta, tum quia est confusa, & non supercocta à calore, neque reddita ad paucas superficies, cum sit opaca.

Postremò est color niger splendidus, qui indicat validam adustionem, quæ in fæce sanguinis esse non potest, quia fæx non est capax tanti ignis, valebit ergo consequentia, est color niger & splendidus in humoribus, ergo est atra bilis facta à combustione flauæ, quod Galenus clarissimè 3. de sympt. causis capite 2. docet, quare merito colligere possumus prædominari atram bilem, si color niger, & splendidus apparebit in excretis humoribus per aluum, per vomitum, vel per vrinam: Adest vltimo color niger turbidus cum sapore pontico, qui non potest conuenire atræ bili, quia atra sua natura splendet; neque conueniet fæci sanguinis, quia hæc melancholia sua natura est acida; Sequitur ergo, quod conueniat fæci adustæ, quæ est nigra, & turbida ob terrestres portiones inequales, estque pontica, quia est adusta, omne enim quod est sua natura acetosum, si aduritur, amittit acetositatem, & ponticitatem potius acquirit.

Quid indicet color niger splendidus.

Possumus quoque persæpè ex coloribus, & saporibus simul sumptis humores peccantes cognoscere, sicuti colligimus ex amaritie, & flauitie flauam choleram; ex amaritie, & ex colore simili luteis ouorum vitellinam; ex amaritie & viridi, porraceam; ex amaritie, & æruginoso colore prassinam bilem; ex amaritie & cæruleo isatidem prædominari: Similiter ex acido sapore, & albo colore pituitam acidam: ex acido, & nigro melancholiam, quæ est fæx sanguinis colligimus. Ad eumdem modum ex sapore pontico, & nigro colore cum splendore, colligimus subesse atram bilem illam exedentem, quia ab intensissimo calore necessario oritur splendor, vt in officinis videre possumus, dum emplastra à vehementissimo igne vsque adeo indurantur, donec splendorem acquirant; ex sapore verò pontico cum nigredine turbida colligimus melancholiam illam, quæ est fæx sanguinis adusta, non melancholiam naturalem, quę non est pontica, sed acida, & turbida; turbidus color in nigra, & pontica melancholia significat humorem illum esse dumtaxat à calore commotum, & confusum, sed non combustum, quia vbi calor comburit, semper gignit splendorem, vbi commouet tantum, turbidum efficit colorem; quemadmodum videri sæpè potest in vrina subiugali, & in musto, quæ turbida apparent, quia eorum partes similares à calore confunduntur, & nequaquam comburuntur. Hinc optimi medici (& hoc obiter adiiciatur) dum

Vt ex colore, & sapore colligimus peccantes humores.

Vnde fit quod in malignis febrib. deterior sit urina splendida, quam subiugalis.

dum vident in febribus malignis vrinam splendidam, magis de patientis vita verentur, quam si turbida, & subiugalis reddatur: Hinc Hippocrates in Sileno cum vidisset quinta die vrinam lucidam apparuisse, mortem futuram die vndecima iudicauit, vt maiorem calorem indicet vrinæ splendor, quàm turbulentia.

Ex iis igitur confici possunt propositiones conuertibiles, sicuti dicendo est albus color in humoribus, ergo est pituita aquosa similaris, vel dissimilaris; est pituita aquosa, ergo albus color; est flauus color, ergo bilis flaua, & vice versa; est viridis, ergo porracea, est porracea bilis, ergo viridis color, est niger splendidus color, ergo atra illa exedens, & furiosa, & è conuerso; est niger turbidus cum acetositate, ergo est melancholia, quæ est fæx sanguinis non adusta; est niger turbidus color cum ponticitate, ergo est melancholia, quę est fæx sanguinis adusta, & viceuersa, & sic de aliis: ex iis ergo, quæ inuicem conuertuntur solum poterimus infallibiles conclusiones colligere in iis, quæ pertinent ad peccantium humorum cognitionem.

Quod ex periodis, vel ex motu morbi tamquam à signis proprijs colligere possimus peccantes humores.

CAP. IV.

INTER signa propriissima malorum humorum corporis in parte aliqua penitissima residentium sunt periodi, & temporum morborum velocitas, & tarditas: quando igitur neque coloribus, neque humorum saporibus ad cognitionem humorum peccantium peruenire poterimus, tunc virtute periodorum, & aliarum motionum morbi certò illos cognoscemus, & ratio est, quoniam si peccant humores, necessario edere debent insultus, & motionem aut tardam, aut velocem, & quæ determinatis, certisque temporibus fiat: humores enim præter naturam quatenus causæ morbi, cum non vincant naturam, vel ab illa vincantur in vnico certamine, necessario naturæ, & morbi conatus iteratis inuasionibus fieri debent, vt superentur, & quemadmodum omnia, quæ fiunt, & mouentur, certas, & infallibiles periodos sortiuntur, similiter humores peccantes, & perturbantes corpora debent certis Typis, & motionibus viuentia corpora adoriri, quarum motionum, seu inuasionum varietas nobis certò indicare potest varietatem peccantium humorum; quod inducendo per omnes morbos, qui fiunt ab humoribus peccantibus ostendi potest; etenim, si obseruatur inuasio, quæ fit alternis diebus, bilem peccare dicimus; si de quarto in quartum, melancholiam, si quotidie, pituitam; & demum, si inuasio est sine periodicatione, sanguinem peccare colligimus, insultus tamen à sanguine facti tres habent differentias, suntque vel homotoni id est vniformes, vel acmastici id est crescentes, vel paracmastici id est decrescentes.

Ostenditur periodicationem nō conuenire solum febribus putridis.

Nec mihi est obiiciendum, quod in febribus putridis tantummodo periodicatio obseruetur, & nequaquam in morbis particularibus, & propterea periodos non esse collocandas in catalogo signorum propriorum prædominantium humorum: Instantia est nulla, quia experientiæ reluctatur; innumerabiles enim inueniuntur morbi, qui sine febre, & sine putredine certas habent periodos; quare afferantur exempla: an-ne, qui patiuntur dolorem capitis prodeuntem à morbo gallico, quotidie vexantur vesperi? doloresque certis, ac determinatis horis in solis occasu redeunt? perinde ac contingere solet melancholicis, qui vesperi semper magis infestantur; medici dicunt, & optimè, quod lues venerea comitetur, hæreatque prædominantibus humoribus nostri corporis, illosque inde exsiccare, & in melancholicos conuertere; hancque dicunt esse causam, cur infecti lue gallica, eadem hora, qua melancholici, vexantur; sed vt vt sit, mihi in præsentia satis est, quod inueniri possit periodicatio in morbis sine febre: Ad hæc, an ne hemicranea conflictati determinatis quibusdam temporibus, & statis quibusdam diebus solent inuasionibus tentari? Insuper quis negabit non obseruari periodos in Epilepsia? in melancholia hypocondriaca? in morbo articulari? in lippitudinibus? in aurium dolore? audias Galenum primo de differentiis feb. „ Lippitudines nonnullæ quotidie, nonnullæ alternis diebus magis infestant: Similiter „ aurium dolor, atque articulorum: Amplius obseruatur periodicatio in passione nephritica, in qua statis quibusdam temporibus dolores non solum excitantur nephritici, verum etiam lapilli conglobantur: vidimus amicum, qui semper post quattuor menses lapillum excerneret, præsciretque lapilli partus diem: Præterea circuitus obseruatur aliquando in gonorrhea, in morbo arquato, in eruptionibus cutaneis, in vertigine, in cancro, in morbo pediculari, in alopecia, in cordis palpitatione, & in aliis pluribus affectibus præter naturam: Postremo, si hæmorrhagias narium, vteri, hæmorrhoidum, & aliarum partium examinabimus, videbimus firmis, & statutis temporibus sanguinis fluores redire, quinimmo illis suppressis, varia inde sequi symptomata obseruabimus: Sed quid multa? an-ne aliquando leues quidam insultus determinatis quibusdam horis diei obseruantur in illis, qui nulla febre, nulloque alio affectu præter naturam premuntur? sicuti est videre in melancholicis adhuc inter limites sanitatis constitutis, quorum humores sæpè alterantur vesperi, nulla tamen actione læsa existente, sicuti quoque est videre in pituitosis, qui noctu qualibet grauantur, in biliosis, qui meridie, & in sanguineis, qui prima luce; quare vanissimum erit credere, quod periodi febribus putridis, vel morbis per se conueniant: ratio autem, cur non ita apertè periodi in morbis particularibus, vt in febribus putridis obseruentur, est, quia halitus puttedinosi, dum adoriuntur partes solidas non obscurè, sed aperte vellicant, & pungunt facultates expultrices, vnde necessario humores peccantes debent patefacere periodos prædominantium humorum, quod in cæteris morbis particularibus non ita aperte obseruatur.

Qui sint morbi qui sine febre habent circuitus.

Periodus certa in nephritica passione

Amplius

Amplius, si periodicatio per se conueniret morbis, sequeretur, quod omnibus morbis conueniret: at quis dicet periodos, vel circuitus paroxismorum conuenire febribus hecticis? & cæteris morbis, qui sunt in habitu, & non amplius fiunt, sed facti sunt? vt sunt vlcera, luxationes, lapis in vesica, & cæteri innumerabiles affectus facti. Quocirca, cum periodicatio per se non possit conuenire morbis; & præter morbos nihil aliud sit in corpore ægrotantium, quod possit esse principium eorum, quæ fiunt, nisi humores peccantes, & prædominantes, in illos potius tamquam in causas efficientes reducemus circuitus, & ex circuitibus necessariò colligemus, qui sint humores peccantes.

Circuitus in morbis per se prodire ab humorib peccātibus, & non à morbis.

Accedit, quod non solum ab humoribus prædominantibus pendent periodi, verum etiam velocitas, & tarditas omnium affectuum præter naturam; eatenus enim morbi dici possunt veloces, vel tardi, quatenus continuò ab humoribus crassioribus, vel tenuioribus pendent, suntque in motu, & per cōsequens in fieri: Qui verò nō amplius ab humorib. fiūt, sed sunt facti, vt est hectica, & cæteri morbi in habitu, nullo modo poterūt dici veloces, vel tardi, quia de ratione motus 3. phy. text. 6 est actus entis in potentia, vt in potētia, i. in fieri; morbi verò in habitu sunt actus entis in actu, & in facto esse, quare cum morbis in habitu non possit conuenire motus definitio, morbi per accidens tantum dici poterunt veloces, vel tardi: Insuper, cum quattuor morborum tempora insequantur per se motum, sequitur, quod morbi in facto esse, & in habitu, quatenus non sunt amplius in fieri, & dependentes ab humoribus non habeant, neque habere possint quattuor morborum tempora, principium scilicet, augmentum, statum, & declinationem, quoniam eatenus fiunt, habent insultus, & sunt veloces, vel tardi, quatenus pendent; quando verò non amplius pendent ab humoribus, cessant periodi, cessant morborum tempora, velocitas, vel tarditas, iure merito ergo nos ex motibus morborum perueniemus in cognitionem peccantium atque prædominantium humorum; qui sunt efficientes causæ motionum vniuersalium, & particularium; æmulabimur Aristotelem qui hac via 8. phy. ex motu scilicet æterno Motorem æternum cognouit, & primo cœli ex motu circulari simplici inuenit cœlestia corpora quintam habere naturam, diuersam scilicet à quatuor elementis, quod consequi non potuit Plato, quia non ex motu, vt Aristoteles, sed ex lumine colligere volebat cœlorum essentiam, dicebatque cœlestia corpora, quia erant lucida, constare ex igne; & solem formaliter esse calidum, & demum ex eminentiis elementorum cælum constare; causa erroris Platonis fuit, quia non poterat imaginari, lumen ex alia causa, quam ab igne prodire; ex motibus ergo procedendo firmiter colligemus peccantes, & prædominantes humores hac consequentiarum serie; morbus ab humoribus pendet, ergo fit; fit, ergo habet morborum tempora, ergo est velox, vel tardus, est velox, ergo humor peccans est tenuis, calidus, & biliosus, est tardus, ergo humor peccans est crassus, & viscosus: Nec dicant, nos in soritem syllogismum vitiosum incidere, dum ex coa-

Vt velocitas, & tarditas morborum indicans per se humores & per accidens morbos.

Quatuor morborum tempora per se pendere ab humoribus, & non à morbis.

Obiect.

ceruatis consequentiis colligere volumus peccantes humores esse calidos, vel frigidos, tenues, vel crassos, quia occurrimus sorites vitiosos esse illos, qui congregant, & coaceruant prædicata accidentalia, dicimusque soritem propositum in cathalogo optimi syllogismi collocari, quia ex prædicatis essentialibus constat; etenim ab humoribus pendere; fieri, habere tempora, esse velox, vel tardum, sunt prædicata essentialiter connexa, quare si ex iis colligimus humorem esse crassum, vel tenuem, calidum, vel frigidum, mihi videtur, quod necessario alterum ex duobus sequatur.

Sol.

Duplex soritis.

Quomodo ex velocitate, vel tarditate vnius temporis morbi tarditas aut velocitas totius morbi colligitur.

Denique velocitas temporum morborum tàm necessariò indicat humores tenues, & calidos, & tarditas contrarium, vt velocitas quoque vnius temporis morbi possit nobis significare velocitatem, vel tarditatem totius morbi, & per consequens caliditatem, vel frigiditatem peccantium humorum; Quod igitur ita re vera sit, quod scilicet, ex veloci principio morbi breuitatem, & ex tardo, totius morbi longitudinem necessario possimus inferre, confugiamus ad historias Epidemicas Hippocratis, vnde Galenus omnia medicinæ arcana desumpsit; Loquens igitur Galenus de Philisco, qui acutissimo & velocissimo morbo corripiebatur habet, si tertius, & quartus dies habent grauia symptomata, expectabis iudicium sexta, vel septima die; in Philisco tertia die apparuerunt grauissima symptomata, quia nigra minxit, & lingua inaruit, habuitque spiritum magnum, & rarum: hæc sanè signa lethalia non apparuissent in principio, nisi morbus ob velocissimum, & acutissimum motum humorum esset valde progressus: Colligit ergo Galenus ex velocitate principij aliorum temporum breuitatem, dum dicit expectandum iudicium sexta, vel septima; valebit ergo consequentia apud Galenum, & Hippocratem, morbi principium est velox, ergo erit velox augmentum, status, declinatio, nisi post principium contingeret recidiua, & morbus nouus, quippe qui supponeret humorem peccantem esse alterius generis: Ad eundem modum ex tardo, & longo principio colligitur tardum esse augmentum, statum, & declinationem, sicut obseruatur ab Hippocrate in casu Anaxionis pleuritide affecti, qui octaua die adhuc habebat tusses siccas, cuius principij tarditatem cognoscens Hippocrates in 8. die secuit cubitum præuidens tarditatem aliorum temporum; peruenit enim cum Anaxiona ad 34. diem: valebunt ergo consequentiæ; velox est principium morbi, ergo morbus totus breuis; ergo bilis peccat: valebunt quoque, tardi motus est principium morbi, ergo longus erit morbus, ergo lentus, vel crassus humor peccabit.

Exsurgens

Exsurgens dubitatio ex superius dictis soluitur, agiturque de periodorum causis.

CAPVT V.

VERVM magna consurgit dubitatio, quia non videtur, quod pituita, quæ est frigida, & viscosa habeat tardam motionem, bilis vero, quæ est tenuis, & calida velocem; quoniam pituita quotidiè inuadit, bilis vero solum de tertio in tertium diem, & melancholia de quarto in quartum: pro cuius dubitationis solutione Prisci, & Moderni valdè laborararunt, vt nodum hūc soluerent, quare breuiter aliorum solutiones proponantur, quia ex huius dubitationis solutione cognoscemus, non solum cur pituitosæ febris paroxismi velocius moueantur, verum etiam, quænam sit periodorum causa. *Dubitatio cur pituita quotidie: bilis de tertio in tertium moueantur.*

Auer. 4. coll. cap. 27. dicit has periodos pendere à natura & calido innato, redditque rationem, dicendo, naturæ & calidi innati proprium esse mouere, coquere, attrahere, & retinere amicum, & familiare; & expellere inimicum, & naturæ noxium; Quæ Auerrois solutio tantum abest, vt tollat dubitationem, vt maiorem reddat difficultatem, quia frigidi humores pituitosi deberent à calido innato, & à natura tardius moueri, & nequaquam velocius, biliosis: Præterea non soluit nodum, quia iterum quærere possumus, cur natura citius moueat pituitam, quam bilem: amplius afferendo pro causa periodicationum naturam, transcendit de genere in genus, scilicet ab iis, quæ sunt secundum naturam, ad ea quæ sunt præter naturam; paroxismi non mouentur à causa naturali, sed à causa præter naturam: Denique videtur Auer. supponere febrilem motum non oriri ab halitibus putridis, sed esse connatum naturæ, vt tenet Christoforus à Vega, quæ sententia in Galeno non potest defendi. *Opinio Auer.*

Conciliator differentia 88. soluens instantiam dicit, periodos à motu lunæ, & ab humorum forma pendere: afferens verò causam, cur pituita quotidie inuadat, & bilis alternis diebus, dicit, lunam præesse omnibus humiditatibus, vt patet dum fluxum, & refluxum maris facit, quare pituita, quæ est aquæ similior, citius ab ipsa luna mouebitur; additque in pituita modicam pausam comprehendi, quia in luna ob epicycli paruitatem non percipitur statio, directio, nec retrogradatio; deinde sequitur bilis, cum plurimis abundet ichoribus. & postremo melancholia, quæ est aquæ minus similis: Primò errare videtur Conciliator, quia, vt alias diximus ex causa remota nihil affirmatiuè colligi potest, vt Aristoteles in prioribus analyticis altissimis rationibus probat: Secundò, quia vnius rei vnica debet esse causa, & non duæ; ille enim vult motum lunæ, & formam humorum efficere periodos: Tertio, dicere formam humorum, & lunam esse causam circuituum non tollit dubitationem, sed eam reddit obscuriorem, quia nec quomodo luna, nec quomodo forma humorum periodos faciat, declarat: *Opinio Conciliatoris.*

Postremo dum colligit esse modicam pausam in pituita, quia in Luna non percipitur ob eius epicycli paruitatem statio, directio, nec retrogradatio, videtur errare; quoniam dum hæc dicit, supponit lunam re vera esse posse retrogradam, stationariam, & directam, alioquin modicam quietem à luna colligere non potuisset, quod suppositum est falsum, quia concentricus lunæ ferens epicyclum mouetur 27. diebus epicyclus vero 32. dierum cursu suam perficit motionem; implicat contradictionem dicere: concentricum esse velociorem, & epicyclum tardiorem, & lunam existentem in epicyclo pati stationem, directionem, & retrogradationem, quare nullo modo quies & pausa illa lunæ admitti potuit.

Opinio Fernelij. Fernelius libro 4. de feb. cap. 11. dicit, causam periodorum esse qualitatem quandam insitam, & propriam, quæ vocatur [illegible], dicitque hanc qualitatem esse contractam à putredine, explicat suam
» sententiam his verbis: Non igitur sola excrementi copia, sed alia quæ-
» dam vis maior necessariò vnumquemque humorem ordine, certa-
» que regula ciet, ac impellit: hæc autem propria est contractæ putre-
» dinis, qualitatisve natura, atque conditio, quæ omnem corporis sta-
» tum immutat, vt Epilepsiæ insultus, aut hydrophobiæ impetus, non
» humoris genus, sed qualitatis natura in humore sita excitat, hinc men-
» struæ purgationes, quamuis paucus sanguis sit, singulis mensibus e-
» rumpunt, & sic de aliis omnibus refert. Quæ sententia non recipitur, quoniam sequeretur, quod humores possent putrefieri, antequam mouerentur, quia vult, de putridis febribus loquendo; vt prius à putredine contrahatur illa qualitas propria, quæ non subito fit, qua solum contracta, & non ante, vult humores periodicè moueri, quod videtur inconueniens, quoniam non post factam putredinem, sed dum fit, excitantur paroxismi: deinde afferre hanc qualitatem propriam pro causa periodorum est nihil docere, quia æquè scio de periodis, dicendo causam esse qualitatem propriam, ac si nunquam loqui audiuissem de periodis.

Opinio Gentilis & Herculani. Gentilis, & Herculanus in com. Auicennæ dicunt, periodos à proprietatibus occultis prodire: quorum opinio supponit substantiam primo, & per se edere operationes, quod fundamentum, quia est falsum, & origo multorum errorum, nos in octauo libro longo discursu conabimur euertere, ostendemusque cum Diuo Thoma nullam omnino operationem immediatè prodire posse à substantia, sed à qualitatibus, & per consequens non dari illas occultas proprietates.

Opinio Capiuacei. Hieronymus Capiuaceus libro 6. de feb. cap. 12. dicit periodorum causam esse naturam humoris: Huius viri excellentiss. opinio nihil videtur docere; quoniam dicere causam periodicationis esse naturam humorum æquè docet, ac Fernelius dicens esse qualitatem propriam humorum, ac Gentilis, & Herculanus dicentes esse proprietatem occultam, ac Conciliator, qui præter lunam, dicit esse formam humorum; quare his dimissis conuertere expedit mentis aciem ad causas magis sensatas, & quæ aliquantulum saltem possent animum nostrum componere.

Valesius

Valesius ergo lib.5.c.25. controuersiarum; & plurimi recentiores causam magis sensatam quærentes dixerunt, copiam humorum causare periodos, atque pituitam moueri velocius bile, quia est cæteris humoribus copiosior; Horum tamen sententia, quamuis sit magis sensata, non recipitur, quia primò sequeretur, quod bilis in maxima copia extra venas existens ocius moueretur, quam si esset pauca, quod non videtur, cum semper tertiana de tertio in tertium moueatur, videmus enim aliquando de tertio in tertium moueri omnes paroxismos cum vomitu copiosissimæ bilis, nihilominus de tertio in tertium sine paroxismi antepositione moueri, ergo copia non potest esse causa periodorum. *Opinio Valesij.*

Est demum Recentioris excellentiss. opinio, quod inquinamenta varia putredinis varias periodos faciant; deficit quoque hæc causa, primò, quia non declarat, cur inquinamentum putredinis pituitæ moueat quotidie, bilis de tertio in tertium, nisi dicat hanc esse naturam illius inquinamenti, & sic incideret in opinionē illorum, qui dixerunt causam periodorum esse naturam humorum, esse propensionem, esse proprietatem occultam, inciderentque in principij petitionem inexcusabilem afferendo pro declaratione quæsiti ignoti aliquid, quod sit ignotius: Secundò inquinamenta non possunt esse causas periodorum omnium, sed affectuum tantum, qui fiunt à putredine. Qui circuituum causas quærunt, quærunt aliquid vniuersalius, quia dum melancholici vesperi affliguntur magis, dum hemicranea, vel epilepsia determinatis diebus redeunt, hęc ab inquinamentis fieri non poterunt. *Opinio recētioris.*

Postremo est Franciscus Parellus lib. de feb. intermit. qui dicit causam periodicationis esse distantiam illorum viscerum, quæ sunt domicilia humorum, ab ore ventriculi, nam ventriculus, qui est sedes pituitæ, cum sit proximus ori ventriculi, si peccat eius humor quotidianos facit circuitus; iecur, quod est humoris biliosi domicilium, cum magis distat, eius humor de tertio in tertium mouetur; lien, qui est sedes melācholiæ & maximè distat à stomacho, facit periodos de quarto in quartum; quam sententiam colligit ex Galeno primo ad Glauc. 5. vbi dicit quotidianam in ventriculo, tertianam in hepate, quartanam in liene fieri. Quæ opinio propius re vera accederet ad veritatem, si melius fuisset explicata; quoniam in primis videtur errare, dum supponit non fieri tertianam, nisi humor peccans sit in iecore; non fieri quartam, nisi in liene sit humor melancholicus, etenim fit tertiana, bile peccante extra iecur; & quartana melancholia peccante extra lienem, deinde vult periodos varias esse ob distantiam ab ore ventriculi, quasi quod febris sit affectus oris ventriculi, debebat potius dicere variam distantiam à corde periodos varias facere, quam ab ore ventriculi. *Opinio Parelli.*

Dicimus ergo nos coacti altissimis medicinæ, & philosophiæ principiis, quod humores prædominantes ob locorum, & partium affectarum situm, & distantiam à corde sint causæ periodorum; ostendi- *Opinio propria.*

mus quoque 3.lib.à decem locorum affectorum conditionibus omnes affectus naturales, & præter naturam trahere esse specificum; atque ne quis admiretur, audiat quot modis tantum fundamentum
" comprobari possit; an ne ex Galeno in primis patet, 3.de sympt.causis
" capite 2.quod bilis in toto faciat icterum, in parte erisipelas? ergo lo-
" cus, & non humor dat esse specificum morbis, & periodis morbos consequentibus: Similiter, an-ne eadem bilis, si est in pleura, faciet pleuriticum affectum, si in cerebro, phrenesim? Si in venis proximis cordi, ardentem? si in venis meserei., tertianam? ad eundem modum pergens Galenus loco citato, an-ne dicit, si atra bilis redundat in toto, elephantiasim facere? si in parte cancrum? quare si humores ob locorum affectorum differentias variant affectus, & periodos; causa proxima, & immediata periodorum nullo modo poterit esse in humoribus, sed in partibus affectis, & vario modo dispositis: Amplius à Galeno adeo apertè, & perspicuè eadem sententia exprimitur 2.de differentiis feb.cap.vltimo in postremis verbis, vt nihil apertius dici
" possit; hæc sunt verba: Quæcunque per circuitus aliquos ægritudi-
" num accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent: quare si periodi habent ortum ab iis dispositionibus, sequitur necessario, quod membra ob varias dispositiones pariant omnes differentias morborum, & periodorum; decem enim traditæ sunt differentiæ membrorum lib.3. de quibus hic non est locus, ne iterum acta proponamus: Præterea, si humores per se causarent periodos, vt plurimi, & fere omnes videntur asserere, valeret hæc consequentia, ergo semper, & vbicunque essent collecti humores facerent similes circuitus, quod experientiæ omnino reluctatur, quia iam dictum est, bilem in venis proximis cordi facere ardentem febrem, in cerebro phrenesim: Insuper altiora adhuc sunt initia, quæ nos cogunt ad dicendum, quod periodi, & affectus vniuersi humani corporis trahant esse à locis affectis, & audias; an ne affectus sunt proprietates subiecti? definiunturque per subiecta? suntque in secundo modo dicendi per se? nemo hactenus est inuentus philosophus, qui tantum principiũ non veneretur, ergo & periodi quatenus sunt affectus debent definiri per subiecta, quæ sunt loca affecta, ergo vanum erit desumere rationem, & causam immediatam periodorum ab humoribus, cum debeant desumi à locis affectis, tamquam à subiectis; Hinc, si humores biliosi sunt in loco proximo cordi natura adoritur malos humores sine circuitu, quia agens proximum patienti non impeditum semper agit, & patiens reagit, quando vero peccantes humores sunt in loco magis distanti, & remoto à corde, tunc cor variis partibus circumseptum extemplo in humores non agit, nec humores in illud reagunt, sed solum per circuitum: hinc sequitur, quod quanto maior sit distantia loci affecti à corde, tanto periodus erit longior: quibus principiis nixus Franciscus Parellus recte dixit causam circuituum esse distantiam membrorum, confirmauitque suam sententiam Galeni auctoritate 1.
" ad Glauconem cap.5.vbi habentur hæc verba, quotidiana rarò aduenit, quia

nit, quia os ventriculi patiatur. quemadmodum quartana ex malè affecto splene generatur, tertiana ex hepate laborante: dissentimus tamen ab illo, quia dicebat causam periodorum esse distantiam ab ore ventriculi; nos à corde; ille credebat bilem facientem tertianam semper esse in iecore, melancholiam in liene, quod non potest defendi, cum bilis faciens tertianam modo sit in hepate, modo in mesenterio, modo in variis partibus hypocondriorum: melancholia vero, quia magis distat à corde, cum eius sedes sit in liene, causat quartanam, modo tamen est in porta vena, modo in cæteris partibus: pituita tamen faciens quotidianam immittentem semper suam sedem habet in ventriculo; & quia proximus est cordi, ideo quotidie mouetur, namque si pituita putrescens esset in pedibus, vtique ob hanc distantiam non faceret quotidianam, similiter si bilis esset in inguine, vel in alia parte inferiori, non faceret tertianam. Neque obiiciant, quod febris continua fieri possit, quamuis melancholicus humor sit in vena caua infra renes in loco magis distante, quam sint hypocondria; quia occurrimus dicendo quemlibet surculum venæ cauæ à corde remotissimum propter communem meatum adeo cordi respondere, perinde ac esset in loco proximo, per eandem enim cauitatem halitus putredinosi petunt cor, & febrem excitant, absque eo, quod aliqua pars corporis impediat transitum putredinosis exhalationibus: concludere ergo rectè possumus, primam & immediatam causam periodorum esse à locis, vbi peccant humores, desumendam, & nequaquam ab humoribus peccantibus, quia sunt causæ remotæ. *Obiect.* *Sol.*

Huic nostræ sententiæ non solum fauent præcipua fundamenta, rationes & experientia, vt ostendimus, verum etiam percelebres plurimi auctores, inter quos est Eustachius Rudius vir perspicacissimus, qui lib. 3. de serie omnium causarum periodorum loquens habet insitam, & naturalem propensionem cuiuslibet humoris ad putredinem concipiendam esse causam communem periodorum; deinde profundè considerans rationem magis specificam cur pituita, de qua lis est, quotidiè inuadat, & velocius moueri videatur bile, addit capite 9. in fine, & capite 27. citati libri, in pituita esse lentorem, cuius ratione portio putrescentis pituitæ, necessario cum ea quæ iam putrescet contigua est, quò fit, vt portione vnica absumpta, illico putredo aliam fomiti contiguam inuadat, quod non euenit in bile lentore spoliata: postremò cap. nono & 27. de immediata causa loquens dicit à loco desumi debere, itaque argumentari cum illo tali pacto possumus, ab illa causa debet desumi prima, & immediata ratio periodorum putridarum febrium, à qua oriuntur differentiæ putridarum, sed differentiæ putridarum oriuntur à loco, ergo & periodi eorum à loco desumi debent; maior his altioribus principiis probatur, in qualibet contemplatione, quod dat quid, dat quoque consequentia quid, & est Aristotelis primo, & secundo post. omnem quæstionem esse medij: quod vero à locis affectis desumi debent circuitus, est Galeni secundo, de differentiis feb. vlt. à membrorum scilicet dispositionibus cir- *Vt fauet sententiæ nostræ Rudius.*

cuitus oriri, quare non possum committere, quin valde mirer nonnullos qui scripserunt, ipsum credidisse propensionem humorum esse immediatam causam, cum clarissimè dicat primo requiri propensionem humorum, addatque de pituita loquens, quod pituitæ lentor, & viscositas sit causa magis proxima, cur quotidie moueatur, & demum eloquentissimo discursu referat circuitus, seu periodos putridarum febrium in locum venarum portarum, ad differentiam continuarum, quæ fiunt, ab humoribus peccantibus in cauis venis, vt apud illum est videre locis citatis.

Exsurgens dubitatio. Verum ex superius dictis apparens quædam contradictio magni momenti videtur emergere, quoniam in limine libri diximus ex periodis nos cognoscere humores peccantes; hic vero dicimus periodes non causari primo, & immediatè ab humoribus, quare videmur versari in antilogiis; quoniam ex Aristotele res sicut se habent ad esse, ita & ad cognosci: quare si humores non sunt causæ periodorum, vt probauimus, non valebimus quoque ex periodis humores cognoscere, quod est contra illud quod pro fundamento huius libelli posuimus. *Sol.* Tollitur apparens contradictio dicendo, quod cognoscere ex periodis peccantes humores dupliciter intelligi possit, vel quo ad existentiam, vel quo ad essentiam humorum: dicimus, quod periodi nobis declarare possunt humores quo ad existentiam, scilicet humorem peccantem esse bilem, pituitam, vel melancholiam, & nequaquam quo ad essentiam, & quidditatem humorum, quoniam humorum natura & definitio aliis principiis est perquirenda: audiasque quibus fundamentis suffulti hæc dicimus, humores sunt causæ remotæ periodorum, & non proximæ, hinc valet consequentia, sunt periodi; ergo sunt humores prædominantes, & non versa vice, scilicet sunt humores prædominantes, ergo ex necessitate debent obseruari periodi: Hinc philosophus primo post. tex. 30. loquens de causa remota dicit, quod causa remota non potest dare propter quid, sed tantum quod, quare humores peccantes, cum sint causæ remotæ periodorum, vt ostensum est, nullo modo poterunt dare propter quid fiant periodi, sed solum quod fiant, sed non per argumentum affirmatiuum, quia à causa remota nullum affirmatiuum colligi potest: quo pacto vero quod colligi possit ex causa remota, hic non est locus de hac re loquendi, cum ad logicum pertineat. Ex iis igitur, & ex enarratis superius facile erit colligere, quo pacto periodi possint nos docere, qui nam sint humores peccantes siue prædominantes, & quænam sit potior periodorum causa.

Vt errant,

Vt errant, qui ex vrinæ inspectione prædominantes seu peccantes humores, eorumque coctiones, & cruditates necessariò colligunt.

CAPVT VI.

SEQVITVR ergo, quod cætera signa; à quibus empyrici colligere solent peccantes humores, quæ non desumuntur à saporibus siue à coloribus, siue à periodis, vel motu morbi, sint communia, vel partialia, vel extranea, quia signa, quæ non sunt propria, sub iis tribus generibus continentur: Cæterum, quia multi inter propria, & præcipua signa peccantium humorum, eorumque coctionum, & cruditatum collocant vrinam, & pulsum; ideo in præsentia præstat istorum sententias examinare: Isti igitur, qui putant ex vrinis colligi posse peccantes, & prædominantes humores, tali pacto argumentantur: Qui cognoscent coctionem, & cruditatem humorum, cognoscent humores prædominantes, at ex vrina coctionem, & cruditatem cognoscent, ergo ex vrina humores prædominantes cognoscent: Confirmant maiorem, quia ex veloci coctione colligunt peccare biliosos humores, ex tarda, melancholicos, & pituitosos: deinde minorem probant ex consuetudine omnium ferè medicorum, qui vt cognoscant coctionem, vel cruditatem humorum in omnibus morbis vrinas inspiciunt: Quod argumentum reluctari videtur auctoritati Galeni, rationi, & experientiæ; quoniam re vera vrina (si propriè loqui volumus) neque est proprium signum peccantium humorum in omni morbo, neque eorundem peccantium humorum coctionem, vel cruditatem semper ostendere potest, quod, vt melius pateat, confugiamus primo ad Galeni auctoritatem, vbi declarat Historias Epidemicas Hippocratis, à quibus sanè omnes medici ante Galenum, & Galenus ipse potiora totius Medicinæ arcana desumpserunt. Loquens igitur Galenus de Pythione, qui febre, & pectoris affectione erat correptus, dicit iudicationem factam fuisse in Pythione die decimo, sed cum vrinis crudis; videns igitur Galenus post coctum morbum perseuerare vrinas crudas, subdit, coctionem, vel cruditatem humorum in pectore residentium non cognosci per vrinas, sed per sputa; quo pacto ergo volunt Empyrici coctiones, & cruditates humorum in omni morbo, & in qualibet parte corporis residentium ex vrina colligere? Si in Pythione est cruda, quando cocti sunt humores pectoris? propterea meritò Galenus cognoscens vrinam non posse indicare coctionem humorum extra venas residentium, habet hæc verba 4. aphorismorum com. 77. cum enim ex venis vrina veniat, in renibus autem percoletur, in vesica vero aggregetur; quicquid in " ea præter naturam apparuerit, aut venas, aut renes, aut vesicam male " se habere indicabit, videas ergo vrinam minimè ostendere posse hu- "

Vt errãt, qui ex vrina colligunt humores existentes in pectore esse coctos, vel crudos.

Quæ cognosci possunt ex vrina.

" mores peccantes in ventre, in pectore, & in cæteris partibus corporis " residentes, quoniam dicit clarissimè Galenus, vrinam solum ostendere venas, renes, aut vesicam malè se habere: Similiter legitur 4. de " tuend. sanit. in principio libri, de iis, quæ intra venas sunt nullum sanè " nec manifestum, nec euidens signum habemus præter solam vrinam, sequitur ergo, quod reluctentur Galeno, & veris Medicinæ fundamentis, qui in omni morbo ex vrina credunt, colligi posse coctiones, vel cruditates humorum.

Vrinã ostendere quæ sũt in caua vena: euacuationem vero per aluum, quæ in porta

Verum quo pacto lotium ostendat humores peccantes in venis, & quarum venarum humores ex lotio cognosci possint, non video, quod ab aliis melius nodus hic discutiatur, quam à Galeno; quare aliis dimissis confugiamus ad præcipuum Galeni locum, vbi agit de Muliere decumbente apud Pantimidem ibi habet hæc verba, vrinæ crudæ ostendebant in gibbo iecoris redundare succos crudos; euacuationes verò tenuium in venis meserei; patet ergo vrinam potius ostendere conditionem humorum existentium in caua vena, quam in porta, & in venis meserei à porta prodeuntibus.

Cur aliquando vrina non potest rectè ostendere, quæ sunt in caua.

Amplius dicere possumus cum Galeno, si ex propriis volumus philosophari, vrinam aliquando coctam apparere, crudis existentibus humoribus in caua vena, pro qua re legamus Galenum, vbi de Historia Cleonactidis verba facit, dicit enim in Cleonactide vrinam, quæ modo cocta, & modo cruda redditur, indicare humores aliquos coqui, & alios manere crudos; ecce igitur, quod existentibus in venis humoribus crudis, reddi potest aliquando vrina cocta, quare si semel eam coctam videbimus, non poterimus dicere in venis non esse crudos humores, quia die sequenti potest reddi cruda; Similiter si cruda apparebit, non poterimus absolutè dicere, humores crudos esse, quia die sequenti posset cocta excerni, vt contigit Cleonactidi; Similiter " Galenus 2. præsag. com. 26. habet, contingere potest, vt aliquis vri- " nam, quæ reprehendi non potest, emittat, attamen sequenti nocte, a- " liam reprehendendam reddat, & rursus sequenti die manè bonam, vesperi malam, quæ vrina ostendit partem humorum in venis esse coctam partem incoctam, addit illam vrinam optimam esse, quæ inter coctas nulla cruda reddita sit: quare, qui colligent ex vrina cocta semel visa morbi victoriam, valde errabunt: ratio vero, cur vrina potest nos fallere, est, quia humor crudus non totus simul coquitur, sed prius vna pars, deinde alia, quare vrina cocta non potest ostendere primo, & per se coctionem totius humoris, sed solum illius portionis humoris nuper cocti: consequitur enim natura in certamine cum morbo non vnicam victoriam; sed multas, quia post multos insultus, & post coctiones multarum portionum peccantium humorum ad portum salutis transferri solet.

Cur errant qui ex vrina semper cocti

Insuper, si lotium per se, & propriè ostenderet speciem peccantium humorum, vel coctionem, & cruditatem, sequeretur, quod humores mali semper per vrinam euacuarentur, quod aduersatur Galeno, & experientiæ, Galenus enim ad Posthumum cap. 3. habet hæc verba, multæ

multæ ſunt viæ, quas natura aperit pro expellendis excrementis, per vomitum videlicet, per alui profluuium, per ſudorem, per ſanguinis eruptionem, per hæmorrhoidas, & per alias vias; cur ergo volunt vrinam ſemper, & in omni morbo oſtendere conditionem peccantium humorum, ſi per ſputa expectanda eſt criſis? vt de Pythione dixit Galenus: Cur, ſi per alui profluuium eiiciuntur excrementa, volunt per lotium ſtatum, & conditionem humorum peccantium cognoſci? cum euacuationes per aluum ſint illæ, quæ hoc debent declarare, vt de Muliere decumbente apud Pantimidem docuit Galenus: Quare concludimus vrinam præcipuè oſtendere cruditatem, vel coctionem humorum in vena caua reſidentium, & non in aliis partibus, hac ſeruata conditione, vt per duos, vel tres dies cocta emittatur, vt dicit Galenus 2. præſag. com. 26. An verò vrina oſtendere poſſit determinatam aliquam humorum dominantium ſpeciem in venis peccare, an ſcilicet peccet bilis æruginoſa, vel vitellina, vel porracea, dicimus ſolum per probabilem aliquam coniecturam, & nequaquam certa, & demonſtratiua cognitione nos conſequi poſſe, quandoquidem cognito ex periodis de tertio in tertium peccare bilem, alia præterea requiruntur ſigna, quæ nobis melius oſtendant varias has bilioſorum ſuccorum ſpecies, veluti ſi peccat bilis vitellina, vel flaua, hæc ſanè in primis cognoſcitur ex periodis de tertio in tertium, quare adduntur alia ſigna, veluti ſi natura promptè, & ordinatim aggreditur coctionem, ſcilicet determinatis diebus, & horis, dicimus peccare biles non valde exitioſas, vt ſunt vitellina, & flaua: demum ex mitiori morbo colligimus flauam, ex paulo vehementiori vitellinam: Similiter ſi in vrina coctio, vel breui incipit apparere, colligimus humores tenues, & bilioſos, non melancholicos, & pituitoſos, ſi tardè coctio in lotio appareat, colligimus melancholicos, & pituitoſos, quare ſi volumus peruenire ad cognitionem specierum humorum melancholicorum, & pituitoſorum peccantium, debemus ex periodis, ſaporibus, & coloribus colligere, vel à ſyndrome aliorum ſignorum, de qua in ſequenti libro agemus, itaque nullo modo vrina erit proprium ſignum peccantium humorum.

gunt conditionē peccantium humorum.

Poſtremò ſi vrina poſſet nobis ſignificare peccantes humores, eatenus id præſtaret, quatenus eſt excrementum; quia, vt dicit Galenus 2. de natura humana com 7. excrementa cuiuslibet particulæ corpo- «
ris, quæ nam affectio particulam ipſam vexet, declarant: Cum igitur «
tres ſint in corpore animato coctiones, primaque ſit in ventriculo, ſecunda in iecore, & tertia in cæteris partibus corporis, & in qualibet harum coctionum duo ſint excrementa, alterum craſſum, & alterum tenue, & vrina ſit tantum excrementum vnius coctionis, cur dicere volumus vrinam oſtendere ea, quæ pertinent ad cæteras coctiones? ſi in pectore erunt excrementa, ſi in capite? & ea prodirent à tertia coctione? cur volunt illa cognoſci per vrinam? Similiter an-ne excrementum craſſum primæ coctionis ſunt fæces? quare ſi in hoc excremento erit aliquod ſignum proprium, quod oſtendet læſiones primæ

Qua ratione vrina poſſit oſtendere dominium prauorũ humorum.

coctionis, id non posset ab vrina propriè significari, sed per accidens, & ratio est, quia quod conuenit vni per se, & propriè debet ex necessitate alteri conuenire per accidens, quod principium ab Aristotele primo cœli, & à Galeno in methodo est probatum: Præterea neque dicere possumus, quod vrina propriè ostendat pertinentia ad secundam coctionem, quia secunda coctio habet tria excrementa, quæ sunt bilis, melancholia, & vrina, quare sequitur necessario, quod ea, quæ propriè ostenduntur à bile, non possint ostendi ab vrina, vel à melancholia: Similiter, quæ à melancholia, vel ab vrina ostenduntur non possint ostendi per se à bile, quoniam vnum per se, vnum indicat, & quod vni conuenit per se, alteri per accidens debet conuenire.

Postremò experientia docet, vrinam aliquando adeo crudam reddi in fine morbi, vt post consecutam sanitatem multorum dierum spacio cruda perseueret, quod potest contingere, quia causa morbi erat extra venas, vel in pectore, sicuti accidit Pythioni, vel in capite, vel in venis meserei, vel demum in venis ipsis cauis, quoniam sæpè contingit, vt superata putredine in vena caua existente cruda reddatur vrina, vel ex nimia potatione, vel ob vigilias, quilibet enim conualescens, & qui sit optima valetudine præditus, si diminutè dormiret ob cogitationes, vel ob alias animi passiones crudas redderet vrinas, cocto etiam & superato morbo: & demum coctam reddi vrinam, morbo aliquandò existente in augmento, veluti dum quis diarrhæa tentatur, quoniam materia mouetur per aluum vrina cocta redditur, quia non est significatrix illius affectus, & sic de aliis: possumus ergo colligere, quod qui in omni morbo, & in omnibus humoribus vbique locorum peccantibus volunt ex vrina, spretis sæpissimè aliis signis, colligere coctionem, & cruditatem, & naturam, & speciem peccantium humorum, decipiuntur, quandoquidem id est impossibile, nisi id per syndromem aliorum signorum fiat, quemadmodum doctissimus Galenus expendens casum mulieris decumbentis apud Tisamenum, quæ iliaco affectu erat correpta, admonet, spem in illo sæuissimo morbo sumendam esse ab vrinis bonis, quia (vt inquit) si bonæ sunt, signum est viscus nutricationis, quod est hepar, non pati: subdit deinde, non solum in iliaco, verum etiam in morbis thoracis, ventris, pulmonis, & neruorum bonam vrinam bonum significare, quia colligimus ex illis morbos hos non tantum sæuire, vt iecur possint destruere, quo illæso deinde bonam spem comprehendimus, quia re vera exitiales euentus non possunt accidere sine maxima præcedente iactura hepatis: videas quo pacto Galenus colligit quid dici possit in morbis, qui per vrinam propriè, & per se cognosci non possunt.

Vnde est, quod ex vrina coniecturam colligimus de omni morbo.

Vt errant,

Vt errant, qui credunt pulsus per se indicare pradomininantes humores, eorumque coctiones, & cruditates.

CAP. VII.

SEQVITVR quoque, vt errent, qui credunt pulsus ægrotantium propriè & per se indicare, quinam sint in ægrotis humores peccantes, & eorum coctiones, & cruditates: radix erroris est, quia non animaduertunt hoc philosophi fundamentum, quod per se vni conuenit, aliis per accidens necessario conuenire, & vice versa, verissimum enim est, quia vnica species, & natura non potest habere nisi vnicam proprietatem, & vna proprietas non potest nisi vnicam naturam, & non plures indicare, quo infallibili principio Aristoteles primo, cœli suffultus, ad quintæ essentiæ cognitionem nos transtulit; quique illud negaret, totam seriem illarum demonstrationum philosophi destrueret, quare quælibet species pulsus propriè, & per se indicabit vnicum cordis affectum, & non plures, quamuis per coniecturam, & per accidens, & sine necessitate infinita ostendere posset.

Hinc qui dicunt ex pulsibus certò cognosci posse humores esse in venis, vel extra venas: humores esse coctos, vel crudos, reluctantur nō solum Aristoteli, sed etiam Galeno, qui semper sustinuit, quod vnum, vt vnum solum vnum indicet, & non plura, & si plura ab vno, id per accidens, & per coniecturam indicari; quare cum humores immediatè non respiciant cor, à pulsibus illorum statum, & conditionem ex necessitate colligere non poterimus, & quamuis Galenus semel dixerit, quod humorum coctio ex valido pulsu cognoscatur, non propterea ei aduersamur, quia optima coniectura, & non certa, & infallibili scientia ex valido pulsu colligebat coctos esse humores; etenim pulsus validus per se indicat vnum solum, scilicet validam virtutem vitalem, cætera verò per accidens, & per coniecturam à valido pulsu indicari, si vera sunt Galeni, & Aristotelis prima philosophiæ principia; Hinc, cum ea, quæ per accidens indicantur ex Aristotele possint aliter se habere, & per consequens non sint semper vera, non est mirum, si tam sæpè manifestè errent, qui ex valido pulsu semper coctionem humorum colligunt, & quod magis est, optimis medicis, & philosophis risum concitent, quia non solum rationi, verum etiam experientiæ aliquando aduersantur: sæpissimè reperiuntur homines validissimis pulsibus donati, qui humorum crudorum copia referti validas actiones, & vitales sortiantur.

Vt ex pulsu cognoscitur coctio humorum.

Cæterum ostendamus per inductionem variarum differentiarum pulsuum, quod ab vnica pulsuum differentia vnicus tantum affectus per se indicetur: incipiamusque à generalissimis affectuum differentiis: an-ne pulsus inæqualis in eodem ictu secundum eandem arteriæ partem, sed inæqualis secundum diuersas partes non arteriæ, sed illius

Qua pulsus inequalitas indicet per se febrem putridam.

dilatationis ostendit febrem esse putridam? Hanc inæqualitatem Galenus primo ad Glau. capite 6. & 4. de causis puls. capite 14. dicit esse communem omnibus febribus putridis, quæ inæqualitas est, quia arteria in vnico ictu habet dilatationis principium velocius, & in medio dilatationis velocitatem amittit, in fine iterum velocitatem recuperat; ex hac igitur inæqualitate febrem putridam necessario, & per se colligimus: Hinc Galenus primo ad Glauc. 2. de vnico pulsu ostendente ephemeras dicit, cum pulsus nullum inflammationis signum habuerit, neque omnino inæqualitas in vnica arteriæ compulsione apparuerit, erit febris diaria: Similiter vnicus tantum erit pulsus significans inflāmationem, si vera est sententia Galeni 4. de causis puls. » cap. inscripto de pulsu inflammationis: habet enim hæc verba, om» nem inflammationem habere pulsum veluti serrantem, & proinde durum, causa autem cur in lethargo, & peripneumonia non appareat durus; vel serratilis infra declarabitur; quare concludimus inæqualitatem in vnico ictu per se ostendere febrem putridam, & ab alio pulsu non posse ostendi, nisi per accidens, & per coniecturam; æqualitatem vero in vnico ictu ostendere ephemeram, & ab alio pulsu non indicari, duritiem vero ostendere tumorem, & ab alio pulsu tumorem, vt tumor est, non significari.

Pulsus prodiens ab inflammatione per se quis sit.

Ad eundem modum obseruatur in qualibet pulsuum differentia, vnicum affectum, & non plures indicari, an ne pulsus mollis latus, & vndosus indicat per se mollitiem arteriæ? per accidens tamen potest indicare peripneumoniam, vel anasarcam, in quibus affectibus cor, vel ab ingenti humiditate læditur; & fit molle, vel à pulmone sua natura molli communicatur hæc mollities cordi; nulla tamen erit consequentia, est pulsus vndosus, ergo pituita dominatur, ergo anasarca, ergo peripneumonia, & alia id genus in corpore existere; quia accidit cordi, & accidit arteriæ, vt fiat lata, vndosa, & mollis ab anasarca; plurimi enim possunt esse affectus, & causæ, quæ impertiuntur cordi humiditatem, & mollitiem.

Pulsus mollis, latus, & vndosus quid per se, & quid per accidens indicet.

Similiter pulsus durus, & serratilis an-ne significat per se duritiem arteriæ? an-ne hæc durities per se ostendit duritiem membranosi generis? an vero hæc durities sit facta à pleuritide, vel Tympanite, vel ab aliis affectibus, hoc non potest sciri ex pulsibus, quia ex signis generis colligere specificas ideas est prolabi in paralogismum secundæ figuræ ex duabus affirmatiuis. Sed antequam vlterius prouehamur; audias erratum manifestissimum cuiusdam, qui omnia ex pulsibus profitebatur diuinare: Erat æger tussi affectus ob frigidæ potum, huic aderat pulsus durus, & ferè serratilis, illico ex pulsu tantum, nulla alia signorum syndrome expensa, colligebat ægrum pleuritide detineri, quia putabat serrinum pulsum esse proprium non inflammationis, vt inflammatio est, sicuti ex Galeno 4. de causis pulsuum colligitur, sed pleuritidis, quæ re vera non à pulsu serrino, sed à quatuor illis signis à Galeno propositis prima aph. & à nobis limitatis primo libro cap. 24. ratio autem potissima cur pulsus serrinus per se, & propriè ostendere

Pulsus durus & serratilis quid per se, & quid per accidens indicet.

Erratum cuiusdam medici.

ostendere non potest pleuritidem est, quia vnum per se vnum indi-
cat, an-ne serrinus pulsus propriè ostendit duritiem arteriæ, & cordis?
ergo per accidens ostendet pleuram esse læsam; patet enim, quia serri-
nus quoque fit, non solum in pleuritide, verum etiam in aliis affecti-
bus, hinc Auicennas lib. 4. fen. prima tract. 2. cap. 2. dicit; durities pul-
sus fit quoque à potu aquæ frigidæ, & ab aliis causis, quæ indurant
pulsum, & sic non ostendit semper apostema esse in membrana: Præ-
terea loquens Auicennas de pulsu adeo duro, vt serræ tactum æmu-
letur libro 3. fen. 10. capitibus de pleuritide dicit, vt fiat serratilis pul-
sus, duo concurrunt, primum durities, secundum facultas aliquomo-
do imbecillis, & cum acuto calore, quare cum nemo pleuriticorum
in morbi limine possit esse imbecillis, non habebit pulsum serrinum:
hinc primo colligimus, ægrum, de quo loquimur, non habuisse ser-
rinum pulsum; Secundò serrinum non esse proprium pleuritidis,
quia si verus pulsus serrinus esset proprium; conueniret soli, & sem-
per; Tertiò omnes causas, quæ habent vim exsiccandi tunicas ex- *Pulsum ser-*
tendendo, vel constringendo durum efficere pulsum; si vero inua- *rinum non*
lesceret affectio, facultas fieri quoque posset adeo imbecillis, vt æqua- *esse proprium*
liter arteriam non valeret attollere, vnde statim fieret serratilis pulsus, *pleuritidis.*
quia quando in vnica pulsatione in diuersis arteriæ partibus motu in-
terciso inæqualitatis persentitur, enascitur pulsus serrinus, qui non
solum in pleura valdè læsa contingere solet, sed in omni inflammatio-
ne, & præcipuè in omni affectu partium corporis, quæ in thoracis
concauo continentur; quia omnes sunt indutæ eadem pleura, hinc si
diaphrasma inflammatur, manifestissimè serrinus pulsus obseruatur
tum ratione inflammationis, cui per se competit serrinus pulsus, tum
quia diaphragma supernè induitur pleura; Hinc in Tympanite serra-
tilis obseruatur, quia flatus distendit spiritales partes, & peruadit
membranas, & extendit, atque duritiem cordi inducit; non valebit
tamen consequentia, est serratilis pulsus, ergo tympanites, ergo pleu-
ritis, ergo inflammatio diaphragmatis, quia per accidens contingit, vt
durities fiat ab inflammatione pleuræ, vel à Tympanite.

Sed ex dictis duæ dubitationes videntur emergere. prima, dum di- *Prima dubi-*
ximus ex Galeno 4 de causis pul. cap. de pulsu inflammationis, scilicet *tatio.*
omnem inflammationem habere pulsum serrinum, quod videtur
falsum, quoniam in pulmonis inflammatione, & in lethargo pulsus *Secunda du-*
est mollis, & nequaquam durus, & serrinus: Secunda, non videtur, *bitatio.*
quod durus pulsus, & serrinus sit proprius inflammationis, quia pul- *Sol. primæ*
sus ob potum frigidæ quoque fit durus: Primæ dubitationi occurri- *dubitationis.*
mus dicendo duritiem pulsus in peripneumonia, & lethargo occulta-
ri à pituita dominante, & fluctuante, & magis posse pituitam in mol-
litie introducenda, quam inflammatio cerebri, vel pulmonis in duri-
tie efficienda, & ratio est, quia durities pulsus cum proueniat à læsis
membranis, atque pulmo, vel cerebrum tenuissima, & perexigua
meninge sit intertextum, adeo ipsa durities exigua fit in pulsu, vt à do-
minante pituita omnino occultetur, & mollities aperta introduca-

Sol. secundæ dubitationis. tur: Secundæ occurrimus, duritiem, de qua loquimur, & quæ fit ab inflammatione, esse permanentem, quæ vero fit ob frigidę potum breui, & facilè mutari.

Insuper, si alias pulsuum species expendemus, idem luce clarius colligemus: age, breuiter exequamur: Vibratus pulsus per se indicat instrumentum facultatis vitalis esse induratum, indicátque ex maiori duro nasci in motu necessario maiorem collisionem, & ex maiori collisione per se prodire maiorem calorem: per accidens vibratus indicabit conuulsionem, vel pleuritidem, aliquando enim in pleuriticis adeo tenditur, & induratur pleura ob tensionem factam ab apostemate, vt cor vibratum pulsum efficiat; hinc dicere solent medici, quod vibrati sint serratilibus similes, quare, qui inferret ex vibrato pulso conuulsionem, erraret, quia incideret in argumentum à positione consequentis ad positionem antecedentis, scilicet, si est conuulsio, est vibratus pulsus, sed est vibratus pulsus, ergo conuulsio, consequentia est absurdissima; valeret tamen, est conuulsio, ergo est vibratus pulsus.

Vibratus pulsus quid per se, & quid per accidens indicet.

Pulsus formicans quid per se, & quid per accidens indicet. Ad eundem modum pulsus formicans per se significat facultatem imbecilliorem; causas tamen imbecillitatis antecedentem ab hoc pulsu colligere non possumus, quoniam modo accidit, vt reddatur pulsus formicans ob veneni potum, modo ob pestem, modo ob egressum à balneo, & ob mille alias causas, quoniam causæ, quæ alicui conueniunt per accidens, non mille, sed infinitæ esse possunt, quare qui ex hoc pulsu formicante vellet colligere summam malignitatem esse in venis, cum per accidens malignitas humorum formicantem pulsum efficiat, vel maximè erraret.

Quid indicet vermicularis pulsus. Similiter vermiculares pulsus indicant quoque absumi natiuum calorem, sed cum non adsint ita exiles, vt formicantes, non ostendent tantam cordis ruinam; qui igitur vellent ex pulsu vermiculari colligere causam efficientem, vel humorem peccantem, cum per accidens vermicularis pulsus possit fieri ab humoribus, transcenderet de genere in genus, quia ea, quæ per accidens alicui conueniunt, genere differunt ab iis, quæ per se: Hinc est valde ridiculum audire Medicos aliquos dicentes à pulsibus per se cognosci posse causas antecedentes ægritudinum, & coctiones humorum.

Error eorum, qui colligunt coctos esse humores, ex pulsu. Hinc simili errore capiuntur, qui in febribus putridis ex pulsu colligere solent, peccantes humores esse bilem, vel melancholiam, nec non ipsos humores esse coctos, vel crudos, nisi id coniectura, & non certa scientia cognoscere profiteantur: Dum Galenus dixit, se ex pulsu pleno, & valido colligere coctionem humorum, id solum coniectura consequitur, quæ nisi aliqua artificiosa syndrome roboretur, potest quoque millies fallere, ratio enim huius est, eaque potissima, quia si erit verum, quod coctiones, vel cruditates humorum existentium in caua vena ab vnico signo ostendantur, vt prima philosophiæ initia docent, scilicet vnicum ab vnico indicari, & non à pluribus seorsum consideratis, erit quoque verum, coctiones horum humorum

cognosci

cognosci ex vrina, & nequaquam à pulsibus, vt valeat hæc consequentia, ab vrina ostenditur coctio, ergo non à pulsu.

Vnde oriatur cognitionis pulsus difficultas.

Demum non solum pulsus propriè indicabunt coctiones humorum, verum adeo sunt difficiles, vt ex pulsibus vix quæ per se ab illis prodeunt colligere aliquando valeamus, tanta est affectuum in hoc nostro corpore varietas, & implicatio; an-ne superius ostendimus ex Galeno, omnem inflammationem habere pulsum durum? quamuis peripneumonia, & lethargus habeant mollem; causa obscuritatis est, quia occultatur durities ab ingenti mollitie membrorum, & à copiosa pituita putrescente.

Duo in pulsu esse contemplanda.

Quocirca si ex pulsibus aliquid diuini in arte medica colligere volumus, duo mihi videntur seuerè obseruanda: alterum est, vt illa tantum arcana pulsuum præcognoscamus, quæ per se & propriè cuilibet speciei pulsus conueniunt: alterum est, vt in applicatione, & (vt aiunt) in actu practico sciamus exactè conferre pulsus præteritarum accessionum cum pulsu præsentis; quoniam solum ex hac collatione certum & infallibile iudicium colligemus, an æger sit in meliori, vel deteriori statu; solet enim medicus aliquando inuenire pulsum sani hominis adeo inæqualem, intermittentem, & aliis deterrimis conditionibus donatum, vt Medicus, qui alias non tetigerit, & obseruauerit, in cognitione, & curatione, cæcorum more incedat: esset igitur operæpretium in sanis hominibus semper motum præcipuè obseruare, quia in ægritudine longè melius crebritatem pulsus, & cæteras conditiones metiri, & certo scire possemus, quantum recedant à naturali statu, possemusque omnes proportiones obseruare, & intermittentiam, si adest, dimetiri, & plura alia ad motum pertinentia: pro qua cognitione exactè, & citò comparanda instrumentum pulsilogium inuenimus in quo motus, & quietes arteriæ quisque poterit exactissime dimetiri, obseruare, & firma memoria tenere, & inde collationem facere cum pulsibus præteritarum dierum; Exhibet enim instrumentum omnes æqualium motuum differentias, quæ sunt centum & triginta tres incipiendo ab obseruatione rarissimi motus vsque ad creberrimum, cur autem non sint plures, in proprio libro de instrumentis medicis non amplius visis Deo fauente declarabitur: totidem obseruantur differentiæ inæqualium motionum; Ex cuius pulsilogij obseruatione primò colligimus qualiber die, & hora quantum ægri recedant in crebritate à statu naturali: secundò infallibilem notitiam præbet, qua hora desinat augmentum, incipiatque status, & declinatio: tertiò obseruatur virtute proportionum æqualium motionum in pulsilogio obseruatarum, quam crebritatem, quam intermissionem, & quietem externam quodlibet indiuiduum perpeti, & non perpeti potest: quartò metiri possumus quietem diastolis, & quanta sit quies externa, qua cognita, illico morbi magnitudo, & cachoxeriæ vehementia præcognoscuntur: postremo quilibet sensatus Medicus intermittentiam cognoscet, an scilicet arteria per vnum ictum quiescat, vel per duos, an per vnicum cum dimidio, vel cum tertia ictus

De pulsilogij vsu.

parte, vel quarta, & sic vsque ad decimam, quæ, sine instrumento est prorsus impossibile, dimetiri; sed quia in proprio libro de hac re sumus acturi, non est vt omnes instrumenti vsus referam: Satis enim est in hoc cap. nos ostendisse per inductionem multarum specierum pulsuum, non posse scientia infallibili cognosci peccantes humores, sed solum ex accidenti & per coniecturam, quod erat ostendendum.

Vt errant, qui ex antepositione, & postpositione paroxismorum peccantes humores, eorumque coctionem, vel cruditatem colligunt.

Capvt VIII.

Qvamvis dictum sit periodos propriè indicare prædominantes humores, non propterea antepositio, vel postpositio paroxismorum indicabunt humorum dominium, quoniam eo modo antepositio, vel postpositio accidit humoribus præter naturam, quo longitudo & breuitas paroxismorum, quia temporis breuitas, longitudo, antepositio, & postpositio, inter se differunt solum secundum magis & minus; quare quemadmodum ex Galen. sententia 2. de diff. feb. capite 11. accessio fit longissima ob quatuor causas, quarum prima est materiæ inutilis multitudo, secūda crassities, & lentor humoris, tertia imbecillitas potétiæ, & quarta meatuū angustia; & breuissima accessio fit à cōtrariis causis, quarū est prima materiæ inutilis subtilitas, secūda materię paucitas, tertia potétiæ vigor, & quarta meatuū apertio; Simili modo dicimus, si materia vel fuligines, quæ excitāt paroxismos, erūt multæ, fiet antepositio, si materia erit tardi motus, fiet postpositio, si velocis motus, antepositio, si potentia erit fortis, & materia fuliginosa non possit alio modo, quam à calore febrili absumi, antepositio; quare ex iis mihi videtur satis patere, antepositionem, & postpositionem non indicare determinati humoris dominium, quia modo antepositio fiet ob meatus apertos, modo ob occlusos, modo ob potentiæ vigorem, modo ob copiam peccantium humorum, & modo ob mordacissimas qualitates irritantes, & postremo fiet quoque antepositio, quia cinis in quem putredo præteriti paroxismi est resoluta, totus cadat super illum humorem præparatum, qui die sequenti putrescere posset: quæ cum ita sint, sequitur, quod antepositio, & postpositio non possit indicare peccantium humorum dominium.

Accessio fit longa vel breuis ob quatuor causas.

Insuper maximè errare videntur, qui ex anticipatione paroxismorum colligunt crudos esse humores, & ex postpositione coctos, ægrosque esse in declinatione: Error hic est adeo manifestus, vt nulla esset iucunda disputatio, si cum viris artis medicæ expertis loquerer, sed cum in hoc capite alloquar Tyrones, non grauabor probare, quod anticipatio paroxismorum neque materiæ cruditatem, neque morbi augumentum ostendat, & similiter postpositio neque coctionem, vel morbi declinationem: Ratio in hac re, quæ sensu, & experientia patet, non habet locum; sæpissime enim videmus paroxismos anticipare non

Vt errāt, qui ex antepositione accessionis colligunt crudos & ex postpositione coctos esse humores.

non solum in morbi augumento, & statu, verumetiam in declinatione, quando scilicet materia est cocta, & expulsioni prona atque propensa, quinimmo aliquando contingere solet antepositio illa die, qua æger morbo omnino leuatur: Præterea est Galen. auctoritas 1. de crisibus 5. manifestissima, vbi dicit, quod anticipatio accessionis non semper arguit incrementum; quid clarius dici potest? Demum ex natura rei colligere possumus anticipationem non insequi cruditatem, quoniam insultus seu accessiones non fiunt immediatè ab humoribus peccantibus, sed ab alitibus acribus, & mordacibus ob adiapneustiam retentis, qui cum non possint per poros cutis, vel per alias latiores vias difflari, necessario omnes corporis partes irritant ad eorum expulsionem, vnde nascitur febris, quæ deinceps tamdiu durat, quamdiu dissipantur, in quo motu seruatur principium, augumẽtum, status, & declinatio: obiter hic reiicitur opinio illa citata à Traliano libro 12. quæ deinde fuit Christofori à Vega, & multorum dicentium febres esse solum naturæ conatus ad expellendas noxias causas, & propterea ob naturæ laborem, & conatum incendi calorem, & nequaquam ob halitus putridos, & perustos ferientes cor, quorum error cognoscitur ex pulsu, & respiratione; ex pulsu, quia in principio accessionis pulsus sunt contracti, habéntque systolem maiorem diastole, quia arteria attrahit aerem gratia refrigerandi cor, in fine, quia propelluntur fuligines à corde transmissæ, per vniuersas arterias; diastoles deinde fit maior, quia per diastolem fuligines expelluntur, ergo ex fuliginibus putridis petentibus cor fit febris, & non ex conatu tantum; similiter expiratio, quæ diastoli respondet, maior erit systole, quæ inspirationem respicit. Ad rem igitur redeuntes dicimus accessiones fieri ab halitibus retentis; quare quanto copiosiores erunt halitus, eo citius accessio infestabit cor, quanto prohibita transpiratio fiet maior, eo citius quoque accessio inuehetur, tum, quia colliguntur halitus copiosiores, tum quia magis acres, & mordaces, redduntur: Similiter quanto potentia naturalis erit vegetior, eo citius cor animaduertet accessionem, quo latiores erunt meatus, si copiosæ erunt fuligines, maxima fiet antepositio, quia aura illa putrida ocyus tranet: Demum data paritate loci, si eleuentur fuligines à bile, citius, quam à pituita sola fiunt accessiones, & antepositiones, si à pituita mixta cum bile, citius quam à pituita sola, si à pituita cum melancholia tardius, quam à sola melancholia, nisi locus, vbi resident humores, impediat, attamen ex antepositione colligere non possumus humores peccantes, quia humorum quantitas vel eadem non seruatur, vel non seruatur qualitas, vel diuersus est locus, quamuis enim quantitas, & qualitas humorum accelerent paroxismum, non tamen periodorum sunt causa, vt superius ostendimus: Similiter melancholia aliquando redditur adeo effrenis, abitque in tam ignitos spiritus, vt multo antè inuadant paroxismi: Demum ex alio Galeni loco infra citato rationem antepositionis, vel postpositionis colligimus, & nequaquam ab humoribus peccantibus, & est, quia exhalationes, quæ

Antepositio accessionis nõ semper arguit morbi incrementum.

Vt errat Christoforus à Vega dicens febrem esse solum conatum naturæ.

fecerunt præteritum paroxismum (vt dicit Galenus) in cinerem conuertuntur, quo cinere, si portio illius humoris apti, vt proximè accendatur est respersa, cinis ad instar fermenti adeo redit humores mordaces, vt illico ab illis eleuentur halitus putridi, qui irruant in cor, & à corde ad cæteras partes, vnde fit antepositio: verum, quia cinere præteriti paroxismi non semper æquè materia obnoxia putredini est respersa, quia potest contingere, vt cinis parum immoretur super materiam procliuem ad putredinem pro adueniente paroxismo, & euacuetur per vrinam, vel alias partes, & inde difficilius incendatur materia apta putredini, & per consequens cunctetur insultus, & fiat postpositio. Quod vero cinis reddat humores propensos ad putredinem, non vno loco à Galeno declaratur, sicuti 3. præsag. 32. & 2. de differentiis feb. 11. dum dicit; sed si natura illum veluti cinerem humorum supramodum adustorum vacuare non anteuerterit, ille rursus in corpore manens, & concalefactus contrahit propensionem iterum ad putredinem, & addit, concepto feruore aliam febrem denuo suscitat, quare si cinis erit copiosus, cum subeat fermenti vicem in excitandis putridis halitibus, citius fiet putredo, & fiet antepositio, si humores erunt respersi cinere, & cinis non euacuetur, citius quoque ebullitionem, & putredinem excitabit, similiter postpositio fieri potest ex contrariis causis; nullæ ergo erunt consequentiæ, est anticipatio paroxismi, ergo morbus est in principio, vel augmento, ergo humor est crudus; similiter est postpositio, ergo coctus, ergo declinatio morbi, non valet, quoniam in principio morborum aliquando paroxismi irruunt postponentes, & aliquando accidit mors, omnibus tamen paroxismis cum postpositione irruentibus, & aliquando homines illa die febre liberantur, quando maxima fit accessionis antepositio; quare vanissimum erit credere ex postpositione declinationem, & remissionem affectus; & ex antepositione sæuitiam, & cruditatem affectus colligi posse.

Vt errant, qui ex colore intense rubro faciei colligunt sanguinis dominium.

CAP. IX.

OSTENDIMVS superius ex coloribus eorum, quæ excernuntur, necessario colligi posse peccantium humorum dominium, sicuti ex colore flauo colligimus bilem citrinam, ex viridi porraceam seu prassinam, ex æruginoso æruginosam, & ex nigro melancholiam: Verum, quia colores faciei, & aliarum partium corporis non possunt indicare humorum internorum dominium, quia dicit Galenus prima aph. com. 2. hac conditione colorem ostendere humores, si in profundo commorantes non differant ab iis, qui sub cute sunt effusi, ideo

illos

illos errare credimus, qui ex colore valde rubro faciei colligunt sanguinis dominium: errant primo, quia dato, quod rubor intensus faciei indicet sub cute copiosum sanguinem esse effusum, non tamen valet consequentia, ergo idem est in profundo; quia Galenus loco citato habet hanc sententiam, humores ex colore coniectari, nisi aliqui fortè in profundum recesserint: Secundo errant, quia Galenus negat valde rubrum colorem faciei ostendere sanguinis dominium, vt legere est secundo prædictionum 14. dum dicit, quod valde rubrum est, id ad melancholiam idoneum esse, ait in epidemiorum secundo, cuius signum mœstitia existit; ecce, quod Galenus vult valde rubrum, si mœstitia præcipuè existat, significare melancholiam, dicítque si mœstitia existat, quia in parte interna potest esse alter humor, mœstitia non potest à melancholia externa solum gigni, nisi in penitioribus partibus habeat altiorem sedem: Experientia tamen docet, rubros in facie vt plurimum esse melancholicos, vel saltem in melancholiam procliues; ab Aristotele, & à natura rei colligere possumus valde rubrum esse melancholicum; ab Aristotele, quia ruber color inter medios colores collocatur, constat igitur ex opaco, & diaphano, ex nigro videlicet, & albo, ex pituita, & melancholia, valde ruber color ex multo opaco nigro, & melancholico humore constabit, quare merito intensè ruber in facie ostendet multum opacum dominari, vel saltem magis opaco, quam diaphano participare; quare nisi erit melancholicus, erit saltem procliuis valde ad melancholiam: Ex natura rei, quia dum tinctores exoptant colorem intensè rubrum non semel tingunt, sed bis, & ter, & donec partes terrestres vberrimè adhærescunt.

Quodnam sit melancholiæ signum.

Cur rubri in facie melancholiam significant.

Nec mihi obiiciant colores non intendi ratione quantitatis materiæ adhærescentis, sed ratione qualitatis, vt optimè docet Galenus primo de humoribus, iis verbis: neque nix potest esse candidior, si inspissetur, neque pix nigrior, vel aurum fuluius, datoque quod fuluius redderetur, illud esset non ratione quantitatis materiæ, sed ratione qualitatis extensæ in materia, quare intensè rubrum non fiet à maiori quantitate materiæ, neque infectores valde rubrum facient ex maiore quantitate tincturæ: Respondemus enim cum Galeno ratione qualitatis colores intendi, sed tincturas differre à niue, & pice, quæ sunt similaria, tincturæ enim sunt dissimilares, similarium enim minima pars perinde ac infinita præ se fert eandem qualitatem, sic dicimus minimam niuis quantitatem tantam albedinem ostendere, ac infinita; proinde, cum in dissimilaribus qualitates sint dispersæ, tinctores toties tingunt, donec qualitas copiosè adhærescat, quia in maiori quanto dissimilari, qualitas maior est. Hinc est, quod sanguis, qui sua natura est dissimilaris, in maiori opaco erit intensior color: quare concludimus in valde rubro esse copiosius opacum nigrum videlicet terrestre, & melancholicum, quam in rubro minus inter so, & in pallido; sed cum triplex sit melancholia, fæx sanguinis, fæx sanguinis adusta, & bilis flaua exsiccata, & adusta; dicimus in valde rubro esse

Obiect.

Sol.

Quæ melancholia sit in valde rubris.

melancholiam, quæ est fæx sanguinis, cognoscimus verò hanc fæcem sanguineam aduri in iis, qui intensum ruborem habent in facie, si in mœrorem, & mœstitiam sunt propensi: Verum, qui exactè cupit scire, quisnam humor peccet, & prædominetur, adeat tres propositos fontes, colores scilicet, humores, & periodos: vel syndromem signorum sufficientissimam pro cognoscendis humoribus libro sequenti proponendam.

Obiect.

Neque iterum obiiciant, nos dixisse colores esse signa propria ostendentia peccantes humores, quod manifestè reluctatur Galeno, Aristoteli, & experientiæ: Galeno, quia 3. de sympt. causis cap. 4. dicit colorem aut parum, aut nihil conferre ad cognoscendum temperamentum: Aristoteli, quia secundo de anima non dixit colores oriri ex temperatura, sed ex opaco, & diaphano: experientiæ, quia inueniuntur frigida, quæ sunt nigra, vt opium; & frigida, quæ sunt alba, vt nix, & diaphana, quæ sunt calida, vt stibium, & elementum ignis; & diaphana, quæ sunt frigida, vt camphora, glacies, & crystallum; & alba, quæ sunt frigida, vt nix, & alba, quæ sunt calida, vt calx; quare, qui vellent ex coloribus rerum naturas, & temperaturas colligere; errarent toto cœlo. Occurrimus tamē nos non dixisse ex coloribus colligi posse naturam & temperaturam humorum peccantium, sed existentiam, & per consequens dominium; quod vero signa ostendentia naturam, & signa ostendentia existentiam inter se differant, & nihil habeant commune, declaremus exemplis: an-ne eclypsis est signum, quod terra sit interposita inter solem, & lunam; attamen eclypsis non declarat naturam, & essentiam terræ; Simili modo colores possunt ostendere humores existere, & dominari, quamuis non declarent naturam; quattuor enim sunt dumtaxat humores principales in corpore, quorum vnus est ruber, & hic est sanguis, & alij non dantur humores, qui rubrum colorem habeant; alius est flauus, & ex flauo colore necessario inferimus bilem; quia non datur in corpore alius humor flauitiem habens, qui non significet bilem, alius datur color albus, & ex hoc inferimus pituitam; & demum est niger, ex quo melancholiam, ecce igitur, quod signa existentiæ, & essentiæ valde differunt.

Experimenta ostendentia colores non prodire à primis qualitatibus.

Sol.

Vt errant Oribasius & Montanus, dum à coloribus Lumbricorum volunt dominium peccantium humorum colligere.

Cap. X.

ORIBASIVS, & inter recentiores Montanus non solum ab humorum coloribus dominium peccantium humorum indicari credebant, verum etiam à coloribus lumbricorum, quod nullo modo videtur esse admittendum; dicebant igitur rubros Lumbricos sanguinem, flauos bilem, albos pituitam, & nigros melancholiam indicare:

Moxque

Moxque à lumbricis flauis hauriebant indicationem euacuandi bilem, ex rubris sanguinem, ex albis pituitam, & ex nigris melancholiam, quæ opinio ob plurimas rationes argui potest.

Prima ratio est, quia, si fit mistura pituitæ cum bile æruginosa, anne ex omnium medicorum consensu generatur porracea bilis? at sic est, quod adueniente porracea statim color pituitæ, & bilis æruginosæ destruitur, ergo tanto magis destruetur color bilis, vel alterius humoris generantis Lumbricos, quoniam plures alterationes præcedere debent generationem insectorum viuentium, quam porraceæ bilis. *Prima ratio contra Oribasium, & Montanum.*

Secunda potest ab altioribus principiis desumi, quia apud Aristotelem admitti non potest, quod accidentia corrupti conseruentur in genito; est enim definita generatio primo libro de ortu, & interitu text.23. quod sit mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, quare non solum accidentia corrupti, verum etiam tota substantia mutatur, quia illud quod fit, fit ex eo, quod non est, quæ definitio æquè conuenit mistis viuentibus, & non viuentibus: Præterea experientia docet, dum homo fit ex semine, semen in aduentu formæ hominis vnà cum omnibus suis accidentibus destrui, idémque esse dicendum de plantis, de insectis, & cæteris omnibus viuentibus; & merito, quod iam destructa substantia, statim destruuntur & cessant omnia accidentia: Nec obiiciant colorem rubrum esse accidens commune, atque accidentia communia in generatione non destrui; quia, primo errarent, dum vellent ex communi signo colligere naturam specificam, quod reluctatur principiis analyticis. Secundò, quia dicit Auerroes, in generatione misti omnia accidentia communia, & propria rei corruptæ corrumpi, & cessare, alioquin, si aliquod seruaretur post destructas misti formas in aduentu nouæ formæ, sequeretur ex necessitate, quod præter materiam, & formam daretur aliud internum principium generationis, quia seruatum accidens non posset inhærere primæ materiæ, quæ ex Aristotele 7. meth. tex. 8. non est quid, nec quale, nec quantum, nec vllum aliorum generum, quinimmo si materia haberet accidens terminatum, per se esset forma, & terminata, & esset quid: Similiter non posset inhærere formæ, quia forma in generatione destruitur, ergo daretur tertium, quod reluctatur Aristoteli. *Secunda ratio.* *Obiect.* *Sol.*

Tertia, si aliquod accidens à forma humorum, qui debent corrumpi, & destrui, antequam lumbrici fiant, transiret ad insectum nouiter genitum, daretur transmigratio accidentis de subiecto in subiectum, quod est omnino impossibile. *Tertia ratio.*

Quarta si transiret aliquod accidens determinatum à re corrupta ad rem genitam, necessario in generatione duo inconuenientia sequerentur, quorum primum esset, quod in generatione misti perfecti non destruerentur omnes formæ componentium, quoniam accidens terminatum, quod transit, necessario supponere debet propriam formam; Secundum sequeretur, quod noua forma, quæ gignitur, nun- *Quarta ratio.*

quam esset substantia, sed accidens, quia adueniret rei formatæ; hinc Auerroes primo phys. com. 63. probat, quod omne aduenient enti in actu sit accidens, quare si ruber color sanguinis, antequam hoc insectum fiat, non cessat esse, sed transit à sanguine ad lumbricos, necessariò transit cum aliqua forma, quia non datur accidens terminatum, quod à forma non terminetur, quare his positis lumbricorum forma adueniet rei formatæ, & per consequens erit accidens, & non substantia, quod est falsum; nullum enim datur animal viuens, quod saltem duas non habeat formas substantiales, vegetatiuam scilicet, & sensitiuam.

Obiect. Neque obiiciant, destrui hominem, attamen seruari cicatricem: Similiter plantas mortuas, exsiccatasque odores suos conseruare, vt de rosis, & de aliis omnibus videmus: Similiter ne dicant de illis lumbricis, qui fiunt à sanguine, sanguinem nimirũ destrui, eius tamen colorem conseruari: *Sol.* Respondemus enim cicatricem, odorem rosarum, & cæterarum herbarum non esse accidentia mistorum, vt mista sunt, propterea cicatrix non homine ablato, sed misto corrupto tollitur; similiter de rosis dicendum: similique modo respondemus, quando fit insectum animal, tunc fieri nouum mistum, quia immediatè ab humoribus, qui sunt veluti elementa in animantibus, generantur, quare adueniente forma misti omnia accidentia humorum debent destrui.

Obiect. Neque iterum occurrant, scilicet lumbricos tàm prompte fieri, & per tam simplicem alterationem, vt colores humorum generantium vermes non sint adhuc rectè alterati, & mutati: Quia instantia nulla est, quoniam, si in mistura duorum humorum bilis nimirum æruginosæ, & pituitæ, illico mutantur colores, & viridis color statim emergit, *Sol.* quantò magis in mistione humorum generantium lumbricos mutabitur color? similiter, si quis vinum nigerrimum bibit, an-ne post horam vrina incipit moueri albissima?

Varia experimenta, quod colores non fiant à primis qualitatibus. Præterea non solum in mistione miscibilia amittere solent colores proprios, verum etiam in iuxtapositione, in qua nulla suboritur alteratio, colores abeunt, & euanescunt; liceatque experimentis hæc confirmare, sitque primum, accipiatur quoque aqua in qua ebullierint gallæ, quæ est clara, & perspicua, accipiatur quoque aqua in qua ebullierit calcanthum, vtramque videbis seorsum claram, & perspicuam, attamen, si vnam in alteram infundas, illico sine aliqua alteratione maxima cum admiratione videbis fieri colorem nigerrimum, similemque attramento scriptorio. Secundum experimentum, accipias aquam rosaceam stillatam per plumbeum alembicum, quæ sit perspicua, & clarissima, accipias deinde aquam communem, & has simul misceas, illico videbis ex illa mistione lacteum nasci colorem; quinimmo ex lacteo hoc colore animaduertimus alembico plumbeo fuisse stillatam rosaceam aquam, etenim cerusæ vis, quæ à plumbo producitur addita aqua communi con-

Secundũ experimentum. Modus cognoscendi aquam rosaceam esse plumbeo alẽbico stillatã

conspicitur: Tertium experimentum, quod mutentur colores in iuxtapositione sine alteratione, erit, si accipies acetum stillatum lympidum, & tartarum stillatum, quod erit quoque clarum, si infundes, & miscebis, protinus color suborietur similis lacti, idem obseruatur, si aqua fontis miscetur cum aqua anisorum stillata: postremò audias experimentum pulcherrimum, ex quo illico cognosces, colores mutari ex sola iuxtapositione sine vlla alteratione; accipias vitrum rubrum, & iuxta ponas cæruleo vitro, protinus videbis ex vtrisque vnitis emergere colorem veiolaceum: Similiter, si vnies vitrum cæruleum cum luteo, consurget statim viridis color; quare si in iuxtapositione mutantur colores, quanto magis in iis, quæ miscentur, & alterantur, & in generatione insectorum mutari debent, in quibus formæ substantiales nouæ fiunt? Alia quoque sunt experimenta plurima apud Pictores, & Infectores, quæ possent huc afferri, si hic esset locus de iis verba faciendi, satis enim est nobis, vt pro comperto habeamus, quod ea, quæ miscentur, & iuxtaponuntur, sine aliqua alteratione primarum qualitatum mutent colorem, & nouum induant, quoniam, hoc supposito, ruit sententia dicentium in Lumbricis ob perexiguam alterationem sanguinem, vel cæteros humores generantes vermes, non amisisse colores proprios: etenim argumentamur experimentis propositis suffulti tali pacto, si ex simplici vnione sine alteratione illico mutantur miscibilium colores, quanto magis in mistione humorum generantium insecta mutari debent? in qua mistione primò introducitur vita plantæ, deinde vita animalis, quod non potest fieri sine maxima alteratione, & mutatione colorum, & substantiæ humorum: Quibus positis fundamentis incipit clarè patere in omni mistione, & iuxtapositione illico mutari colores, neque in mutatione esse necessarium, vt concurrat aliqua alteratio, sicuti colligere possumus ab experimentis citatis: Similiter patere videtur, colores re vera non pendere à primis qualitatibus, tùm quia colores ex miscibilium non alteratorum vnione illico oriuntur, quod non accideret, si colores fierent virtute primarum qualitatum, quoniam primæ qualitates in tempore alterant, & mutant, & nequaquam in instanti, tum quia nulla coloris species indicat primam aliquam qualitatem: etenim si quis diceret, albedinem significare frigiditatem, quia nix est frigida, statim quis obiiceret, calcem significare caliditatem, si quis diceret nigredinem significare caliditate, quia atra bilis est huiusmodi, illico proponi posset opium, quod est nigrum, & frigidissimum, si quis colorem rubrum diceret significare calorem, non deerunt plurima rubra, quæ frigida sunt, & sic de aliis sexcentis, vt nullus color indicet aliquam primarum qualitatum. Quare, si rationibus, & experimentis standum est, dicere non possumus, colores insequi primas qualitates, sed alia sortiri principia, & exordia, quæ sunt illa duo à Perspectiuis rectè expensa, & considerata, scilicet diaphanum, & opacum. Quinimmo ipsemet philosophus videns ab opaco, & diaphano, sine alteratione primarum qualitatum fieri colores in definitione coloris proposita li-

Tertium experimentum.

Quartum experimentum.

Quintum experimentũ.

Opacum & diaphanum esse colorum principia.

bro de sens.& sensi.3. non per primas qualitates eos definit, sed per diaphanum,& opacum, dicens, color est extremitas perspicui in corpore terminato: ecce quod Aristoteles in hac definitione vniuersali vult omnium colorum principia esse perspicuum seu diaphanum, quod idem est,& corpus terminatum, quod est opacum habens perspicuitatem non penetrantem; neque poterat diuinus philosophus alia principia adinuenire quæ omnium colorum essent prima,& immediata, quam illa duo proposita, quoniam posito, quod perspicuum terminetur à diaphano, statim perspicuum in colorem migrat, & varij consurgunt colores, prout diaphanum illuminatum variis modis terminatur ab opaco: arbitror, plurimos peripateticos in colorum essentia perquirenda à veritate deflectere, quia pace multorum non intelligunt quid sit diaphanum, & quid opacum: quibus ignoratis colorum principiis non est mirum, si dicant essentiam colorum pendere à primis qualitatibus. Albertus dicit diaphanum siue perspicuum à raritate corporis constitui; opacum à densitate: Iacobus Zabarella libro 1. de visu cap.3. à corpore tenui fieri diaphanum, habet enim hęc verba, perspicuum quatenus est medium deferens colores ad visum à duobus his partibus constitui, à corpore tenui tamquam à materia, & à lumine tamquam à forma; quorum excellentium virorum sententiæ manifestissimè reluctantur experimentis; quis enim non videt cristallum, & adamantem esse densissima, & non rara, & tenuia, attamen esse transparentia, & diaphana, quinimmo si crystallum, vel adamans in tenuissimum puluerem redegeris, an-ne crystalli, seu adamantis substantia facta puluis tenuissimus erit rarior, & tenuior? ergo (si vera esset sententia Alberti, vel Zabarellæ, quod scilicet diaphanum constituatur à raritate, vel tenuitate materiæ) puluis crystalli esset transparentior, quod sensui aduersatur: Præterea aqua transparens, & splendida, si eo vsque agiteretur quousque spumescat, non-ne fit rarior? attamen perspicuitatem amittit: adhæc fumus est rarissimus, attamen est opacus, quare nec raritas, vel tenuitas corporum constituent diaphanum; neque densitas, & crassities opacum: Vera igitur est sententia Perspectiuorum, quod illud sit diaphanum, quod nullas, vel paucas habet superficies, vbi enim multæ sunt superficies, lumen in qualibet refrangitur, & refractum amittit vim penetrandi, hinc est quod per crystalli puluerem ob multitudinem, & varietatem superficierum granorum, radij toties refrangantur, vt nihil eorum penetrare possit, & inde fiat opacum: Similiter dum aqua agitata spumescit, ob spumam variæ fiunt superficies, vnde lumen non amplius tranat; hinc est, quod cum nodum asseris pauciores habeat superficies, quam asser, nodus quamuis densior, sit tamen peruius, & transparentior: Similiter qui volunt specula reddere perspicua, eò vsque perfricant, donec ad vnicam tersam superficiem reddant crystallum; itidem lapides tersi, & optime dedolati, & læuigati diaphanum quid tenere videntur, quia artifices ob iugem confricationem inæqualitates auferunt, & ad pauciores superficies reddunt, vnde lumen parum refran-

Error Alberti & Zabarellæ de natura diaphani.

Experimenta ostendentia diaphanum non fieri à raritate, vel tenuitate materiæ.

Quid sit diaphanum secundum perspectiuos.

refrangitur, & potentius tranat; quinimmo, si lapidum innumerabiles internæ superficies possent confricari, & ad pauciores reduci, possent componi lapides transparentes, sicuti vitra, quæ re vera dum funduntur repurgantur, & aliena substantia demitur, quæ plures superficies faciebat, dempta igitur aliena substantia à vitro. deinde fit splendidius, quia ad pauciores redactum est superficies: Quocirca si colores sunt extremitates perspicui in corpore terminato, & totum suum esse prodeant ab opaco, & perspicuo, & opacum non fiat à crassitie, & densitate, sed ab innumerabilibus superficiebus, in quibus refranguntur radij, donec penetrandi facultatem amittant, & diaphanum, vel transparens corpus sit peruium hac de causa, quia radij, vel nihil, vel parum refranguntur ob paucas superficies: nemo dicere poterit colores indicare primas qualitates, indicare temperaturas, & tandem prodire à primis qualitatibus, quia si ab illis prodirent, illas quoque indicarent: Similiter, qui rationibus, & experimentis philosophantur, non poterunt defendere cum Auerroe 2. de anima, & cæteris Peripateticis dari colores, qui habeant suum esse, antequam adueniat lumen, quoniam si color vt color recipit hanc definitionem (vt dicit Aristoteles) quod sit extremitas perspicui in corpore terminato, & non detur perspicuum, vel diaphanum, quod idem est, nisi lumen aliquod transeat, refrangaturque ab opaco, numquid non esset ridiculum dicere absente lumine aliquod esse perspicuum? quare si perspicuum ingreditur definitionem coloris, vt color est; in obscuro, & sine lumine colores nullum esse, nullamque quidditatem habebunt; erit igitur vera sententia illorum, qui dicunt ex diaphano illuminato, & terminato ab opaco oriri colores, sicut Auempaces ex Auerroe citatus 2. de anima, & Alhazen optime sentiunt, dicunt enim quod colores sunt lumina vario modo refracta, & colores nullum esse in tenebris habere, & omnes esse huiusmodi, quia vnicus effectus ab vnica tantum causa prodit, quando vnica definitione traditur: dicendum igitur est cæruleum colorem lapidis lazuli, & cæruleum Iridis ab eadem causa prodire, idemque de aliis coloribus: sed quia de hac re hic non est locus, vlterius non prouehar, ne in alienas messes videar ponere falces, satis mihi sit in hoc capite ostendisse, quod illi, qui dicunt colores lumbricorum ostendere dominium humorum, reluctentur experientiæ; & Aristotelis fundamentis, dum tradit, quæ ad naturam generationis pertinent, & demum naturæ propriæ coloris declaratæ.

Cur colores non fiant à primis qualitatibus.

Errat Auerr. dum dicit dari colores antequam adueniat lumen.

Quid sit color.

Vt errant, qui reÿciunt Oribasium, & Montanum dicentes ex bile, & melancholia gigni posse lumbricos.

CAP. XI.

QVAMVIS superius diximus colorem flauum lumbricorum non indicare bilem, nec nigrum melancholiam; nihilominus credimus cum Oribasio 3. aphorismorum 30. & Montano, lumbricos fieri posse à bile, à melancholia, & à cæteris corporis excrementis: quia, quando Aristoteles 5. de generatione animalium cap. 19. loquẽs de iis, quæ oriuntur à putredine dicit, aliqua ex animalium excrementis oriri, atque hæc ipsa ἕλμινθας seu lumbricos esse, loquitur absolutè, de omnibus scilicet excrementis, non magis intelligendo de pituita, quam de aliis, quamuis natura promptius à pituita, quam à bile, & melancholia vermes educat: Qui igitur reiiciunt Oribasium, inter quos quoque fuit doctissimus Mercurialis, vtuntur tali argumento, si insecta fierent ex bile, & melancholia, sequeretur, quod bile, & melancholia possent nutriri iuxta Aristotelem 2. de gen. text. 50. dicentem, omnia nutriri ex eisdem, ex quibus sunt, at illis ob amaritiem, & acrimoniam non possunt nutriri, ergo illis quoque non poterunt constare: roborat argumentum auctoritate Galen. 4. de simp. med. fac. vbi scribit, in mari mortuo, in quod flumen Iordanis recipitur, nullum animal generari, vel conseruari propter bitumen, quo aqua illa redditur amarissima: Confirmant quoque, quia Paulus Ægineta libro 4. cap. 27 dicit, hæc insecta non posse gigni ex humoribus vllis calidis: addunt ex Galeno 3. aphorismorum 26. lumbricos fieri ex humoribus crudis, quare inferũt ex bile, & melancholia vermes non fieri.

Argumentũ Mercurialis, contra Oribasium.

Quo ad argumentum admittimus Aristotelis sententiam citatam 2. de gen. text. 50. asserimus tamen in omni humore putrido, & amaro aliquid dulcis inueniri, quo fieri, & nutriri possent vermes, quoniam omnis humor putridus duo habet, humorem coctum, qui est causa materialis, & spiritus acres, & fermento similes, à quibus vt à causa efficiente, totus humor coquitur, & fit dulcis, & suauis, & ex quo immediatè, vt à causa materiali generatur animal: Hinc solertissimus philosophus 3. de gen. anim. c. 11. loquens de iis, quæ fiunt ex putri dicit, cum enim dulce in principium constituendum secernitur, & quod superest talem accipit formam, nihil autem gignitur putrescens, sed concoctum, putredo verò, & putridum rei concoctæ est excrementum, quare materia proxima vermium, vel eorum, quæ generantur ex putri non est putrida, quia fiunt ex eo, quod coctum est, & quod est dulce; quæ cum ita sint, dicere quoque possumus ex bile, vel melancholia putrescente fieri posse lumbricos, quando ab iis humoribus secernitur aliquid dulcis apti generationi, & nutritioni vermium.

Vt reÿcitur Mercurialis argumentũ.

Dum

Dum dicunt, de mari mortuo, quod ob amaritiem non generentur animalia: Respondemus, ibi non gigni animalia ex putredine, quoniam bitumen reluctatur putredini, namque sine putredine non potest crudum coqui, & reddi dulce, & aptum generationi, & nutritioni: Dum roborant sententiam auctoritate Galen. dicentis ex crudis humoribus gigni vermes, & Pauli Æginetæ, quod ex calidis non fiant vermes, nobis non reluctantur, quoniam omnia concedimus, scilicet ex crudis humoribus fieri vermes, quatenus putrescunt, & ex calidis non fieri, quia causa materialis animalium generatorum ex putri est suauissimum, dulcissimum, & temperatissimum, causa verò efficiens est calida, & acerrima; dum Paulus Ægineta dixit ex calidis non fieri, intellexit de causa materiali, non de efficiente, quia Galen. 3. aphor. 26. clarissimè dicit ad generandos vermes putredinem, & plurimum calorem requiri.

Confirmatur experimentis Alchimistarum, quod in omni re amarissima, salsissima, & bituminosa sit aliquid dulcis, quoniam per sublimationem à calidis omnibus, vt à sale, ab aromatis virtute ignis aliquid dulcis colligere possunt, quod est naturæ amicum, ex quo animalia, quæ ex putri fiunt gigni, & nutriri possunt; quare quanto magis à biliosis, & melancholicis humoribus putrescentibus natura virtute plurimi caloris seliget dulce, & amicum animantibus? quæ gubernantur facultatibus, quæ attrahunt dulce & expellunt amarum, vt hinc in mari generentur pisces dulcissimæ carnis, quia facultates naturales attrahunt, quod est dulce, & expellunt amarum, quod est naturæ animantium inimicum. *Confirmatur experientia in omni amaro esse aliquid dulcis.*

Hinc obiter animaduerti potest illorum error, dum pro necandis lumbricis vtuntur odore Theriacæ, vel leuissimis quibusdam remedi s, quæ diminutam habent virtutem necandi, illosque occidendi, quoniam vermes sua expultrice facultate leuia amara, & alia leuiora expellunt; hoc enim obseruamus, dum pueri tentantur lumbricis, & diarrhœa biliosissima, bilis enim sua natura amara eos non occidit; quare nisi in lumbricis necandis ad valida præsidia confugiamus, vt ad aloem non lotam, vel ad mercurij scrupulum cum aloes, & terebentinæ pauxillo ad pillulæ perexiguæ formam recepti, nihil fit. *Vt errāt, qui leuissimis remedijs vtuntur pro lumbricis necandis.* *Potentissima remedia pro necandis lumbricis.*

Præterea vellem, vt mihi diceret aduersarius, cur lumbrici, sicut dicit Hippocrates 3. aphorismorum 26. in lactentibus pueris non generantur? Si Galeno credendum est, dicit in com. quod sola hæc putredo in pueris non est sufficiens ad generandum, sed & calore plurimo indiget, ecce quod, quæ plurimum habent calorem, vt bilis, & melancholia, non possunt impedire, quin lumbrici, & ascarides ab ea generentur: causa vero, cur in lactentibus non gignantur vermes, est lactis maxima dulcedo, quæ adeo obtundit acrimoniam putredinis, vt non possit educere de potentia ad actum lumbricos. Hinc est, quod pueri, qui pubertati sunt proximi, præcipuè lumbricis tentantur, incipit enim calor ex humido putrefacto gignere vermes, si dulcia, vt lac, carnes multas, & alia humida ædulia comedunt, & præcipuè si *Cur in lactētib non generentur vermes.*

Ex pane albissimo lumbricos facile gigni.

Vt errat quidam dicens ex omni dulci gigni vermes.

soliti sunt comedere panem triticeum albissimum; dicit enim Galenus de morb.vulg.com.7.text.7. lumbricos ab hoc pane fieri; propterea panis laudatur, qui cum pauco furfure est confectus, quoniam hic abstergit, & occasionem gignendi lumbricos aufert; quinimmo omnia detersoria, quamuis sint dulcia, vermibus erunt inimica: Hic non possum committere, quin reiiciam erratum cuiusdam nostratis, qui mihi præscribenti decoctum ficuum pro puero variolis affecto, vt materiam truderem ad cutim remedium exprobrauit, dicens dulcia gignere lumbricos, credens omnia dulcia gignere posse vermes, quod est à ratione alienum, quoniam dulcia detersoria, vt sunt ficci, cassia, liquiritia, & alia id genus, quæ incidendi & detergendi virtutem habent potius prohibent, ne gignantur, dulcia verò apta generationi lumbricorum sunt alterius generis, vt butirum, lac, carnes, fructus, panis albus, quæ omnia vim incidendi, & abstergendi non habent: hinc Galen. 7. in 6. de morb. vulg. tex. 7. dicit à leguminibus, & ab oleribus, & à crudo succo debent pueri abstinere; quia hæc apta sunt generationi lumbricorum.

Vt errant, qui ex lingua ægrotantium semper profitentur colligere prædominantes humores.

Capvt XII.

NOn desunt Medici credentes ex aliis fontibus, & præcipuè ex lingua ægrotantium colligi posse peccantium humorum dominium, eò magis, cum Galenus quinto in 6. de morb. vulg. text. 14. de lingua habeat hæc verba: linguam non secus quam vrinam indicare, quænam sit affectio in humoribus: cui difficultati occurrimus, quia, quæ ex lingua certò colliguntur prodeunt à sapore humorum linguæ hærentium, vel à colore humorum linguam tingentium, quare, si lingua ex aliis causis maculatur, & alteratur, dicimus nos ex signis linguæ non posse semper aliquid certi colligere de internis humoribus prædominantibus: Hinc, qui inferunt hanc consequentiam, lingua est aspera, nigra, & sicca, ergo humores peccantes sunt calidi, & ferventes, valdè errant, quia consequentia non est de omni & per se, cum multi sint, qui habeant glabram, & siccam linguam non ob bilem peccantem, sed ob alias causas; etenim non vno in loco à Galeno, & Hippocrate relatum est, linguas asperas, & siccas reddi in illis, qui tenent os apertum, quia aer absumit linguæ madorem, similiter asperam reddi, dum catarrhus stillat à capite, & hæret linguæ; ad hæc aliquando nos videre in hypocondriacis sine febre linguam reddi adeo asperam, & siccam, vt corij specimen æmulari videatur, & demum talem reddi ob immoderatam caliditatem peccantium humorum; quare dum volumus accuratè constituere aliquod decretum, & rectissimè examinare, & philosophari, nisi id ope logicæ fiat, necessario confusè

Vt errant, qui ex glabra lingua inferunt feruentes humores.

agimus:

agimus: pro qua re audias Galenum 1. de elementis, neminem vn- «
quam posse decretum aliquod accuratè constituere absque ope ipsius «
logicæ disciplinæ, quocirca licet Galenus dixerit linguam non secus, ac vrinam indicare humorum affectionem; nihilominus est distinguendum, quando vrina ostendit affectionem humorum, & quando non ostendit, & quando lingua sit læsa, quia os fuerit apertum, vel ob alias causas; proponendæque sunt omnes causæ illius effectus, & eligendę, quæ sunt per se, alioquin in tam prolixo Galeni colloquio tot verba, & sententias possemus inuenire, vt iis sine methodo logica acceptis, omnem inanitatem defendere possemus; quinimmo nulla esset tam mala opinio, quæ non posset aliqua apparente Galeni auctoritate defendi, & roborari. Sed redeamus vnde digressi sumus scilicet ad linguam glabram, asperam, nigram, & siccam, ostendamusque non supponere in humoribus summum ardorem, audias Auicennam lib. 1. de hac re loquentem, & quandoque denigratur lingua ex duritie «
splenis, quæ durities aliquando est cum febre; aliquando sine febre, «
ergo non semper nigra lingua, glabra, & sicca ostendet humores æruginosos, & feruentissimos: Præterea Auicennas libro 1. fen. 1. doct. 3. cap. 3. dicit, cognoscere ex colore linguæ complessionem stomachi, & intestinorum, est difficile, quare si est difficile ex colore linguæ cognoscere quæ sunt in ventriculo, quanto difficilius erit cognoscere humores peccãtes in venis, & in aliis partibus? Ex traditis ergo patet nos *Epilogus.*
posse ex saporibus tamquam ex signis propriis colligere humores peccantes: deinde ex coloribus, sed non partium affectarum, sed excretorum, & demum ex periodis colligere, quinam sint humores peccantes, & prædominantes in humanis corporibus: patet similiter nos non semper ex vrina certa, & infallibili scientia posse perquirere peccantes humores neque ex pulsibus, nisi per coniecturam, & per accidens, & demum ostendimus solum ex coloribus excretorum humorum, & nequaquam partium affectarum, & lumbricorum nos ad cognitionem humorum peruenire, & de natura colorum secundum sententias Opticorum peregrinus, vt nonnullorum errata clariora, & patentiora fierent, & methodus melius eluceret.

Finis Quinti Libri.

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in Humoribus peccantibus per signorum communium syndromem perquirendis.

Liber Sextus.

Declaratur præstantissima illa Methodus, quæ per syndromem signorum communium conuertibilem aperit latentes humores peccantes.

Caput I.

Ostendimus superius nullam viam dari, qua melius perquiri possint famosæ peccantium humorum differentiæ, quam illa, quæ progreditur per signa consequentia, quæ sunt conuertibilia: verum, quia horum signorum aliqua sunt propria, de quibus in superiori libro actum est: aliqua verò communia, sed per syndromem collecta, quousque conuertantur, declaréntque humores in imis corporis partibus existentes: propterea in hoc libro de hac syndrome signorum communium pro virili nostro agere conabimur. Occasio verò huius inquisitionis est, quia, dum humores insident penitissimas corporis partes, nos re vera non possumus semper per sapores, vel colores eos cognoscere, quinimmo neque per periodos, quoniam accidere

Cur periodi non possint semper obseruari.

dere poteſt, vt periodi occultentur, vel ob diuerſam humorum mi-ſturam,& farraginem, vel quia à medicis, qui perpetuò non aſſiſtunt ægrotantibus, non poſſint animaduerti: Quocirca, cum propria aliquando maneant adumbrata, & quodammodo caligine obuallata, expedit aliquam Methodum perquirere, quæ omni tempore,& in omni ægrotante poſſit nos docere occultos humores peccantes: Hæc Methodus erit, quam philoſophus 2.poſt. circa finem docet, ſcilicet quo pacto ex ſyndrome ſignorum communium aliquod immanifeſtum,& carens proprio ſigno, cognoſcatur: hæcque eſt illa, qua vtitur quoque Galenus in arte Medicinali, dum per ſyndromem multorum ſignorum communium perquirit viſcerum temperaturas, hacque nos æmulantes diuinos viros in 1. libro ad cognoſcendas affectuum occultas ideas, vſi fuimus, & in hoc loco vtemur ad cognoſcendos inter nos humores prædominantes.

Verum, cum ſigna cuiuſlibet rei ſint propemodum infinita, illa tantum, cæteris omnibus prætermiſſis, hanc demonſtratiuam ſyndromem ingredi debent, quæ ex antecedentibus, & conſequentibus neceſſariis colligi poſſunt; quia hæc ſolum vicem propriorum ſubeunt, & certiſſimam cognitionem humorum peccantium afferre poſſunt: antecedentia verò neceſſaria, quæ habent hanc prærogatiuam docendi occultos humores, ſunt haurienda à duobus fontibus, qui nece ario antecedunt generationem humorum; conſequentia verò à quatuor, per hypotheſim, an-ne humores, antequam æruginem, vel porraceum colorem acquirant, fiunt tales à viſceribus tali modo diſpoſitis? an-ne quoque viſcera diſponuntur ab vſu rerum non naturalium? Quod cum ita re vera ſit, ſequitur, quod omnia antecedentia ad duos fontes reducantur: vt primus comprehendat omnes res non naturales diſponentes viſcera: Secundus verò omnes viſcerum diſpoſitiones, quarum merito gignuntur humores peccantes; at quia genitis humoribus peccantibus ab iis antecedentibus, & externis cauſis procatarcticis neceſſario conſurgunt morbi, & à morbis prodeunt ſymptomata, quapropter dicimus tertium fontem ſignorum eſſe à morbis colligendum: quartum à ſymptomatibus, quia morbi,& ſymptomata neceſſario inſequũtur ſuas cauſas. At quoniam humores peccantes, pro vt in diuerſis reſident partibus, varios efficiunt morbos, & varia ſymptomata pro diuerſitate locorum affectorum, propterea oritur quintus fons, qui eſt de locis affectis; bilis enim ſi eſt in corde facit ſyncopem, eadem ſi in cerebro, phreneſim; ſi in venis, ardentem febrem ſi extra venas, intermittentem; ſi in pulmone, peripneumoniam; ſi in toto, facit morbum regium, ſi in parte, eryſipelas. Melancholia ſi eſt in corde faciat palpitationem, ſi in corporis ſuperficie impetigines, & phagædenas; ſi in toto melancholia aduſta redundat, excitatur elephanticus affectus, ſi in parte, cancer; audiaſque de hac re Galenum 3.de ſympt. cauſis cap. 2. amara bilis ſi peccat in toto facit morbum regium, ſi in parte eryſipelata, ſi melancholia aduſta redundat in toto, elephantiaſim, ſi in parte, cancrum facit. Si-

Signa humorum communia, quæ vicē propriorum ſubire poſſint à quibus fontib. hauriantur.

militer pituita in capite existens apoplexiam facere potest; eadem in pectore asthma, & sic de aliis infinitis dici posset affectibus, quippe ob partium affectarum varietatem varij atque diuersi fiunt ad instar Prothei, qui semper idem manens, variis atque diuersis formis indutus, varius, & multiplex esse videtur: Postremò nos ex iuuantibus, & lædentibus necessario aliquando colligimus peccantes humores, quia, si iuuant calida, inferimus humores peccantes fuisse frigidos, & versa vice. Patet ergo sex esse fontes signorum communium necessarios, sed vt sciamus fructus, & vtilitates, quæ colligi possint ex iis fontibus; singillatim omnes sunt examinandi.

Humores ad instar Prothei indui varijs affectibus.

Primus fons continebit omnes res non naturales, quæ omnes à Galeno 5. de tuenda sanit. cap. 10. ad quattuor capita referuntur, dicitque primum continere omnia, quæ assumuntur. Secundum, quæ fiunt animo, vel corpore. Tertium, quæ excernuntur, & retinentur. Quartum, quæ foris adhibentur. In quibus capitibus (vt alibi ostendimus) plura continentur, quam in illis sex rebus non naturalibus in scholis citatis. Vt igitur aliquem fructum ex hoc primo fonte colligamus, expedit philosophari, & videre quæ res non naturales viscera ad calidorum, & quæ ad frigidorum humorum generationem disponant. Sed, quia à Galeno hæc omnia colligi possunt, ad illum confugiamus, & in eius auctoritate conquiescamus: dicit igitur libro de causis morb. cap. 2. loquendo de causis caloris, quod omnes causæ caloris ad quinque, & non plura capita reducuntur, scilicet ad motum, ad vicinitatem corporis calidi, ad alimentum, ad putredinem, & denique ad stipationem: statim loquentes de procatarcticis calidis colligimus tria ex iis pertinere ad res non naturales disponentes corpora ad bilem, motum nimirum, vicinitatem, & alimentum, quia stipatio, & putredo, ad affectus præter naturam pertinent: Ex iis inferimus, si causa non naturales efficere debent humores calidos, nullo alio modo posse operari, nisi motu, vel vicinitate corporis calidi, vel alimento, quia Galenus alios calefaciendi modos inuenire non potuit; ad hæc tria igitur omnes res non naturales disponentes viscera ad generandos humores biliosos, & adustos reducuntur: Ad motum referuntur vigiliæ, coitus, exercitia, & omnes passiones animi, dicimus, quod omnes animi passiones calefaciunt, ne credant solum iram suscitare, & intendere calorem, quia Galenus multis in locis testatur, non solum iram ratione motus calfacere, verum etiam mœrorem, & mæstitiam, & præcipuè 1. de differentiis feb. cap. 3. dum habet
" hæc verba, ob iram aliquando calefit spiritus, & aliquando sanguinis
" substantia, vnde oritur febris, dicimus igitur hanc febrem ab ira fa-
" ctam habere originem à motu, atque feruore natiuæ caliditatis; Quæ
" autem ex tristitia fit, ex solo motu, non autem ex feruore generatur;
ecce igitur, quod omnes animi passiones calefaciunt ob motum spirituum, quia vel concentrantur, vel feruescunt, vel cum impetu diffunduntur. Ad vicinitatem, vel adhæsum (quod idem est) corporis calidi reducuntur aer, vnguenta, & omnia externa, quæ habent virtutem

Quæ cõtinentur in primo fonte pro cognoscendis humoribus peccantibus.

Quæ res non naturales disponãt viscera ad generationem bilis.

Quæ res non naturales ratione motus calfaciant.

tem calefaciendi. Ad alimentum vero cibus, & potus.

Similiter ex Galeno cap.3. de causis morb. colligimus, quibus, & quot modis res non naturales disponent corpora ad generationem humorum frigidorum: refertque sex esse causas extinctionis caloris, adhæsum rerum frigidarum, alimentum, stipationem, rarefactionem, ocium, & motum immodicum: ex quibus eligimus quattuor, quæ pertinent ad res non naturales disponentes viscera, vt generent humores frigidos, adhæsum nimirum, alimentum, quietem, & motum immodicum; stipatio enim, & rarefactio ad constitutiones præter naturam pertinent. Ad rei frigidæ adhæsum aer, aqua, vnguenta, frigida, & alia topica id genus innumerabilia reducuntur. Ad alimentum cibus frigidus, aquæ potio, & cibi quantitas nimia; ad quietem, nimius somnus, & ocium, nimiaque coitus abstinentia, quæ (vt obiter hoc quoque dicamus) ex Galeno 6. de loc. aff. 5. præter alia mala inducit torporem, & reddit coctionem diminutam. Ad motum immodicum referri possunt nimius coitus, nimiæ vigiliæ, nimium exercitiũ, & immoderatæ animi passiones, quæ omnia immoderata non per se, sed per accidens refrigerant, quatenus scilicet resoluunt calorem, quo resoluto, necessario frigidi gignuntur humores. Ex iis ergo colligemus modos, quibus res non naturales disponunt corpora ad generationem peccantium humorum, esse quattuor tantum, suntque adhæsus; motus; alimentum; & quies.

Quæ res non naturales disponant corpora ad generationem humorum frigidorum.

Abstinentia coitus inducit torporem, & coctionem diminutam.

Sed, vt ex hoc fonte colligamus aliquem fructum in cognoscendis peccantibus humoribus semper est distinctio hæc animaduertenda, & ante oculos proponenda, an scilicet res non naturalis operetur per se, vel per accidens, & ratio est, quia motus, adhæsus, & alimentum per se disponũt corpora ad generationem humorum calidorum, per accidens verò ad generationem frigidorum; etenim videmus per experientiam, nimium motum resoluere calorem, & inde viscera eo priuata humores frigidos gignere: Similiter videmus adhæsum calidissimum resoluere, & resoluto calore, frigidos à visceribus fieri humores: ad eundem modum videmus alimenta calidissima, qualia sunt aromatis confecta, & vina potentissima, si calorem resoluunt, affectus efficere frigidos; vel si nimia quantitate hauriantur, suffocare, & inde paralysim, & sexcentos frigidos affectus molliri posse. Ingruit igitur necessitas, si volumus aliquod signum à rebus non naturalibus colligere, quod vnitum cum aliis possit indicare humorum dominium, vt nos examinemus prius, an dispositio viscerum sit introducta à motu, vel ab alimento, vel ab adhæsu per se, vel per accidens; quia hoc non præcognito esset impossibile aliquid certi ex hoc fonte colligere: Demum est quies, vel ocium, quod si nimium est, semper suffocat, & per consequens ad frigidos humores generandos corpus disponit. Si verò quies est moderata per se iuuat, & disponit viscera potius ad calidos, sed temperatos humores. Isti igitur sunt modi quibus externa procatarctica agunt, quæ si, vt posuimus, considerabuntur, illa ab hoc fonte colligemus signa, quæ cum aliis ab aliis fontibus hau-

Singularis distinctio aduertenda in cognoscendis procatarcticis.

Exemplum admonens quando per se & quando per accidens aduersus operatur.

riendis coniuncta necessario aperire poterunt humores peccantes alioquin occultos. Afferatur exemplum, præcessit aer æstiuus, quod signum pertinet ad adhæsum corporis calidi, tunc illico expendere opus est, an illa aeris caliditas fuerit talis, quæ potuerit resoluere, nec ne, quia ex resolutione caloris viscerum colligemus frigidos, ex colore non resoluto calidos. Idem examen faciendum est in iis, quæ pertinent ad motum, scilicet an coitus, animi passiones, vigiliæ, exercitium fuerint in excessu, quoniam ad frigidos tunc disponerent viscera. Similiter quæ ad alimentum, an fuerit calidum in excessu, vel copiosissimum, quia calidum in excessu resoluit, copiosissimum suffocat: omnia enim capita sunt examinanda, quia quanto ex vno fonte plura haurientur signa idem ostendentia, tanto magis demonstratiuam syndromem colligemus.

Signa, quæ in secundo fonte continentur pro cognoscendis humoribus peccantibus.

Secundus fons continebit omnes patientis corporis dispositiones sine quibus, vt optimè dicit Galenus lib. de causis morb. cap. 2. nec gladius abscindere, nec ignis comburere posset, de quo vberrimè egimus lib. 1. cap. 21. diximusque nullam esse causam non naturalem, quæ tantum possit, vt sine dispositione subiecti suam intromittat ideam: res quoque experimentis redditur manifestissima, quia sæpè vidimus in æstate aliquos repleri vino maluatico, attamen calore non vexari, aliquosque ob maluatici ciathum in ardentissimas febres prolabi, caloréque exuri, & tandem è viuis decedere: quare præstat, vt lectores promptè dispositiones corporum sanorum præsciant, quia illis animaduersis facilè poterunt cognoscere non solum quibus humoribus premantur ęgrotantes, verum etiam in quas humorum proluuies corpora sanorum hominum sint prona atque propensa. Signa igitur erunt desumenda in hoc fonte, vel ab antecedentibus, vel à consequentibus.

Quæ sint antecedentes dispositiones corporum.

Antecedentium dispositionum quinque constituuntur capita in quæ illico oculos coniicere debemus. Primum caput continebit dispositiones hæreditarias, quare in examine dispositionum viscerum ægrotantium primo est considerandum à quibus parentibus æger ortus sit, quoniam si parentes fuerint biliosi (nisi aliquod signum ægrotantis ab aliis fontibus depromptum obstiterit) dicemus in filio peccare bilem. In secundo capite expendemus ætatem, dicimus enim, senes esse refertos frigidis humoribus, iuuenes calidis. In tertio considerandum est, an æger sit debilis, vel fortis, quoniam ex debili pituitosos & crassos, ex forti calidos, & tenues humores colligemus. In quarto expendimus corporis proprium habitum, an sit macilentus, & gracilis, quia inde calidos, & an sit obæsus, quia inde frigidos humores dominari dicemus. In quinto & vltimo, quod est summi momenti, inquirimus, an sit intermissa aliqua euacuatio, quia si fuerit intermissa bilis, colligemus bilem peccare, si melancholia, quæ per secessum, vel hæmorrhoidas euacuabatur, erit suppressa, melancholiam, si pituitæ, pituitam dominari iudicabimus. Hæc sunt quinque loca seu

capita.

capita ante oculos obiicienda, quæ valdè conferre poterunt ad cognoſcendas viſcerum diſpoſitiones.

Subſequentes verò diſpoſitiones, vel diſpoſitionum ſubſequentia ſigna in quatuor capita diuiduntur generaliſſima, quoniam diſpoſitionum ſigna colliguntur ab actionibus animalibus, vel vitalibus, vel naturalibus, vel ab excrementis. Quantum attinet ad actiones animales, ſi æger ſua natura eſt vigil, mutabilis in ſententia, ingenio celeri, in motu agilis, inediæ deditus, & ſæpè in ſomniis ei arma, vel alia iram mouentia occurrant, erit bilioſus. Si verò erit diſcurſu tardo, attamen in re apprehenſa firmus, ſomnumque habeat longum, non facilè ſitiat, neque abhorreat cibum, cibus tamen ſit moleſtus, dum à ſomno excitatur, indicabitur pituitæ dominium. Si verò erit ingenioſus, aſtutus, & cautus, melancholia dominabitur. *Quæ ſint ſubſequentia ſigna oſtendentia diſpoſitionem corporis.*

Quantum attinet ad actiones vitales, ſi pulſus erunt ſua natura veloces, hiique in venerem ſint furioſi, ſed μετανοντικοί, bilis prædominabitur, ſi vero pulſus ſunt tardi, & molles, pituitam colligemus. Quo ad naturales functiones pertinet, ſi cibus in ventre numquam eſt moleſtus, ſignum eſt bilis, contrarium dicimus indicare pituitam: Ab excrementis quoque plurima ſigna colligimus in cognoſcendis viſcerum diſpoſitionibus. Hinc dicimus, ſi homines carent ſua natura ſaliua, vel in auribus excrementa citrina colligant, indicari bilem, & contrarium oſtendere pituitam: verum paulo infra, dum de quolibet humore peccante agemus, declarabimus differentias humorum, & hauriemus à propriis fontibus ſigna magis particularia, quæ firmiorem adhuc præſtabunt cognitionem.

Tertius fons continet morbos, à quibus ſæpiſſimè humorem peccantem cognoſcimus, quod exemplis variis declaratur: an-ne à quartana humorem melancholicum dominari colligimus? à tertiana bilioſum? à quotidiana pituitoſum? an-ne eryſipelas, & phreneſis oſtendunt bilem peccare? hydropiſis pituitam? & ſanguinis plethora melancholiam? tertio enim de morb. vulg. 3. tex. 7. dicit Galen. ſi aliquis nimia quantitate ſanguinis vexaretur, fæcem eſſe melancholicam, quia in multo ſanguine eſt multa fæx, vnde ſymptomata melancholica prodeunt: Similiter ex aliis plurimis morbis colligi poteſt humor peccans. *Signa tertij fontis pro cognoſcendis humoribus.* ‹‹ ‹‹

Quartus fons continet ſymptomata, quæ ſunt excreta, qualitates mutatæ, & actiones læſæ: ſi de excretis loquimur, plura ſunt exempla, quæ per vrinam, per ſudores, per vomitum, & per alias partes oſtendunt humorum prædominium; namque ab vrina colligimus humores, quia ſi apparet multum ſedimentum in vrina alba, ſtatim pituitam peccare dicimus: A ſudoribus, quia ſi corpus ſæpè madore diffluit, tunc pituitam peccare dicimus. A ſudoribus, quia ſi corpus ſæpè maiore diffluit, tunc pituitam exundare putamus. A vomitu ſi excernitur bilis, ſtatim dicimus bilem peccare: Neque obiiciant, ſi ex ſymptomatibus certò colligimus peccantem humorem nos non indigere cæteris fontibus: quia reſpondemus hæc ſigna ſumpta tantum *Vt ab excretis cognoſcitur humor peccans.* *Obiect.* *Sol.*

à symptomatibus non esse æternæ veritatis, quia symptomata per se morbum sequuntur, per accidens humores; hinc contingit aliquando euomi bilem; attamen humorem redundantem in corpore esse pituitam, vt doctissimè Galenus in historia Cleonactidis 1. de morb. vulg. 3. com. 23. obseruat, ibi enim legitur, Cleonactidem per vomitum eiecisse bilem æruginosam: attamen ex syndrome aliorum signorum Galenus colligebat humorem redundantem esse pituitam: Syndromes, quæ docebat in Cleonactide humorem frigidum dominari, quamuis euomuerit æruginosa, erat tribus signis confecta, quorum primum erat non abhorrere cibum. Secundum non sitire: tertium non esse insomnem, dixitque hanc syndromem tantum posse, vt magis ostendat in corpore esse dominium pituitæ, quam æruginosa, dominium bilis. Si vero de qualitatibus mutatis loquimur, dicimus corpus albi coloris, & tactu frigidum pituitæ dominium indicare. Si flaui coloris, & corpus tactu calidum sit, bilis redundantiam: si demum de actionibus læsis loquimur, si naturalis actio est diminuta, & præcipuè alteratrix, tunc dicimus dominari pituitam: si corrupta, bilem si fame non naturali æger irritatur, dicimus melancholiam redundare, si sensus sunt obtusi, & mens hebes, pituitam indicari, si insomnis erit, bilem sæuire: hæcque dicimus summam vim in indicando habere, si cæterorum fontium signa iis consentire videbimus.

Vt à qualitatibus mutatis, & actionibus læsis colligitur bilis.

Vt à locis affectis colliguntur humores peccantes.

Quintus fons continebit locos affectos, qui nobis quoque manifestare possunt humores peccantes: partes enim affectæ, vel sunt aliquomodo manifestæ, vel occultæ: inter manifestas sunt membranæ, glandulæ, & aliæ partes: Scimus enim membranas læsas indicare bilem: quoniam apud Hippocratem, & Galenum videtur valere hæc consequentia; est pleuriticus, ergo bilis peccat, quia alij humores membranarum densitatem non peruadunt, nisi biliosi; idcirco Hippocrates 6. aphorismorum 33. habet, qui acidum eructant, non fiunt pleuritici; quia, qui acidum eructant sunt pituitosi, vel melancholici, qui humores non possunt subtiles poros membranæ penetrare, & per consequens excitare inflammationem pleuræ: Similiter, si glandulæ sunt læsæ, dicimus peccare pituitam: Similiter, vt plurimum læsus ventriculus, pulmo, & cerebrum ostendunt dominari pituitam. Demum, si hypocondria sunt longo temporis tractu læsa, colligimus fæcem melāncholicam adustam redundare, & ratio est, quia omnia vasa, & omnes surculi venarum hypocondriorum retinent succum melancholicum, crassum scilicet, & terrestrem, qui tamen, si diutius moratur, aduritur, & affectionem mirachialem efficit: Simili modo, si splen sit læsus, vel habeat æger hæmorrhoidas innatas, illico inferimus patientem melancholico premi humore.

Quinque loca quibus cognoscitur locus affectus occultus.

Si vero locus affectus ignoratur, tunc debet præcognosci per quinque locos à Galeno propositos 1. de loc. aff. cap. 5. quorum primus est per excrementa: secundus per actiones læsas; tertius per dolorum proprietates; quartus per situm; quintus per propria accidentia. Sed quia vbertimè 1. libro cap. 11. declarauimus methodum, qua affecti loci

possint

possint cognosci, non est, vt iterum acta agemus.

Sextus fons continet iuuantia, & lædentia, quæ vel maximè possunt, quia affectus præter naturam tolluntur contrariis, & consequentiæ contrariorum necessario sequuntur, valet, iuuatur à calidis, & læditur à frigidis, ergo humor redundans est frigidus, & pituitosus; Similiter euacuatur pituita, & iuuat, ergo humor peccans est pituita, & sic de aliis humoribus est dicendum: Fert facilè ieiunium, ergo pituita abundat; dicit enim Galenus 2. de ratione vict. 32. & 2. de morb. vulg. 3. tex. 28. pituitosis cibi paucitate sitim tollimus, & lassitudinem biliosis contrarium accidit; valebit ergo, ieiunio tollimus sitim, ergo erit pituitosus, non tollimus, ergo biliosus; Idem dicimus de lassitudine, tollimus ieiunio lassitudinem, ergo pituita exuperat, non tollimus, ergo bilis: ad eundem modum dicimus, acetum prodest, ergo amara bilis est copiosa: nocet, ergo melancholia, si vera est sententia Galen. 3. de ratione vict. 38. quibus amara exsuperat acetum prodest, « & ab ipso dissoluitur, & degenerat in pituitam: nigræ verò ob acetum multiplicantur, attolluntur in sublime, quia nigra est acida; hæc igitur, & alia plura ostendent iuuantia, & lædentia; Cæterum, si ex quolibet fonte saltem vnicum expiscabimur signum, & cum cæteris signis desumptis ab aliis fontibus copulabimus, id colligemus ex hac signorum syndrome, quod à qualibet præstantissima demonstratione ex propriis facta colligi possit; quia signa ex necessario antecedentibus, & necessario consequentibus collecta tantum possunt, quantum propria.

Vt à iuuantibus, & lædentibus cognoscuntur humores peccantes.

Qui verò alios præterea fontes proponunt, (vt facit Argenterius, qui in libro de signis Medicis, & alibi excogitauit pro cognoscendis occultis humoribus locum, vel fontem à similitudine, vel à proportione) aberrare videntur, vel quia fontes diuersi ab iis propositis nihil prorsus ad hanc cognitionem conferant, vel si aliquid vtilitatis præstent, ad sex propositos reducantur; Fons igitur à proportione propositus ab Argenterio est, verbi causa, si aliqua sæuiret endimia in populum, & Medici nescirent, quibus humoribus danda esset endimię culpa, & propterea cadauera aperirent, viderent esse atrum succum; dicit ex hoc experimento oriri fontem à proportione, dicendo sicuti in cadauere erat ater succus. Similiter in alio homine eadem ægritudine vexato erit similis ater succus; Primo reiicitur hic fons à proportione, quia non potest collocari in catalogo signorum necessario antecedentium, vel necessario consequẽtium, profitemur enim nos syndromem necessariam fieri non posse, nisi ex signis necessario antecedentibus vel necessario consequentibus, quare vt topicus, & contingens reiicitur; deinde si aliquid docere potest, eatenus id facit, quatenus morbum, vel locos affectos docet; per apertionem cadaueris cognoscimus, quæ pars sit affecta, & à parte affecta colligimus, qui sit morbus; quare fons à proportione, si aliquid docet, id merito aliorum fontium declaratorum præstabit; Insuper ex apertione cadaueris in perquirendis humoribus possumus decipi, quia humores in cor-

Vt errat Argenterius proponens locum à proportione.

poribus mortuorum existentes differunt forma, & qualitate ab humoribus viuentium; corpus enim viuens vt primum fit cadauer, amittit formam, colores, & omnes humorum qualitates, quæ in viuentibus obseruabantur; quod cum ita sit, quomodo non errabunt illi, qui ex cadaueris apertione credunt sciri posse à quo humore quispiam sit enectus. Postremò, vt clarissimè videamus, quod hic fons Argenteri, qui est à proportione non possit collocari inter signa necessario antecedentia, vel consequentia; audias analyticam, & infallibilem rationem, an-ne transitus à proportione, vel à simili, quod in idem recidit, est analogismus empyricorum toties reiectus à Galeno? an-ne fons à proportione, & analogismus progreditur à particulari ad particulare, an-ne hoc argumentum cadit in tertia figura cum conclusione vniuersali? quod est ridiculum, & monstruosum; quare, si hæc vera sunt, fons à proportione erit omnino reiiciendus, & explodendus: Neque obiiciant nos quoq; sextum fontem minus necessarium proposuisse, qui est ex iuuantibus, & lædentibus, quia respondemus consequentias à contrariis esse necessarias, valet enim iuuat calidum, ergo affectio est frigida, non tamen valent consequentiæ à proportione, vel similitudine depromptæ, sicuti in Socrate fuit ater succus inuentus, ergo inuenietur etiam in Platone, qui simili morbo laborabat, hoc enim argumentum est elenchus malæ compositionis, infertur enim in conclusione, quod humor peccans sit humor ater, quia morbus est similis iis, quibus post mortem factum est cadauer, & inuentus est ater succus. Possem sanè inferre ex eo, quod ob similem morbum repertus sit ater succus, esse quoque posse in hoc ægrotante atrum succum, sed nequaquam quod actu sit ater succus; quare cum in argumento transeant ab iis, quæ possunt esse, ad ea, quæ actu sunt, incidunt in elenchum malæ compositionis.

Quæ sint vitia loci à proportione desumpti.

Quomodo omnes biliosorum humorum differentiæ cognosci possint per syndromem signorum communium à rebus non naturalibus desumptorum.

Cap. II.

TRADITA Methodo, quæ per signorum communium syndromem sufficientissimam potest docere latentes humores, penitissimasque corporis partes insidentes: par est, vt eam in perquirendis quatuor humorum generibus experiamur: itaque incipiamus à biliosis succis, tanquam ob eorum impetum, & calorem omnibus manifestioribus, & euidentioribus. Bilis communiter diuiditur in quatuor famosas differentias, flauam scilicet, vitellinam, porraceam, & æruginosam; verum ex Galen. sententia lib. de atra bile cap. 2. & aliis in locis septem biliosorum humorum differentiæ proponuntur, quarum

Septem differentiæ biliosorum succorum differen-

rum prima est bilis pallida. Secunda est flaua: tertia vitellina: quarta porracea: quinta æruginosa; sexta cærulea, quæ dicitur isatodis; septima est rubra, quæ est serum sanguinis. Septem hæ differentiæ bilis differunt tantum secundum magis & minus, quoniam ex maiori & minori calore variæ biliosorum humorum differentiæ consurgunt: quæ sententia colligi potest ex Galeno multis in locis, & præcipuè 4. præsag. 47. dum dicit, flauus color fit seroso torrefacto, pallidus fit ex mistione flauæ bilis in serosa humiditate, æruginosus fit seroso valde torrefacto: vnde colligitur, quod secundum maiorem, & minorem serosi humoris torrefactionem oriantur differentiæ humorum biliosorum. Hinc cum differant tantum secundum magis, & minus, aliæ quoque à Galeno biliosorum succorum differentiæ multis in locis enumerantur, quia quæ differunt secundum magis, & minus sunt maximè diuisibilia, & maximam varietatem differentiarum faciunt; quæ verò specie, & quidditate inter se distinguuntur, cum species sint sicuti numeri, diuidi, & multiplicari minimè possunt. Galenus igitur cognoscens alias plures differentias biliosorum succorum libro 10. de simp. med. fac. cap. de fele dicit, quod bilis isatodis duplex sit, altera dicitur isatodis à colore isatidis glaucæ, altera à colore fusco brasicę. Et primo de natura humana text. 4. proponit dari biles, quæ nomine carent, dicitque has generari præcipuè in morbis, qui ex putredine fiunt.

...tes secundum magis & minus proponuntur.

Verum satius est, vt hic famosas biles, quæ à Galeno passim obseruantur, breuiter examinemus, atque exordiamur à bile pallida, quæ est omnium mitissima; de qua Galenus lib. de atra bile loco citato, & 5. in 6. de morb. vulg. tex. 13. dicit ex humiditate, & flaua bile fieri, esseque eiusdem generis, cuius est sudor, & vrina; hancque pallidam choleram nonnulli vocare serosam bilem. Post pallidam sequitur flaua, quæ ex Galeno 10. de simp. med. facul. cap. de fele, est calidior & crassior pallida. Hinc 2. de ratione vict. in ac text. 31. dici, quod bilis flaua fit ex sanguine plus iusto calefacto, & 10. de simpl. med. fac. cap. citato dicit, quod flaua est calidior, & crassior pallida; & primo de natura humana text. 35. quod flaua à pallida specie non differat. Sequitur deinde vitellina, quæ, vt dicit Galenus 5. in 6. de morb. vulg. text. 13. fit ex flaua crassescente: deinde sequitur æruginosa, quæ, vt dicit Galenus 4 præsag. 47. fit ex serosa bile valde torrefacta, de qua loquens Galenus 5. de loc. aff. dicit æruginosam fieri ex vitellina à calore adusta. Demum est porracea, quæ fit ex mistura bilis æruginosæ cum humore pituitoso, vt probabimus in libro sequenti, inde sequuntur plurimæ differentiæ ex maiori, vel minori torrefactione dictorum succorum biliosorum, vt sunt biles cæruleæ, & illæ innominatæ species à Galeno primo de natura humana propositæ. Postremo in catalogo biliosorum humorum collocatur rubra bilis, quæ est ichor sanguineus genitus ex portione alimenti tenuiori quæque, vt dicit Galenus libro de atra bile proxima est sanguini, dicitur tamen bilis, quia ob nimiam tenuitatem non concrescit, quinimmo bilis

Vt fiat bilis pallida.

Vt fiat flaua.

Vt fiat vitellina & aruginosa.

Vt fiat porracea.

Qua sit rubra bilis.

propterea ab antiquis potius nominabatur, quam sanguis.

Tempus nunc est, vt iis præcognitis, traditam methodum in superiori capite experiamur quia inde colligere poterimus, quando in ægrotantibus peccabit bilis flaua, quando vitellina, vel æruginosa, & cæteræ enarratæ biliosorum succorum differentiæ. Exequamur ergo propositum, & videamus quid in primo fonte, qui est de procatarcticis causis, colligi possit pro comparanda hac cognitione; an-ne (vt dicimus superius) tres externæ non naturales causæ sunt, quæ disponere possunt viscera ad generationem bilis, & caloris? quæ sunt motus vicinitas corporis calidi, & alimentum; an-ne, quæ calefaciunt hoc ordine imprimunt caloris vestigia, vt minor caliditas minorem imprimat calorem in viscera, & per consequens pallidam bilem, quæ est mitior gignat? paulo maior caliditas vitellinam? & deinde, si adhuc vehementior erit, porraceam, & æruginosam, vt propterea Galenus 5. de loc. aff. dicat vitellinam fieri æruginosam à maiori calore; & 4. præsag. loco citato dicat æruginosam fieri ex seroso valde torrefacto, quare si verum est, quod à calore, vt à causa efficiente disponantur viscera ad generationem omnium biliosorum succorum, & verum sit, quod calor in animantibus solum ab iis tribus prodeat scilicet à motu, adhæsu corporis calidi, & ab alimento calido erit quoque verum, quod maior motio seu agitatio maiorem imprimat, & maxima maximum, & adhæsus corporis moderatè calidi moderatum calorem, vehementissimè calidi vehementissimum intromittat; & demum alimenta moderatè calida mitiorem calorem, & potentissimè calida potentissimum calorem faciant; vnde cognitis iis viscerum dispositionibus colligi poterit, an peccet in biliosis affectibus bilis flaua, an vitellina, vel æruginosa, non enim possent viscera à vehementissimo calore calefieri, & inde morbum oriri biliosum ex flaua bile.

Vt colligũtur variæ bilis differentiæ ab erroribus externis.

Cum igitur motus præcipuè disponat viscera ad calorem, nostrum est videre, quot sint illæ res non naturales, quæ ratione motus calefaciunt; dicimus ergo coitum, animi passiones, vigilias, & exercitium ratione motus calefacere, & disponere viscera ad generationem bilis: Quo ad coitum est hæc Galeni sententia com. 5. de morb. vulg. text. 23. concubitus corpora omnia calefacit, quare ex præcedente libidine moderata, moderatum calorem, & bilem pallidam seu flauam, nisi alia obstiterint signa, colligemus, ex immoderata, & effreni intensum calorem, & bilem æruginosam, & porraceam esse factam credendum erit. Hinc Adolescens Melibee, vt patet 5. de morb. vulg. tex. 23. coitus blanditiis valde acersitus, & assiduè pellectus non corruit in febrem mitem, sed in malignissimam, & caloris feracissimam in qua æruginosa, & non flaua, vel vitellina bilis vexaret. Similter Satyrus, vt dicit Hippocrates 8. de morb. vulg. 38. ob nimiam seminis eiaculationem tali feruore ob tam grandem agitationem à coitu prodeuntem fuit correptus, vt tabidus, vel breui euaderet: ecce igitur, quod vehementior motus magis incendit atque adurit. Ad motum quoque

Vt à coitu fiãt calidi humores.

reducuntur.

reducuntur vniuersæ animi passiones, quare ex vehementiori animi passione maior quoque agitatio sanguinis, & spirituum fit, vnde maior calor, & deterior biliosi succi differentia suboritur. Qui igitur simpliciter in iram excurrunt moderatè calefiunt, qui vero extra limites rationis excandescunt possunt ob tam concitatum motum adeo incendio flagrare, vt ad æruginosæ bilis generationem perducantur. Mœrores & mœstitiæ quoque calefaciunt, sed non, vt ira, quoniam, vt dicit Galenus primo de differentiis feb.3. ira calefacit, tum quia incendit natiuum calorem, tum quia cum impetu mouet spiritu ad differentiam tristitiæ, quæ solo motu concentrando scilicet spiritum calorem excitat, & ad differentiam perichariæ seu nimij gaudij, quod diffundendo spiritum ad circumferentiam calefacit; omnia igitur animi pathemata ratione motus calefaciunt, & disponunt ad bilis generationem, hac lege seruata, vt ex passione vehementiori, nisi alia obstent signa, malignior differentia biliosa semper consurgat. Vigilia, quia in perenni motu detinet spiritus, auget calorem, & quo diuturnior erit, eo acutior gignetur bilis. Hinc docet experientia propter vigilias fieri rubras vrinas. Demum est exercitium, quod, si non erit immoderatum, numquam æruginosam bilem aceruabit. Ecce igitur, quod ex coitu, animi passionibus, vigiliis, & exercitio secundum magis, & minus à naturali statu recedentibus (nisi alia obstiterint signa à ceteris fontibus depromenda) nos facilè colligere poterimus, an humores biliosi sint adusti, & æruginosi, & an flaui, vel vitellini coloris; flauus enim & vitellinus color, vt ostendimus superius, non supponunt adustionem, sicuti porraceus, & æruginosus.

Vt ab animi passionibus bilis fiat.

Vt à vigilia.

Post motum aliæ res non naturales pertinentes ad vicinitatem seu adhæsum rei calidæ succedunt: & in primis ab anni tempore calidissimo, veluti ab aere æstiuo prout magis, vel minus feruore participat, viscera disponuntur ad biliosos succos magis, vel minus perustos. Similiter à regione feruida corpora disponuntur ad morbos biliosos; A constitutione, dum aer æstiuus non fauonio, sed potius ventis australibus perflatur, vbi à tergo montes septentrionales arcent ventos salubres. Insuper ab hypocaustis viscera redduntur prona ad generationem adustorum humorum; demum à balneis, vnguentis, & medicamentis ob contractum adeo iniquè viscera premuntur calefaciendo, & comburendo, vt aliquando ex iis maximè adusta bilis generetur.

Vt à vicinitate corporis calidi fiant biles.

Postremò inter externarum causarum calidarum censum est alimentum calidum, quod calefacere potest bifariam per se, vel per accidens; per se dum homines in aromatis delinquunt, vel in esu dulcium, quæ in bilem vertuntur, dum permeare non possunt, vt notat Galenus 6. de morb. vulg. com. 5. vel dum calices meracissimi integros exhauriunt; per accidens, dum cibis crassissimis, & viscosissimis vescuntur, qui magnas faciant obstructiones, vel dum obsoniis obruuntur, & se se assiduis comessationibus tradunt, ob quos errores incidunt in tales obstructiones, vt calor natiuus vel maxime exardere in-

*Vt ab alim*to *calido fiant biliosi succi.*

cipiat; per accidens quoque calefaciunt edulia ingesta, & infarcta, quæ sua natura frigidi sunt temperamenti, vt cerasa, poma, & reliqua id genus putredini obnoxia: hęc enim, dum corrumpuntur, & putrescunt, priscam suam temperaturam relinquunt, & aliena calida, & acri induuntur, vnde alui fluores, vnde calor iecoris insignis suboritur.

Vt errant qui non distinguunt ea quæ calefaciũt per se, ab iis, quæ per accidens.

Hinc Galenus libro de const. ar. med. cap. 14. videns Medicos plures errare, quia non distinguunt quæ per se ab iis, quæ per accidens calefaciunt, admonet nos iis verbis, spectabit ad medicum ne in eum illabatur errorem in quem, qui putant frigidam aquam in omnibus, quæ refrigeratione egent, conuenire, & calidam in iis, quæ calefactione; ignari ex accidente fieri sæpè, vt frigida calefaciant, calida verò refrigerent: per accidens demum alimentum calefacit, quatenus adeo perexiguum est, vt ob inopiam, vel inediam calor accendatur, & accensus depopuletur humidum proprium; vnde Hippocrates 2. de ratione vict. text. 30. dicit inediam accendere calorem, & bilem reddere amariorem: & secunda sect aphorismorum 22. inediam biliosis febrem afferre; & Galenus aduersus Erasistratum dicit, inediam eliquare carnes, & reddere homines biliosiores, & omnia excrementa facere acriora, & maligniora; & 8. methodi cap. 2. inediam pichrocolos interficere, quare perexiguum alimentum potest per accidens biles varias facere; nos verò ex maiori, vel minori inedia colligere possumus biles magis, vel minus adustas. Ecce igitur, quod ex alimento per se, vel per accidens secundum magis, vel minus agente colligere possumus viscera multum, vel parum recedere in calore à naturali statu; & modo esse disposita ad generationem flauæ, modo vitellinæ, & modo æruginosæ bilis.

Vt inedia bilem gignat.

Præcognitis his principiis, vnde calores in visceribus generantur, debemus in primis quemlibet propositum fontem in qualibet occasione contemplari, & videre, an vnus alteri consentiat; quoniam, si (exempli causa) aer esset calidus, & cibus frigidus, tunc vix bilis gigni posset, nisi esset crassus, & viscidus, qui obstruens per accidens calefaciat: propterea Galenus 2. ad Glauconem capite 10. dicit, non solum concurrere in generatione atri, & calidi succi cibum crassum, verum etiam aerem feruidum, habet enim hęc verba. In Alexandria Elephantico morbo plurimi corripiuntur propter victus modum, & regionis feruorem. At in Germania, Mysia, & apud Scythas, vbi lac, cochleas, & cætera crassissima obsonia comedunt, nunquam fere apparuit elephanticus affectus; quia aer gelidus non permittit, ex crassis eduliis fieri atrum, & calidum succum, quare non ex aere, vel ex alimento tantum, sed ex vtrisque simul certitudinem habebimus, quod genitus sit humor proportionatus causis externis non naturalibus. Si verò aeri, & alimentis motum adiungemus, maiorem adhuc cognitionem ab iis externis colligemus.

Verum ob quos errores in sex rebus non naturalibus commissos disponantur corpora ad febres malignas, siue ad generationem bilis adustæ, & æruginosę, res est satis difficilis, quoniam aliquando videmus

mus hominem debilem coitu, vel alia causa non naturali abuti extra rationis limites, attamen in illo non aduri humores, non fieri æruginosos, atros, vel porraceos, & per consequens illos non disponi ad malignas febres, quæ (nisi me fallit opinio) ex maxima humorum adustione prodeunt: ex alia parte videmus hominem fortem, eumque temperaturæ optimæ ob similes errores illico disponi ad æruginosæ bilis generationem, & per consequens ad malignas febres. Credimus igitur nos, hanc deterrimam dispositionem promptè à procatarcticis erroribus in iecur immitti propter duos errandi modos, quorum primus est, dum in rebus non naturalibus delinquunt non in vnico tantum genere, sed in pluribus, scilicet in cibo, & potu, venere exercitio, & animi passionibus: exempli causa, si quis erraret in potu tãtum nullo in cæteris procatarcticis errore commisso, natura ab vnico hoste tantum vexata facilè posset eum euincere, & prima illa erroris vestigia corrigere: si verò à pluribus errorum generibus premeretur, sæpè caloris, & malignitatis vestigia tam altas figerent radices, vt corrigi vix possint. Secunda, & præcipua occasio malignarum febrium à procatarcticis desumpta est, quando committuntur errores in illis rebus non naturalibus, quæ motibus contrariis premunt naturam; nihil enim magis vexat, quam illud quod violenter agit, & nihil est nobis violentius contrariis motibus eodem tempore factis: causæ, quæ oppositis motibus torrent viscera, & ad dolosum affectum hominem perducunt, sunt, vt exemplis declaremus, veluti dum quis patitur eodem tempore aerem calidissimum, & mœrores animi; oppositio, vel contrarietas consistit in hoc, quia aer feruidus ad circumferentiam, mœrores verò ad centrum pellunt spiritus, & sanguinem; vnde ob motus hos contrarios non solum ardor in sanguine excitatur, verum, quia mœrores calefaciunt pellendo ad centrum, dolosus & malignus affectus suboritur. Similiter aeri calidissimo, si cibus copiosissimus adiungitur, violentius aget, & dolosè; violentius, quia non solum aer calidus violenter incendit viscera, verum etiam cibus copiosissimus non permittit, vt calor effundatur ad externas partes, sed occultetur in viscerum latebris, & dolosè agat, & violenter naturam opprimat: similiter sibi contrariantur aër æstiuus, & somnus nimius, & præter naturam; hæ mihi videntur esse causæ, quæ disponunt ad malignissimos morbos; errores tamen in illis procatarcticis, quæ sibi non aduersantur, non facient malignas febres, sicuti aer æstiuus, & coitus, quoniam ambo ad circumferentiam calorem pellunt: possunt tamen coitus nimius, & aer feruidus ardentem febrem molliri, sed non malignam, nisi error contrariç motionis adiiciatur, & ratio est, quoniam aer æstiuus aperit meatus, mouétque ad cutim calores, & coitus agitãdo propellit ad exteriora accensos, & perustos humores, quare affectus ab iis prodiens erit apertus, omnibus conspicuus, & nequaquam dolosus, vel malignus: similiter errores, qui fiunt ob aerem æstiuum, exercitium, & ob vigiliam immoderatam facere possunt valetudinem apertam, & omnibus notam, & nequaquam dolosam, & mali-

Quæ sit præcipua occasio malignarum febrium.

A quibus erroribus in rebus externis cõmissis fiant ardentes febres.

gnam; errores tamen prodeuntes ab iis causis pellentibus calorem ad circumferentiam coniuncti cum iis, qui concentrant, vt sunt mœrores, & mœstitiæ in tam imis, & profundis partibus collocant tanti caloris focum, vt febris, quamuis sit malignissima, non cognoscatur, vel percipiatur ab astantibus, quia natura non potest eam flãmam dissipare, & ad externas partes pellere; hoc tamen non eueniet, si coniungatur cum ira, vel cum pericharia, quæ animi passiones semper apertè calefaciunt, quoniam à centro auocant calorem: ad eundem modum cæteræ non naturales causæ, quæ contrariis motibus sibi aduersantur, hostilitatis arma occultant; sicuti est coitus insignis, & vsus ciborum copiosorum, coitus enim calefacit auocando, cibus vero reuocando calorem, similiter coitus, & mœrores; exercitium nimiũ, & cibus copiosus; vigiliæ, & cibus copiosus; aer frigidus, & vigiliæ; aer feruidus, & nimius somnus eadem ratione sibi aduersantur; quare si in aliqua magna febri inueniemus errores non naturalium causarum præcedentium fuisse plures; eosque contrarios, scilicet aliquos mouendo ad circumferentiam, aliquos vero ad imas, & profundas corporis partes calorem, facilè poterimus colligere febrem ingentem, & dolosam sæuire; etenim maligna seu dolosa hæc febris non ab expanso, sed à concentrato calore generatur. Demum si ab extrinsecis iis causis non consequemur cognitionem omnibus numeris absolutam, sed adhuc penderet, & fluctuaret animus, tunc virtute syndromis signorum desumptorum ab illis antecedentibus; & consequentibus, quæ necessario in humoris productionem conspirant, vel rem genitam consequuntur omnem ambiguitatem euellere poterimus.

Vt biliosi succi innotescant per syndromem signorum desumptorum à dispositione patientis, & a morbis.

CAPVT III.

SEQVITVR, vt post causas procatarcticas, examinemus dispositiones patientis, facilè enim in ægrotante colligi potest bilis peccans, si erit dispositus ad generationem biliosorum excrementorum. Signa igitur, quæ indicare poterunt hanc corporis dispositionem desumuntur ab antecedentibus, & à consequentibus: antecedentium igitur dispositionum quinque sunt fontes seu loci, à quibus possumus depromere, an patiens sit propensus ad succos biliosos; quorum primus est expendere à quibus parentibus ille ortus sit, quoniam parentes, vt plurimum generant filios sibi similes; si vero ex parentum dispositionibus aliquid certi non habetur, adest secundus locus, qui est ab ætate: ætas enim iuuenilis, & consistentiæ est magis apta ad bilem colligendam, & gignendam, quam senectus. Tertius locus consistit in habitu corporis, continétque sub se tres locos, quorum primus est

Quinque loci antecedentes vnde sumuntur signa dispositionum corporum ad generationem bilis.

habere

habere corpus macilentum, & gracile; abdominis enim, & cæterarum partium gracilitas arguit bilem. Secundus est habere venas latas, namque Galenus libr. de ar. med. cap. de signis calidi hepatis dixit venas latas calorem ostendere, & contrarium venas exiles. Tertius locus desumitur à physionomicis, quia illi qui habent frontem rotundam, habitum sortiuntur talem, vt valdè sint accommodati ad bilem colligendam. Quartus locus sumitur à virtute, quia si æger sua natura est fortis optimisque viribus confirmatus, & prolabitur in ægritudinem, vt plurimum causa est bilis. Quintus locus declarans manifestè, quando corpus est dispositum ad biliosos affectus, quique est omnium certissimus, desumitur à suppressa, & intermissa aliqua biliosorum succorum euacuatione: illico enim si quis, post suppressam euacuationem consuetam bilis per aluum, vel per vomitum cadit in morbum, dicimus bilem esse illius affectus causam.

Quinque loci consequentes vnde sumuntur signa dispositionum corporum ad generationem bilis.

A consequentibus quoque colligimus signa corporis dispositi ad bilem, & quinque obseruantur loci, scilicet ab Actionibus animalibus, Vitalibus, Naturalibus, Ab excrementis retentis, vel exeuntibus, & à qualitatibus tactilibus. Actiones vero animales ostendentes corpora accommodata ad congerendam bilem sunt non esse somniculosos, sed vigiles; leui data occasione siti vexari, esse mutabiles in sententia, esse ingenio celeri, ab inedia & ieiunio adeo lædi, vt venter, caput, & totum corpus bile facilè impleatur: in somniis ignem, combusta, cædes, fulgura, arma, lites, & prælia sibi offerri; & demum agiles esse in motu. Vitales verò erunt tales, vt in iram præcipites ferantur, & in venerem sint furiosi, sed hac conditione, vt illico post factum sint penitentes; & postremò pulsus habeant veloces. Naturales autem actiones, & præcipuè expultrices irritatæ significant biliosum hominem; hinc dicunt medici, cibum in stomacho biliosorum non esse molestum; & ratio huius est, quia bilis promptè omnia excrementa expellit, nec non etiam ventriculi pituitam absteisit & purgat; aliaque id genus possent obseruari in actionibus naturalibus, quæ bilis dominium ostenderent; pauca tamen sufficiunt, quia hic non de actionibus naturalibus agimus, sed solum de methodo cognoscendi humores latentes. Ab excrementis quoque idem sæpe colligimus; etenim si aures bilioso excremento abundant, coniicimus biliosam esse naturam; si videbimus corpus carere excrementis, carereque saliua, idem colligimus. Denique à qualitatibus tangibilibus, si in manibus, & toto corpore obseruabimus calorem mordacem, colligemus homines esse ad biliosos affectus propensos: alia præterea sunt signa biliosorum succorum, quæ potius conueniunt biliosis affectibus præter naturam: de quibus paulo infrà, quoniam hic solum, quæ ad dispositiones corporum spectant tractare ab initio pepigimus; volumus enim à quolibet horum propositorum fontium, saltem vnicũ signum colligere, illudque deinde coniungere cum aliis signis depromendis à procatarcticis, à morbis, à symptomatibus, à loc aff. & à iuuantibus, & lædentibus; quia horum signorum syndromes certò demonstra-

bit, an peccet bilis; quomodo vero biliosorum succorum differentiæ cognoscantur, dicimus quod signa potentia, & minus potentia bilem magis, vel minus effrenem indicabunt.

Qui morbi indicant peccare bilem.

Expensis locis pertinentibus ad externos errores, & ad viscerum dispositiones, nunc animum ad morbos conuertimus, & deinde ad alios fontes, quippe qui si non dissentient, tam certò cognoscemus biliosos succos in penitissimis partibus residere, perinde ac propria inspectione ipsos videremus. Morbi igitur varij sunt, qui apertè indicabunt humores calidos sæuire, sicuti sunt intemperies admodum calidæ, quæ si erunt feruentes, maligniores indicabunt biles, hinc καῦσοι & ardentissimæ intemperies bilem non flauam, vel pallidam, quia hæ inter limites naturales continentur, sed vitellinam, vel porraceam indicabunt, si vero hæ febres acutæ erunt mali moris, colligemus bilem æruginosam altas habere radices, quia maligni, & dolosi affectus non possunt fieri sine adustione, neque adustio in humoribus biliosis sine ærugine, vt experimentis probauimus in libro præcedenti cap. de coloribus. Insuper ex velocitate morbi, & ex periodis coniicimus biliosos succos esse causas morborum; superius enim non solum declarauimus motum de tertio in tertium ostendere bilem, verum etiam motus veloces principij, vel augmenti; quandoquidem Galenus loquens de physico habet hæc verba: vbi tertius, & quartus dies habent grauia symptomata, cito expectabis iudicium, ergo ex sola principij velocitate possumus colligere velocitatem totius, atque ex velocitate totius, morbum esse acutum, & inde humorem esse tenuem, & biliosum. A determinatis quibusdam horis, veluti si morbus mouetur in meridie, erit bilis. Ab obstructione vesicæ felleæ, valet enim est icteritia, ergo peccat bilis. Ab inflammatione membranarum, valet est pleuritis, ergo bilis, quoniam densitatem membranæ alij humores non penetrant, nisi biliosus sanguis, qui tenuis est, & hæc est ratio, cur Hippocrates dixit, qui acidum eructant, non fieri pleuriticos, in iis enim sunt crassi humores, qui tunicas, vel membranas penetrare non possunt. Ab inflammatione sine tumore, & pondere bilem peccare colligimus; hinc valet est herpes, in quo affectu nec tumor apparet, nec pondus persentitur, ergo peccat bilis, eaque syncera, & non mista cum ichore sanguineo ad differentiam erysipelatis, quod (vt dicit Galenus libro de tumoribus præter naturam cap. 10.) fit non à bile syncera, sed mista cum ichore sanguineo, qui leue aliquod pondus facit: valebit quoque est erysipelas legitimum, ergo est bilis mista cum ichore sanguineo sine tumore, & pondere; est erysipelas phlegmonodes, ergo erit bilis mista cum sanguine, facietque tumorem, & pondus; dicit enim Galenus lib. de plenitudine cap. vltimo, quod sola bilis nec tumorem, nec pondus producit, quia antequam tumorem, & sensum ponderis faceret, exulceraret, & herpetem excitaret. Demum valebit quoque hæc, est phrenesis ergo bilis peccat, eaque syncera, & nō mista, vt placuit Galeno cum ichore sanguineo; dicit enim 3. de loc. aff. 7. quod phrenesis exquisita fit à bile

syncera.

syncera. Nec tamen est obiiciendum bilem synceram erodere, & propterea non posse phrenitidem facere, quia sequeretur hoc inconueniens, quod erosis membranis cerebri, nemo phrenitide euaderet. Occurrimus enim bilem synceram non habere hanc erodendi potentiam in partibus internis tum ob maximam raritatem partium per quas syncera bilis transit sine erosione, tum ob robur internarum partium. Hæcque est causa, cur allium cuti externæ applicitum erodat, comestum tamen non erodat ventriculum, sed nutriat. Colligas ergo, quod à morbis octo scaturiant loci, qui docere nos possunt, an peccet bilis, quique data qualibet occasione occulti humoris biliosi sunt examinandi, primus est desumptus ab intemperie admodum calida, & sicca; secundus à malignitate febris: tertius à typis tertianariis; quartus à velocitate temporum morbi: quintus ab horis meridianis, sextus ab ictéritia; septimus ab inflammatione membranarum; octauus, & postremus ab herpete: ab iis igitur signa colligere poterimus, quæ cum aliis vnita certam syndromem pro cognoscendis biliosis succis in corporis latebris existentibus facient.

Obiect.

Sol.

Octo loci à morbis desumpti pro cognoscenda bile peccante.

Vt biliosi succi præcognoscantur per syndromem signorum communium desumptorum à symptomatis, locis affectis, iuuantibus, & lædentibus.

CAPVT IV.

A Symptomatum sylua depromimus quoque varios locos, à quibus colligere possumus biliosorum humorum dominium; quot enim erunt symptomatum genera, tot erunt loci, à quibus præceptionem colligere valebimus pro cognoscendis noxis, & peccantibus humoribus. Genera symptomatum sunt læsæ actiones animales, vitales, & naturales, deinde sunt immodicè excreta, vel retenta, & demum qualitates mutatæ: ad quæ genera omnia symptomata, quæ animantibus contingere possunt, reducuntur; & ab iis sæpè colligimus certa signa peccantium humorum. Experiamur in primis, an possimus à symptomatibus rectricum facultatum cerebri cognoscere aliquam particularem differentiam biliosorum succorum sæuire; est enim Galeni sententia secundo in primum Epid. 17. vbi peccat bilis, vt in ardentibus febribus, & aliis plerisque affectibus humores extolli ad caput, & inde è naribus profluuia sanguinis, & deliria suboriri; delirium ergo, quod est symptoma in actione animali principe deprauata ostendere poterit bilem peccare. Audias deinde, quomodo ex variis delirij conditionibus varias quoque differentias biliosorum succorum colligere possumus, an-ne, si phreniticus habuerit excandescentiam cum studio, in eaque perseuerauerit sine fletu, & sine ferina

Vt à symptomatibus colligimus peccare bilem.

Vt ex vario delirio variæ differentiæ bilis noscuntur.

desipientia, tunc dicere poterimus cum Galeno illam bilem peccare, quæ neque omnino adusta, vel putrida sit? si vero incipiat habere excandescentiam cum fletu, an-ne dicemus tunc peccare illam atram bilem, quæ est putrida? quia fletus melancholiam; studium vero melancholiam putridam peccare indicat, si vero fletui adiungitur, vt phreniticus velit percutere, credatque quod omnes, quia ingrediuntur cubiculum, sint hostes, tunc haud dubiè peccabit atra bilis adusta, & non putrida, quia quatenus est putrida, non est ferina, & adusta, de qua ferina desipientia Galenus primo prædict.com.25. abundè loquitur. Præterea, si ægrotantes sine aliqua tamen desipientia hoc tantum habeant, vt magis, quam antea, loquantur, & non labantur in alias maiores desipientias, signum est bilem peccare, verum non putridam; quia hæc parit excandescentiam cum studio, non adustam, quia hæc ferinam desipientiam inducit; peccabit ergo flaua, seu vitellina bilis, non putrida, quia maiora symptomata faceret; non adusta, quia hæ duæ species, quę seruant colores flauos, & vitellinos, non sunt adustæ, vt ostendimus superius: moderata itaque symptomata ostendent flauam, paulo maiora vitellinam, vehementiora vero æruginosam, vehementissima atras biles significabunt. Quod verò multum loqui ostendat bilem, legi potest Galenus 3. in tertium Epid.com.86. vbi habet multum loqui esse phreneticorum, tacere verò melancholicorum; immo Galenus loquens ibi de vxore Dealcis, quæ aliquando multum loquebatur, aliquando perpetuo tacebat, dixit delirium illud fuisse mistum, quia ex bile, & melancholia pendebat.

Similiter ex aliis functionibus animalibus læsis pertinentibus ad imaginatricem facultatem aliquid in perquirendis humoribus colligere possumus, quoniam, si de somniis loquimur, conspicua, & ignita somnia: vt primo prædict.5. humores siccos, & calidos significant, aquea vero pituitam. Similiter, si aderit vigilia morbosa, statim inferemus bilem, nisi obstiterint aliorum fontium signa, namque Galenus primo de morb.vulg.3.com.25. dicit, in Cleonactide vomitum fuisse biliosum licet fuerint alia signa, quæ magis potuerint ostendere peccare pituitam, fuit enim insomnis, non sitiuit, nec cibum abhorruit, quæ certum dominium pituitosi succi ostenderunt. Nos verò ex contrariis colligemus bilem ex vigilia nimirum, siti, & inappetentia. Hinc Galenus de inappetentia loquens primo de morb. vulg. loco citato habet, à bile redundante fastidiosi, id est inappetentes, & appetitu carentes; de siti vero loquens tertio in tertium Epid.34. & 46. dicit, quod sitis, quæ sedari non potest, ostendit exurentem caliditatem, quæ necessario à bile exurente prodibit, quare valebit consequentia (nisi alia signa, vt sæpè diximus ab aliis fontibus collecta iis reluctentur) est sitis, vigilia, & inappetentia, ergo bilis peccat: postremo sunt quoque symptomata pertinentia ad sensum tactus, quæ bilem indicabunt, vt sunt dolores mordicatiui capitis, intestinorum & aliarum partium, suntque puncturæ narium, à quibus signis colligimus peccare bilem.

Vt in somnia ignita & vigilia bilem ostendant.

Inappetentiam, & sitim ostendere bilem.

Insuper

Insuper ex actionibus vitalibus bilem prædominari colligimus, sicuti dum Galenus 5.de diff.respir.cap.10. & alibi dicit, pulsus duriores bilem indicare, & ratio est, quia bilis dum peccat peruadit membranas, quas cæteri humores penetrare non possunt, membranæ imbutæ hoc succo tenduntur, vnde arteriæ ob generis sympathiam duritie afficiuntur, quare ex pulsu duro, tanquam à loco proprio colligere poterimus bilem. *Vt ex læsis actionib vitalibus colligitur bilis.*

Deinde, si conuertamus mentis aciem ad naturales actiones. Ab alteratrice deprauata coniicimus corpus biliosis succis affluere. Ab expultrice irritata quoque illudmet inferimus, vt plurimum enim biliosi humores irritant, & pungunt facultatem expultricem. Hinc à rigore febrili colligimus bilem peccare, quia rigor significat materias biliosas per partes sensu præditas expelli, ad differentiam frigoris, quod ostendit pituitam, & horroris, qui ostendit melancholiam. Nec mihi obiiciant Galenum 2.de diff.feb.3.dicere rigorem aliquando fieri à pituita acida; quia respondemus rigorem ab acida pituita fieri sine febre, & caloris consecutione. Hinc Galenus loquens de vxore Epicratis obseruauit differentiam inter rigorem biliosum, & pituitosum, dixitque in ea muliere fuisse rigorem sine caloris consecutione, quia erat crudis, & viscosis excrementis obsessa, vt solum valeant consequentiæ hoc modo limitatæ; est rigor cum caloris consecutione, ergo bilis; est rigor sine consecutione caloris, ergo pituita acida, & crudus humor. *Vt ab actionibus naturalibus læsis colligitur bilis.* *Obiect.* *Sol.*

Ab exeuntibus excrementis varios locos colligimus ostendentes bilem, in primis ab vrina rubra, & flãmea coniecturam facimus, corpus biliosis succis scatere. Ab excrementis quoque affectuum externorum, veluti si in tinea, vel simili affectione, quod egreditur, est pallidum, bilem peccare colligimus, vel si in porrigine materia furfuracea decidens est madida statim bilis indicatur, ad differentiam porriginis à melancholia prodeuntis, in qua summa siccitas obseruatur. *Vt ab exeuntibus colligitur bilis.*

Si verò spectamus qualitates mutatas, se offert flauities in albo oculorum, vel in adnata, vnde dominium bilis ilico inferimus; si amaritudinem in ore ægri persentiunt, credendum est bilem esse in ventriculo. Præterea si ægrotantes in morbi limine habent faciem coloratiorem, quam dum sanitate fruebantur, coniicimus bilem esse in sanguine; quia Galenus, & Hippocrates 2.prædict.14.habent, quod facies coloratior febrientium, vel minetur sanguinis profluuium è naribus, vel ab aliis partibus, vel abscessum; post aures, vel demum aliquam capitis inflammationem; quæ affectiones præcipuè à bile prodeunt. Denique ex tactu, si permagnum senties calorem in corporis periferia, bilem colliges, si verò in hoc signo, vel in aliis hæsitas, illa castigare, & roborare poteris facta contemplatione in signis aliorum fontium; sicuti (vt exemplis illustremus) si tactu obseruemus in corporis periferia maximum esse calorem, an-ne hoc signum est de illis, quæ possent nos fallere? maxima enim caliditas obseruatur quoque in *Vt à qualitatibus mutatis colligitur.*

pituitosis, & in hecticis febribus, quare vt difficultas dirimatur, confugias ad primum fontem, & videas an causæ procatarcticæ, vt cibus, potus, aër, & aliæ præcesserint calidæ, quia ex iis non febrem pituitosam, sed biliosam colligere poteris; similiter sunt consideranda signa in secundo fonte contenta: ibi enim, si videris ægrum non esse macilentum, vel antequam in ægritudinem prolaberetur, aliquam bilis euacuationem fuisse suppressam, tunc firmiter colliges calorem illum tactu perceptum non à pituita, neque à febre hectica, sed à materia biliosa pendere. Tandem cognito, causam antecedentem esse bilem, colliges eam esse flauam si mitiora fuerint signa: vitellinam, si validiora: æruginosam, si potentissima.

Quintus fons signorum ostendentium bilem. Quintus fons consistit in cognitione locorum affectorum: hæcque cognitio, vt dicit Galenus in limine librorum de loc. aff. solum ab exercitatis in dissectionibus comparatur; secando enim singulas corporis partes optimè obseruare possumus, quæ læduntur à pituita, quæ à bile, & quæ à melancholia; quare sicuti de glandulis loquentes obseruauimus ob substantiæ raritatem glandulas esse domicilium pituitæ, & à pituita præcipuè lædi, eadem ratione membranę, cum ob suam densitatem difficile ab humoribus crassis, & viscosis penetrentur, si erunt læsæ, eas non à pituita, vel melancholia, sed à bile, quæ ob eius tenuitatem habet maximam penetrandi virtutem, lædi dicemus: hoc enim est præcipuum fundamentum, cur Hippocrates, & Galenus 6. aphorismorum 33. dixerint pituitosos, vel illos, qui acidum eructant, non fieri pleuriticos. Nos verò addimus quoque pituitosos, & melancholicos, quatenus tales sunt, non fieri phreniticos: quemadmodum enim pituitosi non possunt fieri pleuritici, quia pituita non potest peruadere pleuram, eadem ratione non fient phrenitici, quia pituita non penetrabit piam, vel duram membranam cerebri: quare optimis iis fundamentis suffulti semper poterimus ab inflammatis membranis colligere bilem. Præterea à locis affectis non solum colligemus, quando peccat biliosum genus, verum aliqua coniectura percipiemus, quando peccabit bilis flaua, & vitellina, quando porracea, & æruginosa; etenim, si ventriculus à bile læditur, ea erit vt plurimum porracea, quoniam sedes bilis porraceæ, vt dicit Galenus, est ventriculus; si caput bile læditur, sæpe erit flaua, seu vitellina, quia caput ob suam frigiditatem æruginosam bilem non patitur, si ventriculus læditur bile, sitque animi deliquiũ, febris maligna & delirium, sequitur bilem esse æruginosam; sed quoniam hanc specificam humorum differentiam coniectura tantum colligimus, ideo erit opus, vt virtute signorum aliorum fontium contingentiam, & probabilitatem expurgemus.

Vt à iuuantibus, & lædentibus colligi potest bilis. Postremò à iuuantibus, & lædentibus cognoscemus antecedentes causas, quoniam, sicuti quando iuuant calida, & sicca dicimus humores esse frigidos, & pituitosos; similiter dum iuuant frigida, & humida, dicimus calidos, & biliosos in corpore peccare. Ex Hippocrate secundo de ratione vict. 33. habemus, ieiunium biliosis officere, valebit ergo

bit ergo hæc conſequentia, nocet huic ieiunium, ergo peccat bilis: ſimiliter Galenus 6. de morb. vulg. 3. tex. 28. dicit, quod bilioſi paucitate cibi adaugent ſitim, & laſſitudinem; valebit ergo hæc conſequentia, Socrates cibi paucitate in ſitim, & laſſitudinem procumbit, ergo eſt bilioſis ſuccis refertus. Denique ex Galeno habemus 3. de ratione vict. 38. quibus amara bilis exuperat acetum prodeſt, ab ipſo diſſoluitur, & degenerat in pituitam: valebit ergo, iuuat acetum, ergo erit bilioſæ naturæ: poſuimus hunc fontem diſtinctum ab aliis, quamuis in aliis contineatur, quia eo vtemur, perinde ac eſſet in hac inquiſitione alter lydius calculus: imitabimur Aurifices, ſicuti illi, vt aurum perfectè experiantur, ad ignem, ſic nos ad omnes propoſitos fontes confugimus: ſicuti illi, dum ſine ignis labore illico aurum calculo probant, ſic nos dimiſſa altiori inquiſitione virtute huius fontis probamus, an peccent frigidi, vel calidi humores.

Quomodo pituitoſorum humorum differentiæ cognoſci poſſint per ſyndromem ſignorum communium à rebus non naturalibus deſumptorum.

CAP. V.

EADEM methodo eſt perquirenda ſyndrome, quæ poſſit nobis manifeſtare pituitoſos ſuccos. Famoſæ differentiæ apud Galenum 3. de loc. aff. 7. & libello de plenitudine ſunt quatuor, pituita dulcis, ſalſa, acida, & vitrea: vnde verò quælibet fiat, dictum eſt in libro ſuperiori cap. de ſaporibus & dicetur in ſequenti. Quomodo autem humor phlegmaticus, dum in abſconditis partibus deliteſcit, nullumq; proprium ſui ſenſum exhibet, inquiritur, ſupra quoque docuimus, diximuſque ſex eſſe fontes, vel locos communes. qui nobis poſſunt indicare differentias pituitoſorum ſuccorum exiſtentium in penitiſſimis corporis partibus.

Primus fons continebat ſex res non naturales refrigerantes: vt igitur rectè ſciamus, quænam ſint, confugiendum eſt ad Galenum lib. de cauſis morb. cap. 3. vbi refert omnes cauſas refrigerantes ad ſex capita; inde enim omnia huic contemplationi conferentia colligemus. In primo cap. collocat adhæſus, vel vicinitates omnium refrigerantium: in ſecundo ciborum, & potionum quantitatē, vel qualitatem: in tertio ſtipationes validas in foraminibus factas: in quarto rarefactiones nimias: in quinto ocium: in ſexto motiones vehementes & immodicas. Verum, quia noſtrum eſt in hoc loco de cauſis externis refrigerantibus loqui, ideo ex iis à Galeno propoſitis eligemus tãtum quatuor capita, ad quæ omnes cauſæ externæ refrigerantes, & diſponentes corpora ad pituitæ generationem, reduci poſſunt, ſuntque vicinitas refrigerantium, ciborum & potuum quantitas, & qualitas,

ocium,& motus immodicus; ex iis igitur colligemus, quando corpora erunt magis, vel minus disposita ad varias pituitosorum succorum differentias; etenim quantò vehementiores refrigerantes causæ præcedent, tanto magis indicabunt corpus esse dispositum ad frigidiorem pituitam; frigidissimæ enim causæ externæ disponent corpus ad pituitam vitream, minus frigidæ ad acidam, adhuc minus frigidæ ad insipidam.

His positis, expedit (si volumus causas refrigerantes cognoscere) distinguere quæ refrigerant per se, ab iis, quæ per accidens; dicit enim Galenus lib. de const. ar. med. cap. 14. quod sæpè frigida per accidens " calefaciant, & calida refrigerent habetque hęc verba; spectare ad me" dicum vt rectè videat, ne in eum illabatur errorem, in quem, qui pu" tant frigidam aquam in omnibus, quæ refrigeratione egent, conueni" re; subdit, quia sæpè frigida ex accidenti calefaciunt, & calida refri" gerant. Dicimus itaque positiuè, & per se duas solum ex propositis causis refrigerare, alimentum videlicet frigidum, & adhæsum corporum frigidorum: ocium verò, motum immodicum, & reliqua paulo post afferenda ex accidenti: ocium tamen suffocando, motumque immodicum resoluendo calorem refrigerare, omnia enim, quæ ex accidenti habent vim refrigerandi ad duo hæc capita solum reducuntur, ad suffocantia, & resoluentia.

Quæ refrigerant suffocando.

Ad calorem suffocantia, præter ea, quæ enarrata sunt, alia reducuntur, vt nimia stipatio, nimia quies, vel ocium, nimia coitus abstinentia, nimius cibus, & nimius somnus: ab iis igitur tamquam à quinque locis indicantibus suffocationem caloris colligemus viscerum refrigerationem, & per consequens dispositionem ad generationem pituitosorum succorum. Quod igitur nimia stipatio ex accidenti refrigeret, declarari potest clibani exemplo, etenim in clibano, nisi esset aliquod foramen apertum, vnde flāma reuiuisceret, per suffocationem extingueretur, & inde ex accidenti refrigeraretur: ocium quoque, vel quies ad calorem extinguentia, & suffocantia reducitur, & ratio est, quoniam ex quibus principiis constamus, per illa quoque conseruamur; calor per se trahit originem à motu, per motum ergo debet conseruari: quare cum quies, vel ocium opponatur motui, ocium erit causa frigoris, quatenus reddit partem viuentem priuatam motu & euentatione. Hinc quoque nimia coitus abstinentia, quatenus tollit animantibus motum salubrem, impedit ne dissipentur crassa, & pituitosa excrementa, vnde torpores, & sæpè caloris suffocationes sequuntur; quapropter Galenus 6. de loc. affect. cap. 5. dixit, coitus nimiam abstinentiam sex mala posse hominibus inferre, grauitatem nimirum capitis, cibi fastidium, febris periculum, coctionem diminutam, torporem, & timorem. Præterea impensè somniculosi per suffocationem refrigerantur, quia eorum calor ob somnum immoderatum tanta circunfunditur, & obruitur humiditate, vt rectè non possit euentari, & conseruari. Demum alimentum nimium eo modo suffocat, quo lumen copia olei extinguitur: ex iis igitur causis calorem suffocantibus

Sex mala oriri à nimia coitus abstinentia.

facilè

facilè colligere poterimus, corpora impleri pituitosis succis.

Ad eundem modum præcedere debet examen illarum externarum causarum, quæ refrigerant, calorem resoluendo: resoluentia calorem sunt nimia rarefactio, alimenta calidissima, motus immodicus, adhæsus corporis validissimi, nimius coitus, nimiæ vigiliæ, & immoderatæ animi passiones, à quibus tanquam à locis per accidens indicantibus refrigerationes, & pituitæ generationem varias differentias pituitosorum succorum colligemus. Rarefactio ex accidenti refrigerat, quia calor ob meatus nimium apertos non potest detineri, quare quanto magis erunt aperti, tanto frigidior pituita fiet: alimenta calidissima resoluendo refrigerant, quatenus robur resoluunt, vt hinc Galenus *6.* aphorismorum 28. de vino potente loquens habet hæc verba, multa, & potentia vina præcipuè ieiuno stomacho percutiunt substantiam neruosam eius robur resoluendo: itidem vigiliæ, & animi passiones potentissimæ, nimius coitus, quæ ad immoderatum motum referuntur, eneruant proprium calorem, & partem relinquunt frigidam, quia resoluunt spiritus, & calorem.

Quæ refrigerent resoluendo.

Reliquum est, vt quæ per se refrigerant, sint (vt diximus) alimentum frigidum, & adhæsus rei frigidæ, sicuti est aër gelidus, aqua frigida, & cætera extrinseca, quæ adhærendo refrigerant. Supponimus hic cum Aristotele, & Galeno frigus esse qualitatem positiuam, & non priuatiuam, vt perperam sustinuit Hieronymus Cardanus, cuius sententia duobus experimentis clarissimis infringitur: alterum colligitur à Galeno libro de causis morb. cap. 3. dum dicit, quod apud Istrum sub dio frigidissimo, nullo aëre flante, lucerna accensa à frigiditate illa intentissima extinguitur, quod sanè non eueniret, si frigiditas esset qualitas priuatiua: omnes enim actiones prodeunt ex omnium consensu à positiuis, & non priuatiuis efficientibus: alterum experimentum afferimus nos, estque, quia hyeme aliquando vidimus, copiosissimas esse collectas niues, easque adeo velociter ab ingentissimo superueniente frigore (nullis flantibus ventis) absumi & resolui, vt tam breui calida constitutio austrina eas absumere non posset, quod reuera non accideret, si frigus esset solum quid priuatiuum, vt dixit Cardanus: quibus suffulti experimentis merito cum Galeno, & Aristotele locauimus frigus in catalogo causarum positiuarum, & per se.

Vt reijcitur Cardanus dicens frigus esse quid priuatiuum.

Ex traditis causis externis per se refrigerantibus colligimus duos locos indicantes pituitam, alimentum nimirum frigidum, & vicinitatem, vel adhæsum frigidi corporis: dicere ergo valemus, præcessit alimentum frigidum, vel vicinitas corporis frigidi, ergo corpus est refrigeratum, & inde facile est, vt pituita sit collecta. Quomodo autem differentiæ pituitosorum humorum colligantur, à Galeno docebimur 3. aphor. 12. qui volens ex procatarcticis colligere pituitæ differentias dicit, insipida pituita fit à pauca præcedente frigiditate: nos vero, vt rationi consonum, colligemus pituitam acidam, vt est frigidior, fieri à fortiori: vitream ab ingentissima præcedente frigiditate; alimenta igitur, vel corpora adhærentia si fuerint moderatæ frigiditatis, insipi-

Quomodo ex vi in sex rerũ non naturalium colligi possint species pituitosorum succorum.

dam pituitam, si frigidiora, acidam, si frigidissima, vitream, quam vocant Praxagoræ aceruabunt. Similem quoque coniecturam colligere poterimus ab iis, quæ per accidens refrigerant, quoniam si de valde suffocantibus, veluti de maxima potionum, & ciborum ingluuie loquemur, dicemus inde viscosam, & vitream pituitam aceruari: si de iis, quæ non adeo vehementer suffocant; dicemus pituitam insipidam, vel acidam aggregari; diximus ciborum præcedentem ingluuiem indicare viscerum calorem esse suffocatum, & inde genitam esse copiosam pituitam; quia copiosum cibum ventriculus, dum non potest arctè amplecti, & vndequaque atterrere, & comminuere, illum vertit in rudem & imperfectam pituitam, quæ deinde in mesenterium, & iecur restagnans sanguinem imperfectum facit: hic igitur sanguis, si caput, & alias partes petit, vertitur in pituitam modo insipidam, modo vitream, pro vt magis vel minus rudis extiterit chylus; sæpè enim videmus in iis, qui nimium prolixè indulsere cibis, & potionibus à capite expelli pituitam per nares modo insipidam, modo ponticam, quæ si iugi præcipitio procumbat in pectus, in articulos, vel in alias partes, pro vt variis vitiis est imbuta, variò etiam modo percutit, & lacerat viscera: quare si pituitæ læsiones erunt insignes pituitam vitream, si moderatiores, acidam, si adhuc mitiores, insipidam peccare coniiciemus: similiter de resoluentibus dicemus, præcessit motus immodicus, coitus, animi passiones, & cætera, quæ resoluunt calorem, ergo pituita, verum hac lege seruata, vt à diminuto & pauco calore acida, à minimo & ferè extincto vitrea fiat; causæ enim admodum calefacientes aperiendo, & rarefaciendo meatus internos, & externos per accidens partes corporis viuentis refrigerant, quia calor naturalis per expeditos meatus abiit, vnde pituita frigidior fiet, quanto causæ resoluentes fuerint potentiores.

Vt succi pituitosi innotescant per syndromem signorum desumptorum à dispositione patientis, & à morbis.

Capvt VI.

EX corpore disposito ad generationem pituitosorum succorum facilè colligere poterimus pituitæ dominium; signa harum dispositionum desumuntur tum ab antecedentibus, tum à consequentibus. Antecedentium quinque sunt loci indicantes hanc dispositionem, quorum primus desumitur ab hæreditate, filij enim orti à parentibus pituitosis, vt plurimum sunt pituitosi, hæreditariéque mores animi, & corporis parentum sæpè suscipiunt, quod confirmatur experientia ab auctoritate antiquorum desumpta, apud illos enim (vt refert Plutarchus) tantus erat timor, ne filij morbos parentum reciperent, vt consueuerint plures hac superstitione natos ex parentibus tabidis, præseruare, vt scilicet filij detinerent pedes in aqua, donec mortuus pater

Quinque loci antecedẽtes, qui ostendere possunt corpora esse disposita ad pituitosos succos.

pater combureretur, ne forsan morbus paternus communicaretur filiis. Secundus locus consistit in ætate senili, vt plurimum enim qui sunt annis obsiti ad pituitosos succos congerendos sunt procliues, quia calor ætate illa languescit, vnde alimentum non in sanguinem perfectum, sed in pituitosum succum sæpè cedit. Tertius locus consistit in habitu corporis, continétque sub se tres alios locos, quorum primus est habere corpus obesum, obesitas enim signi ficat crassos, & viscosos succos congestos esse: secundus locus est habere venas exiles, quæ (vt placuit Galeno in ar. med. vbi loquitur de temp. iecoris) ostendunt iecoris frigiditatem, & per consequens inclinationem ad congregandam pituitam, quæ frigida est: tertius locus est physionomicus: etenim ex Aristotele, qui magnam habent maxillam inferiorem, & ex Auerr. qui albos oculos habent obnoxij sunt pituitosis succis. Quartus locus sumitur à virtute debili, quia virtus robusta in ægrotante, vt plurimum supercoquit humores, debilis diminutè coquit, & inde congregat pituitosa excrementa. Quintus locus, qui est omnium certissimus, sumitur ab intermissa aliqua consueta pituitæ euacuatione: etenim, si post suppressam euacuationem pituitæ euacuandæ per vomitum, per nares, per aluum, vel per alias partes prolabimur in morbum, illico coniicimus illius morbi causam esse pituitam.

A consequentibus dispositionibus corporis quinque scaturiunt loci indicantes corpus esse propensum ad viscidos humores: scilicet ab actionibus animalibus vitalibus, & naturalibus, ab excrementis retentis, vel excretis, & demum à qualitatibus sensibilibus. Actiones animales ostendentes pituitosam dispositionem sunt esse somniculosos siti non vexari, deiectumque habere appetitum, nisi fortè pituita acida abundaret, hæc enim comedendi appetentiam excitat æquè, ac melancholia: sed quomodo hæc cognoscatur, ex aliis signis patebit. Demum ex signis rectricum facultatum cerebri colligitur dispositio hæc pituitosa; etenim, si habent tardum, retusumque ingenium, illorum capita sunt pituitosa: similiter, si tardè percipiunt, atque præcipuè, dum semel apprehendunt, firmantur in illo, sintque tales, vt ad alia ægrè transeant, sintque diligentissimi, vt sunt Germani, & omnes inhabitantes Regiones frigidas, qui horologia, & multa alia summa diligentia efficiunt, sunt pituitosi. Postremò, si mores animi spectemus, inferimus ex paucis, vel nullis moribus pituitam, dicebat enim Galenus 1. de nat. hum. com. 19. animi aciem à bile, constantiam & prudentiam à melancholia, stoliditatem à sanguine prodire à pituita vero nullos mores confirmari. Quare si erunt insulsi, moribusque carentes, inferre poterimus esse pituitosos. A vitalibus desumuntur hæc signa, vt scilicet non sint in iram proni, neque in venerem furiosi, pulsusque habeant molles, tardos, & suffocatos. A naturalibus, vt expultrices, & alteratrices suorum munerum officia tardè expleant, sentiantque cibum in stomacho sæpè esse molestum: noctuque præcipuè post primum somnum in horis antelucanis cibo adeo ingra-

Quinque loci consequentes corpus dispositum ad pituitam.

uescant, ac paululum ante comedissent, & demum tales à ieiunio summam hauriant vtilitatem, quod experientia quoque ostenditur, quia, quod digeritur à bilioso quatuor horarum interuallo, à pituitoso vix octo horarum cursu concoquitur; bilis enim est humor, qui attenuat, atterit, & promptè expellit. Ab excrementis, videmus per nares, per os, per tussim plurimis corpus scatere viscosis excrementis, saliuaque abundare. Postremò à qualitatibus sensibilibus in toto corpore obseruamus calorem mitem, colorem album; pilosque fieri cito canos, qui cum Galeno 2. de temp. cap. 5. pituitam significant. Verum plura alia sunt à Galeno in ar. med. & alibi proposita, sed quia hic non est locus agendi de omnibus signis, sed solum tractandi methodum, qua penetrare possumus quando succi pituitosi in abscondītis partibus nostri corporis peccent, declarata methodo vlterius de iis signis non prouehar.

In tertio fonte octo continentur loci ostendentes quando pituita peccat.

Expensis locis pertinentibus ad viscerum dispositiones. Nunc mentis aciem dirigimus ad tertium fontem, qui continet morbos, nisi enim ab aliis propositis locis morbi dissenserint, certissime succos pituitosos alioquin occultos indicabunt. Cum igitur, ex Galeno 3. de crisibus cap. 4. quatuor sint de ratione morbi, Idea videlicet, motus, magnitudo, & mos; rationi erit consentaneum, vt hæc quatuor indicare possint humores ipsos efficientes. Quare cum Idea morbi essentialiter de morbo prædicetur, principales loci in hoc fonte ab Ideis morborum meritò colligentur. Hinc intemperies frigida & humida cuiusque partis, quatenus est affectuum Idea, indicabit pituitam. Similiter hydropis omnes species, quatenus sunt intemperies humidæ, pituitam ostendent. Insuper ex pondere, & tumore apostematis duo orientur loci, à quibus coniicere poterimus pituitam, quia sicuti ex inflammatione sine tumore, & pondere, vt superius ostendimus de erysipelate, & herpetæ indicatur bilis: similiter ex pondere, necessario colligemus crassos, & viscosos humores: hinc valet consequentia, est lethargus, qui est cum maximo pondere, ergo peccat pituita, est hydrocephalea, ergo frigidus & aquosus humor; est mesenterij abscessus, ergo sanguis valde pituitosus: hic abscessus reuera est cum ventris pondere & ob mesenterij situm sine vllo externo & apparente tumore: huncque affectum, dum medicum agerem in Vngaria non semel tractaui, quia homines ibi nimium prolixe indulgentes poculentis, & esculentis in mesenterij affectum facilè prolabuntur, quod Italis, & Hispanis raro contingere videmus: quinimmo fateor in Italia abscessum mesenterij me hactenus non vidisse. Præterea à morbis glandularum illico inferimus (nisi alij loci aduersentur) causam esse pituitam, quibus positis, valebit, sunt strumæ, ergo pituita, est bubo in glandulis inguinum, vel axillarum, ergo pituita.

Quatuor loci ab ideis desumpti indicantes pituitam.

Tres loci orti à motu morbi indicantes pituitam.

Præterea à motu morbi oriuntur tres loci, quorum primus est à motu totius morbi, estque quatenus sunt cronici, vel acuti, id est tardi, aut veloces, valet enim consequentia, morbus est cronicus, & tardi motus, ergo pituita, vel melancholia peccat: cognoscemusque primis diebus motum totius morbi forè tardum ex moti principio

tardo,

ardo, cognoſcemuſque huius tarditatis cauſam eſſe pituitam, & non melancholiam ex ſignis aliorum fontium, quia hic non per vnicum ſignum in re difficili eſt incedendum, ſed per ſignorum ſyndromem, quæ ſola vehere poteſt nos ad veritatis apicem. Secundus locus oritur à motu periodicationis, oſtenſum eſt libro 5. cap. 4. & 5. inuaſionem de tertio in tertium bilem, de quarto in quartum melancholiam, & quotidianam oſtendere pituitam. Tertius locus deſumitur à tarditate paroxiſmorum, etenim paroxiſmi, ſi erunt tardi motus, indicabunt craſſum, & lentum ſuccum dominari.

Cæterum, quia paroxiſmi longi non ſemper fiunt à lentis ſuccis, cum dicat Galenus 2. de differ. feb. 11. longas acceſſiones fieri vel ob multitudinem materiæ, vel ob craſſitiem, & lentorem, vel ob imbecillitatem potentiæ, vel ob anguſtiam meatuum. Idcirco, vt hanc veritatem certò conſequamur, duæ ſunt viæ, quibus inuenire poſſumus, quando tarditas paroxiſmi à melancholia, vel à pituita, vel ab alia cauſa fiat; altera conſiſtit in argumento ex ſufficienti part. enumeratione, percurrendo ſcilicet per omnia membra diuiſa, nullamque committendo principij petitionem, probando per ſigna propria, vel communia bilis ſuperius propoſita non eſſe ob multitudinem bilis; & deinde non eſſe ob craſſitiem melancholicam, non ob imbecillitatem, neque ob meatuum anguſtiam; etenim his omnibus membris excluſis quiſque inferre poterit paroxiſmum eſſe tardum ob lentorem pituitæ: ſi vero aliæ tarditatis cauſæ nobis ſe offerrent, veluti ſunt illæ à Galeno propoſitæ 3. præſag. 28. dum dicit, longam febrem fieri ob tres cauſas, ſcilicet aut propter aliquam particulam malè affectam, cui ægrè curatio adhibetur, aut ob crudos, & craſſos ſuccos, aut ob errorem commiſſum; ſimili modo procedimus, quia primo argumentari poſſumus non eſſe ob errorem commiſſum, neque ob particulam malè affectam, neque ob melancholiam, quibus excluſis inferimus eſſe ob pituitam, eodemque modo in omni conſilij anguſtia procedemus: altera via conſiſtit in recto examine ſyndromis ſignorum omnium humorum: etenim eſt omnino impoſſibile, quod ſyndrome ſignorum oſtendentium pituitam reſpondeat melancholiæ, & verſa vice.

Duæ methodi quib. ſcire poſſumus cauſam tarditatis paroxiſmi.

Inſuper eſt locus ab horis nocturnis; ſi mouetur humor meridie, eſt bilis; ſi veſperi, erit melancholia, vt in iis, qui afficiuntur lue gallica, obſeruatur: ſi media nocte, erit pituita: dicit enim Galenus 12. meth. cap. 5. qui ex crudis ſuccis laborant, hos quotidiè acceſſiones exercent, præcipuéque ad veſperam, & noctu, non mane, nec vſque ad meridiem: per crudos ſuccos Galenus intelligit craſſos, & viſcoſos, per craſſos intelligit melancholiam, per viſcoſos pituitam, craſſi mouentur veſperi, viſcidi noctu: colligas ergo, quod in morbis octo præcipui obſeruentur loci oſtendentes pituitæ dominium, quorum primus eſt deſumptus ab Ideis, vt ab intemperie frigida, & humida. Secundus ab inflammationis pondere. Tertius à tumore inflammationis. Quartus à morbis glandularum. Quintus à motu totius mor-

Locus ab horis nocturnis oſtendens pituitam.

bi. Sextus à motu periodicationis. Septimus à motu vnius paroxiſmi. Octauus ab horis nocturnis. Ab iis ſignis optimè colligere poterimus, quando morbi fiant ob pituitam.

Vt pituitoſi ſucci præcognoſcantur per ſyndromem ſignorum communium deſumptorum à ſymptomatis locis affectis, & à iuuantibus & lædentibus.

Cap. VI.

Tandem loci, qui commodè nobis inſeruient pro cognoſcendis pituitoſis ſuccis, deſumuntur à ſymptomatis, locis affectis, & à iuuantibus, & lædentibus: ſymptomata ſunt actiones læſæ, excrementa, & qualitates mutatæ: actiones verò ſunt Animales, Vitales, & Naturales. Ab Actionibus animalibus rectricibus, & non rectricibus læſis colligere poterimus pituitæ redundantiam; à Rectricibus, veluti à memoria deperdita, ab ingenio repente facto obtuſo, ab apoplexia, caro, comate, catocho, ab omnibus iis morbis ſæpiſſimè colligemus lentos, & viſcoſos ſuccos.

Dub. Verum ſtatim exurgit dubitatio, quia, ſi exempli gratia de cauſa memoriæ deperditæ ageretur, non valeret hæc conſequentia, memoria eſt deperdita, ergo pituita dominatur, quia cauſa huius affectus non ſolum poteſt eſſe pituita, verum etiam ingens aliquod externum frigus; ſimiliter, ſi de apoplexia dubitaremus, non videretur bona hæc conſequentia, eſt apoplexia, ergo pituita redundat, quia *Sol.* licet vt plurimum apoplexia fiat à pituita, attamen eſt Galeni ſententia 6. aphoriſmorum 56. quod aliquando fiat à melancholia; occurrimus concedendo locos à ſymptomatis, vel à morbis non poſſe niſi iunctos cum aliis locis antecedentibus & conſequentibus oſtendere abſolutiſſimam illam cognitionem, quam quærimus, quare, ſi pendet animus, dum ex memoria deperdita pituitæ redundantiam inferimus, facilè omnem dubietatem auferemus, ſi rectè viderimus locos aliorum fontium non reluctari, vel non eſſe diſcordes, ſed omnes in eandem veritatem conſpirare. Etenim ſi viderimus ante memoriam deperditam præceſſiſſe alimenta copioſa, & frigida generantia pituitam, incipiemus confirmari, quod memoria deperdita à pituita procedat, ſed quoniam res non naturales, niſi corpus ſit diſpoſitum, non imprimunt veſtigium aliquod, ideo, vt certiores redderemur, poſuimus in ſecundo fonte varios locos, quibus melius confirmaremur, ibi enim exquirimus locos pituitam arguentes, quos ſi inuicem non viderimus diſſentire, certum & exploratum iudicium faciemus: loci non diſſentientes eſſent, dum ſimul videremus ægrum habere venas exiles, eſſe ortum à parentibus pituitoſis, & interceptam eſſe conſuetam pituitæ euacuationem, eam cognitionem ab hac concordia locorum colligemus, quæ ſcientiæ demonſtratiuæ æquiparari poterit.

Qua methodo cognoſcitur quando memoria læſa cauſa ſit pituita.

Simi-

Simili modo de causa apoplexiæ est dicendum, quia, quamuis vt plurimum pituita crassa, & copiosa tollat actiones rectrices animales, nihilominus hoc aliquando à melancholia, à copioso sanguine, & ab aliis causis potest prodire. Idcirco tot locos proposuimus, quot sufficerent ad tollendam omnem ambiguitatem; etenim, si apoplexia fieret à melancholia, esset necessarium, vt loci primi, & secundi fontis illud manifestarent, veluti, si de primo fonte loquimur, dicimus locum desumptum à cibo crasso iunctum cum loco desumpto ab aëre feruentissimo arguere posse illam melancholiam, quæ est fæx adusta. Galenus enim secundo ad Glauc. cap. 10. ex alia causa noluit elephanticam melancholiam, quæ est fæx adusta, prodire, quam ex cibo crasso, & aëre feruentissimo. Mox expensis locis causarum externarum examen fieri potest in secundo fonte, ostendendo habitum non esse melancholicum, ægrum non esse lienosum, non fuisse antea passum biliosos morbos, qui forsitan in melancholiam degenerauerint, non fuisse suppressas hæmorrhoidas, parentésque non fuisse melancholicos, quibus conditionibus seclusis, inferri certa scientia poterit, illam apoplexiam non prodire à melancholia, sed potius à pituita: verum, si in animo vigeret scrupulus, & adhuc videretur non eminere omnem claritudinem, cum apoplexia à sanguine, à lumbricis, & ab aliis causis fieri possit; tunc confugere expedit ad locos à quibus pituitæ dominium colligimus, quia ibi statim inueniemus, an procatarcticæ frigidæ, & humidæ præcesserint, an consueta euacuatio pituitæ sit suppressa, an ætas senilis sit, & demum confirmabimur per locos à iuuantibus, & lædentibus desumptos, si enim à calidis & siccis, à ieiunio æger leuamen sentiat, statim iudicabimus apoplexiæ causam esse pituitam.

Vt cognoscitur quando apoplexia fiat à pituita.

Præterea sunt alia plura symptomata pertinentia ad actiones animales, quæ, si erunt tradita methodo expurgata, certo indicabunt pituitam, valere enim videntur consequentiæ, est coma, ergo pituita peccat, est conuulsio, ergo lenti, & crassi succi, vt placuit Galeno 5. sect. aph. 70. est paralysis, stupor, ergo pituita, & quamuis stupor à melancholia aliquando possit fieri, omnem euelles dubietatem, si expenderis locos pertinentes ad melancholiæ, & pituitæ ostensionem: ad eundem modum ex tremore vt plurimum inferimus pituitam, & perbellè præcognoscemus tradita methodo, quando à melancholia procedet. Insuper, si viderimus, ægrotantem affligi dolore grauatiuo, inferemus pituitam ipsum vexare. Similiter, si quis fuerit obsessus colicis doloribus, vt plurimum iudicabimus pituitosum succum acidum, vel vitreum esse doloris auctorem; verum, quia aliquando colica passio à bile prassina, vel à melancholia fieri potest, ingenij acumen in his symptomatibus pro viribus est exacuendum, quod fiet cribrando omnes locos declarantes melancholias, & biles.

Symptomata animalia ostendentia pituitam.

Verum pro maiori declaratione proponamus casum colicum, sit patiens temperamenti pituitosi, qui sit vsus nimio coitu, ísque paulo ante animi passionibus turbulentissimus sit implicatus, & concussus,

Qua methodo cognoscatur peccãs humor in colica passione.

atque illius naturæ fuerit, vt ob ieiunium non leuamen, sed lassitudinem semper maiorem acquireret, fueritque prolixè admodum vsus aqua frigida, & esculentis calidis, & paulo ante biliosis affectibus fuerit inuolutus: deinde huic accidat colica passio, accidatque sitis nimia; quid diceres de causa efficiente? quomodo te in peruestiganda gereres, nisi proposita methodo incederes? an-ne, dum diximus patientem esse temperamenti pituitosi, inde quoque dicemus esse valde dispositum ad congerendam pituitam? & si inuenerimus aliquod signum consequens pituitæ dominium, colligemus necessario ægrum illa passione contorqueri ob pituitam? Similiter, si inuenerimus indulsisse potioni frigidæ, an-ne inferre poterimus pituitam acidam? & vbi signa antecedentia, vel consequentia fuissent validiora, vitream? rursum, si inuenerimus ægrum perpessum fuisse animi passiones insignes, vsumque esse coitu, & obsoniis calidissimis, an-ne inferemus pituitosis succis succos calidos, & biliosos confarctos esse, qui potuerint facere truciorem colicam passionem? verum omnino confirmabimur, si viderimus signa consequentia biliosa sæuire, veluti ægrum febre, & siti insigni vexari, vel confugiendo ad postremum fontem, qui est de iuuantibus, & lædentibus, ob ieiunium scilicet, & inediam, lassitudinem, & dolorem truciorẽ fieri. Cæterum, si vis quoque altius penetrare, qua bile æger hic vexetur, flaua, vitellina, porracea, vel æruginosa, hac via exquirere debes, dicendo non esse flauam, quia hæc bilis est mista cum pituita, quæ mistura in ventre, vel intestinis facit porraceam: est enim Galeni vulgata sententia, porraceam fieri in ventriculo ex mistura bilis cum pituita; comprehensa hac peccante causa, deinde præsagies summa cum astantium admiratione fore, vt paulo post per aluum vel per vomitum ab ægrotante excernatur porracea bilis; præsagiésque si temporis longioris tractu hæc bilis à calore præter naturam aduratur fore, vt excernatur per aluum æruginosa bilis, si sanus fieri debeat; quo diutius enim moratur bilis in ægrotantibus, eo deterior fit.

Vt ab insomniys colligi possint humores peccantes.

Ab animalibus actionibus læsis, vt à somniis niuium, glaciei colligitur pituita: audias Galenum primo de morb. vulg. com. 3. text 1. si aliquis in somniis videt imbres, niues, & grandinem, signum est abundare frigidum humorem, si incendium flauam bilem, si somniat se esse in fœtido loco putredinem humorum; si cristas gallorum ruffas videt, signum est abundare sanguinem. Demum colligimus differentias pituitosorum succorum per signa tradita à Galeno libro de plenitudine cap. 11. vbi dicit somnolentos indicare dulcem pituitam: famelicos acidæ redundantiam: siticulosos salsæ, & appetitus amissionem crudæ pituitæ dominium indicare. A vitalibus actionibus læsis quamplurima scaturiunt symptomata quæ arguere possent crassos, & frigidos humores, veluti erat illud symptoma Antipatri Medici, qui, vt refert Galenus 4. de loc. aff. vltimo, habebat magnam pulsus inæqualitatem, & difficultatem respirandi. Ex hoc symptomate optima ratione Galenus colligere poterat in magnis arteriis esse factam angustiam

Qua methodo potuit Galen. inuenire Antipatrum Medicum habuisse tuberculum.

ab humo-

ab humoribus crassis, vel à tuberculo in vasis spiritalibus oborto: verum ab vtra ex illis causis fieret illa angustia in Antipatro, & qua via illa cognosci possit, mihi videtur quod ex propositis fontibus eam commodè assequi potuissemus: exempli causa, si à nobis obseruatum esset Antipatrum Medicum solitum non fuisse in errores illos externos, qui pituitam augent, prolabi, vel non habuisse conditiones disponentes corpus ad pituitosos laqueos, nec demum vlla conspirasse signa, quæ consequuntur pituitæ redundantiam: iis visis cum Galeno potuissemus firmiter tenere in Antipatro angustiam à tuberculo, & nequaquam ab humoribus crassis ortam fuisse; quando enim ob duas tantum causas oriri potest affectus, & altera illarum excluditur, sequitur necessario, vt causa non exclusa sit illa, quam quærimus, & quæ efficit affectum.

Sed conuertamus eundem stylum in naturalia symptomata, in primis semper colligimus ab alteratrice diminuta pituitam redundare, per diminutam non intelligimus impeditam, sed imbecillem, & quæ ab Aristotele 4. meteorum dicitur μόλυνσις & quæ opponitur optimæ elixationi: ait enim philosophus μόλυνσις δὲ ἀπεψία μὲν ἐναντία δὲ ἑψήσει ex hac enim alteratricis facultatis imbecillitate generatur pituita, quæ est semisanguis, generatúrque ille succus, quem vocat Aristot. ὠμὸν id est crudum & immaturum, ad differentiam illius succi incocti, qui dicitur ἄπεπτος, qui (vt placuit philosopho) prædicatur de diminutè cocto, & de supercocto, quando igitur erit hoc modo imbecillis alteratrix facultas, facilè colligemus pituitæ redundantiam, quia alimenta in iis prius in pituitam, quam in sanguinem abeunt. *Vt ab alteratrice diminuta colligitur pituita.*

Ab expultrice quoque diminuta colligimus pituitam, munus enim promptè expellendi excrementa demandatum est biliosis succis: sæpè tamen occurrit, vt loci isti seorsum considerati non sint æternæ veritatis, quoniam aliquando accidere solet, vt expultrix sit irritata non à bile, sed à pituita acida, vt docet Galenus in casu vxoris Epicratis, quæ mulier passa est rigorem sine caloris consecutione, rigor enim fit ab expultrice irritata, valet ergo apud Galenum hæc consequentia, rigor superuenit sine febre, & caloris consecutione, ergo pituita acida est illa, quæ pungit partes corporis sentientes, nullus est alter frigidus, crudus, & pituitosus humor, qui sine caloris consecutione habeat vim irritandi expultricem, nisi acidus; salsa vero, si pungit, id facit cum caloris consecutione, rigor verò à bile factus differt à rigore prodeunte ab acida pituita, quia si bilis pungit partes sentientes, necessario corpus feruescat oportet, quod non euenit, si pituita acida vellicat partem sensu dominatam. *Vt ab expultrice irritata colligitur pituita acida.*

Denique à nutritione diminuta, vel ablata, vt est atrophia, sæpè colligimus pituitam mucosam; dicit Galenus 2. de fac. naturalib. 9. mucus sanguinem nutrire impedit: verum, quia atrophia potest fieri ab intemperie in habitu, percurramus (vt diximus superius) per propositos fontes, vt auferatur ambiguitas; tot loci enim ea de causa proponuntur, vt in qualibet consilij angustia eorum plures simul *Vt à nutritione læsa colligitur pituita.*

coniungamus; iuncti enim necessario indicabunt, quinam sint humores peccantes.

A quibus exeuntibus colligitur pituita.

Ab exeuntibus coniicimus pituitam redundare, vt ab vrina alba cum multo sedimento inferimus statim pituitam peccare: à vomitu albo, & viscoso illico colligimus corpora pituitosis succis grauari: ex albis vteri profluuiis pituitosum succum altas habere radices cognoscimus; an verò hæc pituita in vterum procumbens, vel in alias partes à stomacho, à capite, à toto, vel ab vteri acetabulis originem primariam trahat. colligi poterit à locis pro cognoscendis partibus affectis propositis in libris superioribus. Præterea ab exeuntibus cutaneis albis, viscosis, veluti dum corpus madoribus diffluit, non decipiemur, si inferemus, tunc pituitam dominari; hinc si in tinea, vel simili affectione cutanea viderimus, exiens esse viscidum, dicemus cum Alexandro capite de tinea, pituitam illius affectionis esse causam; si verò sudor erit salsus, dicemus cum Auerroe prima canticæ tract.2. text.338. pituitam salsam dominari, si dulcis, sanguinem, si acerbus, & austerus erit sudor, melancholiam. Nec Mercurialis libro 5. de excrementis capite primo rectè obiicit Auerroi, sudorem scilicet sua natura salsum esse, quia nos dicemus Auerroem intellexisse de insolita sudoris salsedine. Insuper, si sputum erit album, crassum & rotundum, valebit dicere, ergo est assata pituita, de qua re loquens Galenus 2. prognost.cap.46. habet, quod quādo hoc sputum apparet, sit signum læthale. Demum dum egreditur ab oculis serosa humiditas, vt in epiphora euenire solet, aquosam pituitam colligimus; an verò sit mista bilioso succo, vel salso, vel pontica melancholia, eas (vt hoc exploremus) seruabimus normas, quas superius docuimus in perquirenda colica passione: per hypothesim; si quis haberet epiphoram, isque multo ante victitasset lacte, & aliis esculentis calidis & crassis, & calidam inhabitasset regionem, an-ne ex iis procatarcticis suspicari inciperemus, serrosam humiditatem effluentem ex oculis mistam esse melancholico humore? an-ne, si in ipso exploraremus aliquam conditionem disponentem corpora ad melancholicos succos, eo certiores redderemur & demum si in tertio fonte, qui est de morbis inueniremus ægrum esse lienosum, vel alium affectum melancholicum pati, nunquid non certissimi essemus serosam humiditatem facientem epiphoram mistam esse ichoribus melancholicis? videas ergo quo pacto per fontes propositos sit facilè inuenire in quolibet affectu præter naturam quamlibet speciem humorum peccantium. Postremò sunt qualitates mutatæ, colligimus enim ab albo colore; ab externo frigore, & à plurimis aliis superius citatis pituitæ dominium.

Methodus inueniendi quando epiphora sit ab ichoribus melancholicis.

A partibus affectis colligimus quinque locos ostendentes pituitæ redundantiam, suntque glandulæ, cerebrum, ventriculus, pulmo, & articuli: hinc si viderimus glandulas esse effectas, dicemus statim inquinamentum esse pituitosum, idcirco, si tactu cognouerimus esse tumidas glandulas circa inguina, guttur, axillas, vel collum, quæ vocantur χοιράδες, vel circa alias partes, illico dicere poterimus corpus affluere pitui-

re pituitosis excrementis. Solers enim, & alma natura instituit adenas, vel glandulas internas, & externas, vt excrementosæ pituitæ redundantis essent domicilia: duum generum sunt glandulæ, internæ, & externæ, externæ sunt omnibus conspicuæ, & manifestæ, & nulla methodo, an sint refertæ excrementis, egent, vt perquirantur; internæ sunt explorandæ methodo, quam tradidimus pro cognoscendis locis affectis internis; inter internas, quæ possunt repleri, in primis adest glandula capitis, quæ iacet sub calloso corpore, quæ assimilatur pinæ, quæ veteri consuetudine dicta est conarion: éstque alia ibidem cuneali osse circumsepta, in quam (vt dicit Galenus) restagnant vniuersa excrementa cerebri pituitosa, quæ deinde per os, & per nares percolantur; ex harum igitur glandularum affectionibus colligemus pituitam redundare. Adhæc plurimæ sunt glandulæ in mesenterio, quæ imbibuntur crassis, & viscosis succis, quas glandulas re vera si affectas esse cognouerimus, non solum pituitam, illius affectionis causam esse posse, iudicare poterimus; verum etiam melancholiam; pituitam, ratione proprietatis glandularum, quæ hac sorte effectæ sunt, vt sint propria receptacula pituitosorum succorum; melancholiã, quia quælibet glandula mesenterij circundat aliquem venæ portæ ramulum, à quo exprimi potest in glandulas crassus, & melancholicus sanguineus ichor: quinimo si copiosus in glandulas pancreas vocatas exprimitur, fieri potest passio hypocondriaca. Quo pacto vero ex *læsis iis* glandulis colligitur pituita, vel melancholia, per syndromem aliorum locorum, rem adeo certam reddere poterimus, vt nihil sit quod amplius dubitemus. Præterea plerisque aliis in locis sunt glandulæ, quarum affectiones ostendunt pituitam, veluti vbi flectimus genua, in collo vesicæ, in duodeno intestino, in omento, in quo pancreæ habent suam sedem, & demum ubicumque vena, vel arteria aliqua bipartitur, solers natura in diuisionis centro glandulam amplectentem ambos surculos locauit, ne ramuli frangerentur. Postremò cum mamillæ, & testes sint in glandularum catalogo collocatæ, ex iis læsis vt plurimum pituitosum succum redundare colligemus.

Cæterum non solum ex glandulis læsis incipimus suspicari pituitam abundare, verum etiam ex aliis præcipuis corporis partibus affectis; habemus enim ex Hippocrate libr. ne glandulis, caput esse pituitæ metropolim, quare facilè contingere potest, vt in qualibet læsione capitis concurrant quoque pituitosi succi, quinimmo ægritudines, quæ conueniunt propriè, & per se capiti, necessario à pituita pendere debent, non à bile, vel à melancholico succo per se, quia non fiunt à capite, sed à subiectis visceribus mittuntur, ergo per accidens & per consensum, & non primo læditur caput ab iis succis, per se tamen à pituita, quia in capite pituita fieri potest. *Vt à capite per se læso colligi possit pituita.*

Eadem ratione dicimus pituitam colligi posse per se, & semper à læso ventriculo, quia eius munus est quoque pituitam generare, & non bilem, vel melancholiam, vt valeat consequentia, læsum est caput, & ventriculus per se primo, ergo pituita est læsionis causa, qua me- *Vt à ventriculo per se & primo læso colligitur pituita.*

thodo vero ſit incedendum, vt cognoſcamus, quando pars aliqua corporis ſit læſa primo, & per ſe, declarauimus in 2. lib. cap. 3.

Vt à pulmone læſo colligitur pituita.

His adiungimus pulmonem, tamquam pituitæ receptaculum, quia excrementa pituitoſa cerebri iugi præcipitio procumbunt primo in glandulam oſſis cunealis, deinde in os, & per alia foramina in foramen tracheæ præcipitant, & tandem in pulmone colliguntur, ſæpiſſimè enim accidit, vt læſiones pulmonis oriantur à pituitoſis excrementis.

Vt ab articulis læſis colligitur pituita.

Addas denique articulos læſos, quia vt plurimum valet, articuli ſunt malè affecti, ergo pituita; hinc quæ pituitam augẽt artrithide catenatis ſunt maxime infenſa; non admittimus tamen Fernelij ſententiam, quod podagra fiat ſolum à pituita, & nunquam à cæteris humoribus; nec contra Fernelium diſputamus, tum quia hic non eſt locus de hac re verba faciendi, tum quia de hoc egerunt plurimi præſtantiſſimi auctores, inter quos eſt percelebris Æmilius Campilongius vir dignitate, ſcientia, ingenio, & innumerabilibus virtutibus exornatus. Satis erit nobis colligere, quinque eſſe præcipuos locos à partibus affectis deſumptos, qui nobis oſtendere poſſent pituitæ redundantiam, ſuntque glandulæ, cerebrum, ventriculus, pulmo, & articuli: verum, quia ſæpe loci ſeorſum expenſi probabiles ſunt, concludimus probabilitatem peroptimè expurgari per ſyndromem ſignorum ex aliis fontibus collectorum.

Quinque loci à iuuantibus, & ledentibus collecti indicantes pituitam redundare.

A iuuantibus & lędentibus quinque hauriuntur loci, qui ſaltem lectorem illico excitabunt in pituitoſis ſuccis cognoſcendis: primus eſt examinare an pituitæ euacuatio iuuet, quoniam ſi iuuauerit, nemo audebit dicere, patientem non abundare pituitoſis ſuccis. Secundus locus illud idem demonſtrans, eſt iuuari à calidis & ſiccis, valebunt ergo conſequentiæ, iuuatur ab euacuatione pituitæ, & à calidis & ſiccis intus, vel foris adminiſtratis, ergo eſt pituitoſus; ſimiliter læditur à frigidis, ergo eſt frigidus, & phlegmaticus. Tertius locus deſumitur à ieiunio, ſi enim ieiunium facilè ferunt ſunt pituitoſi Galeno auctore 2. de ratione vict. tex. 32. Similiter dum tollitur ieiunio laſſitudo, & ſitis, indicatur pituita: eſt Galen. auctoritas 6. de morb. vulg. com. 3. tex. 28. ſi ieiunium tollat laſſitudinem, & ſitim homines abundare pituitoſis ſuccis. Quartus locus eſt à ſomno deſumptus, nam ſi ſomnus tollit ſitim, valet, ergo pituitoſus ſanguis abundat; ratio huius conſequentiæ diuinitus à Galeno 6. de morb. vulg. comm. 4. tex. 23. iis
„ verbis traditur, ſomnus tollit ſitim, quia in ſomno ſanguis humectat
„ partes internas, quas petit; quare, ſi ſanguis eſſet bilioſus, calidus nimirum & ſiccus partes internas, & os ventriculi non humectaret; ſed exſiccaret, & ſitim augeret. Quintus locus à febre colligitur, dum iuuat, valebit ſemper conſequentia, iuuat febris, ergo pituita, eſt Galen. auctoritas 6. aphor. 44. nouimus febrem illis tantum morbis conferre, qui ex frigiditate ſunt ſola, vel cum humoribus crudis, & flatuo-
„ ſis ſpiritibus: ſimiliter 4. aphor. 57. Hippocrates dicit febrem ſoluere
„ ſpaſmum, & tetanum, quæ ægritudo à frigidis humoribus fit: videas

ergo

ergo quam ſolidos hic poſtremus fons contineat locos, qui nobis indicare, deregere, & aperire poſſunt humores pituitoſos alte repoſitos, & tenebrarum velo obductos, quique (ſi cæteri fontes non diſſenſerint) poterunt demonſtratiuam ſcientiam parere.

Quomodo omnes Melancolicorum ſuccorum differentiæ cognoſci poſſint per ſyndromem ſignorum communium à rebus non naturalibus deſumptorum.

CAPVT VIII.

EADEM via eſt perquirenda locorum ſyndrome, quæ nobis poſſit manifeſtare melancholicos humores: tres ſunt melancholicorum ſuccorum differentiæ, vt colligitur ex Galen. 3. de loc. aff. cap. 7. & pleriſque aliis in locis, alia eſt veluti fæx ſanguinis fæcibus vini haud abſimilis non aduſta: alia eſt bilis flaua ſupra modum aſſata, alia eſt melancholia, quæ eſt fæx ſanguinis aduſta. Hæ differentiæ quomodo fiant adeo eſt manifeſtum, vt non ſit, quod de generatione horum humorum loquar: omnes ſciunt fæcem melancholicam à cibo craſſiori prodire, atram bilem (vt dicit Galenus) à bile flaua ſuperaſſata: ſimiliter fœcem melancholicam aduſtam ab efficiente calidiſſimo interno, vel externo. *Tres eſſe melancholiæ differentias.*

Noſtrum eſt vt in hoc libri veſtibulo traditam methodum iterum experiamur, quia inde facilè colligere poterimus, quando in ægrotantibus peccabit melancholia, quæ eſt fæx ſanguinis non aduſta, quando atra bilis, quæ fit ex flaua ſuperaſſata, & quando aduſta fæx melancholica: exequamur ergo propoſitum, & confugiamus primò ad procatarcticas cauſas, quę diſponunt viſcera ad generationem melancholicorum ſuccorum. Procatarcticæ cauſæ diſponentes viſcera ad melancholiam duum generum ſunt, calidæ ſcilicet, & frigidę: quia duæ melancholię ſpecies ſunt calidæ. & alia eſt frigida: calidæ ſunt atra bilis facta à flaua ſuperaſſata, & fęx ſanguinis aduſta: melancholia verò, quæ ſua natura eſt frigida, vt dicit Galenus lib. de trem. & pal. cap. 7. eſt naturalis fæx ſanguinis, quæ copia tantum peccare ſolet, etenim homo ſine hac (vt dicit Galenus libro 5. de vſu par. capite 4.) nullo modo viuere poſſet. Calidæ procatarcticæ melancholiam augentes, de quibus vberrimè Galenus egit libro de atra bile cap. 6. Omnes, quotquot ſunt, referri poſſunt ad tria ſuprema capita, ad motum ſcilicet, ad vicinitatem corporum calidorum, & ad cibum, & potum calidum. Ad motum (vt diximus ſuperius) referuntur vigiliæ, coitus, exercitia, & omnes animi paſſiones, dicimus omnes animi paſſiones, quia Galenus 1. de diff. feb. cap. 3. vult non ſolum iram, verũ etiam mœrores, qui ſunt affectus contrarij, vim habere calefaciendi, & exurendi humores, donec melancholici fiunt: famoſa enim eſt hiſtoria ab Hippocrate relata de Muliere terrica, quæ ob nimios animi mœro-

res auxit humores adustos, & melancholicos: modus vero, quo mœstitiç adurunt humores, traditur à Galeno 4. de causis puls. cap. 4. & 1. de hum. cap. 1. vbi dicit, mœstitiam calefacere, quia contrahit calorem ad internas partes, quo contracto intensius exurere sanguinem, & spiritum. Frigidæ vero sunt vicinitas corporum frigidorum, alimentum frigidum, motus immodicus, & nimia quies, ad quam referuntur nimius somnus, & nimia coitus abstinentia: dicit Galenus 6. de loc. aff. cap. 5. nimiam coitus abstinentiam inducere torporem, & diminuere coctiones, & homines melancholicos reddere, & per consequens refrigerare: quare, si viderimus ægrotantem melancholicum, & ignorauerimus, an melancholia sit calida, vel frigida & sicca, ex precognitis iis procatarcticis colligemus locos, qui nobis hoc ostendere poterunt, dum enim Galenus dicit abstinentiam coitus reddere homines melancholicos, intellexit de melancholia, quç sua natura est frigida, & sicca, & quæ est fęx sanguinis, dum enim semen continetur, augetur sanguis, & per consequens fęx ipsius. Hi loci vniuersi consistunt in hoc examine, vt videamus, an prçcesserint causæ procatarcticç calidæ, vel frigidæ, colligemus ægrotantem fæce melancholica non adusta abundare, quæ melancholię species (vt colligitur à Galeno libro de inequali intemp. cap. 5. 2. de temperamentis cap. vlt. & 3. de loc. aff. 7. & 2 prę(ag. 47.) est frigida & sicca. Tanti erit horum locorum examen, vt in affectibus melancholicis, si quis illo non vtatur, facilè ignorare poterit melancholiæ differentias, & per consequens pæposterè curare ægrotos, quia melancholia, quæ est fæx sanguinis indicat calefacientia, cæteræ verò calidæ, & adustæ indicabunt refrigerantia.

Vt mœstitiæ gignant humores melancholicos, & adustos.

Loci verò valde vtiles pro cognoscendis specificis melancholię differentiis, tres ex hoc primo fonte colligi possunt, quorum primus desumitur ab aëre calido & feruente; etenim, si affectibus melancholicis anteiuerit aër æstuosus, ignéque pene emicans, inde certò colligemus melancholiam non posse esse frigidam, & siccam, sed calidam & adustam; an vero sit, quæ ex flaua superassata, vel quæ ex fæce adusta fit, hoc facto examine cognoscetur, scilicet si cum aëre feruido, vel alia extrinseca causa calida anteiuerit vsus crassorum ciborum, necessario colligemus melancholiam illam esse fæcem adustam, si vero calida procatarctica anteiuerint sine esu crassorum esculentorum, dicemus atram ortam ex flaua superassata redundare.

Quatuor loci indicantes specificas melancholicorũ succorum differentias.

Primus ab aëre.

Hinc oritur secundus locus in hoc fonte, qui est à cibo, & potu crasso desumptus, est Galeni 5. de loc. aff. 7. cibum crassum, vt est caro bubula, aprina, limaces, brassica, lens, gignere melancholiam, quç est fæx sanguinis: similiter subdit Galen. loco citato vinum nigrum, & crassum aptissimum esse ad gignendam melancholiam: à cibo igitur & potu crasso fæcem melancholicam colligemus, cognoscemus tamen fæcem non esse adustam ex hoc prçcognito vsu ciborum, & quãdo causę externæ calidæ non anteiuerint; adustam vero, si cum cibo crasso præcesserint quoque procatarctica calida, sicuti est aer ęstuosus,

Secundus locus à cibo.

sus, exercitium immoderatum, & vsus pharmacorum calidorum; est enim Auicennæ opinio, quod sępissimè homines fieri possint melancholici ob vsum pharmacorum calidorum; duos hos locos colligimus à Galeno 2. ad Glauc. cap. 10. dum adfert causam, cur multi in Alexandria patiantur Elephanticum affectum; in Germania, Mysia, & Scythia ferè numquam hunc affectum apparuisse; dicit, quamuis æquè, qui incolunt Germaniam, Mysiam, & Alexandriam comedant cibos crassissimos, attamen ob aëris frigiditatem in Germania, & Mysia hos melancholicos non fieri: colligere ergo possumus duo requiri ad generationem fęcis adustę, primum cibos, vel potiones crassas. Secundum intensum aëris calorem; omnis sanè calor externus potest adurere humores, aërem tamen, quia perpetuo corpus ingreditur, & quamlibet partem penetrantem citius, & valentius calefacere: quibus positis (nisi alia obstiterint signa, quæ ex aliis fontibus possunt depromi) quisque Galeni admonitu scire poterit, quando redundabit fæx non adusta, & quando adusta, & quando atra illa, quæ ex flaua superassata dependet.

Tertius locus desumitur à mœstitia sine causa, valet, mœstus est sine causa; ergo melancholia redundat: verum, quæ melancholia sit ex illis tribus, non apparet: audias igitur distinctionem; si mœstitia antecesserit morbo, dicas esse adustam, ratio potissima desumitur à Galeno 1. de diff. feb. capite 3. vbi concludit mœstitias, vel mœrores ratione motus aliquando eo vsque spiritus agitare, quousque exurantur, & deinde incalescant humores, & melancholici adusti fiant: si verò mœstitia secuta fuerit melancholicum affectum, præcesserintque edulia crassa, dicemus multam fæcem non adustam peccare, quia non anteiuit causa exurens, & calefaciens, valet enim consequentia, non præcesserunt causæ efficientes calidę, ergo humor peccans non erit calidus; hinc non semel Galenus dixit humorem melancholicum gignere mœstitiam, & mœstitiam melancholiam facere, quia mœstitia modo præcedit, modo sequitur melancholicos succos, si pręcedet fiet adusta, quia, vt dicit Galen. 4. de causis puls. 4. & alibi in omni mœstitia contrahitur calor ad internas partes, & temporis spacio exurit: si non præcedet, sed sequetur morbos melancholicos, non illico adusta erit: si denique non præcesserint vsus crassorum alimentorum, sed solum procatarcticæ exurentes atram bilem, ex flaua ortam redundare iudicabimus. *Tertius à mœstitia.*

Quartus locus desumitur ab autumno, valet morbus est autumnalis, & longus, ergo melancholia adusta peccat; ratio vero, cur in autumno solum adustæ melancholię peccent, & nequaquam fęx naturalis, desumitur tum à pręcedente æstatis calore, qui exurit fęcem sanguinis, vel flauam bilem, tum à natura autumni, in quo facillimum est, vt adurantur humores, manè enim tunc frigus inualescit; & interim prohibetur transpiratio humorum, qui sunt exusti ob præcedentem æstatem, in meridie verò calor persentitur ferè æstiuus, vnde ob has causas, & has mutationes de cõtrario in contrarium vnico die fa- *Quartus ab autumno.*

ctas, vel maximè incenduntur humores, & melancholici adusti fiunt. Cæterum, quæ differentia melancholiæ adustæ in autumno dominetur, an scilicet fæx adusta, vel atra ex flaua superassata orta, facilè, si fiet examen superius propositum, cognosci poterit, quia, si præcessit vsus ciborum crassorum, ob quos Galenus quoque putabat in Alexandria sæuire elephanticum, erit fæx adusta: si vero processerint signa abundantissimæ bilis, erit atra ex flaua orta, quia omnes tenaces humores biliosi, si recandescunt, exuruntur, & in aliam melancholiæ speciem non possunt conuerti, nisi in hanc exædentem, & furiosam melancholiam ex bile flaua combusta enatam.

Vt melancholici succi innotescant per syndromem signorum desumptorum à dispositione patientis, & à morbis.

Cap. IX.

Ex hoc fonte quinque loci antecedentes colliguntur qui indicant melancholiã.

SEQVITVR, vt proponamus locos indicantes corporis dispositionem ad succos melancholicos cumulandos: dum enim cognoscemus patientem esse valde obnoxium passionibus melancholicis, promptè virtute syndromis signorum sciemus, quando actu succi melancholici vexant illum; & quia (vt diximus) melancholiæ sunt duum generum, frigidæ scilicet, & adustæ; propterea duæ dispositiones sunt aduertendæ; qui enim sunt dispositi atrę bili furiosæ & exædenti, sunt valde dissimiles ab iis, qui proni & obnoxij sunt fæcibus melancholicis: locorum aliqui erunt antecedentes, aliqui verò consequentes: antecedentes quinque sunt, quorum primus est perquirere à quibus parentibus ortus sit patiens, quoniam parentes sæpissimè gignunt filios sibi similes, si parentes igitur fuerint soliti atra bile furiosa, vel melancholia illa terrestri, & frigida sępè vexari (nisi alia obstiterint signa) incipiemus suspicari patientes suos æmulari parentes.

Primus à parentibus.

Secundus ab ætate.

Si vero ex hoc loco aliquid certi non collegerimus, adest secundus locus, qui est ab ætate, sed, quia melancholię sunt frigidę, vel feruentes & siccę, excluditur ætas puerilis, & adolescentiæ, vt inepta pro cógerendis succis melancholicis, tum, quia pueri, & adolescentes sunt humidi, & per consequens contrarij omnibus melancholicis succis, tum, quia tanto ardore opprimi non possunt, vt in atram furiosam facilè incidant; dicimus ergo ætatem iuuenilem, consistentiæ, & senilem esse obnoxiam affectibus melancholicis, iuuenilem, & consistentiæ præcipuè atræ bili; iuuenilem, dum ingentissimo calore exuruntur; consistentię ob rationem traditam à Galen. 3. pręsag. com. 33. vbi dicit, sicuti autumnus æstate frigidior non sint difflari exustos humores in ęstate feruefactos, sed in atrã bilẽ eos conuertit, sic in ætate magis declinante exusti humores florentis ętatis ob transpirationem minus apertam in atram bilem conuertuntur, quare, si iuuenis sua natura

tura calidus non fuerit atra bile vexatus, in ætate consistentiæ certo vexabitur: senilem vero dicimus pręcipuè esse dispositam ad congerendam melancholiam frigidam & siccam, diximus pręcipuè, quia inueniri quoque possunt iuuenes, & qui in ętate sunt constituti, qui si copiosum habeant sanguinem, necessario plurimam fœcem melancholicam frigidam, & siccam sortiantur oportet.

Tertius locus consistit in habitu corporis, continetque sub se duos locos, quorum primus est habere venas latas: dicit enim Galenus 3. de loc.aff.7. quibus latę sunt venæ aptissimi sunt, vt humor melancholicus in ipsis cumuletur. Secundus locus est videre an corpus sit macilentum, vel gracile, Galenus 1.de hum.dicit, graciles, nigriores hirsutos, quique latas venas habent esse aptissimos ad gignendum humorem melancholicum: ratio vero, cur omnes melancholici sint macilenti, est, quia omnis melancholia conuenit in hac qualitate, vt siccus humor sit; hinc, qui in furiosam bilem inclinant, & qui abundant fęce melancholica, vt plurimum sunt macilenti. Nec obiiciant, quod, qui habent multam fœcem melancholicam plurimum quoque habeant sanguinem, & qui plurimum habent sanguinem, non possint esse graciles, Galeni est sententia 3.de morb.vulg.3.text.70. quod semper vbi sanguis multus est, ibi necessario sit multa fæx, & viceuersa, vbi scilicet est multa fæx, ibi multus sanguis sit. Respondemus non esse negandum in multo sanguine necessario esse multam fæcem, negamus tamen quod habentes multum sanguinem non possint esse graciles; fauet nobis Galenus 6.de morb.vulg.com.3.text.29.vbi dicit inueniri graciles, qui sanguine abundant, habetque hæc verba: aliqui graciles habent multum sanguinis, & aliqui crassi paucum, itaque non valet, est gracilis, & emaciatus, ergo non potest habere multum sanguinis, & versa vice, quia, vt dicit Galenus loco hoc citato extenuatio corporis non semper ab inanitione proficiscitur, cum aliquando ex repletione fiat; hinc Galen. loquens de muliere emaciata dixit fuisse detractum multum sanguinis maxima cum vtilitate; nisi enim plurimo sanguine mulier esset referta, non potuisset pati tantam sanguinis euacuationem: patet ergo melancholicos calidos, & feruentes & illos qui plurima abundant fæce melancholica frigida, vt plurimum esse graciles, & macilentos.

Tertius ab habitu corporis.

Quartus locus est physionomicus, in quo plura signa ab auctoritate philosophorum desumpta collocantur, quippe quæ creduntur aliquid posse in succis melancholicis indicandis; ex physionomia Aristotelis colligitur, aures paruas versutiam, & melancholiam indicare, haberurque concauos, & macros oculos, & mœstam faciem indicare melancholiam: prætere a 30.sect.probl.1. legitur, cutim duram, & venas tumidas, & varicosas indicare dominium melancholiæ; apud Auicennam libro.3.fen.14.tract.1.cap.3. legitur longitudinem digitorum ostendere iecoris magnitudinem, quæ est causa caloris, & Polyæmię, vnde omnes melancholię habent initium, à calore oriuntur melancholiæ adustæ: à polyæmia fæx melancholica non adusta; idem

Quartus à physionomia.

quoque colligitur lib.1 fen.2.doct.3.cap.1.vbi dicit breuitatem digitorum ostendere iecoris paruitatem, longitudinem magnitudinem, & per consequens caliditatem, & copiam sanguinis; locus iste physionomicus non seorsum expensus, sed iunctus cum aliis pariet exactam certitudinem dominantium humorum.

Quintus locus est à consueta euacuatione suppressa.

Quintus, qui est omnium certissimus desumitur ab intermissa, & suppressa euacuatione consueta melancholiæ, quæ per hęmorrhoidas, vel menses, vel per alias partes euacuabatur; valet enim consequentia, suppressa est euacuatio consueta humoris melancholici, ergo corpus non solum est dispositum ad augendam melancholiam, sed actu multa melancholia refertum est.

A consequentibus quoque colligimus signa corporis dispositi ad melancholiam, & quinque obseruantur loci, qui desumuntur ab Actionibus Animalibus, Vitalibus, Naturalibus ab excrementis retentis, vel exeuntibus, & à qualitatibus sensibilibus. Ab Actionibus animalibus rectricibus alteratis colligemus melancholiam, quę est fæx sanguinis ex eo quod ægri sint cogitabundi, taciturni, non furiosi; Galenus de vxore Dealcis loquens dixit, quod tacere erat signum melancholicorum succorum: præterea ij sunt tristes, morosi, ingeniosi, astuti tamen & cauti, constantes, & firmi in sententia; est Galeni 1.de natura humana comm.39.quod sicuti acies animi à bile, ita constantia, & firmitas à melancholico succo prodit. A somniis alteratis, quia omnis melancholia excitat nigra, & tetra spectra, & imagines. Præterea Albertus Magnus lib.1. de anim.tex.2. de melancholia frigida loquens dicit, quod melancholici, graues, & terribiles imagines patiantur propter sanguinis melancholici frigiditatem, & horrorem; quia imagines receptæ in horrido fiunt horribiles; denique ob alteratam imaginatricem ab obscuris & tenebricosis phantasmatibus semper timent aliquid non timendum; & sępè in vnica firmantur insania: horum sunt, qui putant habere in ventre magnum lumbricum: aliqui, si audiunt medicum loquentem de aliquo morbo, illico illo vexari credunt: si vero melancholia est adusta, tunc præterea excitantur symptomata sæuiora, quæ inferius declarabuntur.

Vt cognoscitur fæx melancholica per actiones animales.

Vt colligitur melancholia, quę est fæx sanguinis, à vitalibus læsis.

Quoad vitales actiones, istæ illico alterantur ab alteratis functionibus animalibus: horribiles enim imagines incutiunt metum, & terrorem cordi, vnde ex timoris excessu exsiccantur humores, & melancholici fiunt: deinde ex timore nascitur insignis quædam auaritia, ob timorem enim perpetuo machinantur, quomodo possint effugere omnia mala, quæ ipsis offeruntur. Hinc Aristot.7.Ethicorum cap.14.videns melancholicos semper timere, refert proprium esse melancholicorum, medellam semper postulare, & semper versari cum Medicis: Demum, qui melancholia hac terrestri sunt referti habent pulsus valde tardos, & raros, quod atræ bili non conuenit.

A naturalibus alteratis.

Ab actionibus naturalibus varia scaturiunt signa, videmus illos præter naturam esse famelicos, & promptius digerere cibos; causa depromitur à Galeno 5.de vsu part.cap.4. vbi dicit melancholiam natu-

ralem

talem vi sua astrictoria tenere cibos in ventriculo, donec sint percocti, atque ob eius aciditatem citius chylum fermentare. Præterea in iis intempestiua fames excitatur, quia per quartam portæ venam, quæ coronę in morem amplectitur ventriculi orificium, transmittitur hic terrestris succus debito copiosior, qui sua frigiditate, & acetositate contrahit in rugas orificium, & intempestiuam famem excitat; ex fame ergo intempestiua colligemus abundare humorem melancholicum terrestrem; promptè digestio fit; quia hic, & alter venę portæ surculus in ventriculi cauitatem euomit quotidie copiosissimam melancholiam, quæ vt copiosa efficacius astringit, & melius digerit: vt valde acida, promptius atterit, & comminuit; valebit ergo cõsequentia; alteratrix promptè suum explet officium, & obseruatur intempestiua fames, ergo humor melancholicus & terrestris abundat. Hic obiter notare possumus contra nonnullos, qui dicunt alteratricem ventriculi à calore, & non ab aliis causis fieri potentem, videntur errare, quia melancholia, quæ est bonæ coctionis auctor, est frigida: deinde experientia confirmatur, quia videmus pisces sua natura frigidiores hominibus integros cancros comminuere, & digerere, quod nullus homo posset. Ab expultrice diminuta colligitur melancholia, redditur enim tarda, & segnis ob virtutem astrictoriam humoris.

Vt errant qui putant ventriculum bene digerere solum ob calorem.

Ab excrementis quoque melancholiæ abundantiam colligemus; de melancholicis enim loquens Galenus lib. de plenit. cap. 11. dicit, hos esse saliua abundantes, & à potu abstinentes, causa vero abundantiæ saliuæ, & abstinentię potus colligi potest à Galeno, ab Aristot. & Hippocrat. à Galen. 6. epid. vbi dicit sanguinem melancholicorum esse serosum, quare, si sanguis est serosus, facilè fiet, vt saliua sint abundantes, & à potu abstinentes. Aristot. in problematibus de melancholia loquens dicit, humorem melancholicum delectari serositate, & 2. de par. animal. 4. dicit; corpora sanguinem dilutum habentia esse timidiora; quare & melancholica, quia timor pręter rationem semper arguit melancholicos succos. Hippoc. 4. de morbis dicit lienem esse aquæ locum. Causa autem, cur melancholia magis quam pituita sit referta serositate, est virtus astrictoria melancholiæ, quæ prohibet, ne serum subito diffluat, & euacuetur: ostendimus cum Galeno 5. de vsu part. 4. melancholiam tenere cibos diutius in ventriculo ob vim suam astringendi; argui ergo hoc modo; potest, si cibos diutius detinet, quanto magis proprium ichorem? si vero melancholia hęc naturalis, & frigida incipiat calefieri ab aliquo calore pręter naturam, sicuti si quartana febri premeretur melancholicus, tunc febrilis calor magis potest in propellendis ichoribus, quam vis astrictoria melancholiæ in cogendo, & retinendo serosam humiditatem. Hinc quartanarij, & omnes, qui melancholia calefacta, vel adusta sunt referti, tam copiosis sudoribus interdormiendum madefiunt, vt ter, quaterve in nocte vsquequaque sudore circunfundantur, perinde ac in balneum immergerentur, ob eandem rationem copiosum lotium in melancholicis mouetur; valebit ergo consequentia, maximi sudores, & vrinæ

Cur melancholici sint saliua abundantes, & à potu abstinentes.

Vt in exeuntibus, & retentis distinguuntur species melancholię.

debito copiosiores excernuntur, ergo terrestris melancholia incipit fieri calida, & adusta.

Vt in exeuntibus, & retentis distinguuntur species melancholiæ.

Ex aliis quoque exeuntibus melancholiæ differentias colligemus, veluti à sanguine hæmorrhoidali; etenim, si egredietur sanguis ater sine magno morsu, & puncturis, colliges abundare melancholiam naturalem; si vero erit mordicatiuus, inferes adustam fæcem melancholicam exire. Ab excretis per aluum, si nigræ fæces sine morsu excernuntur, colliges melancholiam naturalem, si cum morsu atram bilem. A ructibus, si erunt acidi sine nidore, & ponticitate melãcholiam naturalem copia peccantem, si erunt fumosi, & nidorosi, colliges atram bilem. Demum sunt retenta excrementa, quæ indicabunt melancholicos succos, veluti quando suppressæ sunt hæmorrhoides, tunc enim inferre poteris has consequentias; nuper sunt suppressæ hæmorrhoides externæ, ergo melancholia naturalis, quæ est fæx sanguinis, peccat, quia surculi facientes hæmorrhoidas externas prodeunt à porta vena, quæ est sedes huius melancholiæ. Iam diu suppressæ sunt; ergo peccat melancholia naturalis adusta, est enim impossibile, vt diutius retentus humor frigidus in corpore talis conseruetur; oportet enim vt in loco calido calefiat, & aduratur, est Galeni sententia 2. de differentiis febrium capite 5. nullum humorem permanere in viuente corpore, sicut erat prius: si vero erunt suppressæ hæmorrhoides internæ, & illæ præcipuè, quæ circa intestinum rectum sunt, quæ omnes ferè à surculis cauæ venæ prodeunt (si alia signa non obstiterint) non colligemus fæcem sanguinis abundare, sed atram bilem factam à flaua superassata, & combusta, quæ potius domicilium in cauis venis habet.

A qualitatibus sensibilibus externis colligimus hæc signa, si erunt actu frigidi, faciésque sit colore plumbeo, & nigro, vt dicit Galenus, libro de atra bile, cap. 6. inferre tunc poterimus, dominari melancholiam terrestrem: si vere erunt actu calidi cum eodem colore, atram bilem.

Quomodo à morbis colliguntur loci indicantes melancholiæ differentias.

Visis locis pertinentibus ad externos errores, & ad viscerum dispositiones: nunc ad locos qui à morbis desumuntur expedit transire, quippe qui, nisi fuerint discordes ab aliis, certò indicabunt melancholicorum succorum differentias. In primis desumuntur loci à morborum ideis, in primísque se offerunt ideæ in mala compositione, in quibus obseruantur quinque loci pręcipui: quorum primus colligitur à tumore splenis: secundus à varicibus: tertius à tumore hæmorrhoidum: quartus à molla, quę est morbus in numero: quintus est à scabie,

Vt à tumore.

lepra, & similibus cutaneis morbis: si de primo loquimur, valebit cõsequentia, splen intumescit, vel durus fit, ergo peccat fæx sanguinis, & nequaquam atra, quæ oritur à flaua adusta; fæcalis enim melancholia copia peccãs attollere potest in maiorem molem lienis locum, quod non faciet atra bilis: cognoscemus vero esse fæcem adustam, si antiqua fuerit illa durities, quia humores quoque frigidi diutius detenti in aliqua corporis parte necessario exsiccantur, calefiunt, & tandem aduruntur;

runtur; valebit ergo, nuper intumuit lien, ergo fæx ſanguinis non aduſta peccat, iamdiu eſt quod intumuit, ergo fæx peccat aduſta.

Secundus locus deſumptus à morbis indicantibus melancholiam ſunt varices, hæ enim ſunt venæ plus æquo intumeſcentes, obſeruanturque in temporibus, teſtibus, inguine, ventre, in mamillis, & præcipuè in cruribus: oſtenduntve humorem melancholicum fæcalem; dicit enim Galenus, 2. ad Glauc. melancholicum ſanguinem ſæpe ad varices, & hæmorrhoidas decumbere: valet conſequentia, ſunt varices, ergo humor melancholicus, quia ex omnium conſenſu varices fiunt à melancholia: an vero hic humor melancholicus indicatus à varicibus redundet in corpore, vel tantum in aliquo viſcere, vel ſit ſolum in loco varicoſo, id cognoſci debet communium ſignorum melancholicorum ſyndrome, quæ amplectitur ſigna oſtendentia morbos, ſymptomata, locos affectos, & alios propoſitos fontes, inde enim docebimur, quando poterunt varices tutò ſecari, quia ſi viderimus à viſceribus ad varices melancholicum ſuccum actu decumbere, corpuſque redundare melancholia, tunc nullo modo varices erunt ſecandæ, quia Galenus, libro de atra bile, cap. 4. profert hanc ſententiam, periclitantur varicoſi, ne ſi varices ſeces, fiant melancholici: quando vero ſint ſecandæ, nos docet Auicennas lib. 3. fen. 22. capite de varicibus dicens, ſi à viſceribus non detruditur melancholia ad varices, ſanguiſque mundus ſit, poſſunt incidi ſine timore; ſi vero detruditur, ſanguiſque ſit impurus, non ſunt ſecandæ; quia homines fient melancholici, & in deteriores affectus corruent. Errant ergo vel maximè inſani Empirici, qui indiſcriminatim ſine vlla diſtinctione omnibus varices ſecant, vt non ſit mirum, ſi in melancholiam, ſi in cachexiam, & hydropim varicoſi ab iis tractati ſæpè prolabantur: quomodo autem ex varicibus cognoſci poſſint differentiæ ſuccorum melancholicorum, confugiendum eſt in primis ad cauſas procatarcticas; quia, vt experientia patet, modo fiunt ex nimio exercitio, modo ex nimio ocio: quæ poſt nimium exercitium fiunt arguent melancholiam aduſtam: quę vero poſt ocioſam vitam, melancholiam fæcalem terreſtrem: quod fiant à nimio exercitio, eſt Auicennę loco citato dicentis, curſores fieri varicoſos: quod fiant quoque ab ocio, & à nimia deſidia, eſt Iuuen. Poeta ſat. 6. dum dicit, varicoſus fit Aruſpex ex diuturna ſtatione.

Vt à varicib. colliguntur differentiæ melancholicorum ſuccorum.

Tertius locus deſumitur à tumore hæmorrhoidum, ſicque argumentamur: nuper intumeſcere cœperunt, & cauſæ calidæ externæ non præceſſerunt, ergo melancholia non aduſta peccat: ſimiliter, multo ante intumuerunt, & calida procatarctica præceſſerunt, ergo atra aduſta redundat.

Vt à tumore hæmorrhoidum.

Quartus locus à generatione mollæ deſumptus: valet enim (iudice Ariſtot. 4. de generatione animalium) molla fit, ergo corpus craſſa, & non aduſta melancholia abundat, quia ſi eſſet aduſta excitaret dolores, & exulceraret.

Vt à molla.

Quintus locus indicans melancholiam, deſumitur ab affectibus

Vt à lepra. cutaneis, vt à lepra, elephantico affectu, & scabie: Galenus lib. de tum. præter naturam dicit, lepram elephanticum, & scabiem à melancholia fieri. Auicennas, lib. 4. fen. 3. cap. de lepra dicit, si melancholia spargitur in toto, & non putrefit, lepram: si vero putrefit, febrem facere.

Ab intẽperie duo loci consurgunt indicantes melancholiam. A morbis ab intemperie duo consurgunt loci, alter ab intemperie frigida, & aliquando congelante: alter ab intemperie calidissima, & siccissima: ab intemperie frigidissima, & congelante colligimus humorem frigidum, & siccissimum, qui solet efficere cathocum, qui re vera non fit ab atra, nec à fæce adusta, quia catochi causa debet esse congelans, erit ergo fæx melancholica frigidissima, & siccissima orta à simili intemperie; verum quia cathocus citò fit, & citò desinit, indicabitur, vaporem frigidum, & sicum ortum ab hac melancholia esse immediatam causam illius affectus. Valebit enim consequentia, est cathocus, ergo in corpore abundat melancholia frigida, & sicca. Si verò intemperies frigida, & sicca generans melancholiam auferatur, fæx tamen melancholica longo temporis spatio in aliqua corporis parte relinquatur, necessarium quoque est, vt aduratur, deinde morbi fiant calidi: hinc si diutius retineatur fæx melancholia in porta, necessarium est, vt aduratur, & sic adusta, si stomachum petat, gignat picam, si vero mesenterium, vel omentum diutius occupet, hypocondriacam passionem efficiat. Hic non possum omittere, quin reiiciam sententiam nonnullorum dicentium, picam, & hypocondriacam passionem ab atra illa melancholia, quæ à flaua combusta fit, enasci, quia clarissime patet in anatome, venas vestiẽtes stomachum, & mesenterium, vel omentum à porta vena, quæ est terrestris melancholiæ domicilium, enasci, quare non fiet ab atra illa exedente; quia hæc ibi non habet suam sedem: præterea hypocondriaca passio fit ex stomacho frigido, & hepate calido: atra à materia frigida fieri non potest.

Vt errant dicẽtes ab atra bile furiosa fieri picam, & hypocondriacam passionem.

Ab intemperie calidissima, & siccissima diutius affligente atram bilem furiosam dominari posse colligimus: reddimur nos certi, si mœstitiæ sine causa vexare incipiant. Hinc post febres ardentes, post constitutiones aëris calidissimas, post diuturnos labores, & mœrores atram bilem adustam redundare videmus.

Vt à latis vlceribus species melancholiæ cognoscantur. Denique à latis vlceribus indicatur melancholia, valet enim lata sunt vlcera, ergo melancholia, verum non frigida, & terrestris, sed adusta; quia continuum erodere pertinet ad adustam; cognoscemus eam esse atram ortam ex bile combusta, si quotidie magis exedet: si vero læsa conseruabuntur, & in deterius non prolabentur, erit melancholia, quæ est fæx sanguinis adusta.

Vt à motu oriantur loci indicantes melãcholiam. Amplius cum motus morbi pertineat ad essentiam morbi, vt docet Galenus 3. de crisibus, cap. 4. motus quoque pariet locos ostendentes. Verum quia motus est vniuersalis, vel particularis, ab vtroq; colligemus locos indicantes melancholiam. Ab vniuersali, dum videbimus principium alicuius morbi esse valde tardũ: à particulari duos locos colligemus, alter est à typis, valet enim consequentia, morbus mouetur

netur de quarto in quartum, ergo peccat melancholia: alter est à motu morbi in determinatis quibusdam horis, valet mouetur vesperi, ergo melancholia peccat: sed quia de motu morbi, libro 5. cap. 4. diffusè egimus, non est, vt hic eadem repetamus. Colligamus itaque à morbis vndecim enasci locos indicantes melancholiam, quorum primus est tumor splenis: secundus varices: tertius tumor hæmorrhoidum: quartus generatio mollæ: quintus morbi cutanei quales sunt lepra, elephanticus, & scabies: sextus intemperies frigidissima: septimus intemperies feruentissimæ, dum citius vexant patientes: octauus lata vlcera: nonus motus tardus morbi: decimus typus quartanarius: vndecimus motus morbi in horis vespertinis.

Vt melancholici succi præcognoscantur per syndromen signorum communium desumptorum à symptomatis, locis affectis, & iuuantibus, & lædentibus.

CAP. X.

A Syptomatum serie colligi quoque possunt loci melancholiam indicantes: quot erunt genera symptomatum, tot erunt loci potentes indicare melancholicos succos: genera symptomatum sunt læsæ actiones animales, vitales, naturales, excreta & retenta præter naturam & demum qualitates mutatæ. Ab actionibus rectricibus animalibus ab imaginatrice scilicet deprauata in primis colliguntur nonnulla symptomata ostendentia melancholiam in communi, deinde tres obseruantur loci indicantes determinatas succorum melancholicorum differentias: symptomata, quæ sunt communia cuilibet succo melancholico, pertinent ad imaginatricem læsam, traduntúrque à Galen. 3. de loc. aff. 7. vbi dicit, omnes melancholici timent non timenda, & mærent ob non mœrenda, vitam damnant, & odio habent homines; isti dum audiunt melancholicos de aliquo morbo loquentes, subito illo morbo vexari putant: credúntque ob varios internos timores quæ sunt prorsus impossibilia: fertur fuisse melancholicum credentem se in ventre gladium transfigentem persensisse, alium (referente Galeno loco citato) credentem se esse gallum, alium verò testam esse factum.

Quæ sint symptomata cōmunia omnibus melancholicis.

Verum, quia hæc sunt symptomata communia, à quibus nullum remedium haurire possumus, est necessarium, vt illa perquiramus symptomata, & locos specificos, qui vltimas differentias succorum melancholicorum nos possint docere. Specifica igitur symptomata ab imaginatrice desumpta varia sunt; alia enim ostendunt habent iūctam mœstitiam cum audacia & furore, isti enim audaces melancholici semper potius mœrent, quam timent: de iis loquens Hipp. libro de morb. vir g. dicit, melancholicos aliquando se strangulare, & in puteos demergere, vel alio modo sibi mortem consciscere; videtur igitur va-

Locus à mæstitia sine causa cum audacia indicans atram bilem furiosam.

lere consequentia, mœstitia est sine causa cum audacia, & furore, ergo peccat atra bilis orta ex flaua superassata. Similiter, Galenus de hac melancholia loquens 6.aphor.53. dixit, hanc cognosci ex studio, & temeritate: oritur ergo locus cognoscendi atram bilem à mœstitia sine causa cum audacia & furore, vel temeritate iuncta, ex quo loco semper & necessario atram bilem colligemus.

Symptomata verò ab imaginatrice desumpta ostendentia fœcem melancholicam adustam potius consistunt in timore, quam in mœstitia, quia magis potest phantasma tenebricosum eleuatum ab hac fœce adusta nigerrima in timorem incutiendo, quam possit eius calor in furorem, & audaciam promouendo. De iis, qui sunt vexati hac melancholia terrestri adusta, plurima referuntur. Galenus 3. de loc.aff.7. refert fuisse melancholicum, qui timeret, ne Atlas, qui mundum sustinere dicitur, grauatus sub tanto onere ipsum à se excuteret, atque ipse cum illo collideretur, ac nos quoque cum ipso periremus: ibidem pergens Galenus concludit, hanc melancholiam potius in timore, quam in mœstitia consistere; valebit ergo consequentia, timor est sine causa, sine audacia, ergo peccat melancholia terrestis: amplius Galenus declarans libello de plenitudine capite 11. signa, quæ consequuntur acidam, & terrestrem melancholiam, habet hęc verba, isti sunt morosi, timidi, sine siti, saliua abundantes, & famelici, cur autem non sitiant, & abundent saliua superius declarauimus: ex iis duo loci pro cognitione terrestris melancholiæ colligi possunt; alter à summo timore & formidine sine audacia, qui ostendit fœcem sanguinis adustam, & nō melancholiam naturalem copia peccantem, summus enim timor & summa formido fit à phantasmate nigerrimo, & tale non potest fieri sine adustione; quare sequitur quod ex summa formidine sine audacia, & temeritate colligatur locus indicans fœcem sanguinis adustam: alter locus à saliuæ abundantia, & sitis carentia cum timore sine causa colligitur, qui indicat melancholiam, quæ est fæx sanguinis non adusta.

Locus indicans fæcem adustam sumitur à summa formidine sine audacia.

Quis sit locus indicans fæcem sanguinis non adustam.

Verum, quia melancholici ob imaginatricem deprauatam modo sunt cum risu, modo cum fletu, modo cum studio, & temeritate, modo multum loquuntur, modo præter rationem tacent: ex Galeno, & Hippo. vnde hæc fiant, est videndum: Hippo. & Galenus 6.aphor.53. dicunt, quod desipientiæ cum risu sunt securiores, quia arguunt copiam sanguinis, qui est succorum omnium suauissimus, sed reuera non à sanguine fiunt, sed à fæce sanguinis, dicit tamen à sanguine, quia, vt plurimum vbi est multa fæx, sanguis quoque est copiosus; ostendimus superius valere consequentiam, sanguinis maxima est copia, ergo eius fæx quoque copia peccat. Quare videntur errare credentes melancholiam cum risu à sanguine prodire: à sanguine sanè nulla prodit mœstitia, & melancholia; concedi tamen potest, melancholiam cum risu indicare posse copiosum sanguinem, quia vbi est fæx copiosa, supponitur sanguinem multum esse; non propterea dici potest à sanguine prodire: addit Galenus, quod desipientiæ

Vt errant qui credunt melancholiam cum risu à sanguine fieri.

sipientiæ temerariæ sunt omnium periculosissimæ, quia fiunt ab atra bile, quæ vero fiunt cum studio sine temeritate medio modo se habent, quia non ab atra bile, sed à fæce adusta fiunt; videntur igitur valere hæ consequentiæ, est desipientia cum risu, ergo fæx sanguinis dominatur; est cum fletu, qualis erat in vxore Dealcis, ergo fæx adusta, non atra bilis furiosa; quia furor vel audacia non admittit fletum, fæx tamen adusta faciens fletum, vel est valde adusta, vel putrida facta, quia fæx melancholica moderatè adusta non putrida tantam mœstitiam parere non potest, vt fletum inducat; est desipientia cum studio, temeritate, & audacia, volunt percutere, vel mordent proprias carnes ergo atra bilis dominatur, ex iis quoque colligimus eosdem locos indicantes differentias succorum melancholicorum, quia à risu indicatur fæx sanguinis non adusta, à fletu fæx sanguinis adusta, vel putrida: ab audacia, & temeritate atra bilis exedēs, & furiosa.

Vt à risu, fletu, & audacia indicantur omnes melãcholia.

Denique ex nimio, & non naturali silentio, quod pertinet quoque ad functiones animales, colligimus locum ostendentem melancholiæ redundantiam; Galenus enim declarans libris de morb. vulg. Historiam vxoris Dealcis habet, præter rationem tacere, esse signū melancholicorum, & multum loqui phreneticorum: videndum est, quæ melancholiæ species indicetur à nimio ægrorum silentio, dicimus itaque multum tacere non arguere atram bilem, quia eius proprium est furere, adurere pungere, irritare, mouere linguam, & omnia corporis instrumenta, arguet ergo fæcem sanguinis sua natura frigidam, cuius vapor non solum potest silentium inducere, verum etiam catochos, qui reddunt homines similes lapideæ statuæ: qui vero multum loquuntur sunt biliosi, phrenesis enim est erysipelas, si vero post multam locutionem fiunt melancholici, illa melancholia erit atra bilis orta ex flaua superassata, quæ phrenesim faciebat; valebunt ergo consequentiæ, silentium est nimium, & non naturale, ergo melancholia fæcalis frigida, & congelata peccat; post multam locutionem sunt facti melancholici, ergo dominatur atra bilis orta à flaua combusta.

Vt ex nimio silentio fæcem melancholicã noscimus.

Vt ex nimia locutione atram bilem.

Verum, quia hęc symptomata sæpè miscentur; videmus enim melancholicos temerarios, & audaces aliquando eadem die ridere, & flere, multum loqui, & nimium tacere, dicimus esse mistos quoque humores melancholicos: namque potest cum fæce sanguinis misceri atra bilis, & potest fęx secundum aliquam partem aduri, & secundum aliam conseruari inter naturales terminos.

Quo ad vitales functiones læsas attinet, inter cætera symptomata est palpitatio cordis, quod est summi momenti, præcipuè si follibus vtrium assimilatur, confestim enim vitam aufert: verum, quia symptomata à melancholia prodeuntia modo fiunt à fæce adusta, modo ab atra bile, tunc vt ambiguitas expurgetur, expedit locos aliorū fontium adire, vbi millia inueniemus veritatis testimonia: afferatur exēplum, sit æger palpitatione affectus, qui antea crassissimis cibis fuerit pastus, quales sunt lentes, caseus, brassica, & alia id genus, ibi in primo fonte propositus est locus à cibo crasso, qui melancholiam fæcalem

Vt ex palpitatione cognoscimus melãcholiæ differentias.

indicat: si prætereà æger in regione, vel aëre calido vixerit, locus à corporis calidi vicinitate iunctus cum in cibo crasso indicat (vt probauimus) fæcem sanguinis adustam: similiter, si in secundo fonte locum melancholiam adustam indicantem inuenies, veluti, quod hæmorrhoides fuerint suppressæ, vel splen ante fuerit subtumidus, eo magis confirmaberis in sententia, quod scilicet melancholia fæcalis redundet. Denique si locos his propositis respondentes inuenies in tertio & quarto fonte, veluti quod æger hypocondriaca passione vexaretur; vel latis vlceribus pręcipuè circa partes infernas premeretur, quis non affirmaret palpitationem à fæce melancholica adusta pendere? Ecce igitur, quod in palpitatione perquirenda, & in qualibet consilij angustia nos virtute locorum propositorum penetrare possumus omnes peccantes humores in qualibet corporis penitissima parte existentes.

Vt diminuta, vel ablata expultrix indicet melancholiam redundare.

Quo ad læsas functiones naturales, est locus desumptus à diminuta, vel ablata facultate expultrice; quare, si viderimus expultricem tolli, facilè inde (si alij quoque loci non obstiterint) colligemus melancholiam terrestrem non adustam redundare; est enim Galeni 4. de vsu part. 5. melancholiam naturalem vim adstrictoriam sortiri, quod non conueniet melancholiæ adustæ, vel atræ bili ortæ ex flaua superassata, quia hæ suo ardore vellicant partes, & expultrices irritant ad expellendas fæces: neque conueniet biliosis, vel pituitosis humoribus; non biliosis, quia irritant, non pituitosis, quia laxant, & non cohibent.

Vt ab immodici retentis, & exeuntib. colliguntur species melancholię.

Ab immodicè retentis excrementis veluti, quando supprimuntur hæmorrhoides, vel mensium purgationes, statim inferre possumus melancholiam permisceri cum sanguine, & deinde aduri, quia omnes humores præter naturam retenti temporis spacio aduruntur. Hinc puerperia, si retineantur, necessario arguunt fæcem melancholicam adustam: dicit enim Galenus in historia mulieris morantis apud frigidam aquam, fœtum attrahere meliorem, & puriorem sanguinem, & deteriorem relinquere: dum tractat quoque historiam mulieris Cyzici, dicit melancholiam ortam à puerperiis retentis fuisse causam delirij, & omnium malorum ab adusta melancholia prodeuntium: habemus quoque ex Galeno lib. de atra bile cap. 4. quod melancholia adusta permista cum sanguine, si febrem faciat, carbonem molitur, si vero sine sanguine sit, & faciat tumorem atruni, tumorem in cancrum degenerat, si vero mista cum sanguine ad cutim pellatur, elephanticus affectus gignatur: valebimus ergo ex iis sic inferre, est elephas, ergo fæx sanguinis adusta peccat, mistaque est cum sanguine: est carbo, & febris, ergo melancholia crassa adusta est mista cum sanguine; est cancer, ergo redundat fæx melancholica adusta sola sine mistione sanguinis. Ab exeuntibus quia Galenus loquens de fæce adusta, & de atra bile, lib. de atra bile cap. 3. dicit, non concrescere, nec muscam, vel aliud animal eas degustare velle, terramque fermentare.

Vt à qualitatibus sensibilibus colliguntur differentia melancholia.

Quo ad qualitates mutata, ictericia nigra, colores nigri, plumbei insoliti ostendent melancholiam. Sapores excrementorum per vomitum

tum exeuntium acerbi, pungentes, & mordicantes linguam fæcem aduſtam oſtendunt. Galenus libro de atra bile cap.5. docet nos per ſapores, & colores cognoſcere omnes melancholias: dicitque primo fæcem ſanguinis non aduſtam eſſe acerbam, habere acorem; eſſe aceto acerrimo ſimilem: ſubdit, melancholiam factam à flaua ſuperaſſata eſſe hac pernicioſiorem, quatenus flaua bilis eſt efficacior, quam ſit ſanguinis ſubſidentia; hæc enim exedit, & plura excitat ſymptomata, de quibus ſuperius egimus: melancholia vero naturalis, vt habetur loco citato, nec intenſam mordicationem, nec acorem, vel odorem fœdum habet: denique Galenus notat errorem multorum non cognoſcentium diſcrimen inter euacuationem nigrorum, & atræ bilis: multi enim dum vident nigra euomi, vel per aluum deiici, putant eſſe aduſtas melancholias, putantque ægrum ad læthalem affectum diſponi; quod erratum Galenus animaduertit, habetque ferè hæc verba. Ego à Pelope præceptore meo percepi, & inde obſeruaui toto vitæ meæ tempore humorem puræ atræ bilis cum ægri pernicie excerni, nigrorum verò euacuationem non rarò ſalutariter fieri, quia atræ bilis excretio ſupponit ſanguinem eſſe exſiccatum, indicatque vitam non poſſe conſiſtere; excretio vero nigrorum humorum ſine morſu, ſine acore, qui nullam potentiam exedendi habent, eſt potius ſalutaris. Ex coloribus ergo, & ſaporibus poſſumus colligere melancholiæ differentias, de quibus luculentius in quinto libro egimus.

Quintus fons continet locos affectos, qui arguent melancholias; Primus locus erit hypocondrium ſiniſtrum longo temporis curſu offenſum: oſtendimus ſuperius, ſplenem læſum arguere melancholiam fæcalem. Secundus ſunt hæmorrhoides in quas natura tamquam in cloacam fæcem ſanguinis ſuperfluam propellit; valet, læſio eſt circa hæmorrhoidas, ergo melancholia. Tertius, omnes partes varicoſæ oſtendunt melancholiam dominari. Quartus continebit quaſdam internas partes corporis minus conſpicuas, quæ irrigantur ſurculis venarum prodeuntibus à porta, omnes enim iſtæ partes, dum afficiuntur præter naturam, vt plurimum melancholicis ſuccis premuntur, quia porta vena eſt ſedes melancholiæ, partéſque iſtæ ſunt ventriculus, inteſtina, ſplen, omentum, hæmorrhoides, veſica fellea, & cæteræ partes inferioris ventris. *Quintus fons de locis affectis.*

Ventriculus, quia eius orificium coronæ in morem vena à porta iuxta ſplenem germinans amplectitur, & continuo melancholicum ſanguinem in ipſum exprimit, vt aliquando picca, ſeu μαλαxία, vel ſimilia ſymptomata excitentur; habemus enim hæc verba 4. de vſu par. capite 15. ſanguis elaborationem ſplenis effugiens à natura tranſmittitur ad ventriculum, quare cum perpetua ſit hæc tranſmiſſio, non poſſumus, niſi putare, quod vt plurimum affectus, qui excitantur in ſtomacho, ſint melancholici; accedit, quod vena porta ſcandit ventriculi fundum verſus dorſum: quare, cum ſit referta humore melancholico, ventriculus redditur quoque ſubiectus infortunio melancholicorum affectuum, ibi enim ichor melancholicus per diapidiſim poteſt *Ventriculus ſubiectus eſt affectibus melancholicis.*

Erratum cuiusdam empyrici. egredi, & dolorem exasperatiuum excitare: ibi quoque potest porta adeo impleri, vt comprimat ventriculi fundum, & angustum reddat, vnde sexcenta symptomata sequantur: audias erratum cuiusdam empirici; erat patiens sentiens circa internam dorsi partem insignem dolorem exasperatiuum, & pręcipuè post assumptum cibum; empyricus accersitus nullum aliud remedium excogitare potuit, quam dorso inunctiones, & fomentationes applicare, quod sine aliqua vtilitate factum fuit. Qui verò eum sanauit, sibi ante oculos proposuit locorum affectorum signa desumpta à Galeno 1. de loc. aff. 5. quæ sunt actiones læsæ, eorum situs, doloris proprietates, propria accidentia, & excrementa: quibus rectè expensis deprehendit, ventriculum fuisse lęsum, quia actio vētriculi erat impedita, augebatur enim dolor post cibum; situs similiter ostendebat, ventriculi fundum esse læsum, vergit enim versus dorsum; erant quoque propria accidentia, quia vomitu aliquando premebatur, & tandem dolor exasperatiuus melancholiam ostendere debebat, quæ cum necessario prodeat à vena porta, & vena porta circa ventriculi fundum versus dorsum collocata sit, erat rationi consonum, vt dolor dorsi exasperatiuus ab humore melancholico prodiret. Rationalis medicus statim aperuit hæmorrhoidas; & copiosum permisit sanguinem defluere, sanguine euacuato, venaque porta depleta, dolor ille occupans internam dorsi partem, & cætera symptomata eadem die fuerunt sublata.

Splen, omentum, intestina omnia sunt surculis à porta prodeuntibus irrigata, quare ab iis partibus læsis desumi poterunt loci melancholiam ostendentes; à vesica fellea, quia eius collum duplici venarum germine à porta originem trahente est indutum, eiusque vesica eadem venarum sobole irrigatur, vt sanguine melancholico nutriatur, & hæc est causa, cur vesica fellea sæpè vexatur: arbitror quod lapilli, qui aliquando inueniuntur in vesicula à melancholia, quæ sua natura est terrestris, facti sint: icteritiam verò sæpè fieri, quia venulæ eius ceruicis ob melancholię copiam tumescunt, & tumidæ claudant orificium: tunc non curabitur arquatus rhabarbaro, scolopendria, assaro hæc enim conuerterent terrestrem sanguinem in syrrhum; curabitur tamen reuellendo sanguinem melancholicum, & terrestrem per hæmorrhoidas, quæ reuulsio erit omnibus numeris absoluta, quia fiet per vasa communia, secundum rectitudinem, per distantissima, & trahetur humor ad originem.

Vnde lapilli vesicæ fellea, & icteritia aliquando prodeant.

Vt errant qui discutiētibus tollere tentāt flatus hypocondriacos. Quintus locus desumitur à læsis glandulis omenti, quæ vocantur panchreæ, hæ enim venulis à porta prodeūtibus sunt intertextæ, suntque refertæ sanguine melancholico, quippe qui, si aduritur, turbat totum ventrem infernum, excitatque flatus, qui implent omentum, & nullis remediis possunt auferri, nisi causa fouens adustionis tollatur: suntque propterea irridendi empyrici, dum flatus illos demere credunt calefacientibus; augent enim magis affectus radicem.

A iuuantibus, & lædentibus colligimus quatuor locos, qui ostendere poterunt melancholicos succos: quorum primus est examinare, an me-

an melancholiæ euacuatio iuuet. Secundus est, dum videbimus iuuari ab humidis alterantibus; omnes enim melancholici conueniunt in ſiccitate; ſed obſeruandum eſt, quod melancholia, vt fæx non adusta, non tollitur refrigerantibus miteſcunt; valebũt ergo conſequentiæ, iuuatur æger ab euacuatione humoris melancholici, & ab humidis alterantibus, ergo eſt melancholicus: ſimiliter læditur ob retentionem melancholicorum ſuccorum, ergo melancholicus. Tertius locus erit à ieiunio, melancholici enim non poſſunt ieiunium ferre, adſunt tamen nonnulli, qui acida affluunt pituita, quippe eadem fame ſæpè vexantur, tunc per alia ſigna erit excutiendus nodus; ſat eſt in præſentia, quod vt plurimum vera ſit conſequentia, fame nimia, & non naturali afficitur, ergo melancholicus ſuccus peccat. Quartus locus, ab aceti vſu ſuſpicari poſſumus melancholiæ dominium, dicit enim Hippocrat. & Galen. 3. de ratione vict. 38. quod atra bilis ab aceto diſſoluitur, degeneratque in pituitam; nigra vero bilis, quæ eſt melancholia, fermentatur, attollitur, & multiplicatur; quia nigra acetum parit: addit Galen. in comm. melácholicis acetum eſſe aduerſiſſimum, ſi viderimus ergo acetum aliquem lædere, merito ex læſione aceti colligemus melancholiam: quilibet locus propoſitus docere poterit, ſi verò erit coniunctus cum aliquo, pariet tunc demonſtrationem infallibilem in cognoſcendis humoribus prȩter naturam. Quintus & poſtremus, ſi loquitur de atra bile aduſta, dulcia nocent; dicebat Galenus 2. de naturalibus facultatibus cap. 8. omnia dulcia in iis, qui calida, & aduſta natura ſunt, in bilem conuerti; dulcia enim, vt mel ſolum in iis, qui naturam frigidam habent, vt dicit Galenus 2. de facultatibus naturalibus viderimus dulcia nocere, iudicabimus melancholiaſ aduſtas dominari.

Quinque loci ab hoc fonte deſumpti indicantes melancholiam.

Quomodo flatus præcognoſci poſſint per ſyndromen ſignorum communium à rebus non naturalibus, & à diſpoſitione corporis deſumptorum.

CAPVT XI.

IN numero cauſarum, quæ aliquando occultè laceſſunt corpora, ſunt quoque flatus: in hoc libro agere decreui de iis, quæ nullam ſui propriam, & apertam notam præbent coarctando analytico artificio ſuperius declarato omne, quod deliteſcit, quodve ſeptum eſt obſcuriſſimo vallo. Nec obiiciant, me ab incœpto munere deflectere, quia flatus illico ab omnibus cognoſcitur, coeat enim vbi vbi; neſcit ſtare loco, exitum quȩrit, & è veſtigio ſe prodit; propterea deliteſcere haud ſanè diu potis eſt, verum non ſolum ob eius mobilitatem, & inconſtantiam, dum vagatur per omnes partes totum vellicando, ab omnibus cognoſcitur, ſed etiam perſentitur, dum cum manifeſto murmure foris erumpit. Cui reſpondemus aliquando flatus in corpore de-

Omnes partes vexari poſſunt flatibus.

litescere, quia non modo in ventriculo, & intestinis, vbi sentitur, coire solet, verum etiam in qualibet densa parte, & quod admiratione est dignum, in ossibus. Hinc Auicennas, lib. 1. fen. 2. cap. 9. vbi de ventositate agit, dicit, non solum ossa flatibus corripi, verum etiam aliquando à flatibus frangi: hac igitur causa moti methodum pro inueniendis flatibus proponendam esse duximus.

Causa efficiens, & materialis flatuum.

Sed, quia natura flatus perfectè doceri non possunt, nisi causæ, & modus generationis eorum declarentur, ideo de iis prius agendum: causæ igitur generantes flatus continentur in breuissima hac definitione, quæ à Galeno 9. de comp. med. per loca. cap. 9. traditur, „ flatus ab humore crasso, & viscido, & à moderato calore fiunt: in quibus verbis causa materialis, & efficiens proponuntur: dum dicit à crasso, & viscido humore, proponit causam materialem; quia à melancholia, vt crassa; à pituita, vt viscida eleuantur flatus; dum vero dicit à moderato calore explicat causam efficientem; causa enim efficiens non potest esse calor insignis; nec calor omnino diminutus, vel suffocatus: non insignis, quia resolueret materiam flatuum in spiritus insensibiles, & extinctus, quia vbi nullus est calor, nullus quoque fit vapor, vel flatus, hinc Galenus 3. de symptomatum causis 2. dicit, flatulentias fieri in ventriculo, dum non admodum frigidus est, quia si valde perfrige„ ratur, nullus inde gignitur flatus: ecce, quod causa efficiens flatus est „ calor moderatus, & non omnino diminutus, vel extinctus.

Modus generationis flatuum.

Modus generationis flatuum iis verbis declaratur ab Auicenna lib. 3. fen. 14. tract. 1. cap. 7. dum retinentur vapores inspissantur, & conuertuntur in flatus; vapores igitur, vt fiant flatus, retinentur, quia ob calorem diminutum non possunt ita attenuari, vt per insensibilem euacuationem absumantur, retenti adeo inspissantur, vt in crassos, & flatuosos spiritus conuertantur: hinc Galenus 2. ad Glauc. cap. 6. dicit, quod flatuosus spiritus, & crassus comparatur aëri austrino, qui discuti non potest nisi à magno calore; magni enim caloris munus est, vapores crassos promptè attenuare, & adeo expedire vias, vt insensibiliter, & sine murmure flatus exeant.

Prima dubitatio.

Verum nonnulla prius occurrunt soluenda dubia, antequam vlterius prouehamur, quia multa sunt, quæ in igne spirant flatus cũ murmure, vt castaneæ, poma; similiter, si hæc à fortissimo & caloris feracissimo homine comedantur, flatus gignuntur; ergo causa efficiens nullo modo erit calor diminutus. Secunda, non videtur, quod causa materialis adæquata flatuum sint cibi crassi, & viscidi, quia obseruatur in multis, quod esculenta paucifera, vt oua, caro vitulina, & iuscula paruorum pullorum in flatus plurimos conuertantur. Primæ dubitationi nonnulli sic occurrunt; calorem intelligi diminutum dupliciter, vel quia absolute, & per se sit talis, vel respectu obiecti: hac posita distinctione dicunt, ignem, vel quemuis alium ventriculi calorem respectu obiecti siue edulij difficillimæ coctionis, vt sunt castaneæ, poma, & alia id genus, dici diminutum. Quæ responsio improbatur, quoniam, dum dicunt, ignem respectu obiecti esse diminuti ca-

Secunda.

loris,

loris. nimis impropriè loquuntur; omnes enim fateri debent, ignem absolutè, & respectiuè esse summi caloris; deffinitur ignis, quod sit agens omnium potentissimus in calefaciendo; quare non dabitur vnquam obiectum, cuius respectu ignis possit dici diminuti caloris. Melius igitur respondebimus, si dixerimus, aliam esse causam generationis, aliam expulsionis flatuum: dum obiiciebant, causam efficientem flatus aliquando esse ignem, vel calorem intensum ventriculi, dicimus hanc esse causam expulsionis, & non generationis flatuum; hinc intensè calida, quæ flatus expellunt, vocantur à medicis carminatiua, quę non gignunt flatus, sed genitos, & inclusos repellunt: dum enim crescunt in arboribus fructus sua natura frigidi, quales sunt poma, castaneæ, & similes, in his plurimi halitus, & vapores crassi fiunt, qui insensibiliter ob eorum diminutum calorem non euacuantur, sed adeo inspissantur, vt degenerent in flatus; quando vero iniiciuntur ignitis carbonibus, vel maiorem calorem experiuntur, cum magno murmure eorum flatus, qui antea erant inclusi, erumpunt, & à nobis persentiuntur: nulla itaque erit instantia, quia experimentum pomorum, vel castanearum indicat virtutem expultricem, & non generatricem flatuum. Secũdæ dubitationi potius adaptari potest responsio, quod scilicet oua, & iuscula in quibusdam respectu diminuti caloris sint obiecta crassa, & viscida; & ratio est, quia vapores eleuati à tenui cibo in iis ita non possunt ob caloris paupertatem discuti, & attenuari, vt per insensibilem transpirationem egrediantur, ideo est necessarium, vt inspissentur, & per consequens conuertantur in flatus: dicimus quoque, calorem fortiorem dici diminutum respectu obiecti intelligendo de flatu qui fit, & non de illo, qui est inclusus, & inspissatus, qui debet omnino erumpere, sit in igne, vel in corpore ingentissimo calore prædito.

Solutio prima.

Solutio secunda.

Itaque par est, vt methodum in hoc libri initio propositam experiamur, quia inde cognoscemus, quando flatus erunt redundantes. Quo ad procatarcticas causas, si de flatibus, qui fiunt, & non de iis, qui sunt inclusi in esculentis loquamur, aliæ non sunt, nisi, quæ generant pituitam viscidam, & melancholiam, & quæ calorem diminutum, & moderatum reddunt. Quæ verò calorem diminutum reddunt, erunt illæ causæ externæ, quæ suffocando, vel resoluendo calorem diminuunt: quæ suffocant est cibus quatenus est crassus, & viscosus, vt sunt boleti, vel quatenus est nimius: quæ resoluunt calorem, inter cætera declarata in capite de pituita, est nimius coitus, à quo omnes sciunt fieri dolores colicos scelestissimos. Verum, quia pituita, vt viscida, & melancholia, vt crassa sunt flatuum semina, ab horum humorum causis externis colligemus quatuor locos, qui poterunt indicare flatuum redundantiam vt Primus desumatur à procatarcticis gignentibus pituitam viscidam. Secundus à gignentibus melancholiam crassam, & terrestrem. Tertius ab esculentis, in quibus actu inclusi sunt vapores inspissati, vel flatus; quod idem est. Quartus à nimio coitu.

Quatuor loci ab externis causis sumpti indicãtes flatuum redundãtiam.

Quo ad ſecundum fontem, vbi de diſpoſitis corporibus ad flatus congerendos agitur, omnia loca antecedentia, & conſequentia conſpirantia in generationem melancholiæ craſſæ, & pituitæ viſcidæ obſeruantur. Primus locus ſumitur ab hæreditate parentum: parentes enim toto vitæ ſuæ tẽpore flatibus obnoxij filios ſibi ſimiles gignũt. Secundus ab ætate ſenili, in qua congregantur humores craſſi, & viſcidi ob diminutum declinantis ætatis calorem. Tertius à debilitate, valet enim, ſunt debiles, ergo ad flatuoſos affectus ſunt diſpoſiti, ſunt flatus, ergo debiles, prætermiſſis tamen flatibus, qui nõ fiunt, ſed ſunt incluſi, hos enim in fornace ardenti egredi cum ſtrepitu obſeruamus; quod vero debilitas flatum facere poſſit in ventre, & in aliis partibus à ventre remotis audite Galenum 2. de compoſit. med. per loc. cap.
" 10. tanta eſſe poteſt ventris debilitas, & caloris inopia, vt ex cibis, &
" potibus flatus ventoſi eleuentur, qui capitis dolores efficiant: ecce ergo, quod ob ventris debilitatem non ſolum flatus in ventre aggregantur, verum etiam caput à ventre remotum illis impletur: neque mirandum eſt, à ventre mitti flatus in caput, quia Galenus 3. de ſympt. cauſis 2. habet, aliquando ab inteſtino recto flatus, & acres ſuccos moueri vſque ad ventriculum, & ad caput, habétque hæc verba, nam
" & clyſteris aliquid nonnullis in ventrem ſubiit, ita vt vomerent; quare, ſi aliquid clyſteris euomi poſſit, eo magis flatus aſcendẽt ſuperius; ſubdit deinde Galenus, acer quoque ſuccus, & crepitus, qui ad ſedem aliquando fuerat violenter retentus in foro, rurſum eſt ſurſum ductus, & ventrem, & caput impleuit: ecce igitur, quod flatus in inteſtino recto exiſtentes caput implere poſſunt, quod negabat in quodam medicorum cœtu amicus. Quartus locus ſumitur ab habitu gracili; obeſi enim rarò flatibus premuntur, quoniam hypocondria pinguia conſeruant calorem natiuum, qui flatus reſoluit attenuando vapores, prohibendoque ne inſpiſſentur, & in flatus degenerent. Quintus ſumitur ab intermiſſa expulſione flatuum conſueta; qui enim ſoliti ſunt per infernas, vel ſupernas partes flatus pellere, ſi ſupprimantur ab aliqua cauſa ſuffocante, vel reſoluente calorem, in deterrimos morbos, eoſque ſæuiſſimos prolabuntur: vidimus in Vngaria non ſemel inſanos quoſdam ægros, qui dum magno dolore colico premerentur, ad potum aquæ frigidiſſimæ confugerent, & dolore tunc liberarentur; ſed poſt diem, in ſæuiorem colicam paſſionem, vel in paralyſim inciderent: ſupprimebant flatus, quia ſtupefaciendo ſenſum vires expultricum, & alteratricum tollebant, deinde cum parum reuiuiſceret alteratrix, flatibus craſſiſſimis incipiebat caput impleri, & apoplexia, vel ſaltem paralyſis excitabatur.

Quinque loci indicantes corpora diſpoſita flatibus.

Error amici dicentis ab inteſtino recto ad caput non peruenire flatus.

Quæ conſequuntur diſpoſita corpora ad flatus gignendos plurima ſunt: plurimi quoque ſunt inter ſanitatis limites, qui perenni flatuum ſtridore premuntur. Primus locus oritur ab alteratrice naturaliter diminuta; valet, diminute coquit cibum, ergo flatus cumulat. Verum, quia retentrix diminuta, & expultrix irritata ſunt in cauſa, ne alteratrix, quamuis naturaliter fortis ſit, ſuum officium explere poſſit,

ſed

ſed diminute coquat,& inde flatus acceruet: propterea duo loci oriũtur, alter erit ab expultrice irritata, alter à retentrice diminuta: quoties igitur quis diminutè retinebit chylum, irritatamque habuerit expultricem, perpetuis flatibus vexabitur. Deinde ab exeuntibus tres loci conſurgunt, duo ab vrina, quorum primus eſt, dum ſuſpenſa (vt dicit Galenus 2.de comp.med.ſec.loc. & alibi) ſurſum tendunt, quod ſignum numquam fermè decipit: flatus enim, qui nihil aliud eſt, quam vaporoſus ſpiritus inſpiſſatus, debet naturaliter ſurſum ferri; quoties igitur videbimus ſuſpenſa ſuperficiem ſupernam petere (ſi alia non obſtiterint ſigna) iudicare optimè poterimus, illius rei cauſam eſſe flatus. Secundus locus à lotio depromptus, eſt vrinæ ſpuma, quæ vel obſeruatur, dum in vrinæ ſuperficie diutius moratur, vel dum eleuantur ſpumoſa granula, vel paruulæ bullæ ab imo matellæ ad ſuperficiem ſupernam, quæ experientia obſeruatur in iis, qui viribus fracti ſunt, & præcipuè in vtero gerentibus, in quibus renes, & vaſa omnia ad vrinam, & vterum pertinentia debilia exiſtunt. Tertius locus ſumitur ab alui excrementis, quæ ſunt ſpumoſa, & cum plurimis flatibus emittuntur. Demum qualitates tangibiles, quæ obſeruabantur in iis, qui erant diſpoſiti ad gignendam pituitam viſcidam, & melancholiam craſſam & terreſtrem, eædem erunt hic obſeruandę, quia flatuum ſemina ſunt humores pituitoſi viſcidi, & melancholia craſſa & terreſtris. Demum ex Auicenna ſumitur locus, qui eſt à tactu, etenim libro 1.fen.2. cap.9. dicit, per tactum nos cognoſcere partem flatibus repletam, quando cędit preſſioni digitorum. Colligas ergo ſeptem dari locos indicantes flatus deſumptos à diſpoſitione corporis; primus eſt ab alteratrice diminuta. Secundus ab expultrice deprauata. Tertius à retentrice diminuta. Quartus à ſuſpenſis vrinæ ſurſum tendentibus. Quintus ab vrinæ ſpuma, ſeu bullis ſurſum tendentibus. Sextus ab excrementis ſpumoſis. Septimus dum pars tumida cædit preſſioni.

A conſequentib. di poſitionibus ſeptem loci oriuntur indicantes flatus.

Vt flatus innoteſcant per ſyndromem ſignorum deſumptorum à morbis, ſymptomatis, locis affectis, & à iuuantibus, & lædentibus.

CAP. XII.

SYNDROME perfectiſſima eſſe non poteſt, niſi ex quolibet fonte vnicum ſaltem locum, qui ab aliis non diſſentiat, colligamus. Propoſiti ſunt loci externarum cauſarum, & diſpoſitionum viſcerum indicantes flatus: reliquum eſt, vt à morbis, ſymptomatis, locis affectis, & à iuuantibus, & lædentibus apertiores colligamus, vt in hac ſolertia locis vel maximè abundemus. A morbis duo præcipui oriuntur, alter à tenſiuo tumore ſine pondere, & grauitate; alter à celeri motu tenſionis; motus enim libro 3. de criſibus 4. pertinet ad morborum

A quib. morbis duo loci indicantes flatus oriantur.

essentiam; valebit ergo consequentia de primo loco loquendo, tensio ab ægris persentitur sine grauitate & pondere, ergo flatus dominantur: hinc à tympanitico non sentitur grauitas, vt ab ascitico: similiter, dum flatus occupant penem, & priapismum constituunt, tensionem sine pondere efficiunt: si de secundo loquimur, inferimus flatus à celeri motu tensionis: etenim, si cito fiunt tensiones, hæ & cito desinunt, ab aliis causis pendere non possunt, quàm à flatibus: & licet erysipelata legitima cito fiant, & cito desinant, arguere tamen flatus non possunt: quia non efficiunt tensionem, & tumorem. Ab intemperie, & soluta vnitate loci indicantes flatus, qui sint vtiles, non colliguntur: non ab intemperie calida, quia hæc discutit: non à frigida, quia Galenus 12. methodi cap. 8. nos docet crassa, & glutinosa excrementa flatus solum facere, dum calefiunt, habetque hæc verba: crassa, & glutinosa excrementa gignunt flatus, dum calefiunt; quare intẽperies frigida, & humida ex se nullo modo flatus gignere poterunt; quatenus enim intemperies frigida impedit, ne crassa & glutinosa excrementa calefiant, prohibet generationem flatuum: quinimmo frigidorum vsus flatus genitos pauco temporis spacio magno tamen cum ægrotantium detrimento supprimit: audias vt malè agunt in Vngaria nonnulli vecordes, qui patiuntur colicum dolorem ob flatus retentos, aquam frigidam copiose hauriunt, & statim liberantur, sed paulo post in scelestissimam colicam, & tandem in paralysim incidunt. A soluta vero vnitate locus indicans flatus colligi non potest, quia flatus vlcera & solutas vnitates moliri haud possunt.

Decem loci à symptomatib. deprompti qui indicant flatus.

A symptomatibus oriuntur decem loci, quorum primus sumitur à celeri motu symptomatum sine periodicatione venientium; omnes enim humores statis quibusdam diebus homines vexant, quare, si viderimus symptomata cito adoriri, & cito desinere, iudicabimus à flatibus causari. Hinc dicemus immediatam causam cataplesis esse flatum, vel vaporem crassum, quia cito fit, & cito desinit; flatus enim in hoc affectu eleuatur à melancholico succo qui sua frigiditate neruos destinatos motui densat, & congelat, perinde ac homines ob capitis Medussæ conspectum in lapides conuerterentur, cito tamen reuiuiscũt: solet enim quatuor, & pluribus vicibus eodem die hoc symptoma reuerti. Incubus quoque affectus, quo patientes, dum dormiunt, se strangulari credunt, est symptoma, quod fit à flatu crasso, vel viscido semiobstruente neruos inseruientes thoraci; quia parum durat; similiter symptoma, quod saltus dicitur, Italicè ganfo à flatu fit, cito enim fit, & cito discutitur: etenim, si manus calida parti saltu laceratæ adiungitur, illico tollitur: recipiatur igitur tamquam experientiæ notissimum, quod symptomata omnia, quæ oriuntur à flatu cito fiant, & cito desinant. Nec obiiciant, epilepsiam aliquando cito fieri, & cito desinere, arguere tamen humores, & non flatus; quia negari potest, epilepsiam ab humoribus immediatè fieri; pro hac sententia est Auerroes qui firmiter tenet epilepsiam fieri à flatuosis spiritibus, & quãuis Auicennas, vbi agit de hoc affectu, dicat, fieri ab humoribus, non potuit

potuit tamen omittere, quin diceret, pituitam facientem epilepsiam puerorum esse flatulentam, & quamuis Galenus 3. de loc. aff. 7. dicat ab humoribus; & non à flatibus fieri, dicere possumus, humores esse causas mediatas, auras flatulentas vero immediatas: sed quicquid sit de hac re, nos non defendimus, quemlibet locum seorsum syndromem summam in docendo efficaciam habere.

Secundus locus est à doloribus extensiuis sine grauitate, & pondere desumptus, hic colligitur ab Auicenna lib. 1. fen. 2. cap. 9. vbi vult, dolores extensiuos sine pondere ventositatem significare: tales dolores extensiui sine pondere sæpè obseruantur in colo intestino, de quibus Galenus 12. methodi ca .8. habet, tunc excitari dolores extensiuos colicam facientes, quando inter spacia tunicarum intestinorum includuntur humores efficientes colicam; flatus enim ibi vi sua extensiua scelestissimos dolores sine aliquo pondere efficere possunt.

Tertius locus flatum indicans sumitur à symptomate huc, & illuc errante: si viderimus dolores diuagari, & modo vnam partem, modo aliam ambulando lacerare, flatum prædominari iudicabimus, valebit enim, symptoma diuagatur sine locorum affectorum pondere, & cito dimouetur, ergo vapor, vel flatus, quod in idem recidit, peccat; etenim vapor omnis vel est subtilis, & sic per insensibilem transpiratum sine læsione resoluitur, vel est inspissatus, & hic est (vt ostendimus superius) flatus.

Quartus locus desumitur à læsis actionibus vitalibus inter quas pręcipuè est palpitatio: Galenus enim 6. de loc. aff. dicit flatus efficere palpitationes.

Quintus ab actio ibus naturalibus, vt ab alteratrice, vel ab expultrice diminuta necessario clydones & inflationes ventris fiunt; ab aliis vero actionibus naturalibus læsis quomodo flatulentiæ colligantur in secundo fonte declarauimus.

Sextus ab exeuntibus, quæ cum manifesto crepitu, & spuma excernuntur.

Septimus à retentis flatibus, quia Galenus libro de plenitudine dicit, quod intercepti flatus summos dolores excitant: tertio de sympt. causis 2. dicit Galenus, cum flatus non excernantur per os, neque per sedem, fit symptoma, quod empneumatosis, id e inflatio ventris dicitur, quod symptoma oritur ab expultrice diminuta, vel ablata.

Amplius tres loci admodum vtiles obseruantur ab Auicenna lib. 1. fen. 2. cap. 9. quorum primus colligitur à motu membrorum, ex saltu enim, vel palpitatione partium cognoscimus flatus redundare: mulieres persæpe flatibus refertæ putant vtero gerere, dicuntque manifestas fœtus motiones pati, easque sub manibus propriis fœtũ se mouentem sentire, attamen post 8. menses vice fœtus flatus pariunt. Secundus à sono colligitur, ex ventris enim rugitibus flatus noscuntur: hinc tympanitim ab ascite per ventris sonum distinguimus: hinc aurium sibilus soni campanę specimen præ se ferens indicat ibi flatus dominari, necessario enim inferimus est sibilus aurium, tympanitis, sunt-

que rugitus ventris, ergo flatus. Tertius à tactu desumitur: eteni m si locus affectus cædit pressioni, & illico reddit, erunt flatus: patet experientia in vesicis flatibus extensis, quæ, si digitis comprimantur, illico redeunt. Galenus 14. methodi cap. 7. tradit differentiam inter œdema, & tumorem factum à flatibus, dicitque tumores flatulentos digitis pressos non retinere vestigium, sed sonitum veluti tympanum reddere, œdema verò vestigium retinere.

Quintus fős. Quantum attinet ad quintum fontem, dicimus, quod omnes partes in quibus naturaliter pituita, vel melancholia suam sedem, & domicilium habet, si affectæ sint, possint indicare flatus, etenim pituita viscida, vel melancholia terrestris diutius in illis partibus detēta, si caler est debilis, in flatus resolui potest, si fortis, in auram subtiliorem abit, & per fallentem sensum nostrum transpiratum exhalat: partes vero nostri corporis, quę præcipuè flatibus vexantur, sunt illæ, quæ obnoxiæ sunt pituitosis, vel melancholicis affectibus, quas declarauimus in capite de pituita, & melancholia: à Galeno tamen partes, quæ præcipuè à flatibus vexantur, 14. methodi cap. 7. referuntur, dicitque inflationes aliquando colligi sub cute, aliquando sub periostiis, & sub membranis, quæ musculos, vel viscera includunt; aliquando in intestinis, ventriculo, in medio spacio horum, & Peritonei.

à Quinto fonte septem locos secūdum Galenum colligi.

Methodus cognoscēdi partes corporis flatibus correpta. Præterea, si partes affectæ ignorantur, confugimus ad quinque illos vniuersales locos pro cognoscendis affectis partibus propositos à Galeno 1. de loc. aff. 5. quæ sunt excrementa, proprietates dolorum, propria accidentia, situs, & actio læsa. Ab excretis per aluum cum spuma, & sonitu ex Hippo. colligimus caput esse læsum; sonus acutus indicat flatus esse in loco angusto; sonus vero, qui imitatur bombos in loco amplo: hinc Galenus tertio de symp. causis capite secūdo de flatib. intestinorū loquēs dicit, si spiritus flatuosus acutū, & tenue sonet, defertur per vacuū, & prorsus angustū intestinū: subdit flatus si sonum edit exiguū in tenuib. voluitur intestinis, si nec prorsus acutum, nec tenuē, indicatur ieiunū flatibus premi, si verò adhuc minus sonori sint, signum est ad alia tenuia intestina descendere, quæ sunt latiora, flatus verò qui bombos imitantur, fiunt in crassissimis intestinis, quando excrementorum sunt vacua. A dolorum proprietate, diximus ex Auicenna quod vbi sunt dolores extensiui sine grauitate, ibi sint partes, quæ excruciantur flatibus. A propriis accidentibus, qualia sunt, quæ cito desinant, vt saltus, vel palpitatio partis. A situ accidentium prodeuntium à flatu, qui cognoscitur ex illis tribus signis ab Auicenna propositis, scilicet ex motu membrorum, ex sonitu, & ex tactu, dum partes cædunt pressioni, & redeunt. Demum ab actione læsa illius partis; valet enim consequentia, flatus sunt in ventre, ergo venter diminutam habet actionem, & versa vice. Per hos locos cognoscere poterimus partes corporis flatibus laceratas: quibus præcognitis, cognoscemus, quando causa efficiens affectionis erit flatus.

Vt à iuuantibus, & lædentibus duo oriantur loci indicantes flatus. Postremo est sextus fons, qui est de iuuantibus, & lædentibus in quo collocantur duo loci, primus consistit in hoc examine, vt videamus,

mus, an euacuatio, vel expulsio flatuum maximè viuet, & an retentio noceat: quia si euacuatio ægrum subleuauerit, & retentio affectum auxerit, colligemus flatum in culpam illius ægritudinis transire. Secundus, si iuuantia sint calida & sicca, nocentia vero frigida, & humida eò magis confirmabimur, flatus in corpore redundare. Calida & sicca, quæ flatus discutiant, inter cætera à Galeno 12. methodi cap. 8. probantur allium, & anisum, dicit allium coctum est ex illorum ciborum generatione, qui & flatum discutiunt, & minimam sitim inferunt: septimo de simp. med. de cimino dicit, inter omnia discutientia inspissatos & nebulosos flatus ciminum valenter dissipare, & eodem lib. cap. de nigella dicit, nigellã summã præstare opem in elidendis flatib. Similiter ruta, vt dicit 8. de simp. med. mirabilẽ virtutem in flatibus discutiendis habet. Præterea, si iuuat cucurbita à Galeno proposita 12. methodi cap. 8. quæ cum magna flamma sit administrata spiritum flatuosum tam excellenter tollit, vt simile quid incantamenti efficiat, dicimus propriam causam ægritudinis esse flatum Lædentia & flatus cumulantia, vel sunt, quæ habent inclusum flatum, quæ non solum vbi est diminutus calor, sed in ardentissima fornace edent crepitus, vt poma, castaneæ, faseoli, cassia, & alia id genus: vel sunt frigida & crassa, quæ actu non habent inclusum flatum, sed ex illis fit, vt sunt pisces, lac, caseus, quorum vapores inter concoquendum ob vires viscerum collisas, & fractas adeo crassescunt, vt amplius per angustissimos meatus insensibiles non possint exire, sed sic inspissati in flatus degenerent: si igitur viderimus, flatum illico gigni, non ab iis, quæ inclusum habent flatum, quia quilibet fortissimus, & robustissimus ex iis pati potest; sed ab illis crassis propositis ferculis, quæ flatus solum ob diminutum calorem efficiunt, tunc colligere poterimus in illo corpore redundare flatus: alter dum æger subleuabitur à flatuum euacuatione, & intendetur affectus flatuum retentione: alter, vt rectè sciatur, quæ alterantia iuuent, & quæ noceant.

Allium coctũ discutere flatus, & non inferre sitim.

De Polyæmia, seu de sanguinis vbertate per signorum communium syndromem perquirenda.

CAPVT XIII.

DE sanguine hic non esset agendum, quoniam in peccantium humorum censum venire non videtur; quia, si alteratur, & supramodum calefit, ex Galeno 3. de causis sympt. & 2. de diff. feb. 9. & 2. de crisib. 12. & ex Auicenna lib. 1. doct. 4. cap. 1. pars tenuior fit bilis, crassior verò melancholia, de quibus humoribus egimus superius; Verum, quia sua vbertate aliquando ita venas distendit, vt eas frangat, & inde homines ducat ad hæmorrhagias adeo præcipites, & periculosas, vt cachexias, & mortes adferat: proinde erit necessarium, vt methodum proponamus, quæ nos possit docere, quando in corpore sit polyæmia; quæque desumi poterit à procatarcticis, à dispositione patientis, à morbis, à symptomatibus, à locis affectis, & à iuuantibus, &

lædentibus, vtilissimus erit discursus non solum pro comparanda hac methodo, verum quia cognita polyæmia sciemus quoque, quando erit administranda phlebotomia.

Quinque loci ab externis causis collecti qui indicant Polyemiam.

In causis procatarcticis sex obseruantur præcipui loci indicantes polyæmiam, quorum primus desumitur ab aëre calido, & humido, sed temperatissimo. Secundus à cibo, & potu simili. Tertius, à somno. Quartus à balneo. Quintus à lætitia. Sextus ab exercitio consueto prætermisso. Quo ad primum est aër calidus, & humidus temperatus sanguinem augens, qui inuenitur tempore veris; vel, vt putant medici, in regione seu clymate omnium temperatissimo; aërem veris dicit Galenus 1. de humoribus comm. 1. & aliis in locis, sanguinem augere, æstatis bilem, autumni melancholiam, & hyemis pituitam: ratio autem, cur aër veris sit accommodatus polyæmiæ, est, quia sanguis, vt dicit Galenus 2. de naturalibus fac. cap. 9. & alibi copiosus fit à moderato seu mediocri calore, & talis caloris moderantia inueniri non potest in aliis anni temporibus, nisi in vere, vel vt aiunt in regione vel climate omnium temperatissimo, ibi enim dicunt, calorem ad æqualitatem peruenire.

Quod septem sint climata, & quæ sint.

Verum, sicuti apud omnes philosophos, & medicos res est certa, quod aër veris temporibus omnibus sit temperatior, non tamen consentiunt de climate, quodnam scilicet temperatissimum: hoc igitur breuibus est videndum, prius tamen quid sit clima, & quot sint, dicamus; clima significat spacium duobus parallelis clausum quo diei longitudo ad dimidiam horam variatur, climata septem sunt. Sub primo, quod vocatur diameroes, quia transit per Meroem insulam, continentur plura loca, scilicet insulæ fortunatæ, pars Arabiæ, Nubi populi, Goa famosissima ciuitas, insula Sancti Thomę, & plurimæ aliæ Prouinciæ. Sub secundo, quod dicitur Diasyenes, sunt Getuli Fretum Persici sinus, Regni Chinę maior pars. Sub tertio, quod vocatur Diaalexandros, quia transit per Alexandriam, est Ægyptus, Persia. Sub quarto, quod dicitur Diarhodos, quia transit per Rhodum, est Cyprum, Creta, tota Sicilia, & Coos Hippocratis patria. Sub quinto, quod appellatur diaromes, quia per Romam transit, est Bizantium, Hispania, & media Italiæ pars: sub sexto, quod dicitur Diapontos, quia transit per pontum mare, est Lombardia Venetiæ, Vngaria, & Gallię magna pars: sub septimo, quod Diaborysthenes vocatur, est Germania superior, Polonia, & plura alia. Qui vero distinctius scire vult sub quo climate sint omnes prouinciæ, adeat Geographiam Ptolomæi.

Quæritur quod clima sit temperatius.

Magnum est dissidium inter medicos sub quo climate inueniatur aër temperatissimus, vel saltem habitatio cæteris omnibus temperatior, & accommodatior. Auicennas lib. 1. fen. 3. cap. 1. tenet, quod sub æquatione diei, vbi incipit primum clima, nisi montes, vel maria impediant, sit locus habitationis omnium temperatissimus, quia rectitudo solis super capita minus ibi malum operatur, & minus mutat aërem, quam solis propinquitas apud nos, & apud eos, qui sunt in maiori latitudine; subdit Auicennas, & dicit, quod post istos, qui moran-

tur sub æquinoctiali magis temperati sint, qui in quarto morantur climate, quia non aduruntur propter moram solis, vt in secundo, & tertio, neque congelantur, sicuti contingit his, qui in extremitate quinti climatis habitant: neque Aristoteles obstare potest Auicennæ, quamuis 2. meteor. summa 1. cap. 2. dicat, sub æquatore locum esse inhabitabilem propter radiorum solis rectitudinem, quia experientia hactenus docuit Aristotelis opinionem falsam esse; iamdudum enim repertæ fuerunt Insulæ, & Prouinciæ plurimæ sub æquatore habentes aërem temperatum, & terram fœcundissimam, inter quas est Insula Sancti Thomæ, Abissia, & aliæ innumerabiles Prouinciæ. *Opinio Auicennæ.*

Præterea est auctoritas Ptolomæi, qui fuit tempore Antonini Imperatoris anno post aduentum Saluatoris 140. qui 2. Almag. cap. 6. & 2. quadrip. putat sub linea æquinoctiali esse regiones temperatissimas, & habitabiles, & in Geographia sub primo climate multas collocat prouincias temperatæ habitationis, vt mirandum sit, quomodo Auicennas, qui fuit post Ptolomæum aliquot centenis annis, nesciret, an montes, vel maria impedirent habitationem primi climatis, cum plurimæ Prouinciæ, & Regna à Ptolomæo sub illo descripta sint. Auerroes quoque, qui tempore Auicennæ fuit, in verba Aristot. iurans negat, sub primo climate esse locum habitationis, putat enim quintum clima, sub quo ille erat, esse omnium temperatissimum. Manardus Ferrariensis 7. Epist. nostrum sextum clima sub quo ille erat cæteris omnibus anteponit. Albertus Magnus, cuius patria est Ratisbona, quæ inter sextum, & septimum collocatur lib. de nat. loc. dist. 1. capite 11. dicit, sextum & septimum esse temperatissima, quia homines illorum climatum sunt pulcherrimi, corporúmq; procerum, pulchræ staturæ, & venusti coloris: omnes ergo suam patriam laudare videntur. Vera tamen opinio (ni fallor) est quod omnia climata præter frigidissimas, & remotas à mari possunt vocari temperatissima, & ratio est, quia hic consideramus climata per relationem ad hominem, cuius temperamenti æqualitas refertur ad iustitiam, & non ad pondus æquale elementorum, quod non datur, nec dari potest, quia, vt optimè dicit Aristot. 1. cœli text. 12. & alibi, omnia mista mouentur à prædominante, ergo clima dicetur temperatum facta collatione cum misto æquali ad iustitiam, quod potest inueniri in omni climate, quare quando agemus de homine temperatissimo, intelligemus esse talem facta collatione non cum hominibus aliorum climatum, sed cum temperatis proprij climatis; similiter dum dicimus volam manus esse partem temperatissimam, intelligimus respectu illius hominis, & non absolutè, quia cutis manus hominis temperati primi climatis respectu temperati septimi, est intemperatissima. Præterea, si per intemperatissimum intelligeremus absolutè, & non per relationem ad proprium clima, sequeretur quod temperatissimus in omni climate esset temperatissimus, quod nullo modo esse potest, quinimmo vir temperatissimus primi, sub septimo intemperatissimam vitam ageret. Amplius, si per intemperatissimum intelligeremus absolutè, & non respe-

Opinio Auerrois.

Opinio Manardi.

Opinio Alberti Magni.

Propria opinio.

ctu proprij climatis, sequeretur, quod qui in primo nimio ardore viscerum torretur, quique sanus ibi viuere non potest, dici quoque posset temperatissimus respectu septimi, sub quo dio eius incendium ob insigne frigus adeo mitesceret, vt temperatissimum habitum sibi compararet: patet itaque climata dici temperata, vel intemperata respectu aliquarum temperaturarum, & non absolutè; ac in omni climate inueniri posse homines adeo temperatos, vt illis temperatiores non dentur, & denique omnia climata vocari posse ęquè temperata. Tantum potuit hæc veritas, vt percelebres medici, & philosophi, qui de hac re disputarunt, veritate coacti in bonam opinionem inciderint, quæ erat, quod proprium, & patrium clima, vt omnibus magis accommodatum, sit temperatissimum omnium; hinc Hippoc. Galen. & Auicennas laudant quartum clima sub quo vixerant; quartum enim per Gnidum, & Coon, vt dicit Galen. 3. aphorismorum 14. transit: Auerroes Cordubensis, cuius patria est in Hispania; quintum, Manardus Ferrariensis, suum sextum aliis anteposuit. Albertus Magnus Germanus Ratisbonæ natus dicit, esse credendum septimum (quod suum erat) esse temperatius, quia homines sub illo sunt pulchriores, & proceræ staturæ. Hinc Galenus, quamuis defenderit quartum esse temperatius, non tamen potuit omittere, quin diceret loco citato, quod omnes regiones respectu propriorum habitatorum sint temperatæ illis exceptis, quæ sunt frigidissimæ, & calidissimæ, vel remotæ à mari: excluduntur frigidissimæ regiones remotæ à mari, & non proximæ, quia vapores algidi ventis maritimis contemperantur: fertur ab omnibus Londinum Angliæ metropolim, quamuis eius altitudo sit grad. 52. non excellere in frigore aërem Venetum; Concludimus ergo in quolibet climate inueniri posse temperatissimos, dicimusque temperatissimum Germanum æquiparari posse temperatissimo Arabo, vel Abissino; sola enim propria habitatio à primordiis constitutionis acquisita est animantibus accommodata, & temperata, alienæ vero sunt incommodæ, & ferè omnes intemperatæ: si elephantes in Italiam ducantur, ob climatis diuersitatem virtutem generandi amittunt, viuere tamen diutius possunt: si vero in Germaniam, & regiones frigidiores ducantur, non solum facultatem gignendi amittunt, verum quam citissimè moriuntur, nisi in calidis locis conseruentur; similiter animalia regionis frigidæ, vt Sabelini, & alia id genus, si in Italiam ferantur (vt experientia probatum est) viuunt, speciem tamen propagare non possunt; si vero in Africam ferantur, virtutem generandi, & simul vitam quam citissime amittunt; itaque vanum erit inquirere, quod clima absolutè melius sit; quia in quolibet climate inuenitur temperatum, quo temperatius esse non potest; quilibet enim homo temperatus in proprio climate, erit intemperatus in alienis, & quilibet intemperatus in proprio, inueniet clima respectu illius magis temperatum: itaque valde conuenit, vt inquiratur quod clima conueniat frigidis, quod calidis, quodve siccis, vel humidis: habet igitur Galenus 3. aphorismorum 14. vbi aër est siccus, humidæ naturæ sentient

Vt omnes veritate coacti dicant proprium clima esse aliis temperatius.

tient

tient vtilitatem, naturæ vero ſiccæ in aëre ſicco ob conſtitutionem, vel ob climata incidunt in febres, & lippitudines, & aliquando in atras biles, quia portio humida in bile abſumitur & exſiccatur; ſimiliter natura frigida in frigidiſſimo aëre congelatur, calida contemperatur; quare non eſt inquirendum, quod clima abſolute ſit temperatius: ſed quod ſit magis accommodatum humidis, quod ſiccis, quod calidis, & quod frigidis temperaturis: dicendum igitur eſt, quod iis, qui natura calidiſſimi ſunt, primum clima ſit valde contrarium, & inimicum, ſeptimum vero amicum: frigidiſſimis ſeptimum eſt contrarium, primum vero eſt accommodatum. Hinc Delphicum Oraculum (vt refert Herodotus) dedit reſponſum cuidam humida, & frigida affectione correpto, vt in Lybiam regionem calidam ſe tráſferret, quia ibi habitum frigidum ad temperatum reduceret, vnde promptius ſanguinem, & non pituitam amplius augeret. Ex aëre igitur veris, & climate temperaturis accommodato, quod erit facile, vt inueniatur, colligemus polyæmiam.

A cibo & potu colligimus ſanguinem: à cibo, quia 3. de alim. fac. Galenus dicit, panem, volatilia vt perdices, & quæ facilis digeſtionis ſunt, conuertuntur in ſanguinem. A potu 3. de alim. fac. cap. 4. habet vinorum omnium rubra, & craſſa ſanguini generando eſſe accommodatiſsima, vt quæ minima egeant mutatione, vt ſanguis fiat; verum, ſicuti omnia climata poſſunt eſſe temperata, & intemperata reſpectu diuerſorum; ſimiliter alimenta reſpectu diuerſarum naturarum poſſunt conuerti in ſanguinem, & in malos humores. Doctrina hæc colligitur à Galeno 2. de naturalibus fac. cap. 8. vbi dicit, quod mel in naturis calidis vertitur in bilem, quia calidum cum ſit, vbi calido adiungitur, mediocritatem temperamenti facilè amittit, & ſanguinem generare non poteſt, ſubdit, mel enim in frigidis naturis, & ſenibus vertitur in ſanguinem: hac igitur ratione coacti de omnibus cibis poterimus cognoſcere an polyæmiam fecerint; ſi viderimus hominem calidi temperamenti comediſſe mel, & alia id genus calidi nutrimenti, & facilis digeſtionis, dicemus bilem, & nó ſanguinem in illo eſſe aceruatam: ſi frigidi, dicemus potius ſanguinem eſſe accumulatum. Idem de cæteris omnibus cibis erit dicendum. Ex cibo ergo, & potu locus oritur indicans polyæmiam, qui conſiſtit in hoc, vt examinemus quibus temperaturis conueniant alimenta gignentia ſanguinem, quia inueniemus in frigidis alimenta calida ſanguinem augere, & frigida in calidis, & humida in ſiccis, & moderata in moderatis.

Vt à cibo, & potu colligitur locus indicans polyæmiam.

A ſomno moderato ſanguinem augeri colligimus, de qua re audias Galenum 12. methodi cap. 3. ſomnus moderatus cruditatem leuat. Subdit deinde ſomnus concoquit, vigiliæ digerunt; cauſæ vero, cur ſomnus concoquat, & vigiliæ digerant, traditur à Galeno 4. in 6. de morb. vulg. tex. 14. iis verbis, in ſomno calor ad internas partes reuocatur, & melior coctio fit. Hinc Galenus 4. de tuend. ſani. cap. 4. ſemper ſibi conſentiens habet, ſomnum, & quietem ſemicoctos hu-

Vt ſomnus ſanguinem auget.

mores optimè coquere & perficere. His positis quisque ex somno moderato non intercepto colligere poterit polyæmiam.

Vt balneum aquæ dulcis sanguinem augeat.

Ab vsu balnei aquæ dulcis ob duplicem rationem idem colligitur: prima est, quia inducit somnum: ostendimus superius somnum semisanguinem perficere, & cruditates tollere. Galenus verò 3. de loc. aff. 5. reddit rationem, cur balneum soporiferum sit, dicitque, balneum eo quod caput madefacit, soporiferum esse: multæ enim sunt lotiones ex aqua dulci, & papauere paratæ, quibus, si abluantur capita, illico somnus inducitur. Secunda est, quia balnea dulcis aquæ calefaciunt, & humectant, & trahunt sanguinem ad nutriendas partes, quæ dum bene nutritæ sunt statim conspirant in copiosi sanguinis productionem.

Vt lætitia.

A lætitia moderata augetur sanguis, quia sicuti balneum diffundendo causat meliorem nutritionem, & auget vires alteratricis facultatis, ad eundem modum lætitia idem præstat; hinc Galenus de lætitia loquēs lib. de hum. com. 2. tex. 31. dicit, nam cogitare, & videre quæ iucunda sunt, animum lætitia perfundit, natiuumque calorem dilatat: dum igitur ob lætitiam natiuus calor dilatatur, necessario secum fert sanguinem ad rectè nutriendas partes, quia natiui caloris domicilium, vt sæpè dicit Gal. est sanguis, & necessario calor cum sanguine mouetur: præterea 4. de causis puls. cap. 3. habet, quod lætis diffunditur per vniuersum corpus calor, vnde meritò fit maior pulsus, ex hac igitur dilatatione caloris moderatur internum incendium viscerum, vnde melior coctio, & ad omnes corporis partes fertur pabulum, vnde melior nutritio: ex meliori igitur coctione, & nutritione necessario copiosus, & optimus sanguis gignetur: diximus moderatam lætitiam augere sanguinem, quia nimia lætitia destruit, & dissoluit vires facultatum alteratricum, & minuit sanguinem. Galenus 12. methodi cap. 5. dicit, ob vehementem timorem, & excessum lætitiæ aliquos perisse homines: timorem subitum, & vehementem vocat Galenus ecplexin: voluptatem maximam perichariam, id est quasi excessum gaudij: legitur perichariæ occasione Dionysium Tyrannum, & Sophoclem accepto tragicæ victoriæ nuncio præ nimio gaudio statim periisse: similiter Romana mulier prius intelligit filium in canario prælio esse occisum, deinde cum post tot lachrymas eum videat sanum redire domum, præ nimia lætitia moritur. Ab exercitio consueto omisso colligimus statim auctum esse sanguinem: locus hic à Galeno obseruatur primo de hum. 1. vt valeat consequentia, omisit exercitium, ergo magis, quam antea, sanguine abundat.

Qui mortui sint præ nimio gaudio.

Vt exercitiū consuetum omissum.

Vt ex

Vt ex dispositione corporum, ex morbis, symptomatibus, loc. aff. & iuuantibus, & lædentibus polyæmia cognoscitur.

Cap. XIV.

Loci indicantes corpora esse disposita ad polyæmiam sunt antecedentes, vel consequentes: antecedentium primus oritur à sanguineis parentibus, qui ob copiam sæpe fuerint soliti in hæmorrhagias erumpere: si verò ex hoc loco aliquid certi non colligitur, est secundus locus ab ætate florida desumptus; iuuenes enim, & qui ætate consistentiæ gaudent, vt plurimum sanguine abundant. Tertius locus consistit in habitu corporis, continetque sub se tres locos, quorum primus est esse carnosum, vt erant Atletæ, sed non pinguem; quia pinguedo ex frigiditate, & non ex sanguine nascitur; dicit enim clarè Galenus 2. de temp. cap. 4. quod adeps ex habitus frigiditate gignitur, corpulentia siue carnis abundantia ex sanguinis copia: præterea Galenus 1. de hum. cap. 1. dicit ex corporis grauitate, & segnitie ad motum sanguinis vbertatem colligi: & quamuis Galenus 6. de morb. vulg. capite 3. tex. 29. dicat inueniri emaciatos cum plurimo sanguine, & crassos cum pauco, dicatque iis verbis se copiosum sanguinem detraxisse emaciatæ mulieri: mulieri emaciatæ, cui suppressi erant menses primo die sanguinis sexqui libram detraxi; postridie verò eius diei iterum libram, tertio die octo vncias: occurrimus emaciatos abundare posse sanguine seroso, vel alio modo vitiato, & non syncero, de quo nos loquimur, dum vero refert, crassos inueniri cum pauco sanguine, nos per crassos intelligimus pingues, & non perfectum habitum carnosum, qui re vera supponit semper sanguinis synceri abundantiam. Secundus locus est venas habere elatas, & eminentes, vt colligitur à Galen. 1. de hum. 1. & 6. de morb. vulg. 3. tex. 29. dum de muliere emaciata cui sanguinem multum detraxit loquitur, ibi habet hæc: non possunt sanè venæ esse angustæ, & flacidæ, & sanguinem copiosum continere. Tertius locus est physionomicus, etenim sunt admodum hirsuti ratio est, quia copia sanguinis indicat copiosam esse fœcem melancholicã, quæ est causa propria pilorũ. Præterea ex Aristo. sanguinei habent magnã frontem, & aures erectas: ex Hipp. & Galeno 4. de ratione vict. in ac. tex. 26. sanguinei habent constantiam seu immobilitatem oculorum. Quartus locus desumitur à virtute corporis, nisi enim facultates animales fortitudine donatæ sint, sanguinem augere non valent. Quintus locus, qui est omnium certissimus, colligitur ex consueta sanguinis euacuatione intermissa per nares, hæmorrhoides, & per alias partes; ex hoc enim fonte, & ex aliquorum saltem syndrome non erit difficile sanguinis vbertatem cognoscere.

Quinque loci à dispositionibus antecedentibus desumpti indicantes polyæmiam.

A physionomia.

A virium robore.

Ab intermissa sanguinis euacuatione.

A consequentibus, scilicet ab actionibus animalibus, vitalibus, naturalibus, ab exeuntibus, & retentis, & à qualitalibus tactilibus colligimus, quando corpus est dispositum ad polyæmiam. Quo ad facul-

Loci à consequentibus & dicentes polyæmiam.

tates animales principes attinet, vt est discursus, memoria, & imaginatrix, dicimus esse retusas; & hebetes; sanguineos enim vocat Galenus, 2.de hum.tex.30.& 1.de nat.human.text.39. stolidos; vtque stolidi ex Galeni auctoritate dicuntur esse ad risum profusi, incontinentes, & imprudentes. Quo ad actionem imaginatricem, dicit Galenus 1.de humoribus com.1. & alibi, quod somniant sanguinem egredi, vel ab alto cadere, & rubra videre: non potest enim sanguinis redundantia in venis contineri: quin ad cerebrum mittantur sanguinei vapores, & spectra sanguinea offerantur. Quo ad motricem facultatem attinet, obseruamus sanguineos difficilè montes ascendere, ratio est, quia caua vena tumida, & onusta sanguine comprimens diaphragma necessario reddit inspirationem frequentem, & laboriosam.

Ab actionibus vitalibus locus à pulsu desumitur; dicit Galenus 2. de causis pul.cap.2. quod sanguinis copia facit illam sanguinis inęqualitatem, quæ facilimè sedatur sanguinis missione: valebit ergo consequentia, post sanguinis euacuationem illico tollitur pulsus inæqualitas, ergo polyæmia erat in corpore.

A naturalibus, quia aptissimi sunt ad coctionem, sicuti enim biliosi ad attractionem, & expulsionem, & melancholici ad retentionem; sic sanguinei in concoquendo cæteris omnibus præstant. A nutritione idem colligitur, dicit enim Alexander Aphrodiseus 2. probl. 10. sanguineos benè ali, dicitque sanguinem primo loco alere; secundo loco pituitam; valebit ergo perfectè alitur, ergo sanguinis optimi est abundantia.

Ab exeuntibus, quia faciunt excrementa sanguinolenta, & vt plurimum rubra; etenim dum sani quoque sunt, rubrum reddunt lotium, rubra sputa, & fæces sanguineo colore sæpè respersas. Amplius duo oriuntur loci à semine, & lacte copioso; quia Galenus 16.de vsu par.cap.10. dicit, quod sanguinei omnes lac, & semen copiosum faciunt, valebit ergo, lac copiosum gignitur, vel semen, ergo polyæmia.

A qualitatibus tactilibus, quia, si habent oculorum venas rubentes & linguam plus debito rubram, sanguinis habent abundantiam, valebit ergo oculi & lingua naturaliter rubent, ergo sanguinis vbertas; Galenus 1.de hum.com.1. dicit, si corpus vergat ad rubrum colorem, » signum est polyæmiæ, hæc sunt verba: si corpus se ipso albidius sit fa- » ctum, neque vlla sit perturbatio, pituitam abundare plerumque in- » dicatur, cum vero sit pallidus, aut magis flauum, bilem; si ad rubicundius vergat, quam naturæ status ferat, sanguinem; si ad nigrum atram bilem. Ex iis antecedentibus, & consequentibus locis polyæmia colligi poterit.

Vt à morbis colligitur polyæmia.

A morborum generibus omnibus idem colligitur: ab intemperie scilicet calida, qualis est febris synochus sine putredine, quæ triduo soluitur, quæ est homotona, id est semper manens in eodem vigore vsque in finem, vel acmastica, quæ scilicet semper augetur, vel paracmastica id est semper decrescens, sanguis colligitur; valet enim est synochus, ergo sanguinis redundantia. A mala compositione, vt à tumore rubro

re rubro cuiuslibet partis corporis,& præcipuè oculorum,in quorum venulas ſanguis redundans facilè procumbere , & reſtagnare ſolet: locus iſte à tumore rubro eſt Galen.14.method.cap.9. A ſoluta vnitate,vt ſunt venarum rupturæ , non ob caſum factæ, vel iram cum clamore, vel ob aliam cauſam extrinſecam,ſed ob plenitudinem.

Symptomata ſanguineos morbos inſequentia ſunt actiones læſæ, exeuntia,& retenta,& qualitates tactiles præter naturam,ſuntque illa ferè ſymptomata declarata in locis pertinentibus ad ſecundum fontem, veluti rubra ſomniare,pulſus habere inæquales, & alia ſuperius propoſita. In ſanguineis tamen ægrotantibus hęc ſymptomata adhuc fiunt vehementiora. Etenim riſus,ſanguinis fluxus per hæmorrhoidas,per os,per nares,ſanguiniſq; ſuppreſſio, ſuggillatio, color rubeus totius corporis,& lippitudo ſine morſu in ægrotantibus modum excedunt. Præterea debent quoque obſeruari ſymptomata , quæ inſequuntur polyæmiam ab Hippocrate,& Galeno 4.de ratione vict.tex. 26.relata,dicit enim ibi Galenus,manuum porrectiones, dentiũ ſtridores,& maxillarum contractiones à ſanguinis nimia abundantia lædente neruorum originem prouenire, additque ſanguinis multitudinem inducere torporem,& inde oculorum conſtantiam,& immobilitatem.Ex iis ab Hipp.& Galeno propoſitis ſymptomatibus inſequentibus ſanguinis vbertatem duo oriuntur loci, alter à vitiata motione, ſcil.à ſtridore dentium,à maxillarum contractione,& à manuum porrectione:alter à torpore,& ab oculorum conſtantia, & immobilitate. *Vt à ſymptomatibus.*

Si vero varia ſignorum genera ægrotanti contingerent , vt partim indicarent ſanguinis multitudinem,& partim vitium aliorum humorum, tunc eſſet dicendum cum polyæmia peccare quoque alios humores,exempli cauſa,ſit aliquis carnoſus , habeatq; linguam plus debito rubram,oculos ſuggillatos cum lippitudine ſine morſu,ex iis polyæmiam colligemus,verum ſi patiens habebit adiunctam tertianam, dicemus cum vbertate ſanguinis miſtam eſſe bilem ; denique,ſi huic ſuperueniet ſymptoma melancholicum , coniiciemus ſanguinis portionem eſſe permutatam in ſuccum craſſum. Ex methodis propoſitis non ſolum ſimplices humores, ſed miſtos quoque colligemus : quomodo autem miſturæ fiant, in lib.ſequenti declarabitur.

A locis affectis idem colligitur, partes affectæ, quæ ſæpè ſanguinem peccare oſtendunt, ſunt iecur,& venæ. Iecur,quia eſt ſanguinis auctor,dicebat Galen.4.de vſu par.cap.13.in iecore ſanguinem fieri,& benè coqui,quia multi in eo ſunt ſinus; venæ,quia ſunt ſanguinis domicilia; valebit ergo vt plurimum , iecur afficitur , ergo in ſanguine morbus eſt:morbus à venis dependet,ergo ſanguineus:ſi vero in conſequentiis aderit ſcrupulus, virtute ſignorum aliorum fontium facilè illum tolles. *Vt à locis affectu colligitur polyæmia.*

A iuuantibus & lædentibus colligimus duos locos indicantes ſanguinis vbertatem , quorum primus eſt, dum iuuat ſanguinis miſsio, quod ſignum,quamuis indigeat,vt aliis roboretur ſignis,ex Galen.tamen 4.de tuend.ſan.4.ſæpè valet conſequentia, iuuat ſanguinis eua- *Vt à iuuantibus & lædentibus polyæmia noſcitur.*

cuatio,ergo polyæmia. Secundus locus ſumitur ab illa cibi paucitate, quæ tollit laſſitudinem,& ſitim,eſt Galen.6.de morb.vulg.cap.3.tex. 28.ſanguineos ſcilicet,& pituitoſos cibi paucitate tollere ſitim,& laſſitudinem. Poſtremus hic fons continetur virtute in quinque ſuperiorib. qui ſoli neceſſario concurrunt; ratio neceſſitatis illorú ex eo pendet, quia vt aliquid fiat duo neceſſario ſemper præcedunt, externæ ſcilicet coctiones, & ſubiectum diſpoſitum, alioquin nihil noui in hoc mortali & caduco ſtatu emergeret: hinc philoſophus pro rerum caducarum principiis poſuit cauſas efficientes externas, & priuationem,quæ aliud non ſignificat,quam corpus diſpoſitum,éſtque principium,tum quia ſine ipſa nihil fieret,tum,vt euitaret illam vanitatem Anaxagoræ dicentis,quodlibet fieri ex quolibet: poſitis igitur cauſis efficientibus & corporibus diſpoſitis neceſſario formę ſeu morborum ideæ fiunt,& deinde eorum ſymptomata, quæ morbos ſequuntur, vt vmbra corpus. At denique oportet, vt in aliquo loco,vel aliqua corporis parte ſint. Quæ cum ita ſint neceſſario quinque fontes oriri debent:vt Primus ſit ab externis cauſis efficientibus ortus. Secundus à diſpoſitione corporum. Tertius à morborum ideis. Quartus à morborum ſymptomatis.Quintus à locis affectis. Poſtremus,qui eſt à iuuantibus, & lædentibus in aliis re vera contineatur fontibus, vt alibi oſtendimus: illo tamen vtemur, vt aliquando facilè, & ſine longo diſcurſu peccantes, & occultos humores cognoſcere poſſimus.

Epilogus. Ex traditis patet, quomodo per ſignorum communium ſyndromem artificioſam potuimus cognoſcere omnes peccantes humores in corporis latebris abſconditos: oſtendimus prius modum,quo ſeptem bilioſorum ſuccorum differentiæ, ſcilicet pallida, flaua, vitellina, porracea,iſatidis,æruginoſa,& rubra,cognoſcantur: deinde modum cognoſcendi quatuor pituitoſorum ſuccorum differentias, quæ ſunt pituita acida,ſalſa,vitrea,& dulcis:exinde quomodo tres melancholiæ, ſcilicet fæx ſanguinis, eadem aduſta, & atra bilis cognoſcantur. Demum egimus de cognoſcendo flatu, & de polyæmia: quorum omnium cognitio adeo medicinæ conferre poteſt, vt credam ſine exacta hac notitia, eſſe impoſſibile, vt ægritudines cognoſcamus, & ægrotantibus ſuppetias afferamus.

Finis Sexti Libri.

SANCTORII SANCTORII

Iustinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in misturis humorum peccantium per sapores, & colores perquirendis.

LIBER SEPTIMVS.

Ostenditur, quomodo omnes peccantes humores misceantur.

CAPVT I.



N præcedenti libro ostendimus, quomodo virtute syndromes signorum communium possint perquiri humores in imis corporis partibus existentes: in præsentia sequitur, vt statim agamus, quomodo misceantur, & qua via humorum misturæ cognoscantur. Omnes humorum peccantium misturæ (vt à communissima diuisione exordiar) vel sunt intrinsecus factæ, vel ex humoribus à variis, & separatis partibus missis. Intrinsecus factæ ab Auicenna dicuntur, quando (exempli causa) peccaret bilis flaua, acciderétque, vt eius portio à calore præter naturam fieret æruginosa, eaque cum flaua misceretur; si verò accideret, vt æruginosa ab alio loco mitteretur, & flauæ bili adiungeretur, mistura ab humoribus aliunde missis vocaretur. Auicennas lib. 1. fen. 1. cap. de humoribus dicit, nullam esse humoris speciem, quæ aliquando misturarum vtrumque genus non experiatur: nullus sanè est patiens malis humoribus vexatus, qui mala aliqua humorum miscella non grauetur, quoniam nemo ab vnico solo humore peccante, qui non alteretur, & transmutetur, vexari potest; est Galeni sententia 2. de diff. feb. 5.

humores non posse eodem modo manere, sicuti erant prius; quia in perpetua alteratione versantur, & semper inuicem miscentur: est quoque corporum viuentium natura, quæ idem persuadet, quia iners & otiosa manere non potest. Hinc, si bilis flaua in morbi limine exuperat, antequam æger ad augmentum, vel statum perueniat, tam variis modis alteratur, vt in varias humorum prauorum differentias sæpè mutetur; modo enim fit porracea, modo æruginosa, modo atra, & denique ex variis transmutationibus variæ quoque misturæ fiunt, quæ diuersis modis humanum corpus opprimunt. Tyrones medici, dum ineunt consilia pro ægrotantium salute, non inspicientes has humorum perpetuas vicissitudines, & misturas in hunc errorem prolabuntur; statuunt in morbi principio, humorem peccantem exempli causa esse bilem, creduntque eandem humoris speciem perseuerare vsque in finem, perinde ac bilis esset inalterabilis, & intransmutabilis: nec vident, humores ob morbi insultus multoties mutari, & permisceri. Nec vident in omni ægrotante esse quotidie obseruandas, & præcognoscendas varias humorum mutationes: bilis enim, quæ externo die erat flaua, hodie fieri potest æruginosa; cras deinde posset misceri cum pituita, & in porraceam degenerare. Ex qua posita humorum vicissitudine variæ oriuntur indicationes, & varia remedia quotidie proponantur oportet; quæ enim indicantur à bile flaua, non conueniunt æruginosæ, nec vice versa: similiter indicationes, quæ hauriuntur ab æruginosa facta in eadem massa erunt omnino diuersæ ab iis, quæ indicantur ab æruginosa aliunde missa.

Vt errant Tyrones medici dum ineunt consilia pro curandis morbis.

Quales sapores indicent humorum misturas.

Sapores indicantes humorum misturas sunt salsus, dulcis, acidus, & ponticus. Colores verò præcipui sunt albus, flauus, vitellinus, porraceus, & niger: ostendimus in 1. lib. salsum saporem salsam pituitam indicare; verum, quia salsedo in pituita fit, vel quia miscetur cum salso sero, vel quia ob putredinem, vel moram, vel ob aliam causam calidam salsa fit, ideo, quomodo hæc fiant erit explicandum. Similiter, cum obseruetur ponticus sapor in pituita vitrea, expedit, vt exploremus an per se, vel per accidens talis sit, quod est, an à magno frigore, vel ab humore aliunde transmisso ponticum acquirat saporem: solet sæpenumero exigua melancholici ichoris portio, perinde ac oleũ sulphuris, vitream pituitam ponticitate inficere. Itidem sapor dulcis, qui in saliua obseruatur, fit, vel quia cum pituita miscetur ichor sanguineus, quæ mistura facta est ab humore aliunde veniente, vel quia pituita reddita est semisanguis: hæc vocatur mistura intus facta. Postremò acidus sapor fit in pituita, vt dicit Auicennas lib. 1. cap. de humoribus, vel ob misturam melancholiæ forinsecus missæ, vel ob causam, quæ est in pituita; etenim si dulcis sit, & contingat vt ebulliat, dicit Auicennas, acidam fieri.

Quales colores indicent misturas humorum.

Similiter colores modo per se tales, modo per misturam fiunt: si alba fuerint excrementa, protinus dicemus esse alba vel ob misturam pituitæ, vel ob debilitatem ventriculi, vel hepatis. Nisi distinctè has affectuum ideas præcognoscamus, neque indicationes haurire, nec

manus

manus medicas miseris ægrotis porrigere poterimus. Flauus color modo, vt dicit Galen.libr.de atra bile, oritur à mistura tenuis humoris, modo 2.præsag.47. flauus fit à pallido sero torrefacto. Vitellina bilis eandem difficultatem nobis adfert, quia Auicennas credidit factam esse à mistura flauæ bilis cum crasso phlegmate. Galenus verò negat in hac bile esse misturam, quia putat à calore igneo, tenue & aquosum flauæ absumi, & inde colorem intendi, & vitellinum fieri. Postremo est porracea bilis, de qua sunt qui dicunt, talem fieri ob misturam flauę cum pituita; sunt quoque alij, qui dicunt vitellinam, & non flauam cum pituita, vt porracea fiat, permisceri. Denique sunt qui deffendunt porraceam esse misturam pituitæ cum æruginosa bile. Quocirca, cum omnia sint controuersa, sintque obscura, & difficultatibus obstructa, nō est mirum, si in omni re difficili omnes opiniones, quas fingere potest humanus intellectus, in medium afferantur. Iccirco nisi in tanta opinionum varietate distinguamus analyticis initiis, quæ sunt propria à communibus, nulla nobis relinquetur via, qua veritatem consequi possimus.

Exemplis ostenditur in ægris, vel sanis non inueniri synceros humores.

Præterea plurima sunt affectuum præter naturam exempla in quibus obseruantur humorum misturæ. Galenus lib.de tumoribus præter naturam cap.10. dicit, causam erysipelatis externi esse bilem flauam mistam cum ichore sanguineo, valebit ergo, est erysipelas externum, ergo mistura bilis flauæ cum ichore sanguineo ægrum vexat. In Historia Vxoris Dealcis, quæ in delirio plorabat, & ridebat, Galenus collegit sanguini bilioso melancholiam esse commistam: lib. de comate cap.3. & 1.prædict.com.33. legimus, coma vigil à mistura bilis cum pituita pendere, vt perpetuo valeat consequentia, est coma vigil, ergo misturæ ex bile, & pituita accepta referenda causa est: tale quippiam in aurium tinnitu, qui aquæ currentium sonū imitatur, dicimus, esse pituitam aquosam cum flatu. In lethargo exquisito omnes consentiunt esse pituitam mistam cum sanguine: idem in aliis obseruatur affectibus, quia nullus est morbus, qui ab aliqua mistura non alatur, & foueatur: quinimmo, dum sanam vitam agimus, nullus est humor ita simplex, & syncerus, qui non sit ab aliquo contaminatus, & non sit factus impurus. Si elementa, quæ mundum hunc inferiorem complent, impura, & inuicem permista esse credimus, quanto magis erit credendum, in ægrotantibus humores à causis non naturalibus, & violentis esse permistos, & contaminatos: Quæ cum ita sint, valde conuenit, vt de saporibus, & coloribus indicantibus misturas humorum altius repetamus, vt tandem misturis cognitis, sciamus indicationes haurire, & morbis suppetias afferre.

Quomodo cognoscitur, quando salsedo in pituita fit per misturam intus factam, & quando per misturam humoris aliunde venientis.

CAPVT II.

Galeni, & Auicennæ sententia de causis salsedinis pituitæ.

CVm salsus sapor præcipuè indicet humorum misturas, præstat prius perquirere, cur insipidi humores fiant salsi: variæ sunt opiniones, Galenus 2. de diff. feb. cap. 8. dicit, salsedinem pituitæ fieri aut propter putredinem, aut propter salsæ & serosæ humiditatis mistionem. Auicennas lib. 1. fen. 1. doct. 4. capite 1. dicit, pituitam fieri salsam vel ob mistionem bilis adustæ, vel ob putredinem, vel ob moram. Plurimi Galeni sectatores, cum videant Auicennam discedere à Galeni sententia, dum diceret, salsedinem fieri ob mistionem bilis adustę, Galenus vero ob salsę, & serosę humiditatis miscellam, conantur sententiam Auicennę experimentis reiicere: dicunt enim, nunquam esse visum, quod ex mistione amari cum insipido humore consurgat salsus sapor: verum quomodo res se habeat, & an sit inter Galenum, & Auicennam dissidium, inferius ostendemus.

Cur salsi ichores, putredo, mora non sunt vera causa salsedinis.

In primis se offert, vt videamus, an propositæ causæ salsedinis sint proprię & adęquatæ, à sumpto hoc initio ab Aristotele, & à Galeno nõ semel supposito, quod scilicet causa propria, & adæquata vnius effectus vnica sit, eaque non sit partialis, vel remota. Dum igitur dicunt, causam salsedinis esse putredinem, vel moram, videntur afferre causas partiales, & non adæquatam: dum vero dicunt, salsam, & serosam humiditatem causare salsedinem in pituita, petere videntur principium, quoniam quæritur, cur serosa humiditas salsa sit: inuenienda est igitur causa salsedinis, vt salsedo est, quę vnica debet esse, & vnico debet adæquato conuenire subiecto, & non pluribus: qua inuenta illico quoque scietur, cur salsi fiant humores. Hæc doctrina est Aristotel. 2. priorum cap. 35. vbi ostendit exemplo fortitudinis Leonis, nos scire solum per conuertibilia, & adæquata: similiter 2. post. circa finem dicit, passionem quærendam cognosci, dum subiectum, cui primo conuenit, & eius passionis causa adæquata inuenitur: hinc philosophus, quem nos æmulari conamur, in tota sua philosophia prima subiecta passionum semper perquirit, vt demonstratiuas scientias constituat: hinc 4. metaph. attribuit enti in communi, vt primo subiecto, & adæquato communissimas proprietates, quæ constituunt diuinam philosophiam, easque deinde perquirit. Ad eundem modum primo cœli acturus de motu locali quinque simplicium corporum, statim tex. 5. præcognoscit cui subiecto adæquatè conueniat localiter moueri, dicitque conuenire magnitudini naturali sumptæ in maxima latitudine: similiter in tota sua philosophia vult omnia pendere ab vnica causa, & vnius causæ, quatenus vna, vnicum esse effectum, & vnius effectus, quatenus vnus, vnicam esse causam, & vnicum subiectum. Quam altissimam

tissimam sapientiam sequens quoque Galenus admirabilem medendi methodum composuit, quæ consistit in hoc præcipuo fundamento, quod scilicet vnum, vt vnum, conueniat vni, pendeat ab vno, & indicetur ab vno.

Supposita itaque hac Aristotelis & Galeni philosophia dicimus putredinem, vel mistionem salsi ichoris, vel moram non esse veras causas salsedinis, quia, cum sint plures, nulla erit adæquata, sed quælibet erit partialis: millies enim morantur, vel putrescunt humores, attamen non semper salsi fiunt: esset igitur illa inuenienda causa, qua putredo facit salsedinem in pituita, qua mora sine putredine, vel qua bilis adusta sine putredine, & mora salsedinem efficit. Dicimus itaque cum Aristotele, & Galeno salsedinem fieri, quando in humoribus pars dulcis, & insipida virtute caloris separatur, & pars terrestris, quæ remanet, aduritur, & permiscetur cum humoribus aquosis. Hæc opinio est Aristotelis, Galeni & cęterorum Antiquorum philosophorum. Aristot. 2. probl. tertio: 4. probl. decimotertio, & 5. trigesimoquinto, quia ibi dicit, salsedinem lachrymarum, vrinæ, & sudoris fieri, quia transit dulce, & concoctum in alimentum: pars vero terrea calefacta, perinde ac calx, & cinis, reddit humores salsos. Galeni, quia quinto simp. med. fac. 26. dicit, quod salsum est calidum terrestre: & 2. de facult. naturalibus cap. 8. habet hęc verba, quis non ignorat, eorũ, quę immodicè coquuntur, singula fieri primo quidem salsiora, postea vero amariora? ratio est, quia à calore absumitur pars dulcissima, quę est magis aërea, quod vero salsum est, melius deinde sentitur: subdit postea fieri amariora; quia calor faciens amarum est magis adurens; amarum quidem, & salsum, ex Aristotele, & Galeno secundum magis & minus differunt: hinc quoque Galenus 3. aphor. 12. dicit, sicuti acida pituita fit à forti frigiditate, sic pituita salsa fit à caliditate replente caput. Causa igitur salsedinis ex sententia Galeni & Aristotelis est calor resoluens tenue & insipidum, & simul adurens portiones terrestres. Antiquorum, colligitur enim ex libello de historia philosophica Galeno adscripto, quod Anaximãder dicat, mare esse salsum, quia igne consumpta sit pars, quæ erat dulcis. Anaxagoras vero dicat esse salsum, quia pars pinguis in vapores sit resoluta: ibique refertur, Platonicos dixisse aquam dulcem esse factam ex aëre frigoris opera: ecce, quod omnes antiqui putarunt aquam fieri dulcem ob partes pingues, & aëreas, salsam verò esse factam, quando à calore pars dulcis aërea, & pinguis in vapores abierit. Cæterum, quia salsedo non solum fit, dum resoluitur insipidum, verum etiam dum pars terrestris calefit, & aliquantulum aduritur: ideo Empedocles, & Antipho, vt loco citato refertur, dixerunt salsam aquam esse sudorem corporum æstuantium: patet itaque ex omnium consensu salsedinem fieri à caliditate adurente terreum, & resoluente humidum dulce, pingue, & aëreum, quod reuera insipidum est.

Quæ sit causa salsedinis ex opin. Aristotelis.

Galeni.

Antiquorum philosophorũ.

Verum, quia caliditas resoluens humidum insipidum, & adurens terreum non solum potest nasci à putredine, à bile adusta, & à mora

humorum, vt dictum est, sed vt placuit Galeno libro de causis morb. 2. à stipatione, alimento, à calidorum corporum adhæsu, à putredine, & à motu; vanum erit arbitrari salsedinem solum fieri à putredine, à mora, & à mistione adustæ bilis, erit igitur causa adæquata salsedinis calor quatenus talis est, vt possit resoluere dulce, & adurere terreum, illudque permiscere cum aquoso humore: hæc colligitur ab Aristotele, Galeno, & antiquis philosophis: hæcque est causa vniuersalis, & conuertibilis, quoniam posita hac causa, quæ resoluat dulce insipidū, & adurat terreum, necessario fiet sal, positoque sale, est necessarium eādem causam præcessisse. Præterea idem confirmatur à posteriori siue à proprietatibus salsi saporis traditis à Galeno 5. simp. med. fad. cap. 26. dicit enim salsi saporis proprietates sunt constringere, & constringendo seu condensando seruare, & desiccare; nisi in sale essent portiones terrestres, sal non constringeret, nisi esset resolutum dulce insipidum, sal non conseruaret, sed corrumperet; humidi enim dulcis, & insipidi proprium est excitare ebullitionem, & putredinem, nisi hoc dulce insipidum esset resolutum à calido, sal potius refrigeraret, quam calefaceret, quia terra sua natura est frigida, & sicca, nisi partes terrestres adustæ essent permistæ cum aquoso humore, sal nullam penetrandi facultatem haberet. Denique idem confirmatur lucidissimo aquæ maris exemplo; mare enim dulcissima aqua fluminū semper renouatur, nihilominus eadem salsedine ob solis radios exurentes perpetuo gaudet; nisi re vera sal de nouo fieret ab hoc æterno, & immutabili efficiente, vt sunt radij solares, qui dulciores partes aquæ resoluunt, & portiones terrestres adurunt, hactenus eius salsedo esset absumpta.

Ostenditur à posteriori causam salsi saporis esse calorem resoluentem insipidum, & adurentem terreum.

Verum magna exurgit dubitatio, quia si radij suo calore salsedinem maris efficerent, sequeretur, quod etiam lacus radiis solis expositi essent salsi. Respondemus primo, quod lacus non ita apricantur, neque tot motibus in proprio alueo agitantur, & perfectè miscentur cum terra, vt mare; quamuis vero inueniantur lacus maximè expositi radiis solaribus, & maximè agitati, & turbidi; attamen quia agitatio non est perpetua, vt in mari, partes terrestres permistæ illico petunt fundum, & radij eas adurere, & per consequens salsas reddere pauco temporis cursu non possunt: motus, quibus perpetuo agitatur mare, sex sunt omnino diuersi: in lacubus vero tot non sunt: primus aquæ maris motus est fluxus & refluxus: secundus est motus litoris; hi duo motus sunt perpetui, & solum conueniunt mari, & nequaquam cæteris aquis dulcibus: tertius est motus deorsum: quartus motus augmenti & decrementi: quintus est motus ventorum: sextus est motus alterationis, quæ fit à radiis solaribus; radij enim tantum possunt, vt nisi pluuiæ fontes, & flumina in mare continuo restagnarent, totam aquam maris paucorum dierum cursu absumerent.

Cur mare sit salsum & non lacus.

Quod mare habeat sex motus omnino diuersos.

Obiect. Ex superius dictis occurrit dubitatio, quia diximus superius causas salsedinis à Galeno, & Auicenna traditas esse partiales, & non veras, & adæquatas: primo respondemus Galenum, & Auicennam non attulisse

lisse causam adæquatam salsedinis, sed modos, quibus pituita salsa fit: *Sol.*
inspexerunt enim ad duos modos, quo pituita fieri potest salsa, quorũ primus est, dum salsedo in pituita dulci ingeneratur ob calorem: hæc causa calida generans salsedinem potest esse putredo, mora, & quælibet causa, quæ potest insipidũ resoluere, & adurere terreum, quod est in pituita: alias quoque plures causas salsedinis Galenus potuisset afferre, si omnis salsedinis particulares causas voluisset proponere. Secundus modus generationis salsedinis est, dum salsi, & serosi humores transmittuntur in caput, vel alias partes, & miscentur cũ pituita dulci, quam salsam efficiunt; ecce, quod Galenus proposuit pro causa salsedinis pituitæ putredinem, & salsos ichores, vt duos modos gignẽdi pituitam salsam declararet: adhuc enim relinquitur locus quærendi à qua causa serosi humores fiant salsi: quare quando Galenus de vera causa salsedinis loquitur, non dixit serosos, & salsos ichores, vel putredinem esse causas salsedinis; sed dixit calorem resoluentem insipidũ, & adurentem partes terrestres esse veram salsedinis causam. Dũ enim 2. de fac. naturalibus cap. 8. quærit, cur quæ immodicè coquuntur fiãt salsa, non dixit putredinem, vel salsos ichores illam salsedinem efficere; sed calorem igneum resoluentem insipidum, & adurentem terrenas portiones; similiter Auicennas respiciens ad misturã intus factam dicit putredinem, & moram salsam pituitam efficere, quatenus resoluunt insipidum pituitæ, & terreũ adurunt, non tamen negaret salsam posse fieri à nimio insolatu, ab alimentis calidissimis, & similibus causis calidis: respiciens vero ad pituitam salsam, quæ fit ab humore aliũde misso, dicit bilem adustam mistam cum pituita efficere salsam pituitam, non tamen negasset, pituitam posse fieri salsam à serosis, & salsis ichoribus, & ab aliis causis calefacientibus, & causam verã, & adęquatam esse calorem resoluentem dulce, & adurentem terreũ. Quod cum ita sit, errant qui aduersus Auicennam inuehunt, dicentes ex adusta bile salsum fieri non posse, quia nunquam est visum ex mistione amari cum insipido salsum enasci, argumentum non sequitur, quia dum miscemus amarum cum insipido, non possumus naturam imitari, quia nostræ mistiones sunt iuxtapositiones; natura sola per veram mistionem operatur; hinc natura miscendo, & transmutando ex eadẽ materia diuersos colores, & sapores illico componit: niger potus, & cibus, dum à natura conuertitur in chylum, fit albus, dum vero peruenit ad hepar, fit ruber, missus in testes fit albus, in mamillas, fit lac: idẽ de saporibus, quoniam, dum cibus amarus, vel salsus conuertitur in chylum, fit dulcis; simili modo accidere potest ut ex mistione amari cum insipido fiat sapor. Aristoteles, & Galenus non videntur dissentire, Aristoteles enim lib. de sens. & sensib. dicit, salsum esse eiusdem speciei cum amaro: Galenus 1. simp. med. fac. cap. 36. dicit salsum, & amarum differre solum secũdum magis, & minus, vtriusq. enim saporis causa est calor resoluens insipidum, & vtriusque materia est terrestris, amarus tamen sapor, vt placuit Galeno 2. pręsag. 47. maiorẽ indicat calorem, habet enim hæc verba: si torrefit serum, bilis amara fit; si

vero tantum aduritur, fit salsedo: postremo Albertus Magnus de mineralibus cap.1. dicit, quod omnia amara salsum quidpiam obtinent itaque patet, ex amaro cum insipido misto fieri posse, vt optimè dixit Auicennas, salsum saporem: patetque nullum esse inter Auicennam, & Galenum dissidium, sed pari artificio de causis salsedinis ambos locutos esse.

Ostenditur ex Galeno & Arist. amarum, & salsum esse eiusdem speciei.

Ex traditis non erit difficile, methodum colligere, quæ doceat, quando pituita sit salsa ab humore aliunde misso, & quando ab humore in eodem loco existente transmutato. Dicimus ergo, tunc catarrhum cognosci in capite fieri salsum ab humore ab aliis partibus misso, quando in corpore erit redundantia biliosorum succorum, vel salsæ, & serosæ humiditatis; alij enim humores non possunt misceri cũ pituita insipida, qui salsedinem possint efficere: cognoscetur deinde corpus biliosis, vel salsis succis redũdare ex syndrome signorum communium indicantium hos humores tradita cap.2.& 3.sexti libri. Amplius cognoscemus, salsum esse redditum catarrhum ob salsedinem in ipsa pituita ingeneratam, quando causæ valdè calefacientes caput præcesserint: & hæ sunt illæ quinque propositæ à Galeno lib.de causis morb. cap.2. quarum prima est nimius motus: multos noui, ob vehementes corporis motiones esse catarrho salso correptos. Secunda est obstructio meatuum capitis à frigore facta: sępenumero accidit, vt sub dio frigidissimo adeo externi meatus capitis claudantur, vt detentus calor transpirabilis resoluat insipidum pituitæ, adurat terrestres portiones; easq; misceat, & catarrhum salsum promoueat. Tertia est vsus alimentorum calidorum. Quarta est adhæsus corporum calidorum, vt sũt hypocausta, vel nimius insolatus. Quinta est putredo; pituita enim, dum moratur in capite aliquando putrescit, & salsedinem acquirit: ad hęc quinque capita omnes causæ, quæ habent vim calefaciendi, & gignendi salsedinem reducuntur. Neque obiiciant quod iis sit addendum ieiunium, vt Galen. 4.de simp.med.fac.cap.16.his verbis docet, „ qui plusculum substinuerũt ieiunium, iis saliua salsa redditur, qui ve„ ro plurimum, non salsa modo, sed & amara. Respondimus enim huic obiectioni in 6.lib.vbi ostendimus ieiunia, vigilias, mœrores, & alia referri ad motum, & alias non dari causas calefacientes, & salsedinem inducentes, præter quinque illas propositas à Galeno libro de causis morb.cap.2.

Vt noscitur quando mistura salsa fiat à causis intrinsecis, vel extrinsecis.

His cognitis facilè erit indicationes, & auxilia pro ægrotãtium salute inquirere; nam si bilis, vel serosa, & salsa humiditas redundauerit, prius causas generantes arcebimus, & deinde genitos succos lenientibus, vel catharticis euellemus; si caput redditum fuerit calidum ob nimium motum, ob vigilias, ob alimenta calida, ob adhæsum, vel ob ieiunium, tunc ad communem indicationem mentis aciem prius dirigemus, quæ est interna viscera ab iis calefacta refrigerare; deinde ad indicationes magis particulares confugiemus; per hypothesim, si ob meatuum constipationem pituita putrescat, & putredo salsedinem efficiat, tũc alius non dabitur curandi modus, nisi per remedia, quæ reluctantur

luctantur putredini. Quæ verò & quot sint deinde specifica remedia putredini aduersantia confugimus ad Galenũ, qui 11. meth. cap. 13. hęc quatuor proponit, euacuare, semiputrida coquere, vẽtilare, & refrigerare. Simili modo ab aliis specificis causis salsedinis erunt specificę indicationes colligendæ, de quibus egimus in aliis libris: quibus omnibus præcognitis, facilè inde erit, vt materiæ auxiliorum fœlicissimi successus ægrotantibus adiungantur.

Quod quatuor sint ex Galeno remedia contraria putredini.

Qua via noscatur, quando humores fiunt dulces ob misturam intus factam, & quando ob misturam humoris dulcis aliunde venientis.

Capvt III.

Actvri de sapore dulci: opus est prius declarare, quid sub nomine dulcis intelligatur. Sapor vel dicitur dulcis, dum omni qualitate caret, & est insipidus; vel dum habet manifestam dulcedinem: hic agi debet hoc dulci manifesto: quoniam insipidus in humorum misturis non persentitur, neque est cognoscibilis: etenim, si misceatur cum salso, persentitur salsus: si cum bile, amarus; si cũ pituita acida, acidus; si cum pontica, ponticus; dulcis vero manifestus, quamuis sit aliis humoribus commistus, eodem modo se manifestat, quo cæteri sapores: sicuti enim ponticus persentitur in atra bile, & pituita vitrea; acetosus in melancholia, quæ est fæx sanguinis, & pituita acida: salsus in pituita salsa, in vrinis, & sudoribus; similiter dulcis manifestus, & naturalis, vt dicit Galenus 4. de simp. med. fac. cap. 16. in sanguine, & aliquando in pituita persentitur. Auicennas quoque lib. 3. fen. 13. tract. 5. cap. 8. dicit in pituita inueniri dulcedinem, quia chylus antequam vertatur in sanguinem, fit pituita dulcis. Cum igitur dulcis, & moderatus sapor pluribus conueniat humoribus, nunc est videndum cui per se, & cui per participationem conueniat: dum enim duo diuersa eadem sunt prædita qualitate, est necessarium, vt qualitas vni per se, & alteri per accidens conueniat: hinc Auicennas lib. 1. fen. 1. doct. quarta cap. 1. dixit, humores dulcedine præditos modo esse tales per essentiã, & modo per rei extraneæ admistionem. Galenus de hoc dulci manifesto, & naturali loquens libr. de atra bile cap. 2. paucis, declarat, qui humores sint per essentiam, & qui per participationem dulces, dicit enim, quod sanguis per se dulcis est, pituita vero interdum per participationem: quo pacto vero pituita reddatur dulcis per participationem, colligitur quoque à Galeno 2. de fac. naturalibus, vbi dicit pituitam fieri dulcem, quia cum ea miscetur ichor sanguineus, qui dulcis est.

Vt sanguis per se, pituita vero per accidens dulcis sit.

Cæterum, quia sapor dulcis manifestus in humoribus est duum generum, alter suauis, qui est similis sapori lactis, butiri, vel pinguedinis, qui habet virtutem oppillatiuam: alter nauseosus, qui est similis sapori glycirrhizæ, & sacharo, estque tam penetrantis dulcedinis, vt omnia

Vt duum generum est manifesta dulcedo in humoribus.

salsa & amara huic sapori associata dulcissima sentiantur: præstat, vt de hoc nauseoso dulci illico videamus, à quib. causis oriatur; Auicennas lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 47. rectè dicit, hanc dulcedinem fieri aliquando à putredine phlegmatis. Nec Auicennæ obiici potest, quod pituita à putredine reddatur salsa, vt in capite superiori ostensum est, & non dulcis; quia pro Auicenna respondebitur, pituitam acidam, vel ponticam sua frigiditate adeo obtundere, & moderare quemlibet intensum calorem, vt à putredine, vel ab alia causa calefaciente fiat dulcis, & non salsa; omnia enim dulcia à calore moderato fiunt. Neque est mirandum, frigidiorem pituitam fieri dulcem ab intenso calore, quia Galenus 4. simp. med. fac. cap. 11. probat clarissimis experimentis, quod omnia acerba, & quæ natura frigida sunt, vt poma, pira immatura, castaneæ, & alia id genus si ignitis carbonibus iniiciantur, antequam comburantur dulcissima; combusta vero amara reddantur: acerbus sapor adeo distat ab amaro, & salso, vt à calore igneo prius fiat dulce; natura enim non transit ab extremo ad extremum, nisi per medium; mel quia est calidum, illico ab igne redditur amarum. Quocirca, si acerba, antequam ab igne reddantur amara, fiat semper dulcia, sequetur necessario, quod omnis causa calida, quæ potest pituitam acidam reddere salsam, possit quoque eam prius dulcem facere; non erit igitur solum putredo, vt dicit Auicennas, causa immoderatæ dulcedinis, verum etiam omnes causæ calidæ potentes salsedinem efficere, de quib. in capite superiori actum est; quatenus enim insipidum resoluunt, & adurunt partes terrestres, salsedinem, quatenus immaturum coquunt, & ad medium, & mitem calorem transferunt, dulcedinem efficiunt. Galenus 4. de simp. med. fac. cap. 9. habet, quod omnia dulcia sunt miti calore prædita, subditque, quod sint sicuti aqua calida, cuius contactus voluptati est; antequam igitur aliquid aduratur, necessario (si frigidum sit) ad illum teporem, cuius contactus voluptati nobis est, veniat oportet. Calor, qui pariet dulcedinem moderatam, similem sacchARO, & iusculo carnium, non oritur à putredine, vel ab aliqua causa extranea, & violenta, sed à calore miti, & simili caloti nostro ingenito; qui vero pariet dulcedinem immoderatam similem glycyrrhizæ, & saccharo est adscititius, & violentus, vt in acerbis fructibus, qui ignea virtute dulces fiunt.

Opinio Auicennæ de pituita dulci.

Quod omnes causæ calefacientes possint pituitam acidam reddere dulcem.

Ex iis colligimus, quod sapor dulcis varias humorum misturas indicare possit, quia à plurimis causis oritur; modo enim chylus (si de suaui, & moderata dulcedine loquimur) acquirit dulcedinem ob perfectam alterationem primæ coctionis, modo ob dulces ichores sanguineos à venis extramissos; si de immoderata, quæ in acida, & acerba pituita nascitur, dicimus modo hanc fieri, dum cum hac pituita miscẽtur humores putrescẽtes aliũdè veniẽtes, modò, dũ ipsamet pituita putrescit, quę est mistura intus facta. Quod vero diximus de putredine, quatenus est causa calida non solũ colliquans, sed adurens, de omni causa calefaciẽte dici debet: quoties igitur corpus abundauerit pituita acerba, vel acida, præcesseritque calor aliquis pendens à motu, putre-

Quot modis in humorib. fiat dulcedo.

tu, putredine, alimentis, vicinitate calidorum, vel à constipatione, ex sufficienti enumeratione harum causarum colligemus, vnde pendeat immoderata dulcedo. Signa differentiarum colligemus hoc modo, si aliquis in ore persenserit moderatam dulcedinem sine vllo superueniente symptomate, nullaq. existente polyæmia, causa erit chylus copiosus, & optimè coctus, quod in sanis hominib. aliquādo contingit: si vero in ore persenserit immoderatā dulcedinē præsēte polyæmia, tūc dicemus, pituitā esse dulcē ob ichores sanguineos cōmistos; quomodo vero cognosci poterit, quando in corpore sit polyæmia, tradidimus signa in calce superioris libri. Sanguis dū effundit ichorem dulcem nō peccat qualitate, sed quantitate; quia dum qualitate peccat; illico amittit naturalem suam dulcedinem; docet enim Galenus 2. de fac. naturalib. cap. 8. sanguinis dulcedinē ob calorem exuperantem in amarum succum, ob nimium frigus in acidum conuerti; similiter si de immoderata dulcedine loquimur, sunt enumerandæ omnes causæ calefacientes, quæ præcesserunt, & methodo tradita in 6. libro cap. 1. & 2. propria, & immediata causa tam nauseosæ dulcedinis est illico summa diligentia adinuenienda; quia adeo affligit, & vires alteratricum facultatum dissoluit, vt homines, nisi cito liberentur, ad atrophiam perducantur: memini, me semel vidisse hunc casum in percelebri medico Nicolutio de Nigris de Monte Bodio, qui tam immoderatā dulcedinem perpetuo in ore sentiebat, vt nihil inueniretur adeo amarū, quod statim in ore ipsius non dulcesceret, & adeo cœpit eius robur lāguescere, quòd è viuis proculdubio decessisset, nisi summo suo ingenio sibi præsto fuisset; putauit enim à viscerum calore, & à putredine pituitæ, qua corpus erat refertum, tam nauseosam dulcedinem nasci, neque aliud inueniri, quod magis reluctaretur calori, & putredini, oleo calcantino, quo vsus in tanta consilij angustia summa cum admiratione omnium medicorum, qui non potuerunt ei aliquid opis afferre, paucorum dierum cursu sæuissima afflictione liberatus fuit.

Signa differentiarum dulcium humorum.

Casus notabilis obseruatus in percelebri Medico.

Ex superius dictis exoritur dubitatio, quia diximus dulcia oppillare, quæ sententia est quoque recepta ab omnibus: vsus enim dulcium inflat, & meatus claudit, attamen Galenus 5. simp. med. fac. cap. 26. dicit, quod dulcia rarefaciunt, & abstergunt. Auicennas tract. de syrupo acetoso cap. 2. dicit, quod natura dulcis non est oppillare, sed abstergere. Aliqui respondent, quod dulcia moderata, vt sunt pinguia, oppillent, non tamen immoderata, vt saccharum, mel, & similia, quia hæc habent virtutem abstersiuam: verum hæc responsio non facit ad rem, quoniam dubitatio est de manifesta, & immoderata dulcedine, quæ in fructibus, in melle, & similibus inuenitur. Respondet itaque Auicennas huic difficultati lib. 1. fen. 3. doct. 2. cap. 7. dulcia omnia oppillare, quia rapiuntur à natura ante concoctionem: quare quamuis abstergant, contingit, vt hæc quoque dulcia immoderata per accidens inflent, & oppillent.

Dub.

Sol.

Qua via noscatur, quando humores fiunt acidi per se, & quando ob mistionem acidi humoris aliunde venientis.

CAPVT IV.

Efficacissimũ Gal. experimentum quo probauit acetum refrigerare.

ANTEQVAM proponatur modus, quo ex acido sapore promptè cognoscere possimus varias humorum misturas, præstat videre, an acida qualitas indicet frigidum, vel calidum temperamentum, & quomodo fiat. Galenus 1. de simp. med. fac. cap. 19. proponit tam facile & euidens experimentum, quod in aceto potentia refrigerandi prædominetur, vt nihil eo facilius, clariusque proponi possit, illudque iis verbis explicat. Nos, vt experiremur aceti potentiam illiniuimus tibias multis in locis thapsia, vbi post quatuor, vel quinque horas inflãmari cœpissent, huic parti ego aceto, alij rosaceo iniunxerunt, alij alia, atque alia, quæ aut acrimoniam hebetare, aut refrigerare creduntur, applicarunt; eorum omnium comperimus acetum in refrigerando esse efficacissimum: ex quibus verbis facilè colligitur, acetum habere euidentissimam refrigerandi virtutem. Libro de marcore cap. 8. in febribus, & affectibus calidissimis laudat acetum cũ lactuca admisto pauco aquæ, quod non laudaret, nisi refrigeraret. Libro quarto de simp. med. fac. cap. 12. laudat opinionem Aristotelis dicẽtis, acetum esse frigidum per se, ibique docet ad hypocondria ardentia succum omphacij esse præstantiorem aceto, quia acetum habet violentiam frigiditatem; hæc sunt Galeni verba: etenim ad hypocondria ardentia præstantior est succus omphacij, quam ipsum acetum, quod nec violentã, ac ferientem habeat frigiditatem, nec eam admistam mordaci caliditati: ex quibus verbis tria obiter obseruantur; primum quod acetum inflammatis partibus prosit: secundum, quod febrientibus possit concedi cocta lactuca cum aceto admisto aquæ pauco: tertium quod in ardoribus magis conueniat succus omphacij, quam acetum.

Tria obseruanda de aceto, & succo omphacij

Quomodo fiat acetosus sapor.

Quomodo autem fiat acetosus sapor Galenus 4. simp. cap. 15. iis ferè verbis declarat; aciditas fit à calido mutante, & à frigido vincente, vt ructus acidi ostendunt, qui fiunt solũ, vbi cibi semicocti sunt; itaque, vt fiat acidus sapor, requiritur vis calefaciendi, quæ moueat tantum, & vis refrigerandi, quæ vincat, & superet; hinc Galenus 2. de temp. cap. 6. dicit, acidos ructus indicare imbecillum calorem, & talem, vt moueat, sed non vincat: hinc quoque fit, quod 3. de symp. causis cap. 1. dicit, quod acidæ corruptelæ ex cibis frigidioribus fiant: & 1. de loc. aff. cap. 4. habet, si cibi in nidorem transeant, causa efficiens est calida, si acescant, frigidam esse necesse est. Præterea 4. de simp. med. cap. 12. dicit, si vinum refrigeretur acescit, refrigeratur à calore resoluente partem calidam, sed non vincente, quia fieret amarus: hinc, si vinum coquatur igne, non acescit, sed potius amarescit, quia ignis semper vincit; potest tamen vinum, si in tepido loco conseruetur, vt dicit Galenus lib. de antidotis cap. 3. promptè acescere, quia à tepore ambientis commouetur, sed non vincitur.

Experien-

Experientia quoque docet, aciditatem fieri à frigiditate vincente, & à caliditate tantum mouente, quia videmus dulcia, dum vincuntur à caliditate, ſemper amareſcere, & dum vincũtur à frigiditate, aceſcere. Succi herbarum, qui conſeruantur in officinis, niſi vaſa oleo obturentur, primo à calore tepido ambientis commouentur, deinde ebulliunt, facta ebullitione eorum calor reſoluitur, quo reſoluto frigeſcãt, & per conſequens aceſcant oportet: cauſa vero cur ſucci ebulliant, & aceſcant, non eſt ſolum caliditas externa, verum etiam humiditates extraneæ, & frigidæ, quæ ſunt in ſuccis à viridibus herbis expreſſis; patet quoque, quia in officinis ab igne ſucci condenſantur, vt reſolutis externis humiditatibus conſeruentur, ne aceſcant: tantum poteſt pauxillum externæ humiditatis, vt dum rudis Pharmacopola non permittit ſerapia ebullire ad conſumptionem ſuccorum, acida fiant; quia ſaccharum ſuo calore promptè excitat ſuccos ad ebullitionem: duo itaque requiruntur, vt aliquid aceſcat calidum mouens, & frigidum vincens: ſi frigiditas eſſet nimia, & nullus eſſet calor, nunquam fieret acidus ſapor: hæc omnia colliguntur à Galen. 4. de ſimp. med. fac. cap. 18. ibi enim dicit, niſi calor mutet, non fit acidus ſapor, hinc dicit hyeme ob frigus lac, ptiſanam, & reliqua difficilius aceſcere, quam æſtate; ſimiliter craſſa, & frigida nunquam fiunt amara, ſed aceroſa: quia frigiditas, & non caliditas in ipſis dominatur: quarto enim de ſimp. med fac. c. 17. dicit, lac nunquã amarum efficitur, ſed acetoſum, quia caliditás exigua à frigore lactis facilè vincitur.

An vero acidus ſapor indicet humiditatem, vel ſiccitatem, an tenuitatem, vel craſſitiem, ſtandum eſt Galeno, qui de acido loquens ſibi ante oculos proponit acetum, de quo 8. de ſimp. med. fac. cap. de aceto dicit, acetum eſt magis frigidum, quam calidum, éſtq; tenuium partium, & ſiccum in tertio gradu. *Quæ ſit aceti natura.*

Poſitis iis facilè erit videre, quibus humoribus per ſe conueniat acidus ſapor: acida enim eſt melancholia naturalis, pituita, & aliquando pituita vitrea, quod per ſe non conueniat pituitoſis humoribus, patet; quoniam de ratione pituitæ eſt, vt per ſe humida ſit: acida vero cũ ſint ex Galeno ſicca, pituita per ſe acida eſſe non poterit; conueniet ergo per ſe melancholiæ naturali; quæ ſua natura eſt frigida, & ſicca, vt oſtendimus in libro ſuperiori cap. de melancholia. Verum occurrit dubitatio, quia non videtur, quod aciditas per ſe conueniat melancholiæ naturali, quoniam omnia acida (vt dicit Galenus locis citatis) ſunt tenuium partium, melancholia vero eſt craſſarum. Occurrimus melancholiam habere ichorem copioſiſſimum, qui eſt acidus, & acidum dici tenuiſſimarum partium, quia acidi ſiccitas, & craſſa pars terreſtris in copioſiſſimo ichore eſt ſparſa, quæ ſi eſſet à ſero ſeparata, eſſet quoque craſſiſſima: quod vero copioſiſſimum ſit melancholiæ ſerum, colligitur ex Galeno, Ariſtotele, & Hippocrate. Ex Galeno lib. de plenitudine cap. 10. vbi dicit, melancholicos eſſe ſaliuæ abundantes, & à potu abſtinentes; copia enim ſeroſi humoris melancholiæ naturalis ſitim demulcet, & abundãtem reddit ſaliuam: ſexto Epidemiorum *Quibus humorib. conueniat per ſe acidus ſapor.* *Dub.* *Sol.*

dicit, sanguinem melancholicorum esse serosum. Ex Aristotele in problematibus de melancholia loquēte, qui dicit, humorem melancholicum delectari serositate: secundo de par. anima. cap. 4. vult, quod timidi, & per consequens melancholici habeāt sanguinem dilutum. Ex Hipp. 4. de morbis, vbi dicit, lienem esse aquæ locum, vt omnes fermè consentiant melancholiam affluere ichorosis, & tenuissimis humorib. qui sparsam & diffusam habent crassam, & terrestrem portionem.

Cum igitur probatum sit, aciditatem pituitosis humoribus per accidens conuenire, nunc est videndum, quomodo per accidens conueniat. Dicimus aciditatem conuenire posse per accidens pituitæ tribus modis, primo quia pituita est dulcis, & sua natura frigida; talia verò omnia promptè acescunt, quia dulcia habent caliditatem mouētem, & frigiditatem vincentem: secundo acida fit, quando ichor sanguinis sua natura dulcis cum pituita miscetur. Tertio acescit, quando ichor acidus melancholiæ in ventriculum mittitur, & cū pituita miscetur.

Prima dub. Cæterum duæ occurrunt dubitationes: prima, non videtur quod aciditas, quæ est melancholiæ naturalis proprietas, possit aliis humoribus per accidens conuenire: rerum proprietates, & definitiones aliis *Sol.* nec per se, nec per accidens conueniunt: hinibilitas non cōueniet aliis speciebus per se, neq; per accidēs. Huic dubitationi respōdetur, quod aliquando rerum proprietates sunt communicabiles, quia eorū subiecta aliis communicantur, sic ichor melancholiæ, quia communicatur pituitæ, eam acidam reddet; equus non commiscetur aliis speciebus, & propterea eius proprietas, neque per se, neque per accidens aliis cō-*Secunda dub.* ueniet. Secunda, admisso quod pituita per accidens fiat acida, scilicet ob ichorem melancholię, & ichorem sanguineum, nihilominus videtur, quod pituita dulcis, quæ est semisanguis, quæq; fit acida per sim-*Sol.* plicem ebullitionem, sit per se talis, & non per accidens. Respōdemus aciditatem factam post ebullitionem dulcis pituitæ pendere à terreo & sicco humore, qui est melancholicus, quique ob leuē ebullitionem resoluentem calidum & humidum in pituita generatur: hácq; pituitā participare melancholico succo, qui in ipsa post ebullitionem nascitur. Hinc Galenus lib. de plenitudine cap. 10. loquens de pituita acida dixit, ab ipsa reddi homines famelicos: nisi enim esset sicca, & frigida, & per consequens melāchólica, quod in idem recidit, famem non ex-*Vt ex pituita fiat melancholia.* citaret. Hinc nunquā potui omnino Auicennam arguere, quando dixit, quod pituita possit cōuerti in melancholiā, dissentio tamē ab Auicenna, quia dixit, melancholiam ortam à pituita esse quartum genus: mihi vero cum Galeno tria genera succorum melacholicorum videntur sufficere, quia melancholia sparsa in acida pituita eadem est cū fæcali, eædem quoque sunt proprietates: hæc sentētia auctoritate, & experientia roboratur, dicit enim Galenus 3. de loc. aff. cap. 7. experiētia patere post pituitosas febres fieri quartanos. Neque argumenta Ma-*Vt Manardus & Valesius reijciuntur.* nardi lib. 2. epist 2. & Valesij lib. cōtrouersiarum, quod omnino ex pituita non possit fieri melancholia, aliquid roboris habent; afferantur aliquot: quæ extremè distant non possunt in sese inuicem transire, nisi

per

per medias commutationes, at pituita est huiusmodi, ergo non potest conuerti in melancholiam. Occurrimus huic, pituitam, vt pituita, in melancholiam nō conuerti, sed in ipsa quatenus est mista ex quatuor elemētis esse aliquas terreas portiones, quæ post ebullitionem, & euaporationem dulcis substantiæ manifestantur. Secundum argumētum contra Auicennam est huiusmodi: pituita non est vstioni apta, quia, si coniiciatur in ignem, non vritur, ergo non potest conuerti in melancholiam: quod argumentum mihi videtur esse vanissimum, quoniam neque bilis adusta vomitu reiecta si ignitis carbonibus iniiciatur est vstioni apta; omnes enim humores corporis viuentis ignē extinguerent.

Quænam igitur sit illa succorum substantia, qua abeunte, illico succi, vel vina acescunt; ex sufficienti enumeratione partiū componētium succos colligitur: omnes succi antequam acescant habent quatuor partes proportione respondentes quatuor elementis, sic in massa sanguinea est melancholia, quę terræ: pituita, quæ aquæ: sanguis, qui aëri: & bilis, quæ igni respondet: similiter vinum ex Galeno 2. de fac. naturalibus cap. 9. & 4. de simp. med. habet quatuor partes quatuor elementis, & quatuor humoribus nostri corporis respondentes, quarum prima est fæx: secunda flos, qui supernatat: tertia est vini substātia: quarta est aqua vitæ. Itidem in succis herbarum est fæx, flos, substātia, & aqua vitæ, quemadmodum sciunt distillatores. Vt igitur perfectè sciamus, quomodo vinū, & cæteri succi acescāt, videre oportet, quænam ex iis quatuor mutatur, aut resoluitur. Dicimus itaq; fœcem, & substantiam vini, vel succorum in iis, quæ acescunt inueniri, & nequaquam abire, quia hæ partes non possunt à miti ebullionis calore in spiritū resolui, sequitur ergo, vt abeat flos, vel aqua vitæ; non flos, quia in aceto, & succis acidis inuenitur, relinquitur ergo, vt vinū, vel succi acescant; quia aqua vitæ in vaporosas auras ob ebullitionem resoluatur: præterea signum demonstratiuum, quod ostendit, omnes succos illico abeunte aqua vitæ acescere, est quia distillatores ab aceto, vel succis acidis nihil aquæ vitæ colligunt. Hac posita veritate colligimus acetum esse frigidum, quia exiuit aqua ardens, quæ igni respondebat: acetum habere aliquā acrimoniam, quia nihil acescit sine ebullitione à calore extraneo excitata: esse tenuium partium, & valde penetrare, quia vini lentor à calore ebullitionis dissecatur: astringere, quia est siccum: esse siccum, quia in iis, quæ acescunt, abit humiditas vitalis; duæ enim sunt humiditates in mistis perfectis, altera, quæ est vitalis, aquæ vitæ similis, & quæ propriam temperaturam succorum cōseruat, qua abeunte acescunt, & exsiccantur; altera est oleaginosa, qua mistum est mistum, quæ igne, vel putredine, vt dicit Aristoteles, dissoluitur; vnde oritur vappa, quæ sæpè in vino, & aquis putridis obseruatur, videtur enim in iis tela quædam oleaginosa, & albescens supernatare. *Ostenditur vnde pendeāt acidi saporis proprietates.*

Ex iis facilè cognoscere poterimus, quando acidus sapor indicabit misturam intrinsecus factam, & quando misturam, quæ fiet ab humore extrinsecus adueniente: si pituita erit acida, quia in corpore redundet copiosus melancholiæ ichor, tunc euacuando melancholiam è *Modus curādi nimiam humorū acetositatem.*

medio auferemus nimiam aciditatem pituitę; cognoſcemus vero corpus affluere ſuccis melancholicis ex ſignis melancholię traditis in lib. ſuperiori: ſi erit acida, quia dulcis ichor ſanguinis commiſceatur pituitæ, & inde ob ebullitionem aceſcat, tunc ſanguine è ſubito extracto acetoſitas tolletur. Si demum ob errores in victu, vel ob nimium frigus calor ventris adeo reddatur imbecillus, vt non valeat in chylum perfectum cõuertere cibum, & inde à calore extraneo excitetur ebullitio, & acetoſitas; tunc, niſi vehemens frigus impreſſerit malum aliquod veſtigium in viſcera, acetoſitas optima cura adhibita in ſex rebus non naturalibus tolli poterit.

Quomodo cognoſcitur, quando ponticus ſapor indicat humorum miſturam intrinſecus factam, & quando miſturam ab humore aliunde veniente.

Cap. V.

Quæ ſint auſtera ſiue põtica & vt differant ab acerbis.

PONTICI ſaporis nomine intelligi debet auſterus ſapor; quia Galenus 2. de loc. affectis ca. 8. dicit, auſtera eſſe grana mali punici, mala cotonea, vuas immaturas, & plura alia, eſui apta quæ põtica ſunt: ſimiliter lib. de atten. vict. ratione vuas immaturas vocat ponticas. Cęterum vnde fiat ſapor auſterus eſt videndum. Galenus 1 de ſimp. med. f. 37. dicit, auſterum fieri ex acerbo, hoſque ſapores eſſe adſtringentes, & non differre ſpecie, ſed ſolum ſecundum magis, & minus: acerbum enim magis, auſterum minus adſtringit, acerba ſunt pira ſylueſtria, myrta, & meſpila immatura, quæ inepta ſunt eſui, auſtera vero (vt diximus) apta.

Vt fiat auſterum ex acerbo.

Quomodo autem auſterus ſiue ponticus ſapor ex acerbo fiat: audiamus Galenum, qui 4. de ſimp. med. fac. cap. 8. diſtinctè hoc docet: habetque ferè hæc verba: acerbum eſt terreum & frigidum, & tripliciter exoluitur aut incaleſcens, aut humeſcens, aut vtrumque: ſi acerbũ ſolum incaleſcit, fit dulce, vt caſtaneæ: ſi verò humeſcit, & non incaleſcit, idque ſit craſſarum partium, fit auſterus: ſi tenuiũ, fit acidus ſapor: ſi vero incaleſcit, & humeſcit, qualitatem admodum dulcem acquirit: deinde Galenus re fert, quæ ſemper acerba, & quæ ſemper auſtera ſeruantur, & quæ dulcedinem acquirunt: dicit, quæ ſemper manent acerba ſunt fructus ilicis, ſagi, corni, arbuti: quæ auſtera, ſunt vitis amineæ, tum fructus, tũ vinum: acerba, quæ dulcia fiunt, ſunt myrti fructus, pyri ſilueſtris, ac roboris; hi enim fructus, & alij ſimiles, dum incaleſcunt, & humeſcunt, dulces fiunt. Ex iis colligimus auſtera fieri, dum acerba humeſcunt; mala granata, antequam matureſcant, dicuntur acerba: dum humeſcunt, & aliquantulum incaleſcunt, auſtera ſeu pontica dicuntur. Itaque vt fiat auſterum, neceſſarium eſt, vt acerbum humeſcat: hinc Galenus 1. de ſimp. med. cap. 37. dicit, de ratione auſteri re vera eſt, vt adſtringat; verum, quia maioris eſt humiditatis parti-

Vt auſterum magis adſtringit acerbo.

ceps,

ceps, quam acerbum, austera magis in profundo, acerba magis in superficie adstringent.

Supponatur, saporem ponticum siue austerum non solum inueniri in pituita vitrea, sicuti docet Auicennas, dum dicit, pituitam vitream ob ponticitatem magnos excitare cruciatus: verum etiam in fæce melancholica, vt ex Galen. colligi potest, dicit enim 4. simp. med. 8. ponticum esse terreum, & crassarum partium, quod præcipuè melancholiæ conuenit; nunc par est vt videamus, an ponticus sapor conueniat per se pituitæ vitreæ, vel melancholiæ; quod per se vitreæ pituitæ conueniat non videtur, tum quia de ratione pituitæ est, vt sit humida & non terrea; tum, quia pituita vitrea modo est acida, & modo pontica, si propriè, & per se esset pontica, esset semper talis: similiter non videtur, quod sapor austerus conueniat per se fæci melancholicæ naturali, quia hæc est (vt ostensum est superius) per se acida, vnum enim in quantum vnum vnicam solum habet proprietatem per se, & non plures. Præterea austerus sapor ex Galeno indicat mistum esse crassarum partium, & non tenuium; non semel ostendimus naturalem fæcem melancholicam auctoritate Galeni, Aristotelis & Hippocratis adeoque abundare ichoribus, adeoque dilutam esse, vt acida, & non austera sit. Neque conueniet atræ bili exedenti; quia hæc est siccissima, & calidissima, de ratione austeri, vt colligitur à Galeno loco citato, duæ sunt præcipuè proprietates, quarum altera est, vt sit terreum cum humiditate coniunctum; altera vt sit crassarum, & non tenuium partium: relinquitur ergo vt austerus siue ponticus sapor (vt tenet quoque Argenterius) prodeat per se à fæce melancholica naturali, quæ non sit diluta, sed aliquãtulum reddita crassior, & terrestrior, habeatque solum tantum humiditatis, qua eius siccitas, & vis adstrictoria possit in profundum penetrare: quo pacto vero accidit, vt melancholia naturalis minus diluta reddatur, & fiat acerba, plurimæ possunt esse causæ; modo enim exsiccatur ob vsum pharmacorum ichores purgantium, modo ob potus abstinentiam, modo ob nimium exercitium, ob balnea, vt de iis hic non sit locus agendi. Occurrit tamen ex dictis dubitatio, quia non videtur, quod fæx melancholica non sit crassarũ partium. Respondemus crassitiem melancholiæ naturalis adeo esse dilutam, sparsamque in copiosissima serositate, sicuti ostensum est, vt acida, & non austera sentiatur.

Quibus humoribus conueniat per se ponticus sapor.

Ex iis quid indicet sapor ponticus facilè cognoscemus: etenim, si in ore persenserimus saporem similem ompliacio, statim inferemus id causari, vel à pituita vitrea, vel à fæce melancholica non admodum diluta, vel ab austeris cibis: has causas distinctè cognoscemus, virtute methodorum traditarum in 6. libro pro cognoscendis differentiis melancholicorum. & pituitosorum, succorum; si enim inuenerimus corpus melancholia redundare, non decipiemur, si ex põtico sapore coniiciemus fęcem melancholicam debito crassiorem redundare; si pituita, vitream dominari; si corpus neq. pituita, neq. melancholia affluet, iudicabimus causam acceptam austeri saporis referendam esse austeris

cibis: verum, quia methodi cognoscendorum pituitosorum, & melancholicorum humorum traditæ sunt in lib. superiori, ex quibus facilè cognoscere poterimus, quãdo in corpore dominabitur pituita vitrea, vel fæx melancholica; quare hic de hac re merito finem faciemus.

Ostenditur vitellinum colorem esse simplicem, & non mistum.

Capvt VI.

Opinio Auicennæ.

QVemadmodum sapores sæpe indicãt varias humorum misturas, sic colorũ plurimi. Hic in primis se offert considerandum, an vitellinus color misturam aliquam indicet: res enim est controuersa, & dissensionis plena; quoniam Auicennas liberè, & aperto marte videtur in certamen Galenum vocare, dum dicit lib. 1. fen. 1. cap. de húmorib. vitellinam bilem esse misturam ex flaua cholera, & crasso phlegmate. Galenus vero 2. de fac. naturalib. cap. vltimo, & lib. de atra bile aliter sentit, dicit enim, vitellinam fieri ex flaua à calore igneo crassefacta, hacque verborum serie vtitur: fit flaua ob tenacem humorem, sed, si discussa fuerit, redditur vitellis ouorũ crudorum similis. Auer. 3. coll. cap. 3. Galeni sententiam sequitur. Expedit hunc nodum pro viribus excutere, quia sententiarum varietas alterat, & mutat curationem, quoniam si vitellina bilis fieret ex flaua, & crasso phlegmate, vt placuit Auicennæ, sequeretur, quod flaua esset calidior vitellina, & quod vitellina indicaret esse incidendum, & detergendum, & aliquomodo ob pituitam mistam calefaciẽdum, quod reluctaretur experientiæ, & Galeno. Ne igitur de hac re tanti momenti ieiunè, & exiliter agatur, sunt argumenta pro opinione Auicennæ adducta, proponenda: quorum primum hoc est: si bilis vitellina esset crassefacta à calore præter naturam, non esset lutei coloris, sed potius vergentis ad nigredinem; calor enim, quo maior est, maiorem nigrorem inducit: quod argumentum nullius sit roboris, duo afferri possunt argumenta ab experimentis desumpta: alterum est, dum videmus ouorũ vitella ab igne assari, & condensari luteo eorum colore non abeunte: alterum dũ pharmacopæus præparat iulapium ignitis carbonibus, & nigrorem nullum acquirit: quare sic argumentari poterimus, si calor igneus oui lutea condensat nulla facta coloris mutatione, quanto magis calor naturalis igneo mitior poterit condensare flauam bilem resoluendo tenuiores partes sine mutatione coloris? Amplius ratio fauet Galeno, quoniam, si vitellina esset ex flaua bile, & crasso phlegmate mista, sequeretur quod flaua esset intensioris coloris vitellina, quod est omnino falsum.

Opinio Galeni, & Auerrois.

Vt errat Auicennas dicẽs vitellinam esse misturã.

Sententia Auicẽna quod flaua bilis sit mistura, reijcitur.

In eundem scopulum prolabitur Auicennas dum dicit, flauam choleram esse misturam bilis cum aquosa pituita, quod est falsum, quia copiosa humiditas flauæ bilis non est pituita, sed proprium serum bilis, quod specie differt à pituita, & à sero aliorum humorum; est Galeni 6. epid. 2. tex. 38. in omnibus humoribus inueniri proprium serum specie,

cie, & natura diuersum ab aliis humoribus. Valesius 1. lib. suarum controuersiarum, & plurimi alij de hac re diffusè egerunt, ideo nobis occasionem plenius loquendi de hac re sustulerunt.

Quorum humorum misturam indicet porraceus color.

CAPVT VII.

Ex qua bile fiat porracea op. varia.

COmpaginem bilis cum pituita viridem, & porraceum colorem ad viuum aliquando imitari; videtur in scholis communiter esse receptum, vnica enim est omnium Medicorum vox, quod porracea, siue prassina cholera misturam ex bile & pituita portendat. Cæterum quænam sit hæc species bilis, quæ mista cum pituita porraceã efficit, variè distrahũtur Auctores; aliqui enim dicunt porraceam fieri ex pituita & bile flaua; aliqui ex pituita, & vitellina: aliqui demũ ex pituita & æruginosa bile. Qui dicunt ex albo, & flauo, aut vitellino viridem, & porraceam bilem enasci, adeo cæcutiunt, vt me pudeat in re tã aperta eos reiicere. Philosophorum nemo negabit, viridem colorem magis flauo, & vitellino accedere ad nigrum: omnésque medios colores fieri ex albo, & nigro: Aristoteles libello de colorib. (si Aristotelis est) cap. 2. & Auer. lib. de sens. & sensib. tenent colorem album, & nigrum esse elementa mediorum; quare si porracea fiat ex omnium consensu ex pituita, quæ alba est, & ex bile; est necessarium, vt hæc species bilis sit opacior, & obscurior porracea bile: pituita enim, quę alba est, colorem semper remittet: si misceatur pituita cum flaua, pallida enasci debet mistura; si cum vitellina, flaua, quæ est remissioris coloris: si cũ viridi colore pituita misceatur, viridis quoque color remittetur: quare, si ex pituita, & bile fit porracea, oportet, vt sit bilis omnibus aliis obscurior, hæcque est æruginosa, quæ est biliosorum obscurissima, quæq; si vlterius torrefiat, dicit Galenus 2. prognost. 47. atram fieri exedentem quæ ad melancholicos succos pertinet.

Porraceam dupliciter fieri.

Cognito, porraceam esse compaginem factam ex bile æruginosa, & pituita: nunc oportet videre quomodo fiat hæc mistura. Dicimus itaq. fieri porraceam, vel dum pituitæ miscetur æruginosa bilis aliundè missa, vel dum bilis flaua mista cum pituitoso succo per vlterioré adustionem aduritur, & fit æruginosa: afferatur exemplum: sit caput pituita refertum, illuc flaua obrepat, misceaturque cum pituita; tũc si flaua bilis sic mista cœperit ab ingenti calore aduri, fiet ęruginosa, vnde porracea, & hæc vocatur mistura, intrinsecus facta; si vero misceatur pituitæ non flaua, sed æruginosa talis ab aliis partibus prodiens dicitur mistura facta ab humore aliunde misso; hæcque sæpè fit, quia in calidis affectibus æruginosa facilè aggregatur, & quia ob insignem eius acrimoniam omnes partes conantur eam propellere, fit vt modo vnã, modo alteram partem adoriatur, & vbi pituitam reperit, illius lentore amplexa firmetur, & illico porracea fiat: maximi sanè refert scire, quo-

modo porracea fiat; aliæ enim hauriuntur indicatione à flaua facta æruginosa, dum erat mista cum pituita, & aliæ ab æruginosa ab aliis partibus corporis missa.

Variæ op. vbi fiat porracea. Verum, cum de loco generationis porraceæ dubitetur: hocque maximè conferat huic cõtemplationi, aliquid de hac re dicatur. Quidam enim putant solum in ventriculo generari; alij vero in venis etiam: qui dicunt solum in ventriculo gigni; putant id à Galeno colligi posse libello de atra bile, vbi dicit, in ventriculo porraceam gigni: errare videntur isti, quia, quamuis in ventriculo gignatur, nihil tamen prohibet, quin gigni possit in aliis partibus; hinc Galenus 2. præsagiorum 39. dicit, porraceam aliquando in venis gigni posse: arbitror ego non solum in ventriculo, & in venis generare posse, verum etiam in omnibus corporis partibus, vbi colligi potest pituita, & æruginosa bilis: patet experientia, quia videmus aliquãdo per os per nares viridem mucum transcolari; per pudenda, vt in iis, qui patiuntur gonorrheã, quorum indusia porraceo colore inficiuntur: similiter in sanguine è secto cubito extracto ichor viridis sæpè obseruatur: proinde ratione, auctoritate, & experientia coacti dicimus, porraceam in ventriculo sæpè fieri, & aliquando in venis, & omnibus locis, vbi misceri poteſt pituita cum bile æruginosa.

Quæ sint examinanda, vt eradicetur porracea bilis. Posito, quod porracea fieri possit in plurimis partibus corporis, & quod modo fiat ab æruginosa ab aliis partibus missa, modo ab adusta bile flaua, redditáque æruginosa quando erat pituitæ commista, variæ consurgunt indicationes; etenim si ab aliis partibus mittitur, debet pars mittens, & generans hunc malum succum methodis de locis affectis cognoscendis traditis non vno in loco superioribus libris inueniri & inuenta corrigi; debétque reuelli non à parte in qua residet, sed à partibus mittentibus: si vero porracea fiat à bile flaua, quæ non erat æruginosa ante misturam, sed solum post factam compaginem, aliæ ab illis longè faciliores hauriuntur indicationes, ex hac enim mistura intus facta non suboritur sæuum onus, vel trucia symptomata excitantur, quæ vires deiiciant, quæ viscera premant, & corpus feriãt, quia non supponit viscus aliquod tam praue esse affectum, vt mittat, & gignat hoc æruginosum virus. Quo pacto autem cognoscatur, quando viscus aliquod æruginosam bilem gignat, & mutat in alias partes, facilè ex methodis traditis superius pernoscemus: ex primo enim lib. & tertio specifica idea affectus, quæ æruginem efficit, colligi poterit: hæc est calidissima visceris alicuius intemperies; ex secundo semper colligemus, vbi sit protopathia, & per consequens quæ sit pars mandans, & fouens; ex sexto sex locos colligemus indicantes specificam biliosorum succorum differentiam, vt nihil in hoc loco dici possit de hoc humore, de parte mittente & fouente, quod non sit in aliis libris pro nostro virili explicatum.

Quod

Quod albus humorum color indicet modo calidos, modo frigidos, & mistos humores.

CAPVT VIII.

ALBVM humorum colorem, quamuis plurimi putent pituitosum, & frigidum humorem tantummodo indicare, reperio tamen albedinem in humoribus indicare modo calidos, modo frigidos, modo mistos humores, & aliquando debilitatem viscerum. Quod albedo pituitam significet, Auicennas libro 1. fen. 2. doct. 3. cap. 7. dicit superfluam albedinem significare pituitam. Galenus verò 2. de temperamentis cap. 5. dicit, sicuti pilus niger fit ex torrefacto humore, sic albus ex pituita nascitur; quod verò aliquando albedo significet adustos humores, est Auicennas, & experientia. Auicennas lib. 1. fen. 1. cap. de humoribus iis verbis vtitur, superfluus color in humido corpore in primis nigredinem efficit, deinde denudat ipsum nigredine & albedinem facit; subdit propterea ligna in carbonem, & deinde in cinerem verti, redditque rationem; calor in humido efficit nigredinem, in sicco albedinẽ; frigiditas in humido albedinem, & in sicco nigredinem operatur; experientiæ, sunt albæ aphtæ, quæ indicant adustos dominari humores, sunt quoq. alia maligna vlcera calida. Quod vero ob viscerum debilitatem albidi humores reddantur, patet in leucophlegmaticis, vel in hyposarca, vel simili cachexia correptis; quare, nisi certa aliqua methodo incedatur in cognoscendis humoribus, res confusa, & difficultatibus obstructa relinquetur. *Vt albus color significat modo caliditatem modo frigiditatem.*

Sed quia in hoc loco per colores perquirimus misturas, cognitis modis, quibus albi fiant humores, propositum aggrediamur. Quantum attinet ad pallorem sanguinis à cachexia factum, dicimus, hunc colorem indicare misturam ex sanguine, & pituita aquosa quę dici potest intrinsecus facta; quia chylus rudis ortus ab imbecillo ventriculo restagnans per mesenterij spiracula in hepar viribus ferè perditum nõ potest totus conuerti in sanguinem, sed tantum aliqua pars, vnde ex hac sanguinis parte, & pituita aquosa fit hæc pallida mistura; causa palloris est aquosus humor, qui non potuit adeo à calore incrassari, vt in sanguinem perfectum conuerteretur: est philosophi 4. meteororũ, optimam coctionem fieri incrassando, quod tenue est; simili modo dicimus in albo fluxu alui, in tenui sanie, in alba vrina, in liquido catarrho esse aliquas partes coctas, & aliquas crudas; habeat enim viuens, pro vt quis volet, fractum robur, aliquid cõcoquit; hinc sanguis serosus hydropicorum non omnino inutilis est, quia in ipso oportet, vt sit aliquod coctum, vnde alantur, & viuant; hinc errant, qui incidunt in opinionem euacuandi totam aquam illorum per aluum, vel paracentesim: serum enim illud à maiori virtute facilè conuerteretur in sanguinem; ideo non est malus per se, sed quatenus auctus suffocat vires est Galeni commento septimo de morb. vulgar. text. 12. esse *Quãdo albus color humorum indicet misturam intus factam.* *Vt errant qui per paracentesim totam aquam hydropicorum euacuant.*

perforandum ventrem hydropicorum, dum ratione aucti tumoris vires consternuntur.

Præterea albus color turbidus indicabit misturam ortam ab humore aliunde veniente; sicuti contingit, dum alba pituita commiscetur humori melancholico: hic color in excrementis imitatur colorem luti, sæpéque obseruatur; quia natura perpetuò in ventriculum melancholiam euomit causa retinẽdi chylum, deindéque cum fæcibus subducitur: si igitur niger humor commiscetur pituitæ, quæ sua natura candicans est, medius efficitur color, qui lutum imitatur; possunt denique alij humores commisceri pituitæ, qui eius albedinem remittũt; qui autem esse possint ex methodis cognoscendorum humorum traditis in sexto libro facilè cognoscemus: iis positis, quisque indicationes sciet haurire, quia si albus turbidus color prodierit à mistura intus facta, vel erit virium debilitas, vel putredo, vt de pure, & catarrho liquido dictum est: tunc viscera debilia erunt corroboranda, & putredo arcenda auxiliis non semel propositis. Si prodierit ab humoribus aliundè missis, dictũ est superius non semel, quomodo sit auxiliandum.

Cur faeces imitantur colorem luti.

Ostenditur ex peccantibus humoribus iam traditis fieri misturas possibiles 80084.

Capvt IX.

Vt perquirãtur omnes interna misturæ.

Ex hac natura saporum, & colorum hactenus explicata illæ humorum misturæ, quæ sensibus sunt manifestæ, colligi possunt. Quomodo verò pernoscantur, quæ sint in penitissimis corporis partibus, in quas neque lingua, vel oculi penetrare possunt, traditæ sunt in 6. lib. methodi, quæ possunt docere omnes prædominantes humores, & per consequens quamlibet eorum miscellam. Nunquam enim prædominabitur pituitæ species aliqua, vel sola, vel aliis humoribus commista, quę ex illorum signorum syndrome non cognoscatur. In postremo huius libri capite omnes misturas, quæ fieri possunt in qualibet corporis parte, colligemus, easque adnumerabimus: aliquæ constant duobus humoribus, quæ vocari possunt combinationes, veluti quando esset commista bilis flaua pituitæ; aliquæ tribus, sicuti dum bili & pituitæ adiungeretur melancholia: aliquę demum quatuor, sicuti dum illis tribus adiungeretur ichor sanguinis, vel alterius humoris: misturæ verò, quæ ex quinque, & aliis componentibus fieri possunt, vt cognitioni nostræ minus aptæ, omitti possunt.

Exemplo Aristotelis hic annumerantur omnia contenta, vt numerus misturarum sciri possit.

Has misturas nullo modo annumerare poterimus, nisi, quot sint simplicia componentia, quæ in contentis collocantur, prius dicamus. Imitabimur Aristotelem, qui volens colligere possibiles combinationes primarum qualitatum enumerauit omnes combinationes, quas intellectus humanus fingere poterat, & inde ex illis collegit possibiles; primo enim dixit qualitates primas esse quatuor, nempe calidita-

tem,

tem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem: deinde numerauit omnes combinationes, vel misturas, quæ ex iis fieri, & imaginari possunt; dixitque vel misceri calidum sicco, vel calidum humido, vel calidum frigido, vel frigidum sicco, vel frigidum humido, vel humidum sicco; collegitque deinde philosophus ex iis omnibus quatuor possibiles, quæ quatuor elementis conueniunt, & duas reiecit impossibiles, quę sunt calidum cum frigido, & humidum cum sicco; similiter, & nos si velimus perquirere omnes misturas, quæ in humoribus siue in contentis fieri possunt, prius simplicia componentia numerabimus; possibilésque colligemus, & impossibiles omittemus. Dicimus itaque ex Galeno libro de atra bile cap. 2. & alibi, septem esse species biliosorum succorum, scilicet pallidam, flauam, vitellinam, porraceam, rubram, cæruleam, & æruginosam: omitti hic posset porracea, quia non est simplex, sed mista ex bile æruginosa & pituita: verum, quia sic mista posset quoque aliis humoribus commisceri, in hoc numero contentorum præter naturam ea collocabimus; deinde ex Galeno, & cõmuni medicorum consensu quatuor sunt famosæ pituitæ, acida, salsa, vitrea, & dulcis; hic non disputo, an sint veræ species per constitutiuas differentias factæ, quia in hoc loco non est mihi in animo ab ipsis philosophiæ, & medicinæ primordiis hoc in discrimen reuocare, sed quæ à Galeno sunt proposita, & communiter accepta præaccipere, & inde vlterius philosophari. Tres (vt ostendimus) sunt melancholiæ, fæx sanguinis naturalis, fæx adusta, & atra bilis. Denique est sanguis, qui copia, & variis modis peccare potest. Amplius ex Galeno, & Hippocrate 6. epid. 2. comm. 37. dicimus ichores esse æquales numero humoribus; dicit enim Galenus, quemlibet humorem habere ichorem proprium, qui naturam, & virtutem ab aliis ichoribus separatam sortitur; quod ita re vera sit patet, quia ex variis ichoribus varij quoque morbi fiunt: obseruamus enim porriginem factam ab ichore bilis esse omnino diuersam ab illa, quæ ab ichore melancholiæ, vel ab ichore sanguinis proficiscitur. Galenus libro de tum. præter naturam cap. 10. dicit, causam erysipelatis esse bilem flauam ichori sanguineo mistam, bilis enim sine ichore sanguinis non efficit erysipelas, sed aliud morbi genus, vt ostendimus in 6. lib. colligimus itaque quindecim esse humores, & totidem ichores, numerumque horum succorum quatenus possunt lædere nulla adhuc in ipsis concepta putredine, peruenire ad triginta. Quod vero bilis porracea, æruginosa, & atræ biles efficere possint sine putredine, patet experientia, videmus enim sæpissimè, æruginosa euomi, & atras biles per infernas partes aliquando excerni nulla existente febre; valet apud me consequentia, non est febris, ergo humor peccans non putrescit: si vero humores, & ichores citati adoriuntur corpora viuentia quatenus putridi, erunt quoque omnino diuersi.

Enumerantur quindecim humorũ peccantium species.

Verum, quia putredines inter se natura, & specie differunt, humores quoque putridi pro diuersitate specierum, vel graduum putredinis erunt omnino diuersi: putredines enim quæ aperte humanum genus

inuadunt, & quæ sub benigniori aspectu inimicum virus occultant, natura & gradibus inter se differunt. Hic recipimus communem sententiam, quod quatuor sint differentiæ, vel gradus putredinis, quorum primus obseruatur in apertis febribus continuis, vel intermittentibus. Secundus in malignis & dolosis mitioribus; tertius in malignis sæuissimis: in his febribus sub benignissima facie aliquorum dierum cursu scelestissima absconditur putredo, quæ necessario virium ruinam, & vt plurimum mortem adfert; quartus in pestilentibus. Ex his colligi possunt centum, & quinquaginta humores præter naturam; hocque modo ratio ineunda est: in primis sunt 15. humores, & quindecim ichores considerati, dum nulla putredine polluti lædunt: totidem fiunt, dum illorum quilibet putrescit primo putredinis gradu, fient igitur omnes hactenus sexaginta; addantur iis, dum quisque putrescere potest secundo, tertio, vel quarto gradu putredinis erunt omnes centum, & quinquaginta inter se reuera valdè differentes: bilis putrida in primo gradu efficit febrem salutarem: in secundo malignam curabilem: in tertio malignam ferè incurabilem: in quarto pestilentem. Sequuntur septem species flatuum, quippe qui cuilibet humori peccanti commisceri possunt: quatuor, qui eleuantur à quatuor pituitosis succis, alius enim est flatus ortus à dulci pituita, alius ab acida, alius à salsa, & à vitrea alius, qui trucem colicam facere solet: duæ flatuum species à melancholia consurgunt, alter à melancholia, quæ est fæx sanguinis, & alter à fæce adusta: ab illa enim quæ exædit vt à causa materiali, de qua loquimur, non oritur flatus. Septima flatus species oritur à cibo, & potu. Neque obiiciant, quod humores non commisceantur flatibus, quia facilè occurrere possumus, plures enim morbi ex humoribus flatibus mistis fiunt: tinnitus, qui imitatur sonum aquæ currentis, indicat pituitam aquosam esse commistam flatibus: colica passio sæpè fit ex mistura porraceæ bilis & flatus, vel ex vitrea pituita & flatibus.

Quatuor gradus putredinis.

Quod sint 7. flatuum species.

Præterea in numero contentorum præter naturam sunt lumbrici, & eorum vapores, qui sæpè epilepsiam gignunt: sunt spermata præter naturam retenta, quorum spiritus præfocationes vteri, cordis palpitationem, & alios affectus mouere possunt: est lues gallica, & eius vapor, qui, vt quotidie videmus, per vniuersas corporis partes suum dispensat virus, omnibusque humoribus potest commisceri. Demum est sanies, & eius vapor, à quibus febris, & innumerabiles affectus præter naturam fieri possunt: si igitur has quindecim causas præter naturam aliis propositis addas, causæ erunt centum & sexaginta quinque.

Ex quo numero contentorum præter naturam præcognito possumus quoque perfectè scire, quot misturæ ex duobus, quot ex tribus, & quot ex quatuor humoribus omnifariam mistis fieri possint: imitamur (vt dictum est) Aristotelem, quia sicuti ille ex quatuor qualitatibus sex combinationes collegit, scilicet quatuor possibiles, & duas impossibiles. Similiter nos ex 165. prius colligemus omnes misturas, & deinde impossibiles reiiciemus. Modus facilis colligendi ex quolibet

Dè modo colligendi misturas ex quouis dato numero.

bet

bet dato numero omnes misturas sit per additionem omnium numerorum propositorum postremis exceptis: si enim numerauerimus misturas ex duobus, quas vocant combinationes, summouemus ab additione postremum numerum tantum, si misturas ex tribus, duos postremos numeros, si ex quatuor, tres. Exempli causa, si ex quatuor velimus scire, quot fieri possint combinationes, demimus quartum, & fit additio reliquorum, vnde consurgunt sex combinationes hoc modo, ex iis numeris amoto postremo colliguntur sex: similiter si ex octo velimus scire misturas, alter non datur modus facilior, quàm summouendo octauum: quo dempto illico sciemus ex octo humoribus omnifariã mistis nasci 28. hoc modo: si verò ex octo velimus scire, quot misturæ ex tribus consurgant, demitur non solũ octauus, verum etiam septimus, & tunc erunt 21. si vero ex quatuor, demuntur tres postremi numeri scilicet octauus, septimus, & sextus, & tunc erunt 15. misturæ.

1
2
3
4
6

1	1	1
2	2	2
3	3	3
4	4	4
5	5	5
6	6	6
7	7	7
8	8	8
28	21	15

Simili modo, si velimus ex 165. efficientibus causis misturas ex duabus, ex tribus, & ex quatuor colligere, cogimur disponere omnes causas efficientes, vt in sequenti pagina, videmus, quia commodè à nobis omnium numerorum fieri potest additio.

Gal. libro de atra bile capite 2. & alibi dicit septem esse species biliosorum succorum scilicet	In hac colũna iidẽ humores, & ichores, vt putridi in primo gradu, locantur	In hac sunt putredines secũdi grad⁹: septẽ biles putredine maligna affectę	Putredines tertij gradus: septem biles	Putredines quarti gradus qui in peste obseruantur: septẽ biles
pallida 1	31	61	91	121
flaua 2	32	62	92	122
vitellina 3	33	63	93	123
porracea 4	34	64	94	124
cærulea 5	35	65	95	125
rubra 6	36	66	96	126
æruginosa 7	37	67	97	127
Ex Galen. 2. de differ. febr. 6. pituitæ sunt quatuor scilicet	Quatuor pituitę putridæ in primo gradu	Quatuor pituitæ	Quatuor pituitæ	Quatuor pituitæ
pituita dulcis 8	38	68	98	128
acida 9	39	69	99	129
vitrea 10	40	70	100	130
salsa 11	41	71	101	131
Ex Gal. lib. de atra bile & alibi melancholiæ sunt tres, fęx sanguinis non adusta 12	Tres melancholiæ	Tres melancholiæ	Tres melãcholiæ	Tres melancholiæ
	42	72	102	132
fæx adusta 13	43	73	103	133
atra bilis 14	44	74	104	134
sanguis 15	45	75	105	135
Ex Ga. 6. epid. 2. tex. 37. dicente quẽlibet humorẽ habere suũ ichorem	Ichores putridi in primo gradu	Ichores mali moris	Ichores pestilẽtes	Ichores peste affecti
ichor sanguinis 16	46	76	106	136
ichor pallid. bilis 17	47	77	107	137
ichor flauæ 18	48	78	108	138
ichor vitellinæ 19	49	79	109	139
ichor rubræ 20	50	80	110	140
ichor cæruleæ 21	51	81	111	141
ichor porraceæ 22	52	82	112	142
ichor æruginosæ 23	53	83	113	143
ichor pit. dulcis 24	54	84	114	144
acidæ 25	55	85	115	145
salsæ 26	56	86	116	146
vitreæ 27	57	87	117	147
ichor mel. natur. 28	58	88	118	148
fæcis adustę 29	59	89	119	149
atræ bilis 30	60	90	120	150

Quatuor flatus pituitosorũm succorum	
	151
	152
	153
	154
Duo flatus melancholicorum succorum	
	155
	156
Flatus esculentorum	
	157
lumbrici	158
eorum vapores	159
sperma	160
eius vapor	161
sanies	162
eius vapor	163
lues gallica	164
eius vapor	165
misturæ ex duob. erunt	13530
misturæ ex trib.	13366
mist. ex quatuor	13203
omnes sunt	40099

Si igitur ex iis cẽtum & sexaginta quinq. vis scire quot misturę ex duob. fieri possint fac horũ numerorum additionem, dempto postremo numero, videbis summam peruenire ad 13530

Si vis misturas ex tribus, demas duos postremos numeros id est 165. & 164. ex additione aliquorum orietur 13366

Si ex quatuor demas tres postremos, erit summa 13203

summa omnium misturarum est 40099

Verum

Verum ſicuti Ariſtoteles ex omnibus concubinationibus reiecit impoſſibiles, ſic nos illius imitatione reiiciemus omnes illas, quas propoſuimus fieri ex ichore cum proprio humore, quia illæ re vera non poſſunt dici miſturæ: hæ omnes quindecim ſunt; verum quia ter additæ ſunt, ſcilicet in miſturis ex duobus, ex tribus & ex quatuor, erunt à ſumma remouendæ 45. præterea, vt impoſſibiles reiicimus miſturas vaporum cum ſuis mineris, vt eſſet vapor ſaniei cum ſanie, vapor luis gallicæ cum lue ipſa, vapor lumbricorum cum lumbricis, & ſpermatis cum ſpermate, quæ erunt quatuor, ſed, cum ter poſiti ſint, erunt 12. omnes itaque impoſſibiles erunt 57. quæ, ſi auferantur, poſſibiles erunt 40042.

Verum, quia miſturæ poſſent in quolibet propoſito efficiente fieri duum generum, ſcilicet intrinſecus, & extrinſecus, vt oſtenſum eſt, totidem numerabuntur.

Omnes igitur miſturæ, quæ in animalibus fieri poſſunt; quæque methodis traditis in ſexto libro perquiri poſſunt ſunt num. 80084.	40022.	intus
	40042.	foris

Ex traditis in hoc libello patet, quomodo virtute colorum, & ſaporum peruenire poſſimus ad humorum peccantium miſturas; patet quinetiam, quomodo miſturæ in viſcerum latebris exiſtentes, quæ per colorem, & ſaporem non habentur, pernoſcantur, & demum quot miſturæ fieri poſſint in viuentibus ex duobus humoribus, ex tribus, & ex quatuor: vlterius quoque virtute eiuſdem methodi poſſemus penetrare; verum, quia id confuſionem pareret, rationabiliter deſiſtimus. *Epilogus.*

Finis Septimi Libri.

SANCTORII SANCTORII

Iuſtinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in reconditarum qualitatum primis initijs perquirendis,

LIBER OCTAVVS.

Quid intelligant auctores per qualitates manifeſtas: & cur aliqui introduxerint qualitates occultas, ſeu ſubſtantias operantes.

CAP. I.

POSTQVAM actum eſt in præcedentibus de methodis, quib. vniuerſæ peccantium humorũ miſturæ poſſunt cognoſci: in tribus ſequentibus libris agendum relinquitur de illo impetu, quo cauſæ iſtę præter naturam in noſtra ſolent irruere corpora. Cæterum cum ſit in ſcholis valdè receptum, quod cauſæ efficientes inuadere poſſint corpora viuẽtia ſolum his quatuor modis, tota ſubſtantia, quantitate, qualitate, vel motu; de iis, τό γ' ἐμόν, agemus. Acturi in hoc libello de iis, quæ tota ſubſtantia operantur, in hoc veſtibulo prius explicabimus quid intelligant Auctores per qualitates manifeſtas, & quid per occultas, & ſecundum totam ſubſtantiam operantes.

Quæ ſint qualitates manifeſta.

Quo ad manifeſtas qualitates attinet, eſt communis opinio, quod harum primæ, ad quas cæteræ omnes, quæ ſub orbe lunæ continẽtur, referũtur, & quarũ merito omnes aliæ operantur, ſint hæ quatuor, caliditas, humiditas, frigiditas, & ſiccitas. Secundæ, quæ primas ſequũtur, ſint præſertim illę quindecim à Galen. 1. de vſu part. 9. & 1. de fac. naturalibus cap. 6. enumeratæ, durities, mollities, lentor, friabilitas, raritas, denſitas, aſperitas, lenitas, grauitas, leuitas, craſſitudo, tenuitas, odores,

odores, colores, & sapores: quælibet ex iis continet varias qualitatum secundarum species, & gradus: multi enim sunt gradus, seu species rari, & densi, asperi & lenis, & cæterorum: multæ sunt species saporum, colorum, & odorum: alio enim pacto sapor operatur vt acer, alio vt amarus, vt salsus, & vt acetosus; de quibus saporibus, & humorum coloribus in 5. & 7. lib. actum est. Tertiæ, quæ secundas immediatè sequuntur, sint detergere, incidere, aperire, astringere, laxare, & alia id genus quæ similiter referantur ad quatuor primas, tamquam ad prima initia cæterarum omnium qualitatum, quę in hoc mundo elementali fiunt.

Qui verò admittunt qualitates totius substantiæ, quas alio nomine vocant occultas, inter quos est Fernelius, Argenterius, & alij plures Medici eas non putant referri posse ad primas, vel ad alias manifestas: quinimo, quamuis aliqua ex manifestis lateat, & non rectè ab humano intellectu cognoscatur, adhuc eam dummodo ad quatuor primas, vel secundas aliquo modo referri possit vocabunt manifestam, ratio vero cur ab illis qualitas, quæ à primis non pendet, vocetur occulta, est, quia putant, hanc esse substantiam operantem, quæ sua natura est occulta, & incognoscibilis, dicúntque substantiam non opificio calidi, frigidi, humidi, vel sicci, sed primo, per se, & immediate nullo interposito instrumentó illam agendi, seu operandi potentiam sortiri, & has qualitates occultas dici totius, & solius substantiæ, totius: quia tota simul substantia, cum ex se sit simplicissima, operatur: solius, quia non merito aliarum qualitatum accidentalium, sed sola, & per se edit potentiam operandi: eásque in eadem cathegoria collocant, in qua est substantia: quia immediatè putant ab ipsa enasci: & potentias esse substantias operantes: eásque demum esse occultas, quia nullarum qualitatum auxilio, quæ sensibus sint subiectæ, manifestari possunt, ea enim ratione, qua substantia sensibus, & intellectui est occulta, eadem has qualitates occultas, & reconditas dici putant.

Vt omnes qualitates occultæ vocantur totius substantiæ.

Morborum innouatores conantur probare experientia, quod dentur qualitates occultæ à substantia emanantes, quæque nullam communionem habeant cum calido, frigido, humido, & sicco, & aliis has primas insequentibus: & solent in primis afferre Herculeum lapidem, dicuntque, ferri attractionem non fieri à primis qualitatibus, quia nunquam experientia visum fuit, calida, vel frigida attrahere ferrum, non à secundis; quia nemo vnquam vidit rarum, densum, graue, leue, tenue, crassum, durum, vel molle ferrum attrahere. Inferunt ergo non à manifestis magnetis qualitatibus, sed à propria lapidis substantia hâc operandi virtutem per se, & immediate prodire. Simili modo dicunt electrum qualitate occulta allicere palleam, marinum leporem pulmonem: cantharides vesicam, & non alias partes exulcerare: etenim, si manifestis exæderent qualitatibus, magis iecur, quod propinquius, & mollius est, abraderent: paruulum piscem Echenidem nauim turgidis velis volantem firmare: torpedinem manus piscatoris tremore afficere. Rhabarbarum bilem: agaricum pituitam: elleborum melancho-

Experimenta, quibus probant innouatores dari qualitates occultas.

liam, cæteraque cathartica determinatos ſuccos ſubducere. Theriacam venenum euincere:guaiacum dirum, & immane gallicum ſuperare:peſtem poſſe hominem ſanum, & potentiſſimæ virtutis illico, & ictu oculi opprimere: vix credunt inueniri poſſe homines adeo ſtupidos, qui putent admirandas has operationes fieri à caliditate, frigiditate, ſiccitate, vel humiditate, & à cæteris conſequentibus qualitatibus:his experimentis,& pluribus aliis commoti putãt, eſſe aliud principium,& aliam occultam cauſam non ſubiectam ſenſibus, vnde prodeant hæ operandi virtutes, creduntque hanc eſſe ſubſtantiam, quæ immediate hos pariat effectus. Nos autem acturi de initiis harum reconditarum qualitatum diſputabimus primo an ſint in genere ſubſtantiæ, oſtendemuſque non eſſe ſubſtantias, vt putant Fernelius, & Argenterius:deinde proponemus genus generaliſſimum, & ſubalternas differentias harum qualitatum.

De ſecundæ ſubſtantiæ vitio in hoc libro agendũ.

Verum,quia hæc,quæ agunt tota ſubſtantia in arte medica,ſub duplicem cadunt conſiderationem, vel recõditè ſicuti dum napellus occidit,& cantharides veſſicam exædunt: vel dicitur tota ſubſtantia aliquid peccare, dum talis fit receſſus in iis, quæ ſunt ſecundum naturam, & præcipuè in humoribus, vt ſecundum totam ſubſtantiam tranſmutati illico poſt ſuarum formarum interitum naturam ſubierint puris,vel alterius putrilaginis, de vtroque ſubſtãtiæ vitio agemus: conabimur tamen in primis de reconditis qualitatibus agere, eaſque, & opinionem Fernelij conuellere; deinde de genere, & differentiis ipſarum,vt de re magis controuerſa, & poſtremo de iis quæ tranſmutantur ſecundam totam ſubſtantiam,examen faciemus.

Qua via morborum innouatores poſſint conuinci.

CAP. II.

AVCTORES ſunt ferè innumerabiles, qui de qualitatibus occultis diſputant: pauci tamen diſputationis cardinem conſequi videntur: aliqui enim ſolum perquirunt, an ex Galeni, vel Ariſtotelis ſententia admitti debeant, & nil vlterius quærunt: aliqui minus phyloſophorum auctoritatibus addicti liberè dicunt, non ſolum qualitates reconditas,quæ immediatè prodeunt à ſubſtantia, dari poſſe; verum etiam in iis qualitatibus morbos formæ conſtitui, & quartum morborum genus nouiter fingi poſſe valdè diſtinctum ab intemperie, mala compoſitione,& ſoluta vnitate, inter quos eſt Fernelius, & Argenterius. Poſtremò peripateticorum plurimi altius erigentes ſpiritum; dum de animæ potentiis loquuntur, determinant potentias ad ſubſtantiam, & non ad qualitatem pertinere, putantque nõ ſolum aliquas dari qualitates reconditas immediatè à ſubſtantia venientes, vt ait Fernelius; verum contra Diuum Thomam ſubtiliſſimis argumentis conantur oſtendere,omnem agendi potentiam, omnémque virtutem

tem seu qualitatem operatricem nullo alio interposito medio instrumento immediatè immediatione causæ à substantia, tamquam à causa efficiente perpetuo prodire.

Fernelius itaque, & cæteri morborum innouatores, cum non deflectant ab horum philosophorum vestigiis, altiorem sanè sequuntur scholam, quam aliqui fortasse putant; proinde volentes nos in hoc libro præcipuè has reconditas qualitates, & per consequens morbos formæ demoliri, opus erit cum altioribus argumentis illico certare; quia illis solum euersis atque elisis morborum innouatores commodè conuinci poterunt; & qualitates, quas vocant occultas, in cathegoriam qualitatis, & non substantiæ, transferentur; alia re vera non est via, qua Fernelius, vel hoc nouum morbi genus nunquam à Galeno excogitatum expeditius reiici possit, quam statis, & altioribus principiis à philosophis desumptis probare, quod substantia non habeat hãc immediatam operationem agendi, quia hac adepta veritate, ruent qualitates occultæ, vel totius substantiæ cum formarum morbis. Et quamuis apud Theologos, & Philosophos subtilissimis argumentis acta sit quæstio, an potentia differant à fundamento, vel an tota virtus operatrix à substantia immediatè pendeat, vel quod in idem recidit, an dentur qualitates occultæ, quæ sint substantiæ operantes: non propterea de hac re hic agendo quis obiicere poterit, in alienas messes nos posuisse falcem, quia nisi discutiamus propositum nodum, non possumus aduersus Fernelium vnum verbum mouere; ratio est, quia in hoc solo cardine tota de reconditis qualitatibus difficultas cõsistit, quippe est, an potentiæ operatrices debeant collocari in cathegoria substantiæ, vel qualitatis, quia si fuerint collocandæ in substantia, vno & eodem modo depromemus indicationes; si in qualitate alio longe diuerso; quia qualitas indicat contrarium, substantiæ verò cum nihil sit contrarium, nihil indicaret, & nihil ei aduersaretur: si lues gallica, quæ est recondita qualitas esset substantialis, vel immediatè à substantia dependens, ei non aduersaretur lignum: eadem ratione neque rabiei aquæ potio, nec venenis Theriaca, neque vllum contrarium aliorum prædicamentorum reluctari posset occultis qualitatibus: duæ itaque rationes potissimæ colliguntur, quibus ostenditur, qualitates occultas non esse substantias operantes: altera est, quia contrarietas positiua vnius generis non potest aduersari contrarietati alterius: altera, quia substantia sua natura est impossibilis, caretque contrariis positiuis.

Qui vult reiicere morborum innouatores oportet prius cum ?ceto certare.

Duæ rationes ostendentes qualitates occultas non esse substantias operantes.

Sed, quoniam pro comparanda abditarum qualitatum cognitione non satis est reiicere aliorum opiniones, & probare, quod à substantia immediatè non prodeant: & quod Galenus, & Aristoteles eas illo modo non admiserint, & demum concludere, quod sint potentiæ de genere qualitatis, nisi vlterius animi aciem dirigamus inquirendo videlicet, quænam sint harum potentiarum occultarum differentiæ genericæ, & vnde habeant suum principium, & quæ sint differentiæ specificæ, & quodnam sit supremum genus, quod in aliud resolui nequit, ad quod omnes differentiæ abditarum qualitatum apertè referri pos-

ſint. Quæ omnia, niſi ſumma induſtria declarentur, non video, quomodo infinita effectuum naturalium reconditorum phænomena ſaluari poſſint: quomodo præcauere poſſimus, quin ſine hac diſtincta cognitione, vel ſæpiſſimè in errores prolabamur: quomodo infinities nõ decipiamur à Plinio, Alberto Magno, Dioſcoride, & ab aliis, qui ita faciles fuerunt in conferendis virtutibus reconditis tantæ multitudini rerum, quæ ſæpè ſunt illarum virtutum expertes; vt hinc Galenus loquens de iſtis, qui tam multa referunt ad qualitates occultas, dicat quod nihil ſciant; quinimo apertè 3. de præſag. expulſ. contra Eraſiſtratum habet, qui nihil docent ad alterum de duobus confugiunt, ad qualitates occultas, vel ad nomina ignota.

Potiora argumenta ab altiori ſchola deſumpta, quæ oſtendere videntur quod omnes potentiæ agendi ſint in ſubſtantia cathegoria.

CAPVT III.

NON poſſumus morborum innouatores, nec qualitates totius ſubſtantiæ explodere, niſi altius à primis principiis repetamus illud tam à Theologicis, & Philoſophis peripateticis quæſitum non vno in loco excuſſum, præcipuéque 2. de anima vbi diſputant, vtrum animæ potentiæ eſſentialiter differant ab animæ ſubſtantia, quod in idem recidit, an potentiæ idem ſint cum fundamento, & numquid in eodem collocentur prædicamento. Cum igitur hæc phyſica quæſtio (vt oſtendimus) adeo conferat medicinæ, vt ſine eius deciſione ſcire non poſſimus, quænam ſint occultæ qualitates, exordiar à potioribus aduerſariorum argumentis, quæ Latini veteres, & recentiores plurimi ſequuntur, quibus nituntur oſtendere, animæ potentias non differre ab eius ſubſtantia, cæteraſque virtutes, ſeu potentias operatrices immediatè à ſubſtantia prodire, & in ſubſtantiæ genere collocari, quorum Philoſophorum argumenta non ſolum ſupponunt aliquas dari qualitates totius ſubſtantiæ, ſed omnes potentias operandi eſſe reconditas & occultas, & ad ſubſtantiam pertinere; deinde expendam ſententiam Diui Thomæ, quem ſequuntur Ægidius, Io. Gandauenſis, & alij: Thomas enim fortiſſimis rationibus probat in prima parte ſummæ quæſt. 77. art. primo, & in 1. ſent. diſtinct. 3. quæſt. 4. art. 2. potentias operatrices non eſſe ſubſtantias, ſed eſſentialiter differre à ſubſtantia, & in diuerſo eſſe prædicamento, quod idem eſt, ac ſi dicerent qualitates, quæ à nobis vocantur reconditæ, non pertinere ad ſubſtantiam, ſed ad prædicamentum qualitatis; quod eſt illud, quod probare intendimus.

A quibus fontibus orta ſit quæſtio de occultis qualitatibus.

Primum argumentum aduerſariorum.

Primum igitur argumentum aduerſariorũ eſt deſumptum ab Ariſt. 9. metaph. & ſic oſtendit, potentias eſſe formas ſubſtantiales, & non quali-

qualitates accidentales: dicit Philosophus, dum actiuam definit potentiam, actiuam potentiam esse principium transmutandi aliud, vt aliud: addunt, sed forma est principium transmutandi aliud vt aliud, ergo forma est potentia operandi, & non qualitas accidentalis; ex quo argumento innouatores morborum facilè inferre potuerũt, ergo virtus operatrix esse potest ipsamet substantia, vel dari possunt reconditæ, & totius substantiæ qualitates, & harum qualitatum morbi nunquam à Galeno excogitati.

Secundum argumentum est, sicuti passiua potentia est essentia materiæ primæ, sic actiua erit essentia formę, ergo eadem erit essentia potentiæ, & formæ, ergo tota virtus operandi erit in forma, ab ipsa fluet immediatè, & in eodem genere erit, quinimmo agendi potentia non poterit essentialiter à forma differre; nullum igitur dicunt fore inconueniens, si in qualitatibus substantialibus collocabitur nouum morborum genus, distinctumque ab illis tribus à Galeno propositis, qui ad qualitatem pertinent. *Secundum argumentũ.*

Tertium argumentum est ad impossibile, taléque est; si anima, vel forma quælibet facit operationem per medias potentias, & non immediatè, audias quid sequitur, ergo necesse erit, vt forma agens prius agat in ipsas potentias per alias potentias, quia tu dicis, nullas operationes facere, nisi per medias potentias, ergo antequam agat in potentias, requirit alias potentias, & illæ alias, & sic vsque ad infinitum. *Tertium.*

Quartum argumentum, si potentiæ, vt aiunt aduersarij, per emanationem fluant à fundamento, vt vmbra à corpore, sequitur, quod in aliquo genere causæ fluant: non formæ, cum forma non sit vnde motus: non materiæ, cum ipsa sit in potentia, & non in actu, nihil enim fluit ab eo, quod non est actu: non à fine, quia finis est quid posterius: ergo ab efficiente, ergo substantia, vt efficiens aliquid immediatè producere poterit: non erit igitur illa propositio vniuersaliter vera, quod substantia nil immediatè, & per se primo operetur; quinimmo inferunt, si semel potest, semper poterit, quia à nullo potest impediri, nullum enim posterius potest esse impedimento suo priori. Substantia ex Aristotele 7. meth. est prior ratione, tempore, & natura accidentibus. *Quartum.*

Quintum argumentum desumitur ab Aristotele 2. de anima text. 9. quod est tale, si animal esset oculus, potentia visiua esset forma eius, ergo potentia est idem, quod anima, ergo potentia non differt à substantia: ex his colligimus, non solum esse aliquas qualitates occultas, quæ sint totius substantiæ, & sint in eodem genere cum substantia, & harum qualitatum morbos proprios dari, vt finxit Fernelius, verum etiã nullam esse operandi, vel patiendi facultatem, nullamque potentiam, vel virtutem, quæ non pendeat immediatè à forma, & quę non sit forma ipsa, & quæ non sit in eodem, non modo genere generalissimo, sed in eadem specie specialissima prorsus eadem natura, forma, essentia, & quiditate. Hæc sunt potiora argumenta ab altiori schola desumpta, quæ Argenterij, & Fernelij sententiæ fauere possunt: alia tamen plura à Gregorio Ariminensi, & ab alijs possent depromi, sed *Quintum.*

quoniam cætera sunt infirmiora, non erit, vt ipsa in medium afferamus.

Argumenta potissima, quibus ostendi potest, potentias omnes genere differre à substantia.

CAPVT IIII.

Primum argumentum pro confirmatione veritatis.

ANTEQVAM argumenta in contrarium allata soluantur, potiora, & firmiora sunt proponenda, quibus probare possimus, omnes potentias agendi differre à substantia, vel ab earum fundamento natura, essentia, & prædicamento.

Primum argumentum pro nostra opinione desumitur ab Aristotele, ad quem, tamquam ad summum iudicem, omnes, qui de hac re disputant, debent iudicium, deferre, estque, quia potentiæ operandi collocantur ab Aristotele in prędicamento qualitatis, quod genus differt natura, & essentia à substantia. Nec valet, dum obiiciunt, Aristotelem loquentem de speciebus qualitatis in 5. Meth. & 7. physicorum non enumerasse potentias, & impotentias, ideo magis esse adhibendá fidem iis, quæ traduntur in physica & Metaphysica, quam logica, vbi solum crassa mineruа adolescentes admodum rudes docet: obiectio nulla est; quoniam doceat quis, prout volet ruditer, & crassissimo modo, nunquam debet falsa docere; potest esse diminutus, verum si, dum crassa minerua loquitur, esset superfluus, & simul falsa doceret, ille nõ in sapientum, sed in insanorum hominum cathalogo esset collocãdus, quia adolescentes ab illo non discerent, sed dediscerent, & longè rudiores euaderent. Amplius respondemus, quod prædicamenta in logica longiori discursu, & maiori artificio sunt ab Aristotele explicata, quam in metaphysica, & ratio optima subnecti potest, quia in metaphysica declarantur solum quædam prædicamentorum nomina, & nil vlterius de illis; in prædicamentis vero de speciebus, & proprietatibus prædicamentorum exactius, & plenius agitur.

Obiectio.

Sol.

Secundum.

Secundum argumentum ab Aristotele desumptum ostendens, quod potentiæ differant à substantia, legitur 3. phy. text. 10. vnde colligi potest, potentias non esse substantias, & per consequens non dari has qualitates reconditas immediatè à substantia prodeuntes: nec
„ quartum morborum genus à Fernelio excogitatum: verba Aristotelis
„ sunt: posse valere, & posse ægrotare alterum est, namque ęgrotare qui-
„ dem, & valere idem esset: subiectum autem, & id quod valet, atque æ-
„ grotat siue humiditas, siue sanguis, vnum & idem est: quoniam autem
„ non est idem (quemadmodum neque color idem, & visibile) possibilis, quatenus possibile, actus manifestum quod motus est, &c. Ex quibus verbis clarissimè patet, potẽtias differre essentialiter à fundamento, quia posse valere, & posse ægrotare alterum est: homo enim potest valere, & potest ægrotare, & hæ potentiæ cum differant inter se, differunt

runt quoque essentialiter ab homine, nisi enim differrent, idem esset posse ægrotare, & posse valere: satis vulgata est hæc propositio, quæ alicui tertio sunt eadem, inter se sunt eadem; si igitur substantia esset idẽ quod suæ potentiæ, ipsæ quoque potentiæ inter se essent eædem: similiter, si animæ facultates essent anima ipsa, potentia visiua esset idem cum motiua, olfactiua & reliquis omnibus; si quis amitteret vnicam, amitteret animam, & omnes alias, quod est apertissimè absurdum; cæcus nec ablatam, nec diminutam audiendi, vel generandi potentiam habet; quinimmo sæpè accidit, vt destruatur potentia aliqua audiendi, vel videndi nulla facta læsione in ipsa substantia. Respondent aduersarij huic argumento potentias istas videri varias atque diuersas, non quod multæ sint potentiæ essentialiter distinctæ, sed quia eadem substantia varias relationes, & varios respectus habeat: quæ responsio à primis logicis initiis adeo deflectit, vt pudeat me eam reiicere, quoniam sciunt rudes adolescentes, de ratione relatiuorum requiri duo correlatiua actu simul esse, & altero destructo cessare relationem; patre enim destructo non dicitur amplius filius: quod cum ita sit, quæ relatio erit inter potentias & substantiam, si destructa potentia remaneat substantia? Nec dicant, illam esse relationem rationis, quia nos videmus has potentias inter se esse adeo distinctas, vt potẽtia audiendi, vel videndi habeat esse absolutum, distinctum instrumento, loco; & operatione: & vtramque sine altera consistere posse; quare potentiæ non in substantiæ, vel relationis, sed in qualitatis prædicamento in secunda specie, vt nos docet Philosophus, collocabuntur. Quod probatum est de animæ potentiis, inferri potest de omnibus; quia rationes, quibus probatur, potentias animæ essentialiter differre ab anima, sunt vniuersales, & secundum quod ipsum, quæ non conuenient animæ tantum; sed cuilibet substantiæ respectu suarum potentiarum, & cuilibet qualitati reconditæ, quæ aliquam operandi potentiam sortitur. *Obiectio.* *Sol.*

Tertium argumentum, quod non dentur qualitates totius substantiæ, & quartum morborum genus in ipsis collocatum, est, quia substantiæ, vt substantia ex Aristotele nullum est contrarium positiuum, & viceuersa, substantia aliis non aduersatur; quo pacto itaque morbi formæ, vel reconditarum qualitatum collocati in prædicamento substantiæ poterunt per contraria curari, & alterari? si substantiæ nihil sit contrarium? si substantia, vt substantia, nec substantiæ, nec qualitatibus reluctetur? quo pacto guaiacum lignum aduersabitur morbo gallico? allium magneti? venenum naturæ humanæ? Theriaca venenis? quo pacto cicuta necabit homines, & nutrient sturnos? doronici occident canes, & hominibus auxilientur, & sic de aliis: si dicant per substantiam inuicem aduersari? ferunt Aristotelem dicentem, substantiæ nihil posse aduersari, substantiámque æquè omnes substantias respicere: similiter, dum dicunt venenum vel pestem aduersari non solum substantiæ, verum etiam temperaturæ, multipliciter vacillant, primo quia vnum vni solum est contrarium: secundo contrarium vnius ge- *Tertium.*

neris nunquam aduersabitur iis, quæ sunt sub alio genere: prædicamenta (ex Aristotelis sententia) cum eorum proprietatibus sunt impermiscibilia: nigrum opponitur albo, quod est in eodem genere, nunquam tamen magno, vel paruo aduersabitur, quia genere discrepant. Quare veneni substantia, pestis substantia, luis gallicæ substantia neque temperaturæ, neque substantiæ hominis poterunt reluctari: non temperaturæ, quia, quæ sunt in vnico prędicamento non reluctātur iis, quæ sunt in altero, quia sunt impermiscibilia; non substantiæ, quia substantiæ nihil est contrarium: quibus positis sequitur necessario, quod qualitates occultæ non sint substantiæ.

Quartum argumentū. Postremum argumentum est ad impossibile, sequeretur enim quod vnum vt vnum duobus aduersaretur, quia lues gallica substantificè ex illorum opinione reluctatur homini, & guaiaco: venenum homini, & Theriacæ, & sic de aliis, quod est absurdum, quia substantia est simplicissima, & vt substantia, vnicum habet esse: quod vero vnum contrarium non habeat plura contraria, ostendunt demonstrationes Arist. 1. de cœlo propositæ, quæ hoc vnico principio suffultæ probant, cœlestia corpora esse quintam essentiam: quare posito, quod substantiæ nihil sit contrarium, quod vnum contrarium vni tantum aduersetur, quod contrarium vnius prædicamenti non contrarietur contrario alterius, & quod prædicamenta sint impermiscibilia, sequetur quod nullo modo dentur hæ qualitates reconditæ, quæ tota substantia reluctantur aliis; neque dentur morbi formæ, qui similiter sua substantia opprimere possint humanum genus; neque demum dentur qualitates occultæ, quæ collocentur in prædicamento substantiæ, & sint substantiæ operantes. Quod cum ita rationes demonstratiuæ nobis persuadeant, dicimus quod qualitates, quæ in scholis vocantur occultæ, debeant collocari in prædicamento qualitatis sub secunda specie, & per consequens quartum morborum genus, ad quod Fernelius morbos formæ reduxit, esse chimericum, quia omnes læsæ potentiæ ad tria genera commodè referantur, scilicet ad intemperiem, malam compositionem, & solutam vnitatem.

Soluuntur argumenta in contrarium adducta.

CAPVT V.

COGNITO genere proximo, in quo tamquam in propria sede abditæ qualitates collocari debent. Nunc antequam de differentiis earum agamus, prius aduersariorum argumenta conuellere conabimur, quæ ostendere videntur, omnes potentias, & omnes abditas virtutes in substantiæ genere esse reponendas. Erat primum argumentum ex 9. metaphysices desumptum, vbi definit potentiam esse principium transmutandi aliud vt aliud, quod non potest conuenire (vt aiunt) nisi formæ & substantiæ. Respondemus, Aristotelem per potentiam

tentiam transmutandi ibi intelligere agentem potentem transmutare in quo non solum est substantia, verum etiam cætera prædicamenta, potentia enim non potest transmutare, nisi sit quanta, habeat relationem, nisi sit annexa substantiæ, nisi sit in loco, nisi agat, & agendo repatiatur, & aliquando id efficiat: nos vero hic consideramus nō agentem potentem transmutare, quod est concretum ex omnibus naturis genericis, sed quodnam sit genus proprium, in quo debeant collocari potentiæ & virtutes operatrices separatæ ab aliis generibus. *Responsio ad primum argumentum.*

Ad secundum argumentum quod erat, sicuti potentia passiua est essentia materiæ, sic actiua erit essentia formæ. Respondemus argumentum petere in principio, quia videtur supponere potentiam esse materiæ primæ essentiam, quod erat prius probandum; negari optimè potest, quod potentia sit materiæ primæ essentia; quia, si esset essentia, de materia prædicaretur in primo modo dicendi per se, quod aduersatur logicis præcipuis fundamentis, quia in primo modo actus tantum ponuntur, quod quid est enim actus est, prædicata primi modi 1. post. t. 9. insunt subiectis ἐν τῷ τί ἐστι, quare potentia non habebit locum in primo modo, sed in secundo, in quo sunt potentiæ & aptitudines omnes subiectorum. Neque iterum obiiciant, Aristotelem in libris de anima, vocasse animam potentiam: quia iterum negamus, potentiam esse animæ essentiam; dum enim Aristoteles vocauit animam potentiam, eam considerauit vt principium operationis, cum hac scilicet aptitudine ad operandum, quæ potentia, vel aptitudo pertinet ad secundum modum dicendi per se: similiter philosophus in libris de cœlo semel vocauit grauitatem, & leuitatem elementorum formas, quia ibi elementa considerauit cum relatione ad motum: ratio sane specifica, cur elementa localiter moueantur est grauitas, & leuitas; considerando igitur elementa vt apta moueri, grauitas & leuitas erunt elementorum formæ, quæ prædicantur in secundo modo dicendi per se: considerando animam cum relatione ad operationes dicitur potentia; his commoti rationibus dicimus potentiam respectu materiæ esse in secundo modo, & non in primo, & potentiam passiuam non esse essentiam materiæ, nec actiuam formæ, sed proprietates secundi modi dicendi per se. *Ad secundū.* *Obiectio.* *Sol.* *Vt grauitas, & leuitas sint elementorum formæ.*

Ad tertium argumentum dicimus, quod non nobis, sed Diuo Thomæ aduersatur, qui dicebat, potentias esse causas medias; quod negari potest; quoniam potentiæ naturales sunt subiecti aptitudines, à quibus immediatè fluunt vniuersæ operationes; aptitudines enim licet inhæreant substantiis, attamen de substantiis non prædicantur, nisi in secundo modo, vt diximus, & per consequens neque sunt substantiæ, neque immediatè prodeunt à substantia, prædicantur de substantia in primo modo, & sunt in cathegoria substāriæ, vt animal rationale prædicatur de homine, & est actus, & non aptitudo: risibile mediate, quia inter hominem & risibile mediat rationale; hinc est, quod aptitudines, & potentiæ sunt in accidentium, actus in substantiæ prædicamento. Amplius infra cum Aristotele probabimus, potentias, vel aptitu- *Ad tertium.*

dines immediatè pendere non à ſubſtantia,ſed à quarta,& à tertia ſpecie qualitatis,ſcilicet à figura,à paſſione; & paſſibili qualitate: & ratio eſt,quia poſſe agere requirit talem figuram,talem ſitum, & talem numerum, quæ conditiones non pertinent ad ſubſtantiam; niſi enim in horologio eſſet talis orbiculorum vel rotarum ſitus,numerus, & figura,quamuis ſubſtantia eſſet aurea,nihil ad vſum magis,quam alia ſubſtantia conferret:ſimiliter ſi ſaltatoris pedes luxentur, muteturque ſitus,& figura,vel temperatura partium,quamuis ſubſtantiæ nil deficeret,haberetque animam ad ſaltandum natam,ſaltare non poſſet; ecce igitur,quod aptitudines non pendent à ſubſtantia, ſed à numero,ſitu, & figura, & ab aliis accidentibus ſubiecti: quibus poſitis, patet argumentum, dum dicunt ſubſtantiam agere prius in potentias, eſſe nullius roboris, quia poſſe agere non à ſubſtantia venit, ſed à ſimilarium, & diſſimilarium proportione & harmonia, quæ immediatè conſiſtit in tertia, & quarta ſpecie qualitatis, in temperatura ſcilicet, & figura partium,omnia enim attributa, quæ immediatè immediatione cauſæ proueniũt ab aliquo,ſunt in eodẽ genere cum illo, à quo fluunt;ſicuti riſibilitas eſt in eodem genere cum aptitudine ad ridendum, potentiæ in eodem genere cum figura,& paſſibilibus qualitatibus. Hinc logici optimè dicunt ſecundam ſpeciem qualitatis aliquando fieri à tertia, & aliquando à quarta qualitatis ſpecie; patet igitur potentias immediatè conſtitui in partium harmonia,& nequaquam in ſubſtantia.

Ad quartum. Quoad quartum argumentum reſpondemus, potentias non pendere immediatè à forma, vel à ſubſtantia, neque vt ab efficiente per transmutationem,neque ab efficiente per emanationem:non vt ab efficiente per tranſmutationem; quia quæ pendent ab hoc efficiente, pendent cum conatu, & reſiſtentia; proprietas trahendi ferrum pendet à magnete ſine conatu,& reſiſtentia;neque potentię operãdi pendent à forma,& ſubſtantia,vt ab efficiente per emanationem,vt Iacobus Zabarella defendit;quia ſaltem eſſet verum, quod ſemper eadem manente ſubſtantia,eadem quoque eſſet potentia, quod reluctatur experientiæ:poſſem hic plura exempla afferre, quæ oſtenderẽt potentias non inſequi ſubſtantiam, vel emanare per ſe à ſubſtãtia, ſed à proportione & harmonia partium,ſcilicet ab earum figura,ſitu,& meatibus: ſed aliquot hic proponantur pro veritatis declaratione: inferius plura afferemus; primum quis diceret criſtalli, vel adamantis perſpicuum inſequi eorum ſubſtantiam? quis non videt adamantem, vel criſtallum in pollinem redactum amplius non ſplendeſcere, eadem prorſus manente ſubſtantia? quis non videt fractum criſtallum in pollinemque redactum non eſſe perſpicuum ob figuram, & ſitum minimarum partium mutatum? Secundum, cantores canẽdi potentiam non à ſubſtantia,ſed ab optima conſtitutione pectoris,ſcutiformis,& tracheæ eam colligunt,ſignum,quod res ita ſit, eſt, quia tollitur canẽdi potentia, ſi larinx obſtruitur à dilabente catarrho, eadem ſemper manente ſubſtantia;ſimiliter perfectè ſanus dicitur ille, qui habet bonam conſtitutionem partium tam ſimilarium, quàm diſſimilarium,

quæ-

quæ constitutio pertinet ad tertiam, & quartam speciem qualitatis: itidem dicimus de morbosis hominibus; habet enim hanc impotentiã: quia vel carent proportione, & harmonia qualitatum: vel situs, numeri, meatus, & figuræ partium malè constitutæ sunt: patet ergo, potentias non pendere immediatè à substantia, neque vt ab efficiente per transmutationem, neque vt ab efficiente per emanationem.

Ad vltimum argumentum, si animal esset oculus, potentia visiua esset forma eius: Respondemus, quod Aristoteles cõsiderat animam, vt est principium operationum corporis animati; hinc definit animã, quod sit principiũ, quo viuimus, sentimus, intelligimus, & mouemur, quare sicuti alia est natura hominis, vt homo est, alia vt pater, vt quantus, sic alia est natura animæ cõsideratæ in se, & sine relatione ad operationes, & alia cum relatione ad operationes, quarum illa est principium: eundem quoque stylum seruat philosophus in libris de cœlo, vbi dicit, grauitatem, leuitatem esse formas elementorum, & 2 de par. animal. ca. 1. dum dicit, grauitatem, & leuitatem esse qualitates elementorum; & ratio est, quia in libris de cœlo considerauit elementa, vt sunt principia recti motus, secundum quam considerationem grauitas, & leuitas dici possunt formæ elementorum: in 2. vero de par. animal. considerauit elementa, vt substantiæ, ideo vocauit grauitates, & leuitates, qualitates, & non substantias, vel formas: ob eandem rationem ab Alexandro Aphro. & ab Aristotele caliditas, frigiditas, siccitas, & humiditas vocantur aliquando formæ elementorum, quando scilicet considerantur elementa, vt principia generationis; generatio enim ab iis qualitatibus habet ortum: quando vero elementa nõ cum relatione ad generationem, sed absolutè considerantur, vt in metaphysica, tunc quatuor citatæ qualitates dicuntur ab Aristotele accidentia: locus Aristotelis est 3. lib. Meth. text. 17. vbi dicit, caliditates, frigiditates, humiditates, & siccitates non substantias elementorum esse, sed qualitates: sic nos non recedentes à vestigiis philosophi dicimus, si oculus esset animal totum, potentia visiua esset anima, expendendo scilicet animam, non absolutè, sed prout est principium videndi: quænam vero sit natura animæ absolutè considerata, omnino latet; quia remota consideratione animæ cum relatione ad operationes, & quatenus est principium operationum, est omnino nobis occulta, & incognoscibilis. *Ad quintũ.*

Galeni auctoritatibus, rationibus, & experimentis ostenditur, qualitates occultas non à substantia, sed à multis manifestis prodire.

CAP. VI.

PLVRIMI sunt, qui putant, Galenum arbitrari, qualitates, quas appellant occultas & reconditas, immediatè pendere à substantia, es-

ſeque in eodem prædicamento cum ſubſtantia, quoniam non vno loco vident à Galeno diſtingui qulitates occultas, & totius ſubſtantiæ à qualitatibus manifeſtis: quorum hominum opinio in Galeno nullo modo defendi poteſt: auctoritates, & rationes, quæ nos mouent ſeriatim ſunt proponendæ. Prima hæc eſt, qualitates, quæ habent contrarium, non ſunt ſubſtantiæ, at qualitates, quæ vocantur reconditæ à Galeno, habent contrarium, ergo qualitates reconditę non erunt ſubſtantiæ; maior eſt Ariſtotelis dicentis, ſubſtantiæ non conuenire contrarium: minor vero, quod qualitates reconditæ habeant contrarium, Galeni auctoritate, & deinde experimentis comprobabitur; ſententia eſt Galeni 12. methodi, & alibi, quod quædam contraria ſint ſubſtantiis totis, quædam ipſis qualitatibus. Ecce igitur, quod recõditis qualitatibus conuenit contrarium; quare niſi dicamus, Galenum vſque adeo fuiſſe rudem, vt tunc oblitus fuerit, an ſubſtãtiæ conueniat contrarietas, non poterimus vllo modo ipſum defendere.

Primum, & præcipuum argumẽtum quod probatur apud Galenum non dari qualitates occultas.

Secunda Galeni auctoritas eſt lib. de conſt. ar. med. cap. 8. & 4. de ſimp. med. c. 15. vbi dicit, fieri has qualitates reconditas ſiue occultas ex infinitis alterationibus elementorũ: addamus nos, ſed ſic eſt, quod omnia quæ fiunt ex alteratione elementorum non ſunt ſubſtantiæ, ſed temperamenta, & qualitates, ergo occultæ qualitates erunt illæ, quæ ex miſturis innumerabilium qualitatum fiunt.

Secunda Galeni auctoritas probans nõ dari qualitates occultas.

Tertia. Tertia eſt 2. de loc. affectis cap. 8. vbi declarat, vnde fiat proprietas ineffabilis, quæ eſt qualitas occulta, dicit, quod ab infinitis alterationibus facta eſt. Hinc habet hæc verba: vbi verò multæ qualitates circa vnam eſſentiam apparent, ibi & proprietatem fieri contingit: dicit, quod in guſtu præcipuè obſeruari poſſit, cum amaritudinem, & dulcorem, & auſteritatem, & acrimoniam in vna eſſentia apparere contigerit: proprietas, quæ in guſtu ex iis oritur, ſi vnico nomine ipſam explicare tentaueris, ineffabilis eſt: de hac 1. ad Glauconem loquens Galenus dixit, quod ſi ad vnguem has occultas qualitates cognoſceret, ſe parem Eſculapio crederet.

Quarta. Quarta, dicit quod ex hac occulta qualitate indicationes non colligantur, quia cum fiat ab innumerabilibus alterationibus, non eſt cognoſcibilis, docet tamen nos inuenire per experientiam remedia contraria, quibus depellere poſſimus qualitates, quæ vocantur totius ſubſtantiæ: quinimmo à Gal. factum eſt caput de medicamentis per experientiam inuentis pro debellandis, quæ occultè, & tota ſubſtantia agunt; proinde cum ex Galeno pateat qualitates reconditas habere contrarium illico patebit, omnes has qualitates occultas eſſe in prædicamento qualitatis, neque dari fictitium illud morborum formæ genus.

Quinta. Quinta eſt 3. de temp. cap. 4. vbi declarat quid intelligat per vniuerſam ſubſtantiam, his vtitur verbis: ſanè naturam cum dico vniuerſam ſubſtantiam, & temperiem, quæ ex primis elementis conflatur, ſignifico calido, frigido, humido, & ſicco: ecce ergo, quod per vniuerſam ſubſtantiam intelligit temperaturam, ſed non (vt quidam credunt) ge-

nericam,

genericam, sed specificam, & post multas alterationes redditam incognoscibilem, & (vt dicit ille) ineffabilem.

Hinc Theriaca habet illam qualitatem aduersus venena acquisitam ob misturam, & varietatem qualitatum omnium simplicium, quę ingrediuntur antidotum secundum aliquam determinatam dosim. Obseruatur quoque in plerisque aliis rebus, quod ex alteratione, & mistura multarum qualitatum oriatur aliqua noua, quæ occulta dicitur. Tinctores & pictores ex colorum mistura nouos faciunt. Figuli, dum componunt viridem colorem similem smaragdo, si ad vnguem non seruarent hanc proportionem, nunquam smaragdi colorem possent imitari, sumunt plumbi libras quinquaginta, terræ, qua specula confricantur, libras sexdecim cum dimidia, & æris libras duas cum vncia; ex hac cōpositione in hac dosi, & proportione ad vnguem obseruata oritur viridis ille color: noui Figulum scientem simplicia pro huius coloris compositione, sed non dosim, qui, licet millies ea permiscuerit, nunquam tamen potuit imitari, & diuinare ex qua proportione exurgeret ille color, nisi postquā fuit ab alio dosim edoctus. Similiter de magnete, & de aliis occultis cum Galeno dicēdum, quod ex centum aliis qualitatibus alteratis determinatus gradus fiat incognoscibilis, qui dicitur qualitas recondita: hæ igitur sunt qualitates occultæ, quæ ex aliorum multorum alteratione fiunt. Qui verò aliter sentiunt, certent cum Galeni locis superius citatis. Nos interim sustinebimus, qualitates reconditas esse accidentia pertinentia ad prædicamentum qualitatis, easque tolli posse contrariis.

Ostenditur experientia quod ex multis aliis oriātur varia qualitates.

Quæ sint reconditarum qualitatum differentiæ, & à quo subiecto communissimo prodeant.

CAPVT VII.

ACTVRVS in hoc capite de genericis, & specificis reconditarum qualitatum differentiis, ad quas commodè, & rationabiliter omnes qualitates occultæ, tāquam ad propriam sedem reuocari possunt, præstat iterum altioribus initiis confirmare, quod qualitates occultæ nullo modo sint in cathegoria substantiæ, vt Fernelius, & cæteri morborum innouatores credidere: hæc erat prima ratio; substantiæ nil aduersatur, sed sic est, quod quælibet occulta qualitas habet contrarium, ergo non est substantia. Secunda ratio, quæ subnecti potest, hæc est: quod definitur per subiecta propria, non potest esse substātia, & qualitates occultæ non possunt definiri, nisi per subiecta propria, quia sunt potentię, & aptitudines subiectorum ergo qualitates occultæ non sunt substantiæ: minor patet, quia omnes potentiæ sunt in secundo modo dicendi per se, dicimus enim risibilitatem esse potentiam, seu aptitudinem hominis ad ridendum, & potentiam trahendi ferrum esse magnetis aptitudinem, duosque modos dicendi per se

Qua via doceat nos Aristoteles quod nulla potentia sit substantia.

esse omnino distinctos, separatos, & impermiscibiles, in primoque collocari formas & quidditates, quæ sunt actus, quæq; sunt in eodem genere cum subiecto: in secundo aptitudines, & omnes potentias operatrices manifestas, vel occultas; sicuti igitur primus modus non est secundus, sed distinguitur ab illo genere, & natura sic aptitudines seu potentiæ operatrices non erunt formæ, vel substantiæ, sed natura, & genere à substantia distabunt: per hæc principia Aristoteles potuit nos eleuare ad hanc cognitionem, quod qualitates occultæ sint accidentia, & non substantiæ, sintque potentiæ de prædicamento qualitatis, habeant contrarium, suscipiant magis & minus, & similes, vel dissimiles dicantur. Supponatur ergo. potentias omnes occultas, siue manifestas esse in cathegoria qualitatis: & de potentiarum genere non amplius loquamur.

Vnde petenda sit occultarum qualitatum cognitio.

Posito, quod potentiæ sint aptitudines subiectorum; potentiarum cognitio aliundè hauriri non poterit, quàm à conditionibus propriorum subiectorum: auctor doctrinæ huius est Aristoteles, fundamentumque huiusmodi est adeo certum, vt si quis in ipso vacillaret, à peripatetica doctrina, & ab omni philosophia discederet, & ego cum illo medius fidius non disputarem. Propria subiecta potentiarum adinueniri non poterunt, nisi prius diuidamus communissimum subiectũ, cui omnia accidentia inhærent, in suas differentias, donec radicem omnium passionum, & potentiarum inueniamus. Subiectum communissimum est substantia vt corporea, quæ sola subsistit aliis, & est tamquam basis omnium accidentium, & ab eius differentiis omnia subiecta passionum oriuntur: à substantia igitur vt corporea erunt colligenda subiecta propria, quæ poterunt definire qualitates, si voluerimus ex primis fontibus cognitionem haurire. Nec mihi obiiciat aliquis, quod incidam in sententiam Scoti dicentis, potentias definiri per substantias, quia quod dicitur de potentiis, intelligitur quoque de omnibus accidentibus, quod scilicet per subiecta declarentur, & non alio modo; iam ostẽdimus superius, quod passiones declaratę, vel definitæ per propria subiecta distent genere à subiectis. Quo pacto vero substantia corporea diuidatur in differentias, quarum ratione nos scire possimus, quomodo passiones omnes à substantia corporea pendeant, adire debemus Aristotelem, qui 8. phys. text. 55. nos docet densitatem, & raritatem corporeæ substantiæ esse omnium passionũ principia: hæc est verborum series; amplius omnium passionum principiũ est densitas, & raritas, etenim graue, leue, & durum, & calidum, & frigidum densitates videntur esse, & raritates quædam: ecce, quod qualitates omnes tam primæ, quam secundæ, scilicet calidum frigidum, humidum, & siccum, durum, molle, lentum, frigabile, asperum, lene, crassum, tenue & aliæ innumerabiles eiusdem ordinis à substantia corporea pendent, eaque quatenus est magis, vel minus rara, vel densa, est subiectum, & principium materiale omnium passionũ: quod Aristoteles loquatur ex propria, & non antiquorum sententia, vt plurimi putant, patet ex præcedentibus, & subsequentibus verbis: quo pacto

Vnde ex Aristotele omnes passiones habeant originem.

vero

vero apparens contradictio in Aristotele saluari possit, quod scilicet rarum, & densum sint principia calidi, & frigidi, & possint quoque esse secundæ qualitates, in sequenti capite erit sermo: interim accipiatur ab Aristotele hoc fundamentum, quod rarum & densum sint principia omnium passionum, quod aliis quoque philosophi principiis consentire videtur: alio modo ex Aristotele motus diurnus sub orbe Lunæ nõ generat ignem, nisi prius rarefaciendo materiam: ecce, quod rarum calido prius est, quinimmo Scaliger, Zarabella, & plurimi peripatetici tenent sub polis igneam sphæram non dari, quia ob motus tarditatem non potest rarefieri, & inde ignem gigni, tenentque propterea, elementum ignis non sphæricam, sed ouatam figuram habere.

Cur elementum ignis ouatam habeat figurã.

Amplius ex positione Aristotelis superius allata, quod à corporeæ substantiæ raritate, & densitate fiat calidum, & frigidum, durum, & molle, vlterius subiectum communissimum omnium passionum diuidemus, quod scilicet alia sit substantia corporea similaris, alia vero dissimilaris. Hinc philosophus semper sibi consentiens in prædicamentis dixit, proprium omnium qualitatum esse, quod subiecta earum dicantur similia, vel dissimilia: voluit philosophus subiectum potentiarum naturalium non solum esse similare, verum etiam dissimilare, quod quoque aliis altioribus Aristotelis, & Galeni initiis comprobatur; Aristotelis, quia est famosa peripateticorum sententia, quod aliquæ potentiæ oriantur à tertia specie qualitatis, scilicet à passione, & passibili qualitate, aliquæ verò à quarta, scilicet à figura: à tertia, quia omnes potentiæ similarium corporum pendere videntur à vario concentu, & symetria calidi, frigidi, humidi, & sicci, & à cæteris consequẽtibus passionibus, quæ in tertia specie qualitatis collocantur; licet iis omnibus antecellant raritates, & densitates, quæ si Aristoteli credendum est, sunt principia omnium passionum; nam prout similares partes vario modo figurantur ob mutationem situs, & meatus partium, variæ consurgunt potentiæ refrigerandi, vel calefaciendi. A quarta, quia omnes potẽtiæ, vel impotentiæ dissimilarium à figura vario modo disposita pendent: partium situs, meatus, numerus, & magnitudo ad figuram pertinent, & sub figura continentur omnes. Ex Galeno, quia sicuti pars similaris ob temperaturam qualitatum primarum cõseruat potentias, & ob intemperaturam eam amittit, sic pars dissimilaris conseruat potentias ob rectam compositionem, quæ compositio dicitur de situ, numero, magnitudine, & meatu. Temperatura ergo, & figura erunt proximę origines passionum, & potentiarum omnium: magis remotæ causæ erunt raritates, & densitates.

Vnde sit quod subiectum omnium potentiarum sit similare, vel dissimilare.

Verum, quia temperatura, figura, raritates, & densitates sunt accidentia, & accidens ex Aristotele 4. meth. tex. 14. non est accidentis accidens, sed eius cui primo inhæret. Iccirco vlterius est dirigenda animi acies, vt perquiramus communissimum subiectum, cui raritates, & densitates conueniunt; ab accidente enim ad accidens, vel ab effectu ad effectum nullus datur progressus scientificus, & demonstratiuus;

Vnde rarum & densum prodeat.

quinimmo alia de causa ab Alex. Aphro. mathematica non vocatur philosophia, nisi quia demonstrat prædicata accidentalia de subiectis accidentalibus: neque alia de causa in scholis reprehenditur Temistius, dum proposuit dari quandam demonstrationis speciem ab effectu ad effectum, nisi quia ab accidente ad accidens nullus vnquam dabitur processus demonstratiuus: ex primis enim subiectis omnis cognitio exacta debet procedere, & non ex mediatis, & accidentalibus passionibus. Itaque quamuis dicat Aristoteles, rarum & densum, esse principia omnium passionum, attamen cum raritas, & densitas inexistant aliis; earum primum subiectum, quod in aliud resolui nequit, perquiri potest.

Rarum, & densum quid sit.

Aristoteles in propriis locis scilicet in cathegoria qualitatis omnia profundius considerans dicit, rarum, & densum pertinere ad situm, definit enim rarum, & densum per ea quæ prędicamento situs conueniunt: hoc modo: rarum est cuius partes ab inuicem distant: densum, cuius partes sunt propinquæ: ecce igitur, quod situs partium faciet raritatem, & densitatem, passiones, & omnes potentias, quæ sequuntur: situsque erit genus generalissimum, quod in aliud resolui nequit. Verum, quia situs est quid ab alio dependens, & accidentale, vnde prodeat est videndum: Aristoteles 8. phy. considerans vniformitatem, & difformitatem rerum, referre videtur primo vniformitatem, & conuenientiam omnium rerum natura constantium in causam vniformem, id est, in vnum & simplicissimum motorem, qui est actus purissimus; deinde difformitatem, & varietatem eorum, quæ sub cœlo, & in cœlo continentur refert nō ad motorem: sed ad primum corpus, quod octo differētiis positionis scilicet intus, forinsecus, ante, retro, dextrorsum, & sinistrorsum, sursum, & deorsum tot ac tanta rerum discrimina facit: substantia igitur quatenus corporea, octo iis differentiis positionis faciet tam varium situm: à situ orietur raritas, & densitas; à raritate, & densitate calidum, & frigidum, durum, molle: ab iis tertia species qualitatis, quæ est passio, & passibilis qualitas, & quarta, quæ est figura: à tertia & quarta specie oriuntur potentiæ, vt à primo ad postremum corpus, vel trina dimensio, quæ est ipsamet materia, quæque causare potest omnes differentias positionis est prima omnium accidentium radix. Neque obiiciat trinam dimensionem esse accidens; quia cum Philopono sustinebimus corpus, vel trinam dimensionem esse ipsammet materiam primam, quæ statim dum terminatur à forma differentias positionis efficit, vnde situs, vnde raritates, & densitates fiunt, vnde calidum, frigidum, humidum, & siccum, vnde durū, & molle, passiones, passibiles qualitates, figuræ, & demum potentiæ, quæ ab accidentium serie, perinde ac ab vna catena omnes tam manifestæ quam occultæ oriantur: manifestæ fiunt ex paucis alterationibus præcedentibus: occultæ ab innumerabilibus prægressis, quas solus Esculapius posset explicare: alij inueniant in negotio hoc difficili principia faciliora; sed, quæ animum componant, quia non solum opinionem mutabimus, verum etiam eos laudibus ad sydera extollemus.

Vnde oriatur omnium accidentium catena.
Obiectio.
Sol.

Respon-

Responsio ad duas difficultates, quae ex dictis exurgunt.

CAPVT VIII.

EX iis, quæ dicta sunt in præcedenti capite, duæ exurgunt dubitationes, quæ videntur Aristoteli, & probis auctoribus comprimis reluctari: quarum prima est, quia ex Aristotele diximus, à raritate, & densitate passiones, vt calidum, & frigidum, humidum, & siccum, & cæteras, quæ sequuntur, prodire, nihilominus in libris de generatione ab Aristotele statutum est, primas qualitates esse calidum, frigidum, humidum, & siccum, & ab iis rarum & densum, & cæteras suum trahere exordium, quæ videtur contradictio manifestissima. Secunda dubitatio est, quia dum diximus, situs varios, variasque partium positiones, & inde raritatem, & densitatem esse originem passionum, & potentiarum, cogimur Aristoteli, & Galeno aduersari, & incidere in sententiã Democrati, vel Thesali, qui ad laxum, & densum, tamquam ad affectuum principia confugiebant; quam sententiam Galenus, & Aristoteles totis viribus conati sunt euertere.

Prima dubitatio.

Secunda dubitatio.

Quo ad primam difficultatem attinet, respondemus nullum esse inconueniens, secundum varium considerãdi modum rarum, & densum esse principia calidi, & frigidi, & calidum, & frigidum versa vice causare raritatem, & densitatem: hanc loquendi varietatem in Aristotele de elementis loquente non vno loco obseruare possumus; etenim in libris de cœlo videtur vocare grauitatem, & leuitatem formas elementorum; secundo vero de par. animal. cap. 1. vocat grauitatem, & leuitatem elementorum qualitates: hæc omnia secundum varium intelligendi modum vera esse possunt: in libris de cœlo, vbi considerat elementa, quatenus sunt principia recti motus, grauitatem & leuitatem vocat elementorum formas, quia non alia ratione elementa localiter mouentur, nisi vt grauia, & leuia. In libro de par. animalium considerat grauitatem, & leuitatem, vt insequuntur elementorum formas, & vt sunt accidentia, & qualitates. Simili modo ab Alex. Aphro. caliditates, frigiditates, siccitates, & humiditates vocantur elementorũ formæ, quia elementa ibi considerat, quatenus transmutantur inuicem, agunt, & patiuntur, & sunt principia generationis, & corruptionis; elementa enim solum ob quatuor qualitates miscentur, & sunt principia generationis, vt secundum hanc rationem, vel considerandi modum quatuor qualitates sint formæ elementorum: alia debet esse forma ignis, vt est entis gradus, alia, vt elementum est, alia vt recto motu mouetur. Similiter alia est forma hominis, vt homo est, alia, vt pater, vt quantus, vt philosophus, vel medicus, & sic de aliis: Aristoteles 3. meth. tex. 17. vbi de qualibet re loquitur absolutè, & sine relatione; dum de quatuor qualitatibus verba facit, dicit, caliditatem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem nõ esse elementorum substantias, sed

Solutio prima.

Vt quatuor primæ qualitates, & grauitas, & leuitas dici possint elementorum formæ.

accidentia. Ad eundem modum nos dicimus, rarum, & densum causare passiones omnes, calidum scilicet frigidum, & cæteras; & vice versa, quod rarum fiat à caliditate, & densum à frigiditate: quod rarum possit esse causa caloris hac experientia cognoscitur; destruatur rarum & calidum, supponaturque deinde fieri motum aliquem velocissimũ; tunc à quo ex Aristotelis sentẽtia pendet calor & raritas? cui dubium, quod materia ob motum prius fiet rara quam calida? prius enim rarefit materia, & deinde exurgit caliditas; accidit quoque, vt à genita caliditate rarefiat materia, & à frigiditate condensetur, & sic à calido rarum quoque fiat; varia igitur consideratione modo raritas, modo caliditas erit prior; quod caliditas sit quoque prior, exemplũ est lotium turbidum, quod ab igne rarefaciente crassas partes, & mutante particularum minimarum situm reddi potest splendidum, & perspicuum: sed reuera, si considerauerimus prima initia caliditatis, semper raritas prius enasci videbitur, quàm caliditas; quia prius à motu rarefit materia, deinde incalescit; inter cætera exempla, quæ possent proponi, vnicum debet afferri ab Aristotele desumptum, quod est de motu diurno rapidissimo, qui alio modo non generat, & conseruat elementũ ignis, nisi prius rarefaciendo materiam contentam sub orbe Lunæ, qua rarefacta, deinde ignescit: vbi vero motus diurnus est tardus, sicuti est sub polis, non rarefit materia, & per consequens non incalescit: vnde plurimi celeberrimi Peripatetici, inter quos est Iacobus Zabarella, & Scaliger de elemento ignis loquentes dixerunt, sub polis elemẽtum ignis non dari: motus diurnus est adeo tardus, vt non possit rarefacere, & efficere igneam naturam: colligere ergo possumus, rarum, & densum causare omnes passiones, & qualitates, quæ vocantur primæ, & à primis quoque rarum, & densum oriri posse.

Vt nescitur rarum esse prius calido.

Solutio secũda dubitationis.

Quo ad secundam dubitationem, negamus, sententiam propositam fauere Democrito, quia nos cum Aristotele admittimus, sub quãtitate rara, & densa, & sub aliis situs differentiis formas delitescere, quæ sunt substantiæ, quæque à materia emergunt dispositionum opificio; dicimusque disponi materiam ab octo differẽtiis positionis, vnde raritates, & densitates variæ, vnde caliditates, & frigiditates, asperitates, & lenitates innumerabiles fiunt, vnde meatus varij; & pro infinita horum omnium varietate variæ, & infinitæ formæ enascuntur, quas Democritus non admittebat. Similiter de Thesalo dicimus, quia ille solum ad duo communia, ad rarum scilicet & densum confugiebat, non admittens ab iis specificas & particulares temperaturas, vel intemperaturas dari, quæ sint in facto esse, & quæ diuersimodè indicent. Nos verò cum Aristotele ad passiones, & ad figuram: cum Galeno ad intemperiem, malam compositionem, & solutam vnitatẽ morbos omnes referimus: Thesalus à Galeno in certamine victus atque explosus fuit, vt doctrinæ inutilis inuentor: quoniam in vniuersalibus solum versabatur, à quibus neque res pendent, neque remedia quisq; haurire pro mala debellanda valetudine potest.

Octo situs differentias esse dispositionis materia, vnde forma fiunt.

Quemo-

Quomodo Galeni fundamenta faueant sententiæ nostræ.

CAP. IX.

QVOD operatrices potentiæ tam occultæ, quam manifestæ oriantur à varia corporeæ substantiæ figura, & à situs differentiis à Galeno sine controuersia colligitur, qui omnes potentias, & impotentias tamquam ad primas causas reduxit ad figuram, situm, numerum, magnitudinem, & temperaturas: hominem rectè sanum vocat, dum in iis optimè constitutus est: illum vocabit cursorem optimum, qui probè se habebit in partium corporis figura, numero, situ, & magnitudine: qui pedem altero longiorem sortitur, quamuis in cæteris conditionibus vnicè se gerat, eum non vocabit cursorem, neque dicet, illum habere currendi potentiam: ratio est, quia ex Galeno potentiæ dissimilarium consistunt in bona, & proportionata figura, magnitudine, numero, & positione: impotentiæ in mala, & improportionata: vocantur ab illo qualitates, vel potentiæ manifestæ, quando aliquæ, & paucæ, eæq; cognoscibiles in earum productionem conspirant: occultæ, dum innumerabiles: si alicuius pes intorqueatur, & vacillet, oritur impotentia, quæ dicitur manifesta; etenim externus situs omnibus conspicuus vitiatur. Si verò figuræ internæ, numeri, & positiones multarum particularum ita variantur, vt causæ ignorentur, dicitur tunc occulta, quæ tamen ex Galeni sententia non prodit à substantia; sed à qualitatibus totius substantiæ.

Ad eundem modum potentiæ similarium corporum possunt fieri occultæ, tum quia ab harmonia quatuor qualitatum possunt enasci gradus adeo particulares, vt nobis sint incognoscibiles; tum quia similarium potentia ex infinitis alterationibus elementorum, & non ex paucis fit: tota hæc doctrina est Galeni lib. de const. ar med. cap. 8. & 4. sim. cap. 15. dum dicit, occultas fieri ex infinitis alterationibus; magis enim & minus rarum, vel densumm; agis & minus calidum, vel humidum; graue, aut leue innumerabiles, & incognoscibiles virtutes efficere possunt; omnes tamen quotquot sunt potentiæ reducuntur à Galeno ad hæc capita, ad temperaturas similarium, ad magnitudinem, numerum, situm, & figurã dissimilarium. Logici vero, qui res abiunctas à determinatis subiectis considerant, alio modo diuidunt; dicunt enim potentias alias pendere à tertia specie qualitatis, à passionibus nimirum, & alias à quarta, scilicet à figura: neque dixerunt, alias qualitates à figura, alias à situ, numero, & magnitudine; sed à figura tantum; quoniam omnia quatuor genera potentiarum dissimilarium ad vnicam figuram à logicis reduci possunt: magnitudo namque est figura, numerus partium est figura, situs, vt est luxatio, & alia id genus ad figuram vitiatam, tamquam ad commune genus subalternum reducuntur, dicimus subalternum, quia figura, & passiones omnes sicuti

Cur logici dicunt potētias solum à tertia, & quarta specie qualitatis oriri.

caliditas, & frigiditas, grauitas, & leuitas, & quæ sequuntur (si altioribus principiis, & Aristoteli 8. phy. text. 55. est credendum) pendent à raritate, & densitate; raritas, & densitas à situ, situs denique, tamquam à subiecto omnium communissimo, à trina dimensione, quæ est figurarum omnium origo; vnde omnes occultæ, & manifestæ qualitates dependent: occultæ à Galeno vocantur totius substantiæ, quia ille gradus vltimus non pendet ab vnica qualitate illius, sed ab omnibus, videlicet à tali situ, raritate, densitate partium, à tali numero, figura, & magnitudine, vel à tali calore, frigiditate, siccitate, & humiditate, vt nulla determinata qualitas illius substantiæ sit, quæ non conspiret in huius occultæ potentiæ productionem: redditur quoque occulta, & abdita, quia quælibet qualitas, sit caliditas, frigiditas, raritas, & densitas potest esse actionis causa sexcentis modis, scilicet calida, vel rara, vt quatuor, vt octo, vt cētum, & vt mille; quilibet enim gradus harum qualitatum potest nouam potentiam incognoscibilem, si alijs totius illius substantiæ qualitatibus misceatur, efficere. Hinc merito à Medicis est decisum, quod si à Theriaca oppij, vel trociscorum viperinorum; vel aliorum componentium minima portio dematur, eius potentia eadem seruari non possit; & quæ dicitur de antidoto de omnibus mistis ratio valebit.

Caliditas, vel alia qualitas sexcentis modis variat actionē

Experimentis confirmatur, quod dari possint potentiæ, seu virtutes operatrices, quæ non oriantur à quatuor illis vocatis primis qualitatibus.

Cap. X.

HACTENVS videtur esse probatum ratione, auctoritate, & experimentis, quod qualitates occultæ non sint substantiæ operantes, sed accidentia pertinentia ad cathegoriam qualitatis. Nunc sequitur, vt pluribus experimentis ostendamus, quod non omnes qualitates reconditæ habeant originem à calido, frigido, humido, & sicco, sed ab aliis innumerabilibus: quas omnes tamen ad differentias superius relatas reducere possumus. Primum experimentum, quod est omnibus notissimum, est de magnete, etenim si magnes attraheret ferrum virtute illarum quatuor qualitatum, id potius fieret ratione caloris, quā aliarum, quare sequeretur, quod aromata, & alia calidiora citius ferrum attraherent, quod reluctatur experientiæ. Præterea afferantur duo experimenta, ex quibus cognoscemus statim fieri nouas qualitates ex sola iuxta positione sine interuentu quatuor qualitatum: alterum hoc est: accipias vitrum rubrum, illudque iuxta ponas cæruleo vitro, protinus videbis ex vtrisque vnitis enasci colorem violaceum: alterū experimentum est, vnias vitrum cæruleum luteo, statim consurget viridis color: quis esset adeo stupidus, vt crederet has qualitates de repēte factas fieri opificio calidi, frigidi, humidi, & sicci? patet ergo fieri posse

Primum experimentum ostendens à quatuor qualitatibus non omnes occultas fieri.

posse plures nouas qualitates sine alteratione illarum quatuor, quoniam primæ non possunt facere sequentes, nisi alterando, & alteratio non fit ictu oculi, sed aliquo temporis cursu. Præterea afferantur alia, si doronici virtute caloris, vel frigoris canes è viuis eximerent, hominibus non afferrent suppetias: si saliua suo calore scorpiones occideret, ocyus meracum, quod calidius est, illos opprimeret: si putredo insignis suo calore vinceret homines, quomodo aleret lumbricos. Si oppij drachma ob frigus occidit, cur glaciei vncia, quæ est frigidior, statim non exterminat natiuum robur? Præterea ex mistura variarum rerum persæpè sine alteratione quatuor qualitatum illico, & eodē momento temporis nouæ oriuntur qualitates, quæ indicabunt quoque ab aliis, & nullo modo à primis pendere: afferantur experimenta, accipiatur aqua, in qua ebullierint gallæ, hanc claram, & perspicuam videbis; accipiatur alia in qua ebullierit calcanthum, quæ clara quoque erit, vnam in alteram infundes, illico sine vlla quatuor qualitatum alteratione maxima cum admiratione videbis, vtramque nigerrimum atramenti colorem recipere: nemo viso hoc experimento audebit dicere ab alteratione quatuor qualitatum colorem prodire, cum aqua fiat nigerrima ferè in instanti: illud quod tale fit à calido, vel frigido non ictu oculi, sed temporis spacio succedit: addatur aliud experimētum, inuenias aquam rosaceam plumbeo alembico stillatam perspicuam & clarissimam, & huic commisceas aquam communem purissimam, videbis confestim in iis perspicuis aquis simul commistis enasci lacteum colorem, cuius experimenti vsu cognoscitur quoque an rosacea aqua sit plumbeo alembico stillata, lacteus enim color à cerusa, quæ à plumbo producitur, ob misturam aquæ communis manifestatur nulla facta alteratione in quatuor qualitatibus: aliud est, dum similiter lacteus suboritur color ex mistura aceti, & tartari stillati: Vndecimum experimentum eundem lacteum colorem enasci videmus, dum miscetur aqua anisorum stillata, quæ perspicua est, aquæ fontis purissimæ: quis visis iis experimētis auderet dicere, has qualitates nouas fieri à calido, vel frigido? quod ex paucis his experimentis colligimus, ex sexcentis aliis colligemus. Verum ne prætermittam quandam qualitatem felis, quæ nullo modo ad illas quatuor primas reduci possit, audias quid de fele vidimus in Vngaria: erat Nobilis vir Italus, qui dum erat prope felem, licet eum non videret, statim in animi deliquium incidebat, & nisi aliquis ei præsto fuisset felem fugando suffocatus fuisset: nemo vnquam potuit causam huius antipathiæ referre in quatuor qualitates; sed potius, si vnicam nominare velimus, in densitatem, & angustiam; ille enim qui fele præsente suffocari incipiebat, erat angusti pectoris, astmatique erat propensus: in fele vero tria sunt deleteria quæ obnoxios dispneæ cum primis lædunt, cerebrum, expiratio, & pilli; non erit itaque mirum, si ex iis noua qualitas densans gignatur, & per halitum felis alicui communicari possit. Idem crassus halitus est in virosis boletis, & oppio; quare propius ad veritatis apicem accedemus, si dixerimus cum Galeno lib. de const. ar. med. cap. 8.

Quartum. *Quintum.* *Sextum.* *Septimum.* *Octauum.* *Nonum.* *Decimum.* *Vndecimum.* *Duodecimum.* *Vt quidam potentia felis in lipothimam incidebat.*

quod qualitates occultæ fiant ex infinita varietate, & alteratione aliarum, hac tamen serie, vt initia omnium passionum, vt dicit Aristoteles 8. phy. text. 55. sint raritas, & densitas; magis vel minus rarum, ostendimus superius, magis & minus disponere materiam ad generationem ignis, & rarum esse posse prius calido: vitrum rubrum iuxta positum cæruleo colorem facere violaceum densando: eademque ratione luteum vitrum vnitum cæruleo efficere viridem: oppium, & bolleti virosi homines ad necem perducunt non frigoris impetu, sed densando, immobilesque reddendo vitales spiritus: partes enim vita donatæ, cũ egeant perenni motione, vt natiua caliditas seruetur, densatæ ab iis, & motu destitutæ pereant, oportet. Demum halitus felis in aliqua spiritalium vasorum angustia tantum poterat densare, vt vir ille in suffocationem caderet: plurimæ ergo qualitates nouæ fieri possunt, eæque quo ad determinatos gradus sæpissimè incognoscibiles. Quis posset diuinare specificam & propriam differentiam positionum internarum partium, vnde atramentum enascitur ob mistionem aquæ gallarum, & calcanthi seorsum clarissimæ, & splendidissimæ? possumus tamen hanc, & quamuis aliam occultam causam referre ad genera, de quibus superius egimus.

Ostenditur horologij exẽplo quatuor qualitates nõ esse omnium primas.

Demum afferri potest exemplum omnium euidentissimum, estque potentia motrix horologij: nemo sanæ mentis dicet horologij potentiam à temperatura prodire, sed à numero, situ, & figura rotarum, orbiculorum, & spiræ chalibeæ; impotentiam vero ab iis vitiatis; quare, si in artefactis dentur potentiæ motrices non pendentes à temperatura, cur plurimi sunt adeo audaces, vt ignorantiæ crimen illis inurant, qui à situ, & à cæteris differentiis positionũ sine vlla alteratione quatuor qualitatum putant plurimas virtutes prodire posse? eademque de causa nimis audax fuit Fernelius, dum omnes motrices potentias animatorum retulit in substantiam: habet enim hæc verba lib. de abditis rerum causis: Stupidi hominis est credere animalis motum fieri à quatuor qualitatibus, cum re vera omnis potentia mouendi debeat referri ad substantiam. Quo pacto vir lepidissime ad substantiam vis referre, si humanus artifex varias dat virtutes motrices metallo mutando figuram, situm, & numerum rotarum: quanto facilius alma parens natura, quæ rotas, & (vt ita dicam) spiras viuentes diuiniori artificio efficere potest, potẽtias motrices in iis collocabit? obiicias tibi ante oculos innumerabilia instrumenta, quibus perexigui alicuius animalis pes componitur, sit culicis, vel formicæ, cognosces in perexiguo, & ferè inuisibili pede esse necessarium, vt vasa, quæ ferunt nutritioné, quæ vitam, quæ motum, & sensum sint varia, & omnino diuersa, quia diuersum habent vsum, & cum perexigua particula moueatur secundũ omnes differentias positionum, scilicet ante, retro, sursum, deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum pro vsuum diuersitate totidem requiri debeant instrumenta ad omnes motiones obeundas; ab illo enim instrumento, à quo mouetur culicis pes ante, non mouebitur retro; quare, si natura tot instrumenta tam promptè parat in omnibus rebus, iisque mini-

Vt reijcitur Ferne. dicens motum animalis à substantia prodire.

minimis; cur ad simplissimam substantiam audent omnes mottrices potentias referre? Quid prohibet, quin nos quoque hac horologij similitudine dicamus, potentiam mouendi non esse substantiam simplicissimam? sed potentiam ortam à numero, situ, & figura corporeæ substantiæ; & in iis esse primum mobile, quod cætera moueat ad spiræ chalibeæ similitudinem. Aristoteles per analogiam artefactorum inuenit primam materiam; cur nos eius imitatione in tanta consilij angustia non poterimus per eandem analogiam de potentiis abditis philosophari?

Vt hallucinatur Cardanus loquens de mirabili lapillo Papæ Clementis Septimi.

Audias quomodo Hieronymus Cardanus, qui occulta, & recondita in substãtiam operantem referebat, semel hallucinatur: refert primo libro commentariorum quadripartiti, se lapillum vidisse, qui ob eius excellentiam aderat in potestate Pontificis Clementis Septimi, in cuius superficie erat neuus, vel macula, quæ in orbem tractu 24. horarum ad instar solis mouebatur; videns Cardanus hanc diuinam lapilli proprietatem referri non posse ad primas, vel secundas vocatas qualitates, eam statim in cathalogo reconditarum à substantia prodeuntium recensuit: vel maximè fuit deceptus, quia maculæ cicularis motus (sicuti deinde auditum fuit) à situ, numero, & figuris internis prodierat; quoniam erat lapillus in orbem dispositus, & tali artificio accommodatus, vt pars maculata mobilis videretur continua, lapillusque poterat aperiri, & in eius cauitate erat spira chalibæa, cuius virtute macula siue neuus 24. horarum cursu moueretur: vt primum causa huius virtutis lapilli reddita est omnibus nota, nemo inde substinebat illam motricem virtutem à substantia simplicissima, & occulta prodire. Cardanus itaque & Fernelius in hoc præcipuè sunt decepti, quia dum videbant, motrices potentias non posse referri ad quatuor vocatas primas, putabant ad aliud non posse referri quam ad substantiam: quamuis (vt ostendimus) commodè ad numerum, situm, figuram, & magnitudinem partium possint quoque reduci.

Experimentis ostenditur, quod qui putant, qualitates occultas esse substantias operantes, faciles sint ad credendum vanissima.

CAP. XI.

QVI putant occultas potentias esse substantias operantes, sunt quoque faciles ad credendum infinitas alias vanitates; substantia enim cum non subiaceat sensibus nostris, sitque incognoscibilis; posito ab illis, quod operetur, malunt eam vocare opificem occultarum qualitatum, quam fateri, se abditarum rerum principia nescire; Albertus Magnus, Plinius, & plerique plures, qui de naturalibus virtutibus loquuntur, quique credere videntur potentias operatrices esse substantias, veris propterea sexcentas opiniones falsas immiscent.

Quod ita res se habeat, præstat aliquas istorum opiniones apertè fallas referre, quia exemplorum luce fabulosam opinionem libentius reiiciemus: referunt piscem echenidem qualitate substantifica posse impedire nauigij cursum; quod principiis philosophiæ, & experientiæ reluctatur; faciles sunt, vt in has ineptias incidant, quia cum substantiam nunquam viderint, vel alio modo cognouerint, posito ab ipsis, quod operetur, non solum ei videbitur à ratione alienum, quod pisciculi substantia posset nauigij cursum sistere, verum etiam planetas, & primum mobile: quis est ille, qui poterit virtutem incognoscibilem coarctare, & limitare? qui verò sustinebit, potentias operatrices esse qualitates accidentales, quamuis retusum haberet ingenium, nullo modo credere poterit, quod echenides pisciculus habeat illam potẽtiam. Etenim, si viderit, quod neque calefaciendo, vel rarefaciendo, vel densando, vel aliis enarratis potentiis id efficere possit; statim hac sensata philosophia lubens explodet hanc de echenide fabellam; res hoc modo ab aliis recipitur, vbi pisciculus degere solet, aqua in orbem obuoluitur, dum vero nauis hanc aquæ vertiginem pertransit (licet secundis ventis teneat cursum) quiescere cogitur, & tunc ob aquam scaturientem ab imo pisciculus quoque supernè fertur; qui vident Echenidem, si de illis sunt qui in substantiam referunt effectus naturales, qualibet philosophia seposita putant pisciculum substantifica sua virtute sistere nauim; ecce, quomòdo potentiarum innouatores sint sæpè in philosophando desides, & ociosi: quomodo omnia omnibus credant: quomodo in monstruosas incidant sententias; & quomodo historias falsas, & mendaces non possint non admittere.

Cur nauigij cursus ab echenide impediatur.

Sed aliqua de lapidibus afferantur, quæ omnino falsa, & impossibilia sunt: Albertus, & alij plurimi tenent Lapidem Aquilæ proprietate occulta conciliare amorem, augere diuitias, & partum (dum fertur) facilitare. Dicunt præterea Lapidem Calcedonium collo appensum tollere illusiones phantasticas à melancholia ortas. Lapidem verò Celidonium, qui in ventre hirundinis inuenitur, sub sinistra asella gestatum sanare epilepsiam. Albertus habet Lapidem Crisolatum stultitiam pellere, & sapientiam augere: quid stolidius, & ineptius de iis, quæ quotidiè experiuntur, dici potest? quis inanitates has non reiiceret? O nos felices! si lapis, qui pelleret stultitiam, & sapientiam augeret, inueniretur. Qui verò arbitrantur operandi potentias à qualitatibus accidentalibus prodire, nunquam defenderẽt illas fabellas; quia conantur fateri, potentias operatrices non operari sine contactu, & sine resistentia passi, horum quisque illico negabit, Lapidem Aquilæ facilitare partum, nisi ipsum deglutiat, nisi virtutem habeat aperiendi, rarefaciendi, vel calefaciendi. Neque admitteret Celidonium Lapidem sub asella gestatum epilepsiam anteuertere; quoniam si epilepsia fit in meatibus cerebri, nisi eius virtus intimum cerebri petat, & aperiat obstructas vias, nihil opis adferet. Neque admitteret erratum illud vulgatissimum, quod scilicet per Lapidem Iaspidem collo appensum hæmorrhagia tollatur; quia ante oculos sibi statim obiiceret, fluxionis

Multa fabulosa de lapidibus reijciũtur.

xionis

xionis causas à Galeno traditas esse vel copiam, vel malam qualitatem irritantem, vel vasorum imbecillitates, diceretque primo lapidem nō tangentem vasa, vel sanguinem non posse eius copiam coërcere, vel irritantes qualitates demulcere, vel robur vllum adiungere venis; quia omnis actio fit per cōtactum, & si agens vicerit, id eueniet, quia habebit maiores vires, & non alio modo. Neque demum admitteret Iaspidem cohibere posse omnes fluxiones sanguineas; hæmorrhagia orta ab imbecillitate vasorum indicat remedium astringens, à copia indicat aperiens: quo pacto Iaspis contraria efficiet?

Amplius, quis admitteret lapidem Iudaïcum in brachio gestatum expellere renalem calculum? admitti fortasse potest huius lapidis vsus, quem Dioscorides approbat, quod videlicet puluerizatus subtilissimè haustusque è renibus calculos pellat, sed gestatus nequaquam: eodem modo non esset fortasse neganda lapidis lazuli virtus à Mesue relata, quod videlicet puluerizatus faciat, vt pilli, quando corroduntur ab acutis humoribus, in palpebris enascantur; quoniam puluis inspersus deterget, & malam qualitatem palpebrarum auferre posset, vnde possent pilli sine difficultate enasci. *Lapidem Iudaicum brachio appensum non prodesse nephriticis.*

Præterea dicunt, cristallum in subtilissimum pollinem redactum melle commistum posse replere vbera lacte: hoc videtur à principiis medicinæ, & philosophiæ alienum: nisi fortasse mel ex se id præstaret, quippe in sanguinem potest conuerti; ea enim, quæ toto genere differunt inter se, inuicem non agunt, & patiuntur: nihil potest conuerti in lac, quod in sanguinem prius non conuertatur.

Dioscorides refert plurimas herbarum proprietates occultas, sed fabulosas haustas è circulis vulgarium hominum, quæ experientiæ, & principiis philosophiæ reluctantur: lib. 1. cap. de rhamo dicit, fama est, ramos huius valuis fenestrisve impositos veneficia depellere: nec tamen credere videtur Dioscorides, quod rami huius herbæ fenestris, vel foribus admoti depellant veneficia, cum apertè dicat, esse famam, quasi diceret, non esse opinionem sapientum, sed communem, id est, mulierum, vel rudiorum hominum, qui faciles sunt, vt omnia omnibus credant: eodem libro cap. de vitice habet hæc: virgam viticis, qui manu teneat, dum iter facit, negatur, intertriginem sentiri, quis fidem his nugis adhiberet, quod in itinere æquitando diuturno cursu herba manugestata non permitteret coxæ per confricationem lædi, & aliquando excoriari? qua ratione, quo contactu herba manugestata coxas tuebitur? *Aliqua fabulosa relata à Dioscoride notantur.* *De Rhamo.* *De vitice.*

Amplius libr. 2. cap. 68. refert araneum vtrisque temporibus, aut fronti alligatum curare tertianam febrim: non desunt κενταλίδες, & excordes homines, qui iis tricis credunt, illisque pro curandis febribus vtuntur: vtinam tertianæ febres, quæ aliquando phlebotomia, & medicinis non possunt curari, aranei applicatione curarentur; atque vtinam saltem alter araneus, qui candidam, tenuem, densamque telam orditur, alligatus in Loculo (vt dicit Dioscorides) lacertoque apensus quartanam tolleret: capite 69. eiusdem libri refert, quod lacertæ *De araneis.* *De capite lacerta.*

caput intritum aculeos,& omnia corpori infixa extrahit, & varos, & formicantes verucas,& pensiles,quas crochordonas vocant,tollit:vix igne tolli possunt verucæ ob altas earum radices, & tanto minus lacertæ caput id præstare poterit. Quorsum ergo Dioscorides hæc insulsissima occulta aliis innumerabilibus miris virtutibus prædictis immiscuerit, fateor me latere, nisi dicamus, hæc attulisse, quia forsitan erant Arij ingenio accommodata, vel, & melius, vt Ario illorum medicorum simplicitatem significaret.

De vermiculis dipsaci. Lib.3. de dipsaco loquens, dicit vermiculos, qui in dipsaco inueniuntur (hæc planta dicitur quoque labrum veneris:estque illa,in qua ros, vel imber asseruatur) si in folliculo alligentur, & collo aut brachio appendantur, habere proprietatem pellendi quartanam. *De spina alba.* Pari modo capite de spina alba dicit, quod eius semen gestatum serpentes abigat:capite vero 104.eiusdem libri de alyso,quod hæc herba foribus appensa sit salutaris,& hominibus, atque animalibus fascini amuletū, & quod purpureo linteo circumligata sua proprietate pecudum morbos abigat:quæ adeo vana sunt, vt vix credam inueniri mulieres simplices,& φαρμακεύτειας, quæ hactenus has ineptias non animaduerterint. *De atractilide.* De atractilide loquens refert,quod icti à scorpionibus,quamdiu herba hæc manu teneant, nullum experiantur dolorem; herba tamen deposita dolorem recrudescere:quæ omnino falsa sunt,quia experiētiæ non respondent;nisi illis prosit,qui ita firmiter credunt, vt fides aliò animum auertat, & dolor inde sedetur, hocque est anodynum auertens animum; hocque modo circulatores dentium dolores animū auertendo verbis,præstigiis,seu delusionibus mitigant, & aliquando accidit,vt ex toto cessent dolores;quod,si propterea fieret, non solum atractilis,sed omnis herba dolorem ictus scorpionis sedaret. *De conyza.* Insuper de proprietate conyzæ paruæ capite 136. huius libri dicit, quod huius herbæ substractu abigi possint culices,& pulices necari: væ nobis,si æstate, quando hæc animalia vellicant, & sua multitudine nos perturbant,aliud non esset nobis remedio; hactenus culices, & pulices nos totos comedissent,adhæc porro capite 145.refert, quod si manu teneatur radix satyrij erithronij venerem excitet: dum manu tenui satyrium,noui hac virtute omnino carere:ego sanè huius radicis satyrij proprietatem nescirem defendere, nisi sub nomine huius radicis intelligeremus mentam,quippe radicis imaginem imitari videtur. *De satyrio erithronio.*

In 4.libro plures refert occultas proprietates omnino falsas; verum paucas proponemus, vt lectores videant à celeberrimis quoque Auctoribus sæpè ineptias referri, & vera falsis commisceri:de pentaphylo dicit,quod dum incenditur,ad expiationem peccatorum,& ad castimonias iuuet:adhæc capite de phœnice dicit, quod hæc herba adligata in puniceo vello sanguinem supprimat: & capite de herba sacra, quam sideritim vocant,dicit quod,si eius decoctione spargatur triclinium,lætiores conuictus fieri si addidisset, lætiores fieri conuiuas triclinio maluatico vino referto,sine controuersia omnes relationi Dioscoridis adhærescerent,capite 79.eiusdem libri dicit, quod radix mandra-

De pentaphylo *De phœnice.* *De herba sacra.*

dragoræ decocta emollire possit dentem Elephantis ad accipiendam quamcunque formam: hæc sunt verba, radix mandragoræ ebur emollire fertur, quæ senis horis cum eo decocta sit, & ad accipiẽdam quam effingere optaueris formam, ipsum facilè præstat: quod est ridiculum, quia nec senis horis, nec senis annis ebur emolliret: nisi itaque Dioscorides ex aliorum sententia hæc proponeret, inter veteres scriptores illo ineptior, & stolidior non inueniretur; ipse in epistola ad Arium fatetur, se militem egisse, eaque collegisse, quæ illis temporibus erant in opinionẽ hominum: ideo non est reprehensione dignus. Nos hac de causa has ineptias retulimus, vt Lector sibi ante oculos obiiciat, & videat, quomodo, qui facilè credunt occultis, in vanissima sæpe incidãt. Insuper capite 121. dicit, quod aster Atticus, seu inguinalis herba dolorem inguinum leuet, si aridus eius flos sinistra manu dolentis decerpatur, & inguinibus adligetur, quo nihil dici potest magis à philosohia alienum, decerpatur enim dextra, vel sinistra manu virtus floris semper eadem seruabitur. Capite vero 131. de phyteumate, & in sequenti capite de leontopodio dicit, quod hæ duæ herbæ conueniant ad amatoria: postremo de mercuriali herba omnibus nota dicit, si fœminæ à purgatione lunari trita folia mercurialis masculi genitalibus admoueantur, mares inde gigni, & fœminas, si mercurialis fuerit fœmina: esset sanè apud Reges, Principes, & Nobiles viros, qui masculos habendi desiderio flagrant remedium in re hac difficili cælitus missum: sed cum à Dioscoridis temporibus adhæc vsque tempora herba hæc pro hoc obeundo munere in nullo sit pretio, est sine alia experientia in fabularum catalogo collocanda. Idem dicit Dioscorides libro 3. cap. 142. de testiculo canis, habetque hæc, qui edent testiculum canis marem, mares generabit, qui fœminam, alterum sexum.

De mandragora. *De inguinali herba.* *De phyteumate, & leontopodio.* *De mercuriali.* *De testiculo canis.*

Denique in 5. libro de lapidibus plurima occulta refert, quæ omnino rationi, & experientiæ reluctantur: aliqua proponantur: de lapide selenite, quod adligatus arboribus reddat eos frugiferos: de Iaspide, quod femoribus appensus partum accelleret: de Ophite, quod collo appensus auxilietur lethargo; plures alias refert proprietates occultas lapidum ex opinione tamen (vt diximus) aliorum, quæ mouẽt risum, haud secus, quàm si eas ex ore ineptissimi circulatoris audiremus; alia quoque plura relata sunt à Dioscoride, quæ neque rationi, neque experientiæ respondent: attulimus hæc, vt lector iis excitus videat illorum errata, qui putarunt potentias operatrices esse substantias.

De lapide selenite. *De iaspide.* *De ophite.*

Plurimi alij fuerunt, qui, vt admiranda de occultis herbarum proprietatibus dicerent, magis adhuc aliena à ratione dixerunt: afferamus solum eas, quæ ab Andrea Matthæolo in limine sui Dioscoridis proponuntur, dum loquitur de laudibus plantarum, refert inueniri herbam à Magis vocatam Balim, quæ mortuis animantibus vitam potest restituere; comprobat auctoritate Xanthi antiquissimi Auctoris, qui 1. libro suarum historiarum affirmauerit, Draconem virtute huius herbæ resurrexisse: & Thiloni similiter à Dracone occiso eadem, quæ Balim dicitur, vitam restitutam fuisse: addit Mattheolus Iubam Mau-

Fabulosa de herbis ab Andrea Matthæolo relata.

ritaniæ Regem ſcripſiſſe in Arabia cuiuſdam herbæ auxilio vitã mortuo homini datã eſſe: quid ſtolidius, & magis philoſophiæ repugnans dici poteſt? Præterea ex Theophraſto, & Democrito refert Matthæolus Æthiopidem herbam clauſis foribus applicatam, eas ſtatim aperire; niſi bipenis vehementius fores aperiret Æthiopide, omnes deſpicerent eius vſum: refert quoque, Democritum dicere in India naſci Achemenidem herbam, quæ dum comeditur ab iis, qui tormentis lacerantur, omnia ſubito fateantur: ſimiliter Plinius refert Achemenidem aliam, quæ ſi in hoſtium acies traiiciatur, fugentur. Hic eſt fructus illorum, qui putant ſubſtantiam operari. Qui vero ſciunt omnia agentia habere contrarium, ſuſcipere magis, & minus: agere, & pati per cõtactum, non poſſunt in tam monſtruoſas ſententias incidere.

Qui ſint Empirici omniũ ſtolidiſſimi.

Poſtremo ex omnibus Empiricis ille eſt ineptior, & ſtolidior, qui putat poſſe verbis, breuiculiſque, ſeu codiciliis caracteribus refertis, collo appenſis morbos curari. Quidam ſtupidi, & excordes Empirici putant in hunc modum quartanam, eryſipelas, epilepſiam, & plures alias ægritudines depelli poſſe; ſed hoc eſt deterrimum, & miſerabile, quod licet quotidiè has vanitates experiantur, non reſipiſcant: mirandum præterea eſt, quod huius generis fabellæ legantur quoque apud veteres ſcriptores; etenim Q. Serenus pro curanda tertiana, vel quartana caracteres, & nomina ridicula proponit: ſimiliter Marcus Cato de re ruſtica pro curatione luxationis, & fractura particula 160. docet hanc cantionem: hæc ſunt eius verba, luxum ſi quod eſt, vt excantes, „ hac cantione ſanum fiet: motas danata daries dardaries eſt araries; „ docet deinde paulo inferius aliam cantionem pro curatione eiuſdem „ luxationis, hæc eſt: haut haut haut iſta piſta ſiſta damiano damauſtra: addit, vel hoc modo, haut, haut, haut iſtagis, turſis, ardãnabon damaiſtra: puto, ſi quis caneret daries dardaries cum aliis ſequentibus verbis annis ſexcentis, quod ob cantum luxationes, vel fracturæ non curarentur: plura alia in auctoribus, qui adhibent fidem occultis inueniuntur, quæ cum principiis philoſophiæ, medicinæ, & experientiæ aduerſentur, ſatius erit, vt de ipſis non amplius loquamur.

Vt Marcus Cato cantu vult luxationẽ curare.

Oſtenditur, venenatos non cognoſci ex veneni definitione, ſed ex ſyndrome ſignorum communium à ſex fontibus deſumpta.

Capvt XII.

Diximvs in libri veſtibulo præter qualitates occultas tria alia nobis tota ſua ſubſtantia aduerſari, quæ ſunt venenum, putredo, & pus; ea tamen de cauſa eius ſubſtantia peccare dicitur, quoniam nihil eſt in iis, quod non ſit diſſimile, & contrarium partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus corporis humani: eorum enim ſitus, numerus, figura, & temperatura ab humana conditione adeo diſtat, vt fiant cõtraria; contrarium enim eſt, quod in eodem genere maximè diſtat: hiſque rationibus

nibus dicemus, doronicos esse canis venenum; quia eis in situ, numero, magnitudine, figura, & temperatura sunt vel maximè dissimiles: hominibus vero, quia non sunt adeo dissimiles, erunt salubres: eadem ratione putredines vitam hominibus auferunt, vermes ea vescuntur, & ex ipsa efflorescunt; lumbricis aloes est deleterium, hominibus familiaris medicina; sturnis napellus est nutrimentum suauissimum, hominibus dirum, & truce venenum: nullum igitur erit venenum absolutè, sed solum in comparationem, & respectum, quatenus videlicet sit, vel non sit oppositum propositis qualitatibus: error illorum mihi videtur inexcusabilis, qui putant venenum esse quid absolutum, esseque substantiam aduersantem. O nos felices! si venenum, lues gallica, rabies, napellus, & alia id genus alio modo, quàm substantia sua nobis non officerent, quia cum substantia æquè omnia respiciat, & nunquam substantiæ, vel accidentibus contrarietur, non læderemur ab iis, & longè feliciori sorte frueremur.

Reiicitur veneni definitio à Capiuaceo tradita.

Cognitis principiis quibus venena nobis aduersantur; modo duo sunt de venenis perquirenda, scilicet definitio veneni, & modus cognoscendi venenatos. Quo ad definitionem attinet; Hieronymus Capiuaceus percelebris vir hanc tradit: venenum est qualitas confertim corruptiua cordis hominis; hæc definitio est adeo obscura, vt longè obscurior, & ignotior definito videatur; nulla enim est in hac definitione differentia, quæ nos doceat, quando corrumpitur cor à veneno; Aristoteles 4. phy. de definitionis beneficio loquens dicit, qui cognoscet quid de loco, cognoscet quoque consequentia; si igitur ea definitio nos non docuerit, quando aliquis veneno erit iugulatus, eam despiciemus. Insuper quot sunt, qui improuiso expirant animam, & vitam finiunt ab alias causas, quàm à veneno? quo pacto ergo cognita illa definitione distinguemus; an improuisa mors sit veneno, vel aliis causis secuta? Criton, & Phreneticus (vt refert Hippocrates) derepente mortē obeunt, quia postridie ab incœpto sæuissimo morbo pereūt; attamen neuter illorum veneno moritur. Præterea venena in minima quantitate subito non possunt corrumpere, vt in paullo maiori. Sublimatum arsenicum in scrupuli quantitate tractu 12. horarum ad exitium perducit; grana duo, vel tria spacio aliquando 40. dierum id efficient; non conueniet ergo veneno, vt venenum est hoc attributum, vt confestim cor corrumpat. Adhæc sæpè porriguntur virosa robustis hominibus, quorum cor non possunt corrumpere. Nec mihi occurrant, quod robusti hominis cor aliquando non confestim corrumpatur à veneno, quia virtus resistat, vel adsint impedimenta, cur non penetret ad cor, illudque corrumpat. Quia nos quoque illis sic obiiciemus; nisi virtus resisteret, essentque impedimenta, humores quoque facientes febrim statim corrumperent cor, quare per qualitatem confestim corruptiuam cordis non exprimimus veneni naturam. Denique cito occidere, & corrumpere cor conuenit aliis, vt pestilētiæ, apoplexiæ, & aliis; quare ex hoc signo cōmuni nihil colligemus. Quinimmo incidemus semper in hunc vitiosum paralogismum; illud est vene-

num, quod cito corrumpit cor: hoc cito corrumpit cor, ergo est venenum; modus arguendi est in secunda figura ex duabus affirmatiuis vitiosus, & irreducibilis ad primam; quoniam maior non potest conuerti, nisi fiat particularis; quod si fieret, in alium paralogismum incideremus, quia in prima figura ex maiori particulari nil sequitur, & est fallus syllogismus.

Quod color liuidus vel niger non indicet venenatos.

Sunt, qui putant nigrum, seu liuidum colorem esse signum proprium, & tamquam caracterem venenatorum; quorum sententia non videtur veritati respondere, quia aliquando ob ægritudines insignes aliquæ corporis partes fiunt nigræ, vel liuidæ: legamus historiam adolescentis decumbentis in foro mendacium, vbi Hippocrates dicit, in illo ægrotante extrema fuisse liuida. Galenus vero ibidem in commento dicit, extrema liuida ob duplicem causam fieri posse, vel ob visceris alicuius inflammationem; vel quia emoritur calidum natiuum: quare cum calidum natiuum ob innumerabiles causas emoueri possit; uor non indi cabit venenum.

Cur communis definitio veneni tradi non possit.

Præstat igitur, vt signorum syndromem sufficientissimam perquiramus, quæ nos doceat cognoscere, quando aliquis veneno est iugulatus: etenim sicuti Aristoteles 2. post. dixit, nos non posse de æquiuoco genere vnicam habere definitionem, & demonstrationem, dat exemplum de longæuitate auium, & terrestrium animalium, dicit terrestria animalia esse longæua, quia carent bile; aues vero esse longæuas non ob hanc, sed ob alias causas: simili modo venena mineralia, & plantarum, & animalium occidunt ob varias, & diuersas causas, quare variæ debent esse definitiones, & varia signa.

Qua signorũ syndrome cognoscantur venenati.

Syndrome signorum communium indicantium venenatos colligitur à sex fontibus, quorum aliqui consistunt in iis, quæ necessario antecedunt, aliqui in iis, quæ necessario consequuntur. Primus fons illorum, quæ necessario antecedunt continet causas externas, sicuti si quis versaretur cum inimicis, vel cum veneficis, ex eius morte repentina cum liuore facile colligi posset illum fuisse venenatum. Secundus fons continet signa indicantia dispositiones patientis; Galenus 6. de loc. aff. c. 5. de hac apposité nos admonet & docet, cum homo sua natura probis humoribus abundans, ac sanorum more educatus derepente moritur, id veneno lethali esse secutum: diligenter sanè præteritos habitus, & dispositiones illorum, qui derepente moriuntur oportet expendere, quoniam si aliquis fuerit dispositus, & propensus apoplexiæ, & derepente moriatur, nulla suspicio veneni habēda erit, quãuis liuidus esset: similiter, si supra modum pinguis esset, subita mors ei causæ esset adscribenda: si haberet angustiam in pectore, vt de Antipatro Medico relatum est à Galeno, idem dici deberet; angustiam enim illam ex intercisо pulsu multo ante prænouit Galenus, & multo ante præuidit exitium repẽtinum Antipatri: ecce, quod ex cognitione causarum externarum, & dispositionum patientis aliquando causam repentini exitij penetramus: dicimus aliquando, quia potest accidere, vt parte aliqua nostri corporis humores praui adeo occultè, sensimque

accu-

accumulentur, vt nullum vnquam sensum sui exhibentes, hominem, qui videtur vndequaque sanus in repentinum exitium trahant: quare non sat est patientem cum veneficis, & inimicis fuisse versatum; nullamque in ipso cognitam fuisse dispositionem minitantem subitam mortem; quia hæc omnia nos possent decipere; requiritur ergo, vt cõtemplemur tertium, & quartum fontem, qui continent morbos, & symptomata insequentia venenatos.

Qui sint morbi insequentes venenatos. Morbi venenatorum sunt tumor corporis, oculi valdè tumentes, tumor ventris, & præcipuè, si venena mineralia fuerint. Non semel vidi Carlostadij Croatiæ ab illorum militum præfecto fuisse sublimati scrupulum clam exhibitum captiuis prædonibus, quibus omnibus excitabantur ventriculi inflammationes, obseruabatur tamen hoc discrimen, vt aliqui quadraginta dierum cursu adeo præmerentur, vt cum lienteria illorum vita terminaretur, alij vero fortiores continuo vomitu liberarentur.

Quæ sint symptomata venenatorũ. Symptomata insequentia venenatos sunt stomachi anxietates, syncope, pulsus imbecillimi, pallor totius corporis, & subita mors: ex Galeno 6. de loc. aff. hæc colliguntur, habet hæc, si nigrum, & liuidum corpus reddatur, vel putredinem molestam oleat, signum est illud corpus veneno iugulatum esse: veritas roborabitur, si eadem ex aliis colligatur fontibus, vt scilicet sanus fuerit antea, vel versatus fuerit cum veneficis, vel habuerit inimicos; aut nullam habuerit dispositionem minitantem exitium, ex omnibus enim fontibus, si vnicum solum signum collegeris, certo affirmare poteris illum fuisse venenatum.

Cur venenũ definiri non possit. Sed quoniam diximus venenum esse æquiuocum, quia vnicam nõ potest habere definitionem, cum aliqua sint frigida spiritus densantia, & suffocantia, aliqua calida, & exedentia; ideo varia erunt signa indicantia venenorum naturam: coniiciemus venenum frigidum, & suffocans, quale est opium; si stuporem, difficultatem anhelitus, & somnũ profundum passi fuerint: memini me visitasse in finitimis locis Vngariæ militem quendam, qui septem opij pillulas, vice aliarum purgandi gratia exhibendarum, deglutierat; dum patientem vidi tanto cum impetu spiritum trahebat, vt paullo post deficeret, & è viuis, antequam possem, ei remedium dare, decederet: coniiciemus venenum calidum, & exedens ex lotio sanguineo, ex vlceribus oris, ex dysenteria, & ex aliis; hæc diuersa venenorum natura est in causa, quod vnico non cognoscatur signo, sed syndrome signorum. *Venatorum ex apertione cadaueris vix cognoscũ.* Neque qui cadauera aperiunt sine signorum syndrome firmam, & vndequaque perfectam cognitionem venenatorum comparare poterunt. Quis inueniet in cadauere scrupulum, vel drachmam sublimati in pollinem subtilissimum exhibiti, aliisque cibis commisti?

A quinto fonte, id est, à iuuantibus, & lædentibus colligimus aliqua; scilicet Theriacam, & vomitum iuuare: à sexto fonte, s. à locis affectis, vt à vesica, corde ventriculo, & ore: ex quolibet igitur fonte, si vnicum saltem signum collegerimus, dicere poterimus illum veneno fuisse iugulatum.

Ostenditur contra communem, quod putredo febrium sit illa, quam philosophus vocat simpliciter, & non secundum partem, & quod omnia medicorum auxilia pro putredine auferenda sint præseruatoria, & non curatoria.

Caput XIII.

Acturi in præsentia de illa putredine, quæ febres efficere solet, nisi à distinctione putredinis tradita ab Aristotele 4. meteororum exordiamur, non video quomodo profundè de illa aliquid dicere possimus: dicit igitur philosophus putredinem duplicem esse, alteram, quæ vocatur vniuersalis & simpliciter: alteram vero secundum partem. Quid Aristoteles per putredinem simpliciter, & vniuersalem intelligat, quæ vsque ad elementa resoluit, videtur esse in scholis ab omnibus receptum. Verum quid intelligat philosophus per putredinem secundum partem, est operæpretium, vt præcognoscamus, si velimus scire, an putredo humorum sit illa, quę vocatur ab Aristotele simpliciter, vel secundum partem. Albertus Magnus per putredinem secundum partem intelligit putredinem elementorum. Erastus intelligit formæ interitum, sed non vsque ad elementa; illam enim putredinem vocat vniuersalem, & simpliciter; Archangelus Mercenarius in suis repetitis quęstionibus de hac materia loquens inuehit in Erastum summa pertinacia dicens, quod putredo secundum partem non sit interitus formæ, sed sit solum alteratio qualitatum; Iacobus Zabarella, cuius ingenium re vera vsque in Græcorum comparationem est euectum, tenet putredinem secundum partem, modo esse interitum formæ, veluti dum homo corrumpitur, & fit cadauer, vel dum vinum putrescit, & fit vappa; modo esse alterationem qualitatum, veluti dum vinum incipit putrescere, attamen practici possunt illud transponendo ex dolio in dolium reducere ad pristinam sanitatem, hanc putredinem Zabarella vocat quoque secundum partem, quamuis sit in solis qualitatibus; in quam sententiam, vt in mediam quandam viam video iis temporibus animos studiosorum flecti, hancque nos quoque recipimus: quo pacto vero aliorum sententiæ reiiciantur, soluanturque argumenta aliorum in contrarium allata, quæstio tota legi potest in libris quæstionum naturalium Zabarellæ, qui diffusè de hac re egit: nostrum hic erat paucis declarare quid per putredinem secundum partem intelligendum esset.

Variæ opiniones quid intelligat philosophus per putredinem secundum partem.

Sequitur, vt modo quæramus, an humores in febribus putridis putrescant simpliciter, vel secundum partem: Mercenarius Zabarella, & plerique alij tenent putredinem humorum efficientium febrem esse secundum partem, & non simpliciter; tenet enim Mercenarius putredinem humorum esse alterationem, & non formæ interitum: Zabarella

Opinio communis, quod putridi humorosi efficientes febres putrescant secundum partem.

rella verò dicit, aliquando esse formæ interitum, aliquando solam alterationem qualitatum, datque exemplum, dum sanguis mutatur in bilem, vel in alium humorem toto genere præter naturam est cum interitu formæ sanguinis: dum vero ob putredinem humorum alterantur solum qualitates non corrumpuntur formæ humorum, dicitque tunc Medicum auferendo occasionem aperiendo scilicet, euacuando, refrigerando posse humores, qui incipiunt putrescere, ad optimam temperaturam transferre. Nemo, quod sciam, dixit, quod humores putridi sint simpliciter tales, sed omnes vna voce videntur decidere, putredinem humorum efficientium febrem esse secundum partem.

Arbitror tamen Galenum aliter sentire, quia putridi humores non solum alterantur, & putrescunt secundum partem cum interitu propriæ formæ; verum etiam putrescunt simpliciter, quia semper portio putrida resoluitur vsque ad elementa, & ad cinerem peruenit: tunc putredo est simpliciter quando peruenit ad cinerem: Aristot. enim 4. meteororum loquens de putredine simpliciter dicit, quod cinis est finis putredinis. Quod vero putridi humores resoluantur in cinerem est Galen. 2. de differentiis feb. & 3. præsag. 32. vbi habet, si natura illum veluti cinerem supra modum adustorum vacuare non anteuerterit, ille rursus in corpore manens, & concalefactus magnam quandam ad putredinem propensionem contrahit: quare si causa, cur putredines excitentur, est cinis humorum ob putredinem adustorum, putredo febrium erit simpliciter, & vniuersalis, apparet hic cinis in vrinis in fine putridorum morborum: præ se fert specimen arenularum perexiguarum: differt ab arenulis, quia hæ in fundo matellæ colliguntur; cinis in nebuculis sparsus conseruatur.

Probatur quod putredo febrium sit simpliciter, & non secundum partem.

Dum vero Zabarella dixit, putredinem in solis humorum qualitatibus existentem tolli per leuem medicinam, putredinem vero cum interitu formæ humorum nullo modo corrigi, vel reduci posse ad pristinum statum, eius pace distinctio ad rem non facit; quia nulla putredo per leuem medicinam corrigitur. Hæc tria sunt natura distincta: putrescibile, putredo, & putrefactum: putrescibile medicamentis tollitur: putredo solum est in fieri, putredo igitur erunt fumi, & vapores putridi qui neque putrescibiles, neque putrefacti sunt, quique nulla medicina eos reddere possumus ad statum salubrem, sed in cinerem debent conuerti: cinis vero est res putrefacta: ab hoc principio orta est illa opinio nostra alibi, quoque proposita, quod scilicet omnia auxilia pro putredine pellenda sint præseruatoria, & non curatoria, diriganturque in euacuandos, seu alterandos humores non putridos, sed putredini obnoxios, vel putrefactos cineres, in obstructionesque aperiendas, in causas efficientes mediatas corrigendas, & nequaquam in auras seu vaporosos transpiratus euacuandos; quia alio modo halitus isti putridi non absumuntur, quam combustione. Hinc sanguinis euacuatio, quomodocunque consideretur, est solum auxilium præseruatorium putredinis: lenientia similiter non porriguntur pro curanda putredine, sed, vt primæ viæ sarcina liberentur. Serapia, vt refrigeren-

Reiicitur Zabarella dũ dicit per medicinas putredinem corrigi posse.

Vnde fit, quod omnia auxilia pro tollenda putredine sint præseruatoria, & non curatoria.

tur viſcera, vel vt aperiantur meatus, & fluidi reddantur humores putreſcibiles; liquatis enim ſuccis, & viis per quas meare poſſunt patefactis, ocyus purgantur; dum vero ſunt aperti meatus, viſcera quaſi flabello ventilantur, & natura inde alacrius certamen abſoluere poteſt, melius dirigendo putreſcibiles, & melius euacuando putrefactos. Pharmaca demum duplici de cauſa dantur, vel vt cinis tollatur, ne noua acceſſio ſcintillet, vel vt putreſcibiles humores vincantur. Concludimus ergo putredinem eſſe fumos, vel auras, eſſeque medicinis inuincibiles, quia ſolum combuſtione abſumuntur, eius enim finis, Ariſtotele iudice, eſt ſolum cinis: colligimus ergo ex iis, quod nullum auxilium medicum in putredine auferenda ſit curatorium; & ſimilitudinem Zabarellæ de vino non facere ad rem, quia ſicuti dum redit, non eſt putridum, ſic humores, dum redeunt, non erunt putridi neque ſecundum partem, neque ſimpliciter: humoreſque putridos neceſſario in cinerem debere conuerti, & hanc putredinem eſſe ſimpliciter, & non ſecundum partem.

Reiicitur argumentum nonnullorum oſtendentium, putredinem inſignem eſſe venenum.

CAPVT XIIII.

MAGNA eſt controuerſia hodierno die, an putridi humores poſſint aliquando naturam, & formam veneni ſubire. Qui putant ſæuiſſimam humorum putredinem fieri venenum, id conantur probare Galeni auctoritate in epidemicis, vbi hiſtoria Critonis, & Phrenetici declaratur, refert ibi Galenus quod in illis collectus humor ſit factus veneno læthali ſimilis, & hinc derepente ſecuta ſit mors. Inferunt, ergo humores aliquando in corporibus viuentibus poterunt eſſe adeo pernicioſi, vt fiant venena. Verum argumentum iſtorum redigamus in formam, taleque eſſe debet: omne quod eſt ſimile veneno eſt venenum, putredo inſignis eſt ſimilis veneno, ergo eſt venenum: Argumentum eſt in quatuor terminis. primus erit, dum dicunt, omne quod eſt ſimile veneno. Secundus eſt prædicatum huius propoſitionis, dum dicunt, eſt venenum: tertius eſt inſignis putredo: quartus eſt quod putredo ſit venenum: alius terminus eſt, quod ſit venenum, & alius quod ſit ſimilis veneno. Inſuper hoc argumentum in libris Elenchorum Ariſtotelis vocabitur Elenchus compoſitionis; veluti ſi quis diceret: qui ſedet poteſt iacere, Socrates ſedet, ergo Socrates iacet: vt argumentum non collocaretur in numero paralogiſmorum, oporteret hoc modo formare concluſioné, ergo Socrates poteſt iacere, & non inferre quod Socrates iaceat: ſimiliter debebant inferre cum Galeno, ergo putredo inſignis eſt ſimilis veneno, & nequaquam quod ſit venenum. Demum, vt argumenti vanitas noſcatur, oſtendi poteſt, quod ſit in quarta figura; quoniam ſubiectum minoris eſt latius & communius

nius

nius prædicato, quia ex illorum sententia putredo insignis latius se habet, quàm venenum, quia ipsi fatentur dari putredines insignes, quæ sunt venena, & quæ non sunt: similiter subiectum maioris latius se habebit, quia ex illorum quoque sententia non solum venena debent dici venena, verum etiam illud, quod erit simile: quare si oporteret conuertere maiorem nil sequeretur, quia argumentum esset in secunda figura ex duabus affirmatiuis; erit igitur putredo diuersa specie, & genere à veneno. Nos rationibus logicis, quæ sunt vniuersales omnibus scientiis reiecimus propositum argumentum, vt iisdem rudiores possint plura similia argumenta, quę in scholis vagantur explodere; sicuti illud quo vtuntur sæpè nostratum aliqui, dum probant calorem innatum esse cœlestem ex eo, quod Aristoteles dixerit proportione respondere elemento stellarum; hoc & alia similia argumenta in numero paralogismorum reponi debent.

A quibus humoribus, & causis fiat pus.

CAP. XV.

PVs demum reponitur inter ea, quæ peccant tota substantia; de eius causis igitur agendum. Plurimi putant, causam materialem puris solum esse massam sanguineam, cæteros vero humores extra venas existentes esse adeo rebelles, vt alteratrices partium non possint illos transmutare in pus, quinimmo, nisi expellantur, in abscessus, in scyrrhos, vel in aliam malam, & virosam excrementorum sobolem cedant oportet: confirmant suam sententiam authoritate, & experientia. Primo afferunt Galeni locum 2.aph.47. vbi habet hæc verba, pus fit à calore misto præter naturam, & à calore secundum naturam, ideo vitiosam habet transmutationem ex sanguine, inferunt ergo, si pus fit cum transmutatione sanguinis, vbi non erit sanguis, ibi non fiet pus: deinde probant experimentis, dicunt destillationem capitis pituitosam extra venas factam restagnare in pectus, vel in articulos, attamen non posse in pus conuerti: similiter œdema, scyrrhi, & aliæ durities ab humoribus sanguine priuatis factæ nunquam suppurantur. Inferunt ergo solum sanguineum humorem esse causam adæquatam puris. *Rationes illorum, qui putant pus fieri solum ex sanguine.*

Antequam diluamus proposita argumenta, melius est, vt dicamus, quomodo res se habeat. Dicimus ex Galeno, non solum sanguineos humores in pus conuerti posse, verum etiam cætera recrementa corporis, quamuis maiori cum difficultate. Hinc Galenus 7.aph. 38. habet viginti diebus suppurari in Thorace, quod fluit à capite; addimus hanc minorem, at quod fluit à capite, & in pectus se colligit, est phlegma purum, ergo phlegma sine sanguine potest conuerti in pus. Præterea Hippocrates, & Galenus primo prædictionum text. 35. loquentes de tumoribus factis à frigidissimis humoribus dicunt humores fri- *Fundamenta ostendentia ex quo humore frigido pus fieri possit.*

gidos tractu 60.dierum suppurari, si locus calidus sit; in pedibus enim, & brachiis ob distantiam à fonte caloris non possunt vllo tempore suppurari. Hinc in Thorace, vbi magnus calor est, 20. diebus humores pituitosi à capite delapsi suppurantur, in ventre 60. diebus, in
» pedibus nullo vnquam tempore; Galenus 3.præsag.29.docet, quando
» expectanda sit conuersio humorum in pus; ibi hæc leguntur, si vires
» robustæ sunt, & humores calidi per excretionem fit iudicium, si fri-
» gidi & vires robustæ, per abscessum: vel calidi, & vires debiles, & sic
» per abscessum quoque iudicantur; qui verò vires debiles, & humores
» frigidos habent, vel moriuntur, vel vix longo temporis interuallo hu-
» mores concoquunt. Ex iis colligere possumus, quando fieri possit pus, & quando non: primo enim, si fuerint humores calidi, & vires robustæ non fiet pus; & ratio est, quia humores calidi transpirant, & vires fortes expellunt per vias fallentes sensus nostros. Hic notatur Empyricorum quorundam error, qui tumoribus biliosis robusta existente virtute adiungunt suppurantia ex lacte, farinis, & similibus, quibus occluduntur pori, detinenturque acres vapores, detentique adeo effrenes euadunt, vt partem læsam, vel exedere incipiant, vel destruant, eaque in cancrenam desinat; semel vidimus erysipelas genæ dextræ emplasticis suppurantibus tractatum in cancrenam ob relatam causam terminasse: iterum vidi Chirurgum imperitum necasse hominem erysipelate podicis correptum iis emplasticis; causa est non solum, quia detinentur vapores acerrimi (vt diximus) verum etiam, quia genæ, mamillæ, nates ob mollitiem facilè eius viuidus natiuus calor resoluitur: vbi igitur vires fuerint robustæ, & humores calidi; non conuenient suppurantia, sed digerentia: si verò fuerint frigidi humores, & virtus robusta, per abscessum expectanda erit crisis. Errant, qui in frigidis tumoribus, vel fluxionibus, quamuis robusta virtus sit, vtuntur digerentibus. Ex iis quoque colligimus ex frigidis humoribus fieri pus: hic quoque obseruatur illorum error, qui in vlceribus vetustis pedum statim vtuntur lotionibus digerentibus, tenue enim resoluūt, & crassum in scyrrhosam dispositionem conuertunt: tunc si sanitatem consequi desiderant, suppurantibus vti debent, quæ sola in pus conuertendo crassos, & frigidos humores partis circunstantis sanare possunt: si vero virtus sit debilis, & humores frigidi; vel moriuntur ægri; vel longo temporis spatio concoquunt ratio colligitur ab Aristotele
» 2.sect.prob.8. vbi dicit, lentum, & tenacem humorem tarde concoqui,
» quia difficilè diuiditur, & ad minima digeritur: si igitur virtus robusta difficilè potest crassum phlegma digerere, & ad minima diuidere; quanto maior erit difficultas, si calor fuerit debilis? erit igitur fermè impossibile, vt calore existente imbecillo crassi & frigidi humores digerantur, vel suppurentur.

Errata Empyricorum dum vtuntur suppurātibus in tumoribus biliosis.

Reiiciuntur argumenta in contrariū allata.

Erat primum argumentum, quod pus solum fieret ex sanguine: quod negatur, quia sanguinea massa non est sola, & adæquata causa materialis puris; quinimmo ostendimus pituitam existentem in cauitate pectoris ex Galeni sententia posse suppurari. Quo ad secun-

dum

dum argumentum de humore pituitoso perueniente ad articulos, quod non suppuretur, dicimus, id euenire ob frigiditatem articulorum, dicimusque, quod si essent iidem humores pituitosi in ventre, vel in thorace, vbi calor vegetior est, in pus possent conuerti: Demum, si experientiæ credendum sit, fateor, me semel vidisse quendam iuuenem alioquin robustissimum, artrithide cathenatum ob destillantem catarrhum capite pulsum in genua, cui acciderit; vt pituita artrithidem efficiens in pus conuerteretur: quod experimentum, licet raro accidat, cohæret tamen Galeni sententiæ 3. præsag. 29. dicentis in virtute valida frigidos humores per abscessum iudicari posse: nullum itaq; erit argumentum propositum, quod humores frigidi non possint in saniem conuerti.

Epilogus huius libelli.

Ex traditis in hoc libello patet, non dari substantias operantes, sed omnes potẽtias occultas esse in cathegoria qualitatis: patet quinetiam quæ esse possint genera, differentiæ & initia occultarum qualitatum: ostensumque est, plurimos, qui tenent substantiam operari, prolapsos esse in monstruosas opiniones. Demum de modo cognoscendi venena; de putredine humorum, & à quo humore, & à quibus causis fiat pus; hæc enim omnia visa sunt pertinere ad ea, quæ peccare possunt secundum totam substantiam.

Finis Octaui Libri.

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani METHODI VITANDORUM errorum in quantitate peccantium humorum perquirenda.

Liber Nonus.

Quomodo per syndromem signorum quantitas peccantium humorum colligi possit.

Cap. I.

Vperius de initiis reconditarum qualitatum, & de iis, quæ substantia peccant, peregimus: verum, quia quantitas immediatè substantiam sequitur, hic de quantitate peccantium humorum agemus. In pauca hanc speculationem conferemus, quia ex traditis in 6. libro, vbi cumulatissimè tractauimus de methodis cognoscendi humores, facile quoque copiam, seu quantitatem cuiuslibet humoris colligere poterimus. In præsentia iuuabit nos, si in exemplorum more illorum signorum concursus repetitionem fecerimus; excitabimus rudiorum animos, & promptos eos reddemus ad cognoscendam hanc peccantium humorum copiam.

Vt quantitas biliosorum succorum cognosci potest. Experiamur in primis traditos fontes pro cognoscenda bile, an ex illis quoque copiam, seu quantitatem biliosi succi colligere possimus. Fontes erant sex, causæ procatarcticæ, dispositiones patientis, morbi, symptomata, loci affecti, iuuantia, & lædentia: causæ procatarcticæ gignentes bilem ad tria capita relata sunt, scilicet ad vicinitatem calidorum, ad motum, & ad alimentum: sub vicinitate est aër calidus temporis anni, vel regionis, vel constitutionis, vel hypocausti; præterea sunt balnea,

balnea, vnguenta, & omnia calida, quæ tangendo nos calefacere possunt. Sub motu, qui est re vera caloris origo, est exercitium immoderatum, coitus, vigilia, animi passiones, quæ sunt mœror, timor, gaudium, & ira: alimentum, vel calefit per se, vt aromata, & similia, vel per accidens, vt cibaria frigida, sed obstruentia: hæc enim bilem aggregāt: si patiens horum signorum omnium, seu plurimorum occasione fuerit excalefactus, nullum erit ingenium adeo retusum, quod non videat in illo, bilem copia peccare: sed veritas adhuc melius elucescet, si aliorum fontium signa non obstiterint. Quare de secundo fonte loquamur, qui continet dispositiones patientis; dispositiones igitur noscuntur, cum per antecedentia, tum per consequentia: signa antecedentia indicantia bilem sunt hæc, patientem ex biliosis esse ortum, esse macilentum, esse iuuenem cum venis latis. Consequentia sunt actiones animales, vt esse vigilem, mutabilem in sententia, ingenio celeri, agilem in motu: vitales, esse iracundum, in venerem furere, pulsus habere veloces, & frontem rotundam: naturales, in stomacho cibum numquam esse molestum, aures plus debito biliosis succis scatere, & alia plura, quæ legi possunt in 6. lib. si igitur hæc signa antecedentia, & consequentia plurima in bilis productionem conspirare obseruauerimus, efficaciora argumenta depromemus, quod patiens ob copiam bilis laceretur; efficacissimum vero erit argumentum, si in 3.4.5. & 6. fontibus inuenerimus signa idem confirmantia; merebiturque vocari completa demonstratio, quia æquè docebit completa signorum communium syndrome, ac proprium, quod vni soli, & semper conuenit. In tertio fonte, si motus morbi fuerit velox, vt accidit in ardenti febre, in erysipelate, & phrenesi; si de tertio in tertium, idem colligemus similiter, si motus paroxismorum fuerit celer, aliaque signa superius declarata quoque conspirent, alimentaque calefacientia, nimius coitus, aër æstiuus, & animi passiones præcesserint, hæc idem indicabunt: in quarto symptomata animalia, vt vigilia, sitis intensa, & ciborum inappetentia bilem esse copiosam significant: dixit enim Galenus, dum de casu Cleonactidis sermonem habuit, quod sitire, vigilare, & abhorrere à cibo constituant characterem biliosorum succorum. Quo ad naturalia symptomata bilem ostendentia, sunt expultrices deprauatæ, suntque exeuntia flaua, prassina, vel æruginosa, & alia in capite proprio declarata. Quo ad qualitates mutatas est citrinus color oculorum, & cæterarum par. corporis; amarities in ore: si multa ex iis in vnum conspirare viderimus, non errabimus, si dixerimus bilem copiosam collectam esse. Ad eundem modum oculos dirigemus in partes corporis affectas: ex traditis enim in 6. lib. cognoscemus, membranas præcipuè læsas indicare bilem: quo affectus erit debito potentior, eo maior illius speciei bilis erit aceruus. Demum ex iuuantibus, & lædentibus idem confirmabitur, si inedia ægrum læserit, quo magis lædetur, eo maior bilis copia indicabitur.

Quo ad pituitæ multitudinem attinet, si ex syndrome cognouerimus aliquam pituitæ speciem peccare, vbi plura, & intensiora erunt si- *Vt pituitæ copia cognoscitur.*

gna indicantia pituitam, ibi maior copia, & multitudo illius pituitæ adest; quoniam in maiori quanto eiusdem speciei & cōditionis semper erit maior virtus: proponamus exemplum. Socrates potionibus, & obsoniis frigidis iampridem altus est: à pituitosis parentibus oritur, vel senex est: is morbo chronico, qualis est intemperies frigida, & humida ventriculi corripitur: & demum dolore grauatiuo laceratur: hęc quatuor signa à quatuor primis fontibus pituitam ostendentibus desumpta, certo certius indicant Socratem pituitæ multitudine vexari. Si verò iis signis addiderimus locos affectos, & iuuantia seu lædentia, quæ indicant pituitam, certitudo erit omnibus numeris absoluta: loci affecti, qui pituitosis succis præcipuè premuntur sunt glandulæ, ventriculus, cerebrum & articuli: iuuantia sunt euacuationes pituitosorū succorum: lædentia sunt frigida, & humida: verum, quia in 6. lib. cumulatissimè de iis signis egimus; ideo paucis in hoc loco de iis dicendum.

Vt copia melancholiæ adustæ cognoscitur.

Simili modo quantitas peccantis melancholiæ peruestigari potest: afferamus casum, ex cuius obseruatione copiosa melancholia colligi possit: sit patiens, qui indulxerit cibis calidis, & siccis, isque habeat dispositionem biliosam, quemadmodum si esset à biliosis parentibus ortus, vel quod esset aliud, de illis signis, quæ libro 6. cap. de dispositione biliosa, scripta sunt. Idemque patiens postquam passus sit tertianam febrim, in quartanam fuerit prolapsus: iis positis nemo negabit, patientem hunc atra bile vexari: si vero in illo quarti, quinti, & sexti fontis signa ostendentia atram bilem inuenerimus, in opinione confirmabimur, illum atra bile, eaque copiosa lacerari: signa quarti fontis essent, si patiens scabie, leuce, vel simili corriperetur affectu: quinti, si crura, vel mamellæ essent varicosæ. Sexti, si frigida, & humida iuuarent: dummodo in quolibet fonte inuenias apertum testimonium atræ bilis, non decipieris, si tunc copiosam atram bilem premere iudicaueris.

Vt copia fæcis melancholiæ naturalis, cognoscitur.

Eadem via quantitatem fæcis naturalis melācholiæ penetrabimus. Exempli causa, si viderimus ex signis primi fōtis hoc adesse, quod scilicet patiens fuerit esculentis frigidis, & siccis, caseo, lacte, vino nigro altus: ex signis secundi, quod venæ tumidæ apparerent: ex signis tertij, quod splen tumidus eum vexet, ex quarti, & cæterorum adsint aliquot ex illis in 6. lib. tradita; dicemus, illum fœce melancholica abundare, eoque abundantiorem esse, quo signa melius, & intensius appareant, humor non potest esse in pauca quantitate, & diu fuisse dispositam viscera ab efficacissimis procatarcticis causis: neque affectus possunt esse debito truciores, & partes valde læsæ, & copia non sæuire humores peccantes. Quod diximus de copia fœcis melancholiæ, eadem via est de adusta dicendum, an copia peccet. De sanguinis vbertate non est hic agendum, quia cap. de polyæmia proposuimus signa, quæ nos sanguinis copiam iudicare possunt.

Alia Methodus, qua perquiri possit humorum peccantium quantitas.

Capvt II.

POssvmvs quoque à posteriori peccantium humorum multitudinem pernoscere: affectus posteriores, qui indicant nimiam humorum quantitatem, sunt corporis grauitas cum contusione, lassitudo tensiua, tumor, durities, ruptura vasorum, & rigor sine caloris consecutione. Quod ob excrementorum copiam partes sentiantur graues, & quadam contusione oppressæ, est Galeni 14. method. cap. 2. qui dicit, quod partes viuentes patiantur ob multitudinem humorum, perinde ac ob extrinsecum pondus ingrauescant, & contundantur. Inferre ergo poterimus ex sensu grauitatis in corpore esse humorum copiam: nec valere videtur versa vice, quod videlicet, vbi sit copia humorum, ibi necessario, & semper grauitas, & contusio sentiatur; copiosum enim alimentum in robustum ventrem ingestum nullum pondus, nullamque grauitatem facit; quia ab alteratrice vinci potest: quin obseruamus tunc fortes homines potius sensum leuitatis persentiscere: similiter dum excrementa naturalia sunt copiosa adferunt tamen corpori aliquas suppetias, nullum pondus, vel grauitatem efficiunt: mesenterium, quia à copiosissima pituita intestinis loricæ in morem adhærente aliquid opis carpit non persentit copiosi humoris pondus: omne enim secundum naturam leuitatis sensum efficere solet, à lotio copioso vesica, donec frugem exhaurit, non ingrauescit, sed solũ dum alendi virtute priuatur, vrina incipit grauitare, & mordere: hic obiter adagium huiusmodi vulgare scilicet si vis sanus viuere meias sæpè, vt canis, reprehendi potest, quoniam ab vrina sine morsu detenta vesica colligit magnum fructum: similiter fœces intestinorum non grauitant, donec illis intestina pascuntur: valebimus ergo ex sensu grauitatis, cum contusione colligere humorum copiam, sed non vice versa; Galenus in Historia Virginis Larissæ, & Sileni ex grauitate colligebat copiam excrementorum. In virgine Larissæ erant tria symptomata ex quibus multitudo humorum colligebatur, scilicet grauitas capitis, dolor oculorum, & insolitus rubor faciei. In Sileno erat capitis grauitas, à qua similiter Galenus multitudinem peccantium humorum colligebat, sequitur ergo, vt nos quoque ex grauitatis sensu necessario colligere possimus nimiam humorum quantitatem.

Sex signa ostendentia copiam humorum.

Protritum adagium, quod sit meiendum sæpè, vt canis, falsum.

Præterea tensio sæpissimè insequi solet humorum multitudinem, sed non semper, quoniam fieri quoque potest à flatu extendente, & aliquando à siccitate partium, vt docet Galenus 12. method. cap. 7. dicens distensionem fieri à copia, vel siccitate: cognoscemus tensionem arguere multitudinem humorum, si tensio fuerit grauatiua; si fuerit sine grauitate, & siccitate flatuum copiam, si sine grauitate, &

Vt extensione copia humorum colligitur.

Vt ex tumore. copia flatuum, dicemus tensionem siccitatem indicare. Insuper ex tumore copiam humorum colligemus hoc præuiso, quod non fiat à flatu. Cognoscemus tensionem flatulentam ex sensu leuitatis, tensionem vero ex humorum copia factam ex sensu grauitatis.

Vt ex duritie. Ex duritie aliquando humores multitudine exuperare cognoscemus, post scilicet factum examen causarum, quibus omnia corpora durescunt; causæ enim quibus partes corporis durescere solent ex Galeno 5. simp. cap. 5. tres sunt, quarum prima est siccitas, quæ in scyrrhis obseruatur. Secunda est concretio, vt in glacie; tertia est humorum multitudo; quare si videris duritiem non esse ob scyrrhum, vel ob concretionem, facilè colligere poteris esse ob multitudinem humorum.

Vt ex ruptura vasorum. Ex ruptura vasorum, quia, si humores erunt in aliquo vase copiosi, vas facilè patietur dieresim. Hinc Galenus 5. method. Inter cæteras causas dieresis posuit copiam, & multitudinem humorum, dum enim viderimus diuisionem vasorum non fuisse factam à saltu, vel ab alia causa externa, vel à causa interna erodente inferre certo poterimus ob multitudinem humorum fuisse secutam. Demum cum ratione diximus rigorem sine consecutione caloris arguere copiam humorum, quia Galenus dum loquitur de vxore Epicratis, dicit in illa muliere fuisse insignem copiam crudorum succorum, quia habuit rigorem sine caloris consecutione. dum enim à rigore non excitatur calor signum est adeo redundare frigidos humores, vt magis possit eorum frigiditas in refrigerando, quam putredinis caliditas in calefaciendo.

Vt ex rigore sine caloris successione.

Epilogus. Ex dictis patet, quomodo ex syndrome signorum multitudo humorum cognosci possit, patet quinetiam, quomodo sine syndrome ex aliquo saltem signo propositorum idem scire possit, scilicet ex grauitate, tensione, duritie, tumore; ruptura, vel rigore sine caloris successione.

Finis Noni Libri.

SAN-

SANCTORII SANCTORII

Iustinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in perquirendis ijs, quæ pertinent ad motum localem peccantium humorum.

LIBER DECIMVS.

Ostenditur quod humores non moueantur ex se, & proprio impetu, sed ab alio.

CAP. I.

ACTVRI de iis, quæ spectant ad motum localem peccantium humorum, agendum in primis se offert, an humores in corpore suomet cieantur impetu, vel alieno: suo, vt faciunt tum elementa, quæ grauitate, vel leuitate ascendunt & descendunt, tum mista ex iis, quæ, vt ait philosophus 1. cœli text. 12. à prædominante elemento mouentur alieno: vt omnia externa, quæ videntur moueri ab alio violento motore. Hæc res, quia apud Galenum est manifesta, clara, atque prænitens in eius auctoritate æquo animo conquiescemus: habet enim 2. ad Glaucon. cap. 7. hæc verba, humor non fluit à se, & proprio impetu, aliàs omnis fluxio ad inferiora fieret: sed vel à parte mittente propellitur, vel à recipiente recipitur. Clarius non potest hoc quæsitum decidere: primo dicit humores à se non moueri: deinde eos, qui aliter sentirent ducendo ad impossibile conuincit, dicit enim, si humores ex se mouerentur, cum sint omnes aquei, & per consequens graues, sequeretur quod omnis fluxio fieret ad inferiora, perpetuo sequeretur, quod hominum pedes essent tumidi, & caput sanguine, & cæteris recrementis priuatum,

Humores ex Galeno non mouentur ex se, sed ab alio.

quod adeo reluctatur veritati, & experientiæ, vt nec oppilliones lateat, caput semper sanguine esse refertum; æquè enim humores obrepunt superiores, ac inferiores corporis partes, quinimmo, vt plurimum videmus in caput sanguinem, & omnium generum excrementa facilius insilire, quàm in pedes.

A quibus causis moueantur excrementa.

Accepto hoc fundamento à Galeno, quod scilicet humores suo non cieantur impetu, sed alieno: præstat hic, vt videamus, quomodo moueantur. Galenus 3. de symp. causis cap. 4. habet moueri humores in viuentibus, vel quia transmittuntur, vel quia attrahuntur: duo itaque colligi possunt modi, & non plures, quibus mouentur humores, alter per transmissionem; alter per attractionem. Verum, vlterius adhuc præstat, vt de hac re philosophemur, scilicet quot modis ab vna ad aliam partem humor transmitti possit: dicimus igitur primo aliquid transmitti, vel dum partes ab externo frigore densantur, & roborantur: etenim robustiores redditæ fortius expellunt humores excrementitios, quæ deinde in debiliores particulas transmittuntur. Secundò, vel dum humores à calore liquefiunt; liquefacti enim, & fluidi facilius in alium locum ab expultrice facultate transmittũtur. Tertio dum ob imbecillitatem retentricis defluunt excrementa. Quarto humores transmittũtur, dum vix expultrix ob copiam, vel ob malam qualitatem, vel ob harum vtramque causam eos compellit. Quo ad partes attinet, in quas transmittuntur humores, vel quæ suscipiunt, hæ debent esse cæteris debiliores, alioquin aliarum partium excremēta non susciperent, sed pro viribus repellerent: debiliores verò partes, quæ suscipiunt, vel sunt tales, quia hac sorte conditæ sunt, vt nō possint non suscipere cæterarum partium excrementa, quales sunt glandulæ: vel debiles sunt ob intemperiem, malam compositionem, vel solutam vnitatem: si enim sua natura viribus non sint exutæ, necessario dum implentur malis succis, earum vires debent esse flaccidæ, & ferè perditæ ob malam valetudinem partium similarium, vel dissimilarium.

Si verò humores non transmittantur, sed attrahantur, à partib. suscipientibus; tunc dicunt omnes, ob calorem, vel dolorem, vel vim vacui attrahi: sed si propriè loqui velimus, melius est, vt dicamus, quod partes re vera non attrahant excrementa aliarum partium, quæ noxia, & incommoda illis sint, sed solum ob imbecillitatem suscipiant, quod non deberēt suscipere. Hinc pars dolore correpta suscipit excrementa, non quia attrahat, sed quia ob dolorem reddita sit imbecillis, & inepta ad expellendum excrementa à sanis partibus propulsa: similiter pars aliqua corporis ob calorem præter naturam suscipit excrementa, non quia attrahit, sed quia ob calorem immoderatum redditur magis rara, idoneaque ad suscipienda aliarũ partium excrementa: sicuti enim frigidi est densare, ita calidi rarefacere. Neq; obiiciant, si calor attrahat, quia reddit partem raram fore, vt sequatur, quod dolor excitatus à causa frigida, quæ densat partem dolentē, non possit esse causa attractionis, vel receptionis excrementorũ: quia respondemus, dolorem à

Vt dolor attrahit.

Obiect.

Sol.

causa

causa frigida eatenus attrahere, quatenus in parte dolente excitat calorem, est Galeni in methodo, quod dolor à causa frigida factus calorem quoq. excitet: eadem ratione vacuum suscepit excreméta, & non attrahit, quia, quod nihil est, neque attrahit neq; expellit. Colligimus ergo contra communem loquendi vsum partes vi caloris, doloris, & vacui suscipere, & non attrahere excreméta: & has tres causas in unicã tantum conuenire imbecillitatem: vacuum non est causa, vt recipiens recipiat ob aliã causam, nisi, quia ibi nulla est resistentia: similiter pars dolore affecta recipit, quia dolore vexata adeo redditur imbecillis, vt non possit resistere, & expellere aliarum partiũ excrementa: pars vero affecta calore suscipit, quia calor debilitat, & rarefacit meatus, qui deinde suscipiunt, & excrementis implentur: hinc pars imbecillis frigida intéperie laborans nisi sit omnino virib. destituta, non suscipit, vel vt aiunt, attrahit aliorum excrementa, quia frigus magis potest in cõdensando, & muniendo partem, quam possit aliqua imbecillitas: humida tamen intemperies, quia laxat, ideo causa est, vt partes corporis flaccidæ promptè aliarum partium excrementa suscipiant. Hinc in illam partẽ, vbi sunt tumores œdematosi, plurima excreméta cõfluũt, quoniam nulla ferè est resistẽtia: quare attractio non fiet solũ ratione caloris, doloris, vel vi vacui, sed ratione humiditatis, & omniũ morborũ, qui reddere poterunt partes debiles, & imbecilles; & quamuis in scholis ab omnib. recipiatur, attractionem fieri ex Galeno ratione caloris, doloris, & vi vacui, nos dicimus, has tres causas fuisse propositas, vt principales, nũquam tamẽ negauit Galenus attractionem posse quoque fieri ratione humiditatis, & cuiusuis imbecillitatis.

Vt calor attrahit.

Vt vacuum attrahat.

Neque analyticis principiis est consentaneum, quod attractio fiat per se ratione caloris, doloris, & vi vacui tantum; quia quando in eandem operationem multa conspirãt, oportet, vt merito alicuius communioris, quod de omnibus prędicetur, id eueniat, & de illo solo per se dicatur: quamuis ex triangulis solum sit schalenus, isoscheles, & æquilaterum, qui habeant tres angulos æquales duobus rectis, non tamen possumus dicere, quod habere tres angulos de illis prædicetur per se; quia hoc attributum conuenit per se triangulo in communi, & deinde merito communioris ad species refertur: similiter nos dicimus dum partes recipiunt, vel attrahunt excrementa aliarum partium, id non pendere per se à calore, dolore, & vi vacui, sed ab alio cõmuniori à quo vis attrahendi, vel suscipiendi depẽdet; & hæc est imbecillitas: dolor enim reddit partem imbecillem, calor imbecillem, & vacuũ, cum non resistat, in illum, tanquam in locum omnium imbecillimum omnia excrementa confluunt; addas omnes morbos debilitantes, & robur auferentes esse causas, cur attrahantur, vel (vt melius dicamus) recipiantur excrementa.

Altioribus principijs ostenditur dolorem, calorẽ, & vacuum per se non attrahere.

Sola igitur pars mittens propriè habet vires mouendi humores, pars vero recipiens recipiendi, & nequaquam attrahendi: quam sentẽtiam expressit Galenus 2. ad Glauc. cap. 7. dum dixit, humores ex se non habere motum, sed à parte mittente propelli, vel à recipiente recipi, non

Quod pars mittens solũ habeat vires mouendi humores.

dixit à parte recipiēte attrahi, sed recipi. Neque aduersatur nobis Aristoteles 7. phys. dum dicit, omnē motum violentum fieri tractu, pulsu, vel vtroque, quia in exercitiis mechanicis omnes ij tres modi obseruantur. In viuentibus vero corporibus non tractu, sed potius pulsu dicimus moueri humores præter naturam; verum, quia in libro de reuulsione iterum agemus de hac re, hic finem facimus.

Quod sex sint modi, & non plures, quibus pars mittens est fluxionis origo.

Capvt II.

IN superiori capite ostendimus Empiricos de motu humorum loquentes bifariam à veris medicinæ fundamentis deflectere; primò, dum putant humores ex se, & proprio impetu moueri, quod (vt ostensum est) Galeno, & veritati reluctatur. Secundò, dum credunt partes recipientes propriè, & per se attrahere humores præter naturam. Nūc sequitur, vt de parte mittente videamus, quomodo mittat humores: & an semper, dum mittit, læsa sit. Si qua contemplatio medica in curandis affectibus emolumentum præstet, hæc erit; namque, si in qualibet fluxione pars mittens esset læsa, medicus tractans morbum à fluxione factū duas semper deberet ægritudines curare: illam videlicet, quæ est partis recipientis, & illam, quæ est partis mittentis; sin verò nulla est necessitas, quod pars mittens semper sit læsa, non esset in fluxionibus curandis semper eodem modo laborandum.

Tres in primis à Galeno 3. de sympt. causis cap. 4. proponuntur causæ, quibus pars mittens cogitur transmittere humores in alias partes, quæ sunt humorum copia, qualitas mordax, & vtraque simul, scilicet copia cum qualitate mordaci vnita. Dum ab humorum copia tantummodo grauatur expultrix, cogitur transmittere in alias partes, vt sarcina humorum liberetur, & meliorem sanitatis gradum adipiscatur: tūc pars mittens, cum in sanitate confirmetur, nullo medico auxilio indiget. Cęcutiunt tamen, & vacillant Empirici, qui sæpè partes mittentes sanas in omni fluxione curanda importunè tractant præsidiis chirurgicis, & pharmacheuticis. Semperque fluxiones astringentibus putant esse cohibendas, quod sæpè miseris patientibus difficultates, & aliquando exitium adfert: audias quam malè se gessit Empiricus in curanda hac fluxione sanguinea à copia sanguinis solū prodeuntis. Accidit semel cuidam athletæ, vt sanguis copia peccans ascēderet, & per venas capitis in pectus sensim deflueret, & per tussim eijceretur; Empiricus multifariam Athletam lacerabat, primo vtebatur saccaro rosato, syrupo myrtino, & bolo armena, quorum astringentium vsus maximo erat impedimento naturæ tunc rectè operanti. Secundo eadem die dabat philonium, & diacodium, vt sisteret fluxionem, quando natura melius operari non poterat, quam copiosissimum sanguinem minuere;

Vt à copia expultrix molestata expellit.

Vt Empiricus athletam lacerauit.

nuere; nullus error maior fieri poterat, quã, in sanguine copia peccante, nulla qualitate irritante, vti astringentibus, & refrigerantibus, quæ fluxum sanguinem in pectore cohibere possunt. Galenus, qui nos omnia docet præuidit commune hoc erratum Empiricorum; qui materia existente in pectore vtuntur diacodio, & philonio 1. de alimentorum fac. cap. 31. dum loquitur de papauere, à quo diacodium, & philonium suas vires accipiunt, dicit, quod impedit, ne collecti humores è pectore egrediantur; hæc sunt verba; inhibet papauer præterea, quæ ex thorace, ac pulmone tussi expuũtur; maximè igitur mirari debemus Empiricorum nostri temporis inscitiam, quia vt plurimum, dũ collectus est catarrhus in pectore, illico vtantur diacodio, quod inhibet, vt dicit Galenus, quæ ex thorace tussi expuuntur: confert solum diaconum, vt ibidem docet, iis, qui catarrhis fluxu tenui defluentibus, & non fluxis in pectore infestantur, fluxis enim aperienda est via, vt repant, quo expediat iuxta Galenum 2. in 6. de morb. vulgar. tex. 26.

Quando vero humores propellantur, quia solum copia peccent, tum ex libro nono, tum ex sufficienti partium enumeratione cognoscemus: hunc in modum fiet sufficiens enumeratio, non præcessit frigus densans, vel calor liquefaciens, neq; pars mittens fuit valde imbecillis, vel à mordaci qualitate molestata, quod cognoscemus ex methodis traditis in 5. & 6. libris, ergo pars mittens solum ab humorum copia coacta propellit. An vero pars mittens illos gignat humores, vel aliunde recipiat, cognoscemus ex iis, quæ dicta sunt de locis affectis in 1. & 6. libris. Demum quomodo cognoscatur, an in parte mittente sit læsio per cõsensum, vel per essentiam, & vbi collocetur idiopathia, vel protopathia, in 2. lib. cap. 3. proposuimus methodum, qua hæc omnia distingui possint.

Vnde colligi poterit an copia peccent humores.

Secunda causa, qua pars mittens propellit, est qualitas mordax: quam cognoscemus, si viderimus humores æstuare, & ęgrotantes feruescere. Quæ vero esse possit determinata qualitas irritans, & mordax, ex dictis in 6. lib. vbi egimus de signis indicantibus succos calidos, salsos, & adustos cognoscemus.

Quãdo à mordaci qualitate molestatur expultrix.

Tertia causa, qua humores à parte mittente propelluntur, est copia, & qualitas mordax vnita; hanc causã ex signis vtriusq. cognoscemus.

Quarta causa, qua pars mittens sana in alias partes aliquando transmitti humores, est dum ab aliquo externo frigore densatur, & densata exprimit humores; hic mittendi modus differt ab aliis; quia nec copia, nec qualitate peccant humores, dum solum capta occasione frigoris densantis partem optimis viribus munitam, promptè exprimuntur illa excrementa, quæ solum longiori temporis cursu expellerentur. Qui vellet partem mittentẽ hoc modo dispositam medicinis tractare, posset patientem in malam valetudinem trahere. Nos vidimus aliquando optima valetudine præditos, ob aerem frigidum aliquorũ dierum cursum destillatione cerebri fuisse vexatos, qui intra breue deinde spacium absumpta materia, quæ non poterat contineri ob densatas particulas, ab externo frigore sanissimi conseruarentur, quia pars mittens

Vt pars mittens sana mittit humores ob frigus externum.

vndequaque sana erat. Empirici, dum iis præscribunt lotiones, stillicidia, cucurbitulas, & alia id genus pro curanda parte mittente, quæ omnino sana est, in erratum manifestissimum prolabuntur.

Vt pars mittens ob nimiū calorem mittit.

Quinto pars mittens transmittere posset, dū humores ob nimium calorem liquefiunt; in æstate enim dum ardore omnia deflagrant, liquefieri solent humores in alias partes imbecilliores: hic transmittendi modus contingere potest iis, qui habent caput optimis viribus præditum: qui igitur adiungeret parti mittenti hoc modo constitutæ auxilia, posset potius inferre damnum parti, quam prodesse.

Sexto transmittet ob imbecillitatem, quia non potest detinere; imbecillitas vero ab intemperie, & ab aliis morbis potest prodire, de quibus non est hic locus loquendi omnes enim Morborum ideæ cognosci poterunt ex iis, quæ tradita sunt in 1. & 3. libris.

Sex igitur inueniuntur causæ, quibus pars mittens potest esse disposita: quarum tres sūt in causa, quod pars mittens propellat. Tres vero, quod non possit detinere: causæ expulsionis sunt, quæ proponuntur à Galeno 3. de symp. causis cap. 4. scilicet copia, qualitas, vtraque: causæ vero, quibus pars mittens transmittat, quia non possit detinere, est nimium frigus externum, quod densando causa est expressionis excrementorum, & nimius calor externus, qui liquefaciendo crassa excremēta causa est liquefactionis: & imbecillitas partis mittētis, quæ à morbis oriri solet.

A parte mittente fluunt humores, vel quia
- *Expelluntur*
  - *à copia*
  - *à qualitate*
  - *ab vtraque*
- *non possunt detineri.*
  - *à frigore densante, & exprimente*
  - *à calido liquefaciente crassos humores.*
  - *ob imbecillitatem.*

Pro fluxionibus curandis in quot præcipua errata incidant Empirici.

Capvt III.

Declaratis modis quibus pars mittens potest esse fluxionis origo, statim infiniti Empiricorum errores redduntur conspicui, &

& manifesti. Illeque erit manifestissimus, dum adiungunt auxilia parti mittenti sanitate prædita. Sana pars mittens esse solet primo, quando molestata à copia humores transmittit. Secundo est sana, quando exprimit humores, quia à frigore externo condensetur. Tertio, dum transmittit, quia ob nimium calorem externum non possit detinere. Empirici, qui mittenti parti ijs tribus modis dispositæ adiungunt stillicidia, Cauteria, lotiones, & alia id genus, adeo lædunt, vt sæpè in morbum trahant partem mittentem alioquin optima sanitate donatam; nullum fortasse in arte medica est maius erratum, quam partem sanam medicinis tractare, quare, si pars mittēs exprimit humores capta occasione ab externo frigore densante, & fluxionem aliquam efficit, quorsum topica, & alia maiora præsidia vis Empirice adiungere mittenti particulæ? si pars mittens, dum copia molestatur, se exonerat, & fluxū efficit, quorsum eam vis medicari, si ob fluxionem longè robustior euadat; quorsum vteris astringentibus, quæ semper sunt impedimento mittenti parti, ne excrementorum multitudinem pellat? Præterea dum sanguis in pectus decumbit à capite missus, quorsum vteris diacodio, requie Nicolai, quæ impediunt, ne à pectore elidatur; quæ tollunt motum, & fluxionem humorum, cohibentque in pectore sanguinem, qui in putridum thrombum conuertitur; post factam enim defluxionem nihil potest esse scelestius, nihilque magis naturæ inimicum, quam inter proprias viscerum latebras putridos humores coercere.

Vt errant Empirici dū eadem hora contraria administrant præsidia.

Insuper errant Empirici, dum in fluxionibus curandis eadem die & hora plurima, & contraria præsidia administrant, iam secant cubitum, faciunt frictiones, & lotiones varias, deinceps eadem die dant philonium cum recenti theriaca: dant saccarum rosatum cum astringentibus varijs, & eadem hora dant lambitiua; similiter dāt diacodium, quod cohibet materiam in pectore, eodemq; tempore syrupum de liquiritia, penidia, iuiubas, quæ laxant, & contrarium efficiunt; In hæc sane errata non prolaberentur, si in fluxionibus expenderent prius, quomodo sit disposita pars mittens; vbi sint humores collecti, & quomodo sint elidendi.

Epilogus vniuersalis.

Egimus in sex præcedentib. libris de ijs, quę pertinent ad humores. In quinto enim lib. ex saporibus, & periodis ostendimus, quomodo sæpè cognosci possint humores prædominantes; In sexto quomodo per syndromem signorū communium possimus omnes humores, & flatus absco̅ditos in corporis latebris pernoscere. In septimo quomodo ex saporibus, & coloribus humorum misturæ cognoscantur, & quomodo latentes penetrentur, & quot fieri possint. In octauo de humorib. vt substantia peccant. In nono de quantitate. In hoc decimo de motu: etenim hæc fuerūt in prohemio proposita, hæcque videntur esse conferentia pro exacta cognitione peccantium humorum.

Finis Decimi Libri.

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani

DE PRINCIPIIS METHODI medendi à fonte analytico exhauriendis & confirmandis.

LIBER VNDECIMVS.

Prohemium.



CTVRI in quinque sequentibus libris de præstantissima illa Medicinæ parte, quæ pertinet ad solertiam pro inueniendis remedijs: erat necessarium, vt in hoc libello prius ostenderemus, quod à fonte analytico omnes proprietates, & conditiones indicationum, & omnia methodi principia, quorum virtute Galenus, & ante ipsum Hippocrates potuerunt artificiosissimam medendi methodum constituere, exhauriantur; clara enim est opinio Galeni 2. method. cap. 6. vbi proponit, se in tota methodo solum de logica tractaturum: par igitur erat, vt semel videremus, vnde Galenus hanc logicam desumpserit, cuius virtute tàm præclaram medendi methodum potuerit in lucem promere. Deinde ostendemus, quod omnes viæ ab Empiricis, vel Methodicis inuentę pro auxilijs inueniendis vacillent, & in numero paralogismorum collocentur.

De secta Empirica. Tres præcipuæ fuerunt medicorum sectæ, Empirica, Methodica, & Dogmatica: omnes tamē crediderunt, Hippocratē fuisse suæ sectę auctorem. In Empirica floruit Acro, qui, vt dicit Galenus libro de subfiguratione Empirica cap. 1. fuit primus, qui de hac secta scripsit, deinde secuti sunt illum Rasis, Serapio, & alij plures: ij non quærebant causas, quia putabant, illas esse incognoscibiles, sed solum ex syndrome eligebant remedium ab aliis inuentum. Dum laborabant pro inueniendis remediis, ad hæc tria confugiebant, ad αὐτοψίαν scilicet inspectionem propriam, ad historiam, & ad analogismum: vtebantur

analogismo, id est argumento à simili in his tribus, in materiis auxiliorum, in affectibus, & locis affectis.

In Methodica Themison, & Sotanus fuerunt præcipui, temporeque Neronis floruit quoque Thesalus, qui teste Plinio tam grandem pecuniam, & existimationem comparatus est, vt in via Appia in illius monumento de ipso legeretur, quod fuerit ἰατρονίκης, id est, victor Medicorum. Putabant sex mensium curriculo totam artem medicam posse addisci; etenim omnes morbos solum referebant ad communissima, scilicet ad laxum, densum, & ex iis mistum: in iisque quiescebant, neque ad specificas differentias morborum descendebant. *De Methodica.*

In Dogmatica, cuius sectæ auctor re vera est Hippocrates, quem Galenus, Auicennas, innumerabiles sequũtur, alio ingenii acumine, alioque spiritu artem medicam construxit; Empirici enim analogismo fallaci, & deceptorio incedebant; Dogmatici demõstrationibus cum experiẽtia iunctis philosophantur; Methodici in communissimis persistebant; Dogmatici non solum generalissimas indicationes expendunt; sed, vt dicit Galenus 2. method. 7. & 1. meth. 1. & alibi à generalissimis ad subalternas, & à subalternis ad specificas differentias cognoscendas procedunt, habentque artem præclarè fundatam, & in perquirendis remediis seruant veras artis conditiones, exordiuntur à fine, ordine scilicet resolutiuo, & nunquam desistunt, donec ad vltimas perueniant differentias; quem procedẽdi modum esse perfectæ artis conditionem docet Aristoteles 7. meth. text. 23. & 3. de moribus cap. 3. vbi dicit, artis ordinem esse à fine, 6. de moribus cap. 5. & 7. cap. 8. vbi dicit in actionibus finem esse principium, sicuti in mathematicis suppositiones; hoc resolutiuo ordine Galenus, & Auerrhoes in suo colliget totam artem medicam tradiderunt. *De Dogmatica.*

Dogmaticos igitur insequemur, qui virtute indicationum potuerunt hanc frugiferam methodum componere; ostẽdemusque, quod principia methodi, proprietates, & conditiones indicationis à fonte analytico sint exhaustæ, & quod aliæ viæ, quæ per analogismum Empiricum, & experientiam sine demonstratione procedunt, sint ineptæ, eæque per falsos syllogismos, & petitiones principiorum ad communissima errata sectatores perducant, ad quos duos fallendi modos quælibet falsa methodus sit in medicina, sit in physica, & dedenique sit in Iurisprudentia, reducitur; & quælibet bona, & vera virtute logices cognoscetur, quinimmo in nullum prolabemur errorem, qui non accidat ob logices imperitiam: illa enim ex Galeno loco superius citato est omnium methodorum prima radix. *Vt ad duos errandi modos omnia errata reducantur.*

Ostenditur ex Aristotele, & Galeno in methodo per solam indicationem perquiri posse remedia; & nequaquam per experientiam, & analogismum.

Capvt II.

SI vnquam logica facultas aliquid præstitit opis medicinæ, in præsentia summum debet afferre emolumentum, quia agendo de virtute methodi, ne verbum quidem moueri potest; nisi id prius ab analytico fonte desumatur, & secundum leges logicas decidatur: hæc sententia videtur esse Galeni 2. method. c. 6. vbi vtitur iis verbis: de ex-„perimentali inuentione alibi egimus, de logica in his cōmentariis dis-„serere proposuimus: Quod vero in methodo solum per indicationem perquirantur remedia, & nequaquam per analogismum, & experientiam; nunc facile colligi potest ex Galeno 1. method. cap. 4. vbi dicit, institutum esse sermonem habere de remediis, quæ non Empiricè, sed methodo, & per indicationem inueniuntur; quare methodo inuenire erit per solam indicationem auxilia deprehendere, excludit igitur experientiam, & analogismum, quibus Empirici in remediis perquirendis vtebantur: deinde 12. method. 5. habet, si alteratio in spiritu fiat, vel ab aliquo venefico, vel à quolibet alio veneno, esse negotium extra methodum medendi, & ratio est, quia non potest indicatione comparari, sed alio instrumento, experientia scilicet, & analogismo.

Ex Aristotele & Galeno probatur, quod ad methodum pertineat sola indicatio & non experiētia, vel analogismus.

Cæterum, quia ab initio constituimus analyticis philosophari, quibus Galenus quoque potuit methodum, & alia immensa volumina in lucem promere, idcirco ab hoc fonte desumemus rationes, cur à methodo solum indicatio, & nequaquam experientia, & analogismus comprehēdatur. Aristoteles 2. priorum cap. de inductione dicit, methodum habere formam syllogismi. Quo fit, vt merito colligere possimus methodū ab vniuersali procedere, nullus enim est syllogismus qui non sit fundatus in dicto de omni, vel de nullo: colligimusque, analogismum, & experientiam non pertinere posse ad methodum, quia ex particularibus solum procedunt. Insuper 1. priorum loquens de diuisione dicit, quod diuisio est parua particula methodi, quia diuisio est imbecillis syllogismus, ex quibus verbis rectè colligit in illo loco Alexander Aphrodisæus, quod Aristoteles per methodum intelligat perfectum syllogismum, quare non experientia, & analogismi, qui carent virtute illatrice, vt infra melius patebit, spectabunt ad methodum; sed indicatio, quæ non à particularibus, sed ab vniuersalibus procedit.

Ex Galen.

Ex Galeno idem patebit, etenim 4. method. 4. declarans quid sit methodus, dicit, esse viam vniuersalem, prout cuilibet singulari possit applicari: methodus reuera non esset bona via, nisi ab vniuersali ad minus vniuersale cum illatione procederet: cæteræ enim omnes

viæ, quæ à singularibus ad vniuersale procedunt, sicuti sunt exempla, inductiones imperfectæ, analogismi, & experimenta, sunt explosæ, & reiectæ ab optimo syllogismo, vt inconcludentes, & necessitate omnino carentes: methodus tamen, cum à fine ad ordinata in finem procedat, erit syllogismus à priori, & à causa finali procedens, & in numero syllogismorum concludentium collocabitur. Galenus 3. method. 9. causam, impedimentum, & vrgens, quæ vere indicant, vocat fines; indicatio vero, cum ex materia cognita indicantis procedat, ostendit & insinuat remedia, quæ antea erant tenebris inuoluta; sola ergo, & vnica indicatio ad methodum medendi pertinebit.

Amplius illud sciendi instrumentum ad methodum medendi pertinebit, quod est ab vniuersali: ostendi potest exemplis, quod omnia remedia, quæ particularibus applicantur, si aliquid boni, vel mali efficiant, id virtute specifica fiat: si tertiana Socratis tollitur rhabarbari drachma, id fit tum ratione illius specificæ rhabarbari virtutis, tum ratione illius determinati gradus tertianæ Socratis, qui est quid specificum, quia prædicatur de infinitis indiuiduis; infinita enim indiuidua inuenientur tertiana obsessa, quæ illa specifica virtute rhabarbari curari poterunt; omnia itaque remedia, quæ inueniuntur, & omnia inuenta, quæ accommodantur indiuiduis, aliqua virtute specifica operantur. Hinc sapientissimus Galenus, qui profundè omnia nouit libro de optima secta ad Trasyb. capit. 48. de hac re loquens habet, quod à specifico affectu indicetur morborum expulsio; quare si indicatio pro remediis inueniendis desumitur ab esse specifico, & vniuersali, erit syllogismus, & sola pertinebit ad methodum medendi, si enim indicatio à singularibus, & non à specifica natura desumeretur pro morbis pellendis, careret illatione syllogistica, esset incognoscibilis, & omnino vana in remediis perquirendis. Sed, vt res omnibus pateat, experiamur exemplis, an res ita se habeat.

Quod omnia remedia, & omnes morbi naturã specificam habeant.

Si indicatio est syllogismus, requiruntur tres termini ita sibi cohærentes, vt tertius ex duobus inferatur; exempli gratia primus terminus, vel maior extremitas erit remedium; secundus terminus, vel medius erit indicans, ex quo infertur remedium; tertius erit minor extremitas, quæ omnibus subjicitur, & est infimus omnium, quique non solum sub primò, verum etiam sub secundo locatur, eritque indiuiduum aliquod, quod aliquo specifico affectu sit correptum; erit igitur indicatio perfectus syllogismus. Hic ab illis discedimus, qui arbitrantur indicationem esse syllogismum imperfectum; quia in syllogismo imperfecto nulla esse potest bona illatio; valere debet hæc, bona est illatio ratione formæ in indicatione; ergo est perfectus syllogismus: est perfectus, quia ab vniuersali procedit per tres terminos naturales: est perfectus ratione materiæ, quia procedit ex veris, ex notioribus, & causis cognitionis remediorum: est perfectus, quoniam versatur in medio specifico non particulari; & corruptibili, sed æterno, de quo scientia habetur: est perfectus, quia procedit semper à continente ad contenta, perpetuoque habet maiorem vniuersalem:

Ostenditur, quod indicatio sit syllogismus habeatque tres terminos naturales.

Reyciuntur qui putant indicationẽ esse syllogismum imperfectum.

nulla itaque inuenietur condicio perfecti syllogismi ab Aristotele tradita, quæ indicationi non conueniat: quo pacto vero exponi debeat Galenus libro de optima secta ad Transyb. & alibi, dum dicit, indicationem esse comprehensionem iuuantis sine ratiocinatione, antequam huic capiti coronidem imponam, explicabimus.

Ostenditur, per experientiam nihil concludi posse.

Posito, quod methodus seruet naturam perfecti syllogismi, & quod solum virtute indicationis inueniantur remedia, vt probatum est, sequitur, quod reliqua instrumenta experientia scilicet, & analogismus, quæ non seruant syllogisticam virtutem, sint extra methodum: patet de experientia, quia non procedit ab vniuersali: est auctoritas philosophi 1. metap. in principio, quod experientia versetur tantum circa singularia. Præterea experientia, cum procedat ab eodem ad idem, à singulari scilicet ad singulare, nihil concludit, quia petit principium: nunquam valebit, rhabarbarum Socrati contulit, ergo & Platoni; nisi id inferatur merito alicuius specifici indicantis. Indiuidua sunt infinita, & incomprehensibilia, & non operantur, nisi ratione alicuius specificæ differentiæ. Hinc Aristoteles probauit libris priorum ex puris particularibus nil sequi, ratio huius traditur ab Auerrhoe in epitome illorum librorum, qui dicit, quod radix omnium syllogismorum concludentium sit dictum de omni, & de nullo. Præterea ab experientia particularium nil sequitur, quia cum particularia sint corruptibilia, corruptibilem facerent conclusionem, & per consequens scientiam, quæ est fructus conclusionis. Demum nihil ex particularibus infertur, quia particularia sunt contenta, nec aliud continere possunt: omne enim quod infertur, virtute continentis infertur: verum alia plura dicentur in sequenti libro cap. de falsa experientia: satis est nobis, vt hic à methodo, ratione Galeni, & Aristotelis auctoritate experientiam excludamus.

Ostenditur per analogismum nihil concludi posse.

Sicuti experientia nihil concludit, estque extra methodum, quia est Inductio: similiter analogismus erit extra methodum, quia est exemplum; primo non concludit exemplum, quia ex Aristotele 2. priorum reducitur ad tertiam figuram cum conclusione vniuersali, in qua minor nunquam conuertitur, quod est in analyticis monstruosum. Aristoteles quoque amouet exempla à syllogismis, quia ostendunt primum de medio per simile tertio, quod omnino à principiis analyticis abhorret: abhorret, quoniam, si medius terminus est similis, & non vniuocus, fit transitus de genere in genus. In methodo perquiruntur remedia per syllogismum à fine ad ordinata in finem in eodem genere, & meritò, quia contrarium vnius generis non potest esse contrarium alterius: album contrariatur nigro, quia album & nigrum colorum genere conueniunt, non tamen album contrariatur dulci, cum genere discrepet; similitudines igitur differunt genere: quæ vero conueniunt, non possunt dici similia; quia eandem naturam, & idem quod quid est genericum habent; cum igitur analogismus sit argumentum à simili ad simile, nullo modo poterit aliquid concludere: accedit, quod Aristoteles 1. post. tex. 19. dicit, si argumentum debet concludere, debet habere media, & extrema, quæ sunt eiusdem generis.

neris. Huic veritati plurima, quæ dicuntur ab Aristotele in libris post consentiunt; dicit philosophus, conclusionem geometricam ex principio arithmetico inferri non posse, quamuis Arithmetica, & Geometria saltem genere generalissimo conueniant; quanto minus ex medio simili, & analogo aliquid concludi poterit? Sequitur ergo, quod experientia, & analogismus sint extra methodum, careantque virtute syllogistica, & nihil, quod sit ignotum certa illatione notificare possint.

Sed occurrit magna dubitatio, quia diximus, indicationem esse perfectum syllogismum, quod videtur Galeno libro de optima secta cap. 11. & aliis in locis aduersari, vbi dicit, indicationem fieri sine experientia, & ratiocinatione. Respondetur, processum à cognitione indicantis ad cognitionem indicati fieri cum discursu; eum tamen sæpè esse adeo velocem, vt vix à nobis animaduertatur; & propterea dictum fuisse à Galeno esse sine ratiocinio: quod re vera, si omnino sine ratiocinio intelligeretur, à Galeno quoque non admitteretur: nihil enim quod percipitur, est nobis connatum ab ortu naturæ; anima enim nuda, & tamquam tabula rasa in hanc lucem venit; omnia igitur vel comparantur experientia, vel discursu, sed indicatio non comparatur experientia, ergo discursu, eo magis cum non detur alter modus sciendi occulta. Hinc Auerrhoes de communibus principiis, & dignitatibus loquens 2. post. in fine dixit, eorum cognitionem non esse nobis connatam, sed inductione cognosci, tempus tamen inductionis à nobis non animaduerti; quare, si ex Auerrhoe percipiemus per inductionem velocissimam principia notissima, qualia sunt, omne totum est maius sua parte, & similia, cur non poterimus dicere indicationem, quę per experientiam, & inductionem non potest haberi, fieri quoque cum discursu? cogimur alterum duorum fateri, vel quod cognitio indicatorum sit nobis connata, quod est omnino falsum, vel per inductionem, & experientiam acquiratur, quod repugnat Galeno, qui semper distinxit experientiam ab indicatione, vel quod indicatio fiat cum discursu velocissimo, quod est illud, quod volumus: demum exemplum huius velocissimi discursus, qui fit ab indicante præcognito, ad perquirendum indicatum, obseruatur quoque in demonstratione propter quid, dum scilicet ab effectu notiori procedimus ad cognoscendam causam, & deinde ab illa regredimur post mentalem quandam considerationem ad effectum, sicuti Aristoteles à motu æterno Motorem æternum cognouit, & deinde regrediens à Motore æterno ad motum æternum demonstrationem propter quid formauit, quæ potest vocari verum cuiusque discursus exemplar.

Dub.

Sol.

Referuntur attributa indicationis, & logica virtute detegitur erratum illorum, qui morbos in causas diuidunt.

CAPVT III.

GALENI auctoritatibus, & rationibus ab altiori schola desumptis, ostensum est superius, quod methodo procedere non sit per experientiam, vel analogismum, sed per solam indicationem remedia inuenire. Sequitur itaque, vt ex animo in hoc libello declaremus conditiones, & proprietates huius frugiferæ, & fructuosæ indicationis, quando eius præcognitio tam admirabilem vtilitatem nobis pollicetur. In perfacili cognitione sanè versaremur, si satis nobis esset referre, quæ à Galeno de indicatione sapientissimè traduntur.

Quæ sint precipua attributa indicationis.

Audias quam paucis potissima fundamenta, quæ ad veram indicationem pernoscendam nos ducunt, possint ex Galeno huc transferri: 2.meth.7.& plerisque in locis in optima perquirenda indicatione docet, non esse transeundum de genere in genus, sed esse diuidenda generalissima in subalterna eiusdem generis, & hæc in specifica, ex quibus solum colligi possunt præsidia: 9.method.14. quod nunquam in facienda hac indicantium diuisione sit transeundum de genere morborum, in genus causarum, nec versa vice, de quo principio in hoc capite agemus: libro de optima secta ad Transyb. cap. 48. dicit, quod non à generalissima, vel subalterna indicatione, sed solum à specifica indicetur morborum expulsio: 1 meth.5.dicit, de ratione indicantis esse, vt sit notius indicato: libro de optima secta cap.40.& 2.method. cap.13. quod vnum indicans indicet vnum contrarium, & non plura: 4.method.3.quod debeat esse præsés: 3.method.1.quod sit illud quod curatur: 7.method.12. quod omnia indicantia debeant referri ad tria scilicet ad vrgens, ad causam, & ad impedimentum. Demum 1. method.9.quod symptomata sint accidentia morbi, & non indicent: libro verò 11.cap.12. quod symptomata nullam habeant subsistétiam, & semper sint in fieri: & tandem 3.method.cap.1.& alibi, quod bona indicatio sumatur ab essentia indicantis, & nequaquam ab eius accidentibus: per hæc præcipua fundamenta Galenus potuit methodum, vel artem perquirendorum remediorum nos docere; potuitque inde tot ac tanta de arte medica in lucem promere,

Ego autem conuertens mentis aciem ad hæc methodi arcana, & videns, quod omnia, quibus nixus est de indicatione referre pendeant ab analytico fonte, vt ipsemet Galenus 2.method.cap.6.testatur; optimum factu existimaui, si ostendero, quod omnes conditiones indicationis, quas iam recitauimus, à logica pendeant, & quod altiori veritatis robore possint confirmari. In primis se offert, vt explicemus, quibus principiis commotus voluerit, indicantium diuisionem fieri in eodem genere, nullo vnquam transitu de morbis in causas commisso; sed

ſe; ſed à generaliſſimis ad ſubalternas, & ab iis ad ſpecificas perueniendo indicationes. Hæc diuiſionis indicantium conditio non vno loco à Galeno propoſita multoties ab Ariſtotele confirmatur: 2. enim poſt. text. 19. docet, quod quid eſt inueniri non poſſe, niſi facta diuiſione in eodem genere: ſi igitur naturam, & quod quid eſt indicantis pernoſcere voluerimus, opus erit eandem philoſophi præceptionem ſeruare: nunquam enim remedium inuenire poterimus, niſi quod quid eſt indicantis præcognoſcamus. In eodem genere indicans, & indicatum, quod eſt eius contrarium inuenitur: & merito indicantis percipitur indicatum; quare, ſi fiet tranſitus de genere in genus, neq; indicans, neque indicatum inuenietur: non indicans, quia, vt tale, non eſt, niſi in vnico genere: non indicatum; quia contrarium vnius generis nunquam poteſt eſſe contrarium alterius: quia ex Ariſtotele in prædicamentis genera, eorum differentiæ, & proprietates ſunt omnino impermiſcibiles; debet igitur diuiſio fieri in eodem genere. *Prima ratio à logica deſumpta, qua oſtendit non eſſe tranſeundum de genere in genus.*

Præterea idem quoque hac experientia confirmatur, nigrum non opponitur calido, nec album frigido: quia genera colorum, & primarum qualitatum inter ſe differunt: tanto minus proprietates generaliſſimorum generum ſibi inuicem aduerſabuntur: magnum, vel paruum, Dominus, vel ſeruus, quæ pertinent ad oppoſitionem relatiuam, non opponuntur calido, vel frigido; quia genere differunt. His motus Galenus 9. method. 14. dicit, quod nullo modo morbus debeat diuidi in cauſas; quia morbus, & cauſa genere differunt: docet iis verbis Galenus hoc analyticum arcanum: affectus verò haudquaquam in cauſas deduci eſt aptus, ſed in differentias, nam aut in ſimilaribus conſiſtit partibus, aut in inſtrumentariis: in ſimilaribus eſt temperies. &c. O quam ſæpiſſimè rudiores noſtrates in vitioſam hanc diuiſionem incidunt: ſunt enim qui diuidunt febres hoc modo, alia eſt bilioſa, & alia eſt melancholica. Sunt præterea, qui diuidunt intemperies dicendo, quod alia ſit cum materia, alia ſine materia, quæ diuiſiones ſunt vitioſæ; quia fiunt cum tranſitu de genere in genus; intemperies enim eſt morbus, humor peccans eſt cauſa efficiens; quod erratum adeo Ariſtotelis & Galeni principiis repugnat, vt omnino ſit inexcuſabile. *Secunda ratio.* *Analyticum arcanum à Galeno confirmatum.*

Inſuper 2. poſt. cap. 8. docet, nunquam diuiſionem eſſe faciendam per differentias, inter quas cadit medium, quia erramus, vel ſupponendo aliquod falſum, vel ſuperfluum adiungendo, vel aliquid adimendo; ſi igitur diuiſerimus morbum in differentias alterius generis, dabitur medium in differentiis, vnde fiet error addendo ſuperfluum, vel adimendo aliquod neceſſarium requiſitum, & nunquam indicans, vel indicatum inuenietur. Idem colligemus ab exemplo Ariſtotelis propoſito in eodem cap. vbi dicit, ſi animal diuideretur in has differentias, quod habeat penas ſciſſas, vel integras, diuiſio redderetur vitioſa; quia diuideretur per differentias accidentales. In qua diuiſione duo eſſent errata, primum quia fieret tranſitus de genere in genus; animal enim eſt ſubſtantia, habere penas eſt accidens Secundum, quia habere penas ſciſſas, vel integras non ſunt diffe- *Tertia ratio.*

rentiæ animalis, sed auium, eæque accidentales; accedit, quod indicata non sunt accidentia illius generis, in quo indicans collocatur: sed sunt species, de quibus genus prædicatur in quid, & per se primo modo; æquè enim de colore prædicatur albedo, vt nigredo. Quod arcanum nos docet subtilissimus Auerrhoes, qui loquens de numero prædicatorum primi modi dicendi per se, dicit hæc quinque in eo inueniri, genus proximum, differentiam proximam, differentiam remotam, genus remotum, & totam definitionem: exempla pro his quinque prædicatis declarandis essent, si de febre diceremus, quod esset morbus, quod esset morbus similarium, quod esset intemperies, intemperies calida, & quod esset intemperies calida, & sicca omnium partium corporis: omnia hæc prædicata, quamuis subalterna genera essent centum & vltra, dummodo sint eiusdem generis, & reduci possint ad aliquod ex quinque prædicatis, erunt primi modi; omnia enim vnicam naturam, & quidditatem declarant: similiter ita in primo modo est hæc propositio, homo est rationalis, vt hæ, homo est viuens, est sensitiuus, & est substantia. His primis motus principiis Galenus dixit, quod à generalissimis ad subalterna, & ab iis ad specifica sit descendendum, vt essentia indicantis inueniatur: optimè nouerat, quod omnia vniuoca prædicata in generibus proponuntur, vt specifici indicantis naturam melius declarent, & melius indicata seu remedia insinuent.

Quarta ratio. Quæ vero dicuntur de morbis non possunt accommodari causis antecedentibus, quia causæ, & attributa, quamuis explicent, & insinuent morbi naturam, in eodem modo dicendi per se de morbo non prædicantur; bilis efficiens tertianam de febre tertiana prædicatur in quarto modo, id quo locantur causæ efficientes, quæ loco aliquando à causatis separantur; nunquam tamen inuenietur attributum essentiale explicans essentiam in primo modo dicendi per se, quod loco, vel definitione à proprio genere, vel subiecto separari possit. Cum igitur causæ efficientes, & attributa morbi essentialia genere differant, contrarium vnius non reluctabitur alteri: hinc quod reluctatur febri non est necessarium, vt reluctetur bili, vel pituitæ, est tamen necessarium, vt reluctetur febri, vt est intemperies, & vt est morbus: hinc contrarium, quod destruet hominem, destruet vt est animal, & substantia: omnia enim genera, & differentiæ remotæ, & proximæ vnitæ formam specificam constituunt; vltima enim differentia est epilogus omnium propriorum generum, & differentiarum existentium in eadem linea prædicamentali: alienæ verò differentiæ erunt accidentia, quia solum suis generibus, & speciebus per se conueniunt; nisi dicamus, quod proprietates generum sint permiscibiles, quod est omnino à philosophiæ principiis alienum. Quibus rationibus motus Galenus, qui omnia ab hac altissima philosophia desumpsit, dixit, quod non sit transeundum de genere in genus in specificis indicantibus,

Definitio differentia vltima.

dixitque

dixitque 1. method. 3. quod nullo modo conueniat capere indicationes ab accidentalibus differentiis.

Præterea, vt in tanto negotio aliqua vtamur solertia, alia adiungamus, vt quæsitum aliis analyticis principiis roboretur: si non licet morbum diuidere in symptomata propria, quæ immediatè à morbo semper dependent, & in secundo modo dicendi per se de ipso prædicantur, quanto minus licebit diuidere morbum in causas efficientes, quæ minus adnexæ sunt morbis, cum loco aliquando separari possint à morbis; & in quarto modo de morbis prædicentur? Ille igitur, qui transibit de genere causæ in genus morbi, vel vice versa nunquam inueniet indicans, vel indicatum proprium, neque sciet leuissimum, & facilimæ curationis morbum certa, & infallibili methodo curare: quia indicans, & indicata sunt in proprio, & non alieno genere; ratio singularis, cur, si quis perquireret remedium in alieno genere centum annorum tractu, illud nunquam inueniret, est, quia vni contrario vnica sola est contrarietas, quæ genere conuenit; de quo tanto principio in hoc libello in proprio capite secundum easdem leges logicas tractabimus. *Quinta ratio.* *Sexta ratio.*

Ab iis rectè præcognitis facilè colligere poterimus quoties rudiores medici in perquirendis propriissimis indicationibus à recta philosophandi ratione deflectunt. Sed, vt aliquis famosus error ab imperitia logices dependens notetur, afferatur talis, qui satis communis est: quidam putant, magnitudinem morbi per se primo indicare pharmacum, & venæ sectionem: primo errare videntur, quia vni vnica est contrarietas; ipsi tamen putant venæ sectionem, & pharmacum æquè adversari morbo magno. Secundò, quia transeunt de genere in genus, morbus magnus est vnum genus, venæ sectio, cum euacuet, primo respicit causam, & est aliud genus. Tertio, quia morbus magnus est differentia subalterna, in qua non est persistendum, vt paulo post in proprio capite ostendemus; affectus præter naturam vehemens, indicat remedium vehemens & magnum, remedium verò magnum, & vehemens est subalternum, quod diuiditur in pharmacum, & venæ sectionem, vel in alias auxiliorum species. Quarto, quia contrarium, quod reluctatur indicanti, inuenitur in specificis, & non subalternis differẽtiis, qualitas enim prædicatur vel de colore, vel de sapore, contrariũ dulci nõ potest reluctari colori albo, quia, in eodem genere, sub quo nõ datur aliud subalternum, inueniũtur contraria specifica; sub coloris genere non est aliud genus, sed solum sunt colores, qui specie inter se differunt, & in quibus resident contrarietates illarum specierum. Quinto, si remedium magnum est indicatum, quod ab affectu præter naturam vehementi, & magno per se indicetur, ergo venæ sectio per accidens indicabitur à morbo magno; hactenus enim non est inuentus tam rudis philosophus, qui rationem illam analyticam reiiceret, quæ est, quod vni per se, alteri per accidens conueniat, quare ea posita, sequetur necessario, morbum magnum primo, & per se venæ sectionem non indicare, cum ab illo primo, & per se indicetur ma- *Vt errãt, qui putant magnitudinem morbi indicare per se primo pharmacum & venæ sectionem.* *In quo genere contraria sibi inuicem aduersantia inueniãtur.*

gnum remedium: quo pacto verò se res habeat; & quomodo defendi possit Galenus, dum dixit, magnitudinem morbi indicare venæ sectionem, in sequenti libro declarabimus.

Septima ratio. Tandem, vt aliis analyticis rationibus confirmemus, quod transitus de genere morborum in causas non possit concedi, nõ omittemus illam Aristotelis præceptionem textus 20. primi libri post. quæ est, quod nunquam possit probari conclusio geometrica per principium arithmeticum: vult enim eo loci, quod media & extrema sint eiusdem generis; quare, si medius terminus, qui docet nos passionem propriam, est eiusdem generis, quanto magis in cognoscẽdis specificis indicantibus, quæ cum suis generibus in primo modo dicendi per se conueniunt, debemus procedere per ea, quæ sunt eiusdem generis?

Octaua ratio. Præterea, si nõ licet ex philosopho in demonstrationibus vti principiis communibus pro cognitione passionis, sicuti ab illo ostenditur in famoso illo paralogismo Brisonis de quadratura circuli, quanto minus licebit transcendere, vt cognoscamus proprium indicans? sed melius, quanto minus licebit transcendere in cognoscenda non dicam passionem indicãtis, sed naturam ipsiusmet indicantis, quę est medius terminus ducens nos ad cognitionem remediorum? Hæc itaque sunt principia, cur potuit Galenus firmiter sustinere, quod in diuisione indicantium nunquam sit transeundum de genere morborum in genera causarum.

Vnde in logica desumatur, quod à generalissimo, vel subalterno genere affectus præter naturam non indicetur curatio.

Cap. IV.

Galenvs 1. ad Glauc. cap. 1. refert, quod tribus modis in perquirendis indicationibus rudes medici possint errare: primo, dum vitiosè diuidunt transeundo de genere morborum in genus causarum, vel versa vice, de quo errandi modo egimus superius. Secundo, dum in generalissimis indicationib. persistunt. Tertio, dum in subalternis. Nunc sequitur, vt eadem virtute logica duo hæc sequentia errorum genera explodamus: pertinet quoque hoc ad analyticum fontem, quia, qui rerum naturas specificas perquirunt, & in genericis stant, in duos impingunt scopulos, scilicet in petitiones principiorum, & in falsos syllogismos.

Vt incidant in principij petitionem, qui ad specifica non perueniunt. Quod petant, patet, quia, quod conuenit superiori supponunt inferiori adaptari posse: exemplũ est, dũ dicunt, tertianã indicare calefaciendũ, & exsiccandũ, quod non conuenit tertianæ, vt tertiana, sed vt est intemperies calida, & sicca, quod est genericum; tertiana enim est species intemperiei calidæ, & siccæ. Horum Medicorum erratum est vnum de tribus erroribus circa vniuersale, quod ab Aristotele 1.

post.

post.cap.5.est reiectum. Sed vt res elucear, exemplis tractetur: tertiana erit calida vt duo; hæc intemperies, si expelli debeat, non casu, & fortuito eligitur auxilium refrigerans, quia ex omnibus refrigerantibus, quæ sunt sub orbe Lunæ vnicum solum dabitur, quod erit huic tertianæ contrariũ proportionatum & iuuãs; est enim inter auxilium, & morbum illa proportio, quæ est inter causam efficientem, & effectum, quam proportionem Aristoteles ad quartum modum dicendi per se retulit; causa igitur non erit causa illius effectus, vel auxilium non erit auxilium tertianæ, nisi fuerit proportionatum, & proprium, quod ei soli conueniat; qui igitur in genericis indicationibus stant, non inuenient auxilium, quia illud proprium. & proportionatum refrigerans à solo gradu caloris tertianæ colligitur, quod est quid specificum, & nequaquam genericum; nimium, vel exiguum frigus nunquam inducet sanitatem, quia nimium efficeret nouum morbum, exiguum tertianam non vinceret; quare, cum nulla sit proportio inter indicans specificum, & auxilia generica, auxilia generica nullam vim, nullamque necessitatem operandi habebunt: neque generica indicantia nobis insinuare poterunt auxilia proportionata, & vera.

Præterea auxilia (& hæc est potissima ratio) specifica, quæ sunt causæ sanitatis, in nullo modo dicendi per se de indicantibus genericis prædicantur; non in primo, quia auxilia, vel indicata respectu morbi sunt causæ efficientes; in primum enim solum internæ causæ ingrediuntur: non in secundo, quia indicata sunt causæ efficientes externæ: non in quarto, quia nulla est proportio (vt probauimus) inter causam specificam, & affectum genericum, ergo in nullo, ergo non inducent sanitatem, quia nullam cum affectibus habebunt proportionem. *Ratio polytica.*

Amplius, qui à genere desumit indicans specificum in paralogismum incidat oportet; colligitur ab Aristotele 2. post. 12. vbi apertè reiicit consequẽtiam à genere ad speciẽ; vtitur Aristoteles hoc exemplo, si quis probaret glaciẽ esse in aqua, quia in aqua est defectus caloris, incideret in paralogismum cũ principij petitione, quia, qui dubitat de glacie, eodem prorsus modo dubitabit de defectu caloris, etenim medius terminus, quo aliquid inuenitur, non potest esse definitio maioris extremi, sed ratio quidditatiua subiecti, vel causa aliqua extrinseca: qui probaret in Luna esse eclypsim, quia in illa sit priuatio luminis, faceret demonstrationem ridiculam; quia esset per definitionem eclypsis; qui igitur colliget remedia, exempli causa, à pleuritide quatenus est inflammatio, & pleuritidi remedia generica applicabit, expressum transitum à genere ad speciem, qui nullo modo ab Aristotele admittitur, committet. *Vt paralogizent qui ab affectibus genericis remedia colligunt.* *Prima ratio.*

Præterea, si indicatum genericum esset accommodatum indicanti specifico, sequeretur quod indicans non vnum indicaret, sed plura; scilicet genericum, & specificum, quod reluctatur Galeno Aristoteli, & rationi. Galeno libro de optima secta ad Trasyb. cap. 40. & alibi, vbi dicit, vnum indicare vnum, & non plura. Aristoteli quia 1. de cœlo *Secunda ratio.*

virtute huius principij, quod vni vnum sit contrarium, inuenit cœlestia corpora non constare ex eminentiis elementorum, vt Plato censuit; sed esse quintam essentiam omnino distinctam ab elementis. Rationi, quia in omni genere vniuoco inuenitur, quod vni vnica sola est contrarietas. In colorum genere sola albedo aduersatur nigredini, & non alia coloris species. In saporum genere dulcedini sola amarities reluctatur. In aliis qualitatum generibus mollitiei durities, lentori friabilitas, grauitati leuitas, crassitiei tenuitas, asperitati lenitas, & raritati densitas; neque in superioribus generibus inuenientur aliæ differentiæ, vel species, quæ iis reluctentur. Verum, quod vnum indicet vnum, altioribus rationibus desumptis ab analyticis primordiis in proprio capite colloquemur.

Tertia ratio. Insuper, si omne calidum, quod est in nostro orbe, est tale, vel in primo, vel secundo, vel tertio, vel quarto gradu, ergo omnia erunt specifica, & non generica; probauimus superius, quod quilibet determinatus gradus prædicetur de pluribus numero differentibus; vt quid ergo volumus indicationes à genericis haurire?

Quarta ratio logica. Quod verò, qui à genericis colligunt auxilia incidant in falsos syllogismos, patet, quia progressus à communibus indicatis pro specificis indicantibus tollendis est à causa remota: cadet igitur discursus in argumentum à positione consequentis ad positionem antecedentis: nunquam valebit hæc consequentia, est calidum, ergo est calidum vt duo; valet tamen à positione antecedentis ad positionem consequentis, scilicet est calidum vt duo, ergo est calidum.

Vnde sit, quòd à singularibus non hauriantur indicationes, sed solum ab affectu specifico.

CAPVT V.

QVOD à specifico affectu indicationes solum desumantur, nos docet Galenus non vno loco, & præcipuè libro de optima secta ad Trasyb. cap. 48. vbi apertè dicit, morborum expulsionem à specifico affectu indicari, & optima cum ratione; quia, quæ methodo traduntur, sunt vniuersalia, & nequaquam singularia. Galenus 4. method. 4. vocat methodum viam vniuersalem, nos quoque superius logica virtute probauimus, indicationem desumi ab vniuersalibus; ostendimus tamen, quod hæc vniuersalia, à quibus indicationes desumuntur, non possint esse generalissima, vel subalterna, sed solum specifica.

Hic par est, vt examinemus, an à singularibus possint desumi indicationes: occasio, quæ nos mouet ad hoc quærendum, est, quia omnes morbi videntur prima facie esse indiuiduorum, & sola indiuidua omnibus videantur sanari, vel mortem obire, & non species. Quod igitur à singularibus nullo modo indicationes possint desumi, patebit

in primis,

in primis quia de singularibus nec methodus, nec ars, nec scientia dari potest. Scientia enim ex Aristotele 1. post. est æternorum: deinde omne remedium, quod aliquem particularem hominem potest curare, & omnes morbi indiuiduorum quasdam sortiuntur naturas specificas æternas, quæ aliis infinitis indiuiduis contingere possunt: Exemplum, Socrates quartana detinetur, assarique, vel carthami vsu liberatur, dicimus, quod hæc natura quartanæ Socratis, quæ hoc remedio tollitur, in sexcentis aliis eadem sit, eodemque remedio auferri possit; nullum enim indiuiduorum proprium est, nisi hic & nunc; reliqua omnia sunt specifica, & infinitis aliis communicabilia. Galenus altissimis rationibus in methodo probauit à loco, & tempore non sumi indicationes, sed à substantia; vultque quod indicans sit specificum, & sit illud, quod curatur; de qua re altiori philosophia paulo infra agemus.

Si particularia curarentur, ars medica esset vana.

Insuper si particularia curarentur, illorum indicationes nobis remedia non ostenderēt; quia non datur progressus à particulari ad particulare; esset igitur ars medica omnino vana, & ridicula; etenim si inductio, quæ procedit à multis particularibus, & exempla, quæ ab vno ad vnum saltem procedunt, non valent, suntque ab Aristotele, quia non fundantur in dicto de omni, & de nullo, à recto concludēdi modo reiecta; quanto magis, si curarentur particularia eorum indicationes particulares, quæ nullum supponerent processum, scilicet neque à multis, neque ab vno deberent explodi?

Cur ars medica difficilis sit.

Hinc Galenus 9. meth. cap. 6. dicit, in vniuersalibus esse methodum medendi, in particularibus verò solum methodi exercitium; & ratio est quia in quolibet ægrotante plurimi specifici affectus commiscentur. In Socrate quartana correpto erit specificum aliquod temperamentum omnino diuersum ab aliis, eritque ætas, consuetudo, robur, habitus corporis, anni tempus, constitutio, causæ, loci, symptomata, mores animi, humorum motus, & aliæ specificæ naturæ, & conditiones, quarum aliquæ in multis inueniuntur, rarò tamen omnes; quo fit, vt ars medica multis reddatur difficultatibus obstructa: hæc est causa, cur Galenus 2. meth. 7. & 1. meth. cap. 1. dixit, quod in quolibet ægrotante debeamus methodum exercere, & applicare non indiuiduis, sed naturis specificis in ipsis contentis: exercitium fiet distinguendo, & separando plurimas affectuum species simul in particularibus confusas; quibus cognitis fiet quoque expendendo, atque librando, quæ indicantia magis possint, quæ prohibeant, & quæ debeant conseruari: de quo indicantium æquilibrio in quintodecimo libro examen instituemus. In hoc loco satis nobis sit, vt colligamus, quod à specifico tantum affectu indicetur morborum, & causarum omnium expulsio, & quod ab indiuiduis nulla vnquam possit indicatio colligi.

Vnde sit, quod indicans vnum indicet.

CAPVT VI.

SATIS clara atque prænitens est Galeni sententia, quod vnum indicans, vel vnicus affectus præter naturam vnum tantum indicatum seu remedium, quod idem est, indicet, & vnum indicatum ab vnico indicante solum indicetur, 9.method.c.12.habet, conferentis indicatum semper dari ex quaque re indicationem: & libro de optima secta ad Tralyb. vnum jndicare, quia vni vnum tantum aduersatur. Rationes verò, quæ nos docent, & cogunt ad dicendum, quod vnicum tantum indicatum ab vnica essentia indicetur, ab altiori schola sunt desumendæ; etenim huius cognitionis merito mille difficultates, quæ animos rudiorum perturbant enodari poterunt: proponitur itaque quæsitum, quod vnum indicet vnum, intelligendo quatenus vnum, quod est respectu vnius, & eiusdem, ad id idem, & secundum idem, eodem modo, & eodem tempore, quibus omnibus seruatis vnum indicat vnum, alioquin vnum posset indicare duo, tria, quatuor, & centum respectu scilicet diuersorum: tertiana febris, vt intemperies calida, indicat refrigerandum, vt sicca, humectandum, vt biliosa, euacuandum; vt à tenui bile fit, incrassandum; vt à putrida, ventillandum; vt bilis mouetur in partem principem; reuellendum, & alia plura indicata ex vnico morbo respectu diuersorum colligi possent. Hinc à Galeno in methodo sæpè repetita est illa sententia quod tot debeant esse methodi, quot morborum ideæ, simplicemque ideam vnum indicatum indicare, plures plura.

Quomodo vnum indicet vnum

Cæterum videamus, quomodo ab Aristotelis philosophia hæc indicantis conditio, quod vnum indicet vnum, habeat exordium: indicans & indicatum inuicem sibi aduersantur, suntque contraria; at ex Aristotele 1.de generat.tex.51.contraria sunt in eodem genere, & in vnico genere non possunt esse plura duobus, dulce aduersatur amaro, & in saporum genere non inuenietur aliud, quod contrarietur amaro, nisi dulce; vni ergo vnum aduersabitur, & non plura, indicans igitur, cum insinuet nobis, quodnam sit contrarium, quo possit vinci, & superari, contrariumque vnicum tantum sit, vnicum indicabit, & non plura.

Sed vlterius est quærendum, cur scilicet in vnico genere vnica tantum sit contrarietas: patebit hoc ex definitione contrarietatis, est enim Aristotelis 10.metaph.tex.13.contrarietatem esse maximam differentiam eorum, quæ sunt sub eodem genere: similiter Temistius 1.phys. 47. dicit, quod contraria sunt, quæ eiusdem generis extremas margines obtinent: & D.Thomas in Meteorolog. dicit, quod contraria sunt duæ formæ maximè distantes in eodem genere, vt calidum, & frigidum in genere primarum qualitatum, album & nigrum in colorum genere; quare cum maximè differentia in vnico genere sint duo tantum

Vnde ab Aristotele Temistio & D. Thoma colligitur quod vnum indicet vnum.

tum extrema, in quolibet genere duo tantum erunt opposita, & vnica erit contrarietas, quare vnum, si indicet contrarium, non potest nisi vnum indicare: media vero, quæ sunt inter hæc extrema, non reluctantur extremis; nisi id fiat participatione extremorum: albo enim contrariatur cæruleus, & viridis, quatenus hi colores medij nigro participant: Hinc Aristoteles 8.phy.64.dicit, quod contraria se mutuo corrumpunt, & impediunt, vt motus, qui est sursum destruit motum, qui est deorsum; motus tamen in latus non impedit motum, qui est sursum: hinc est, quod in vnico genere solum duæ extremæ margines sibi aduersantur, ea vero, quæ sunt aliorum generum, cum sint, (vt ita dicam) in latus, & non in longum, non erunt extrema, & per consequens sibi inuicem non aduersabuntur. His principiis philosophus nouit, quod vni vnum tantum sit contrarium. Iis 1.de cælo deprehendit motum circularem non esse naturalem elemento ignis; sed aliunde pendere, quoniã, si esset naturalis, sequeretur primo, quod vni duo essent contraria, motui scilicet circulari ignis rectus deorsum, & sursum. Secundo, quod simplicis corporis duplex esset motus, scilicet rectus, & circularis, quod est omnino impossibile; ab vnica enim simplicissima natura duo prodire non possunt, per hæc principia philosophus altius eleuatus inuenit motũ circularem cœlo conuenire per se: & cum motus primo, & per se à natura pendeat, coactus fuit quoque dicere, cæli essentiam esse quintam, & nullo modo, vt censuit Plato, ex eminentiis elementorum constare. Hoc principio, quod vnum, vt vnum det vnum, & non plura, Aristoteles 2.post. in principio collegit definitionem dare tantum quid, probatque deinde quid neque per demonstrationem, neque per alia instrumenta posset haberi. Verum ex dictis oritur dubitatio, quia non videtur, quod in vnico genere vnica tantum sit contrarietas. In genere enim primarum qualitatum duæ sunt contrarietates, & per consequens quatuor contraria, altera enim cõtrarietas est in actiuis, altera in passiuis, vt calidum aduersatur frigido, & humidum sicco. Respondeo, quod in quolibet genere vno vnica est contrarietas, intelligendo de genere vniuoco, & proximo, infra quod non est aliud genus, sic dicimus in genere primarum duo esse genera, alterum actiuarum, quod in se vnicam contrarietatem conseruat: alterum passiuarum: vel dicimus in vno genere, vnicam esse contrarietatem respectu vnius, & eiusdem, ad idem & secundum idem.

Cur ea, quæ sunt alterius generis sibi inuicem non reluctentur.

His principiis non animaduersis non est mirum, si in scholis sæpe rudiores conterant tempus argumentis probabilibus: exemplum tanti erroris erit, si ob oculos ponamus cribratam illam difficultatem, an magnitudo morbi indicet venæ sectionem, & pharmacum: qui esset persuasus ab Aristotele, & Galeno, quod vnũ non possit indicare plura, tempus non mitteret in legendis magnis voluminibus quomodo magnitudo morbi indicet sectionem venæ, & pharmacum. Sed illico decideret, magnitudinem morbi indicare magnum remedium:

& deinde non primo, & per se sectionem venæ, sed secundario, decideretque aliud esse indicans venæ sectionis, si vnum indicetur ab vno solo: verum, quia de hac re alibi verba fecimus, ostendimusque, quid dici possit de indicante venæ sectionis ideo non est, vt iterum acta agamus.

A quibus rationibus pendeat, quod indicans debeat esse notius indicato.

Capvt VII.

Ratio est ab auctoritate philosophorum.

SI in medicis contemplationibus satis esset nobis summæ auctoritatis viris concredere, in hac re possemus in Galeni, & Aristotelis sententia conquiescere. Galenus enim 1. method. 5. habet hæc verba, quoniam omnes morbi curationem inuenire propositum est, necessarium est prius morbi naturam scire: & 13. method. 6. à methodo excludit, quæ à tota substantia operantur, cum eorum essentiæ sint ignotæ, & sexcentis aliis in locis affirmat, naturam morbi prius esse cognoscendam, veluti 1. de artic. comm. 32. ante curationem duo esse cognoscenda affectum scilicet, & locum affectum. Indicans igitur, vel affectus præter naturam, si eius remedium perquirere voluerimus, debet præcognosci.

Rationes analyticæ ostendentes, quod indicans debeat esse notius.

Præterea ex iis, quæ superius ostendimus, indicans est medius terminus, quo indicatum seu auxilium morbi perquirimus, at de ratione medij termini ex Aristotele tres sunt conditiones: prima, vt sit notior: secunda, vt sit causa cognitionis illius, quod quærimus: tertia, vt sit adæquata. Verum, quia argumenta ab auctoritate, vt docet Aristoteles 1. topic. cap. 1. sunt probabilia, & non demonstratiua. proponenda erit ratio, quæ possit ostendere, cur indicans debeat esse notius indicato, & hæc est; nisi indicans erit notius, ergo erit, vel æquè ignotum, vel ignotius, alter non datur modus: si ignotius, aliud non poterit inferri, nisi illud, quod Aristoteles 1. post. cap. 3. contra sophistas probauit, scilicet si est hoc, est hoc: putabant sophistæ, quod omnia sciri possent per demonstrationem, scilicet inferendo ex principiis conclusionem, & ex conclusione principia, quorum procedendi modus erat cum petitione manifestissima præmissarum: non possumus cognoscere principia demõstrationis, quę sunt notissima ex conclusione, quæ ignotior est. Aristoteles 2. post. efficacissimis rationib. illos reprehendit, qui ex principiis notioribus non procedunt, quinimo text. 3. videtur reprehendere Xenocratem, qui vtebatur syllogismo duplante, in quo vnica definitio probatur per aliam pro cognoscenda animæ natura; & definitio, quæ erat medius terminus, erat ignotior conclusione; hæcque erat, numerus se ipsum mouens est principium vitæ; anima est numerus se ipsum mouens, ergo est principiũ vitæ; nullo modo igitur ex principio ignotiori aliquid concludere possumus: patet similiter alio exemplo, quod ex æquè

ignotis

ignotis nihil inferatur, veluti quando probaretur, quod anima esset immortalis, quia sit impassibilis: æque notum est nobis, quod sit immortalis, ac impassibilis: demum Aristoteles tenet non solum demonstrationem, verum etiam definitionem esse ex notioribus nobis; quare, si ex indicante inferimus remedium, est necessarium, si bona fuerit illatio, vt indicans prius sit nobis notum indicato.

A quibus rationibus analyticis pendeat hæc indicantis conditio, quod indicans debeat esse præsens.

Capvt VIII.

Qvod indicans debeat esse præsens est Galeni 4. methodi 3. hæc sunt verba: à nullo eorum, quæ adhuc non permanent, sumitur indicatio remedij ex vsu: 3. method. 1. habet, quod illud, quod indicat sit illud, quod curatur; aliquid sanè non curatur, nisi sit præsens: præsentia igitur erit accidens inseparabile indicantis. Neque obiiciant, quod Galenus dicat 4. methodi cap. 3. præsentis esse curationem, futuri verò præcautionem & prouidentiam, proptereaque dari indicantia, quæ dici non possunt præsentia. Quia respondemus, quod nos præcauere possimus morbos futuros, curando malas dispositiones, quæ, licet minentur futurum morbum, sunt præsentes. Galenus de phrenetici dispositionibus libro de morb. vulg. verba faciens, hæc consignauit memoriæ: mirabile est, quod hi morbi subito inuadant sanos, subdit: sed mala hæc pedetentim crescunt in corpore, vt in morsis à cane rabido: deinde dicit, in hoc corpore fuit coaceruatus humor lethali veneno similis, & cum factus est malignus, repentè apparuit lethale symptoma: qui phrenetici morbum hūc futurum anteuertere voluisset, fuisset operæpretium dispositiones præsentes remediis auferre, & non symptoma, vel phrenesim, quæ adhuc non aderat: ad eundem modum, si præcauere voluerimus colicum dolorem, qui ex vitrea pituita fieret, præcauebimus euacuando viscosam pituitam, quæ est præsens, quæque degenerare potest in vitream, vt indicans perpetuò debeat esse præsens: nunquam in morbos incidunt homines, nisi habeant antea viscera disposita. De Sileno hæc dicit Galenus, vtique non incidisset in morbum grauissimum, nisi antea fuisset paratum corpus: dispositiones igitur sunt omnium morborum semina præsentia, & ab iis quatenus instant, & sunt præsentes sumuntur indicationes præcauendi futuros morbos.

Quod indicans debeat apud potentias. quia Gal auct. Obiect. Sol.

Quomodo ex altioribus Aristotelis principiis deduci quoq; possit, quod indicans non indicet, nisi sit præsens, patet, quia alio modo indicata seu remedia pernoscere non possumus, nisi per indicantia, quæ mediorum terminorum vices subeunt, sed sic est, quod auctoritate Aristotelis 2. post text. 11. & 1:. media, & extrema sunt congenita, & eiusdem temporis, & vbi non sunt congenita, consequentiæ non va-

Prima ratio analytica ostendēs quod indicans sit præsens.

lent; ideo si remedium præsens non colligetur ab indicante præsente, sed à futuro, vel præterito erit nullum, & nullas habebit vires in pellendis morbis; sed vt hac profunda Aristotelis doctrina omnia confirmemus, in exempla conferamus præceptum Aristotelis traditum loco citato, vbi dicit, quod vana & ridicula esset illa demonstratio, quæ fieret ex medio præterito, & quæsito præsente, exemplum est, si quis probaret esse eclypsim, quia fuerit interpositio terræ: similiter vana esset, si quis ex medio futuro quæsitum præsentem vellet colligere, sicuti si quis diceret, est eclypsis, quia erit interpositio terræ: ad eundem modum dicimus, cum indicans sit medius, vnde indicatum seu remedium colligitur, sequi necessario, si bona illatio esse debeat, quod eo modo, quo remedia sunt præsentia, eo sint quoque indicantia. Insuper ex Aristotele 2. post loco citato, si causa temporis momento præcederet effectum, propositio fieret accidentalis, & nihil inde sequeretur: quod esset accidentalis patet, quia non esset de omni: exemplum, si animal rationale temporis momento prius esset risibilitate, hæc non esset vera, animal rationale est risibile, quia posset esse animal rationale, & non risibile; non esset de omni, quia duæ conditiones requiruntur in prædicatis de omni, altera, vt effectus semper prædicetur de illo subiecto, altera, vt prædicatum omnibus indiuiduis illius speciei competat. Hinc quoq; fit, quod si aliqua differentia temporis esset inter indicans, & indicatum, quod vnum scilicet esset præsens, & aliud præteritum, vel futurum, vel vice versa, indicans non esset indicans illius indicati, & illud indicatum non posset inferri ab illo indicante, quoniam nihil infertur, nisi saltem fundatum sit in dicto de omni; expedit igitur, vt indicata, quæ vera, bona, & propria sunt, debeant esse simul tempore cum indicantibus, si ab illis inferri debeant. Neque aliquis obiiciat ex Aristotele 2. post. text. 11. quod aliquando sint demonstrationes, in quibus causa præcedit tempore effectum, ibi enim philosophus, vt hoc declaret, dat exemplum, & dicit: à Mediis infertur bellum Atheniensibus ob hanc causam, quia Athenienses bellum gesserunt aduersus Sardes: ecce, quod causa est præterita, & effectus præsens. Respondemus, Aristotelem proposuisse illud exemplum, vt causas externas explicasset; apud Aristotelem sæpissimè exempla falsa sunt, dummodo Aristoteles via exemplorum declaret quod proponit, sint falsa, aut vera exempla, nullæ vnquam ei curæ fuit: Aristoteles centies repetit in libris post. propositiones demonstrationis debere esse per se, vel saltem de omni: dum dicitur, Athenienses semper pati bellum à Mediis, dum ipsi irruunt in Sardes, hæc non est de omni; quoniam posset contingere, vt in Sardes irruerent, & nullum inde à Mediis bellum paterentur. Concludimus ergo, quod ex iis, quæ non sunt de omni, nihil inferri possit, quia non sunt congenita, & quod remedia, quæ ex indicantibus inferuntur, debeant inferri ab indicantibus præsentibus, & non futuris, vel præteritis, vt erat probandum.

Secunda ratio analytica.

Obiectio.

Sol.

Posita hac veritate, eaque confirmata analyticis principiis, facilè apparebit

apparebit multorum medicorum vanitas, dum consulunt quid sit faciendum post tres, vel quatuor dies, cum sæpè post horam omnia varientur indicantia: persæpè incidunt in illud erratum, dum à præteritis indicantibus hauriunt remedium: falluntur ægri, qui à Medico absente consilium petunt; interim antequam consultationes scribantur, ex morbo morbi succrescunt, & aliquando contraria emergunt indicantia, vnde Medici consilium ægrotanti redditur perniciosum. *Errata illorum, qui à præsentia indicantis non hauriunt remedia.*

Ostenditur, quod indicans non sit externum, sed sit illud quod curatur.

CAP. IX.

QVOD indicans in methodo medendi sit illud, quod curatur apertè docet Galenus 3. method. 1. iis verbis, absurdum est asserere, aliud esse quod indicat, & aliud quod curatur. Quo fit, vt 4. meth. 3. dicat, nullam extrinsecam causam, qualis est aer, locus, anni tempus, & alia id genus, indicare: ratio, cur externa non possint indicare, est quia indicantia debent inueniri in genere affectuum præter naturam, facta scilicet diuisione generalissimi in subalternas differentias, & harum in specificas, in quibus solum indicantia inueniuntur, sicuti ex Galeno libro de optima secta cap. 48. ostendimus. Qui igitur ab externis indicationem desumerent, transirent de genere in genus, quia externa in affectuum genere non continentur. *Prima ratio analytica cur externa causa non indicent.*

Præterea omnia externa sunt singularia, & vt singularia ex Galeno non indicant; ratio analytica, quæ fallere non potest, ex eo pendet, quia indicata inferuntur & colliguntur ab indicante, sed sic est, quod nullus datur inferendi modus à particulari ad particulare, ergo externa, quæ sunt particularia non indicabunt. In iis non datur inferendi modus, quia omnis illatio ex Aristotele fundari debet in dicto de omni, vel de nullo. Exemplum, erit indicans, quod insinuat remedium frigidum, vt duo, quod esse potest lactuca, hepatica, aer hyemalis, & infinita alia externa, hæc tamen non indicant, tum, quia sunt infinita, tum, quia illa debent appellari remedia, quæ primario indicantur à specifico aliquo affectu præter naturam, calidum vt duo erit specificum indicans post quod aliud non est in methodo cognoscibile: hoc indicat frigidum vt duo sunt inferiora, vt lactuca, & alia, de quibus in methodo agi non debet, sed in libris de simp. med. fac. & alibi; hæc igitur erit quoque causa, cur externa non indicent. *Secunda ratio analytica.*

Præterea illa tantum ad methodum pertinent, quæ indicatione comparantur, sed externa non sunt huiusmodi, quia sunt singularia circa quæ non versatur indicatio, sed experientia, ergo ad methodum non pertinent. *Tertia ratio.*

Amplius, si externa in methodo medendi essent indicata, sequere- *Quarta ratio.*

tur, quod vnum indicans haberet duo indicata, quod est inconueniens, quia superius ostendimus, quod vnum indicans indicet vnum indicatum, & non plura: quod vero vnum indicans haberet duo indicata, patet, quia esset indicatum specificum, & externam materiam remedij, quam putas tu esse remedium. Exempli causa, frigidum vt duo erit indicatum specificum: lactuca vero, aër, vel alia extrinseca causa erit aliud, quod destrueret non solum medendi methodum; verum etiam totam philosophiam, vt in capite proprio ostendimus.

Quinta ratio. Insuper logicis firmissimis principiis hoc reluctatur, quia primo post. cap. de tribus erroribus circa vniuersale Aristoteles dicit, quod error est attribuere superiori, quod inferioris est: calidum vt duo indicat frigidum vt duo, & hæc paria sunt; dum vero putas ab indicante calido vt duo indicari lactucam, aberras, quia lactuca est quid inferius, & merito frigidi vt duo, quod est specificum, refrigerat, frigidum enim vt duo potest persistere sine lactuca, quia, vt alibi ostendimus, quodlibet inferius accidit suo superiori, & superius sine vllo stare potest.

Sexta ratio. Demum locus affectus, aër; quæ externa sunt per accidens prædicantur de morbo, vel causa. Exempli gratia, inflammatio accidit pleuræ, nullus igitur est nexus inter locum, & morbum, vel causam; quare, qui pro curandis morbis colligerent curatiuas indicationes à loco affecto, inciderent in elenchum accidentis, perinde ac, si arguerent hoc modo: omnis albedo est color, homo est albus, ergo homo est color, quod est ridiculum, quoniam hæc sententia, scilicet quidquid prędicatur de prædicato prædicatur & de subiecto, in accidentalibus non habet locum: ad hanc paralogismi formam reducimus erratum illorum, qui indicationem à loco affecto desumunt, qui hoc modo posset formari: omnis morbus indicat; pars corporis est affecta morbo, ergo pars corporis indicat, nam sicuti albedo est accidens hominis; sic morbus est accidens partis corporis: & sicuti color est prædicatum per se morbi, quatenus est causa efficiens pellens morbum, vel causam, quæ in quarto modo dicendi per se habent locum: quod de loco affecto dictum est, de aëre, de ætate, & de cæteris est dicendum: quod scilicet solum ea indicent, quæ curantur, quæ sunt in facto esse, & quæ sunt in eodem genere præter naturam: ea vero sint indicata, quæ sunt specifica, & quæ in aliis infinitis particularibus inueniri possunt: nisi omnes hæ conditiones indicantis, & indicati obseruentur: neque indicans, neque indicatum erunt vera indicantia, & vera indicata: oc-

Prima dub. *Secunda.* currunt duæ dubitationes: altera, quia ex Galeno, causa non videtur indicare curationem, sed præseruationem, quo fit, vt non videtur verum, quod omne, quod indicat, curetur: altera, quia Galenus dicit, ab aëre sumi indicationem curatoriam: habet enim 9. method. 14. hæc verba, tres sunt scopi curatorij hauriendi, à morbo scilicet, à temperatura, & ab aëre; quod est contra illud, quod diximus: tollitur prima

Sol prima. dubitatio, quia omne quod indicat est causa; morbus enim indicat,

quatenus

quatenus est causa symptomatum. Causa vero antecedens, quatenus est causa morbi: & quamuis Galenus dixerit, causam præseruationem, morbum curationem indicare; attamen 2.aph.comm.22. vocat garrulos illos, qui disputant de iis nominibus: dicit enim ibi, quod causarum quoque abolitio dici potest curatio; vbique Galenus nominum michrologiam reprehendit; nos vero acturi de hac re in lib.15. altioribus fundamentis nodum hunc enodabimus: tollitur secunda concedendo, quod aër indicet extra methodum medendi; quemadmodum temperatura indicat sui conseruationem, sic aër est contemperandus, & vt talis conseruandus; quæ consideratio potius pertinebit ad libros de tuenda sanitate; vel dicimus aërem indicare morbi naturam, & non indicatum, de quo loquimur. *Sol. secunda.*

Vt altioribus principijs probatur symptomata non indicare.

CAP. X.

QVOD symptomata non indicent, Galenus in methodo non vno loco docet: 2.method.cap.4. habet indicationem prȩsidij nō desumi à symptomatibus, sed solum ab ipsa substantia, per substantiam intelligens morbum, à quo tamquam à proprio subiecto enascuntur symptomata: 3 method.1. dicit, quod indicans sit illud, quod curatur, symptomata, cum non curentur, sed morborum ablatione auferâtur, nullo modo indicare poterunt. Præterea illud quod curatur est permanens, & cum vocetur à Galeno substantia, est independens, & in facto esse; symptomata vero sunt accidentia in fieri, dependentia, insequentia morbum, vt vmbra insequitur corpus: quod sint accidentia, & insequentia, substantiam, est Galeni 1.method.9. dum dicit, sanis quidem nobis accidentia, ægrotantibus symptomata nuncupantur: confirmatur quod accidentia semper pendeant, & sint in fieri ex nominis æthimologia, quia accidens Græce dicitur συμβαίνω; id est simul veniens, sicuti cum subiectis accidens simul venit, semper dependet, & semper fit; similiter symptomata simul veniunt cum morbis, semper ab illis dependent, sunt in fieri, & morbis ablatis, omnia cessant esse; nihil igitur symptomata, vt talia sunt, indicabunt. *Ex Galeno probatur symptomata non indicare.*

Insuper alia sunt principia, eaque altiora, quæ nos omnino cogunt ad dicendum, quod symptomata non indicent: audite, omne quod indicat in arte medica indicat contrarium positiuum, & non priuatiuum, quæ enim opponuntur priuatiuè, non sibi inuicem destruunt; dum nos quærimus remedium contrarium, illud non solum expiscamur, quod indicanti, vel morbo potest aduersari; verum etiam, quod possit in certamine illud vincere; at sic est, quod omne, quod est in fieri, nullum habet esse positiuum, ergo nullum habebit contrarium positiuum, omnia enim; quæ sibi aduersantur, debent esse positiua & in facto esse, alioquin, cum non sint, non poterunt sibi contrariari. *Cur symptomata, cum sint in fieri, non indicent.*

Sed clarius, omne quod est in fieri est in fluxu, at oppositio, quæ obseruatur in iis, quæ sunt in fluxu, sunt duo termini, scilicet à quo, & ad quem, quorum alter cum sit præsens, alter cessat, vel corrumpitur, & per consequens sibi inuicem reluctari non possunt, quare nunquam dabitur hoc contrarium, quod posset symptomata, quatenus sunt in fieri, & dependentia, depellere: vt quid igitur Empirici symptomata curant, si non dantur symptomatum remedia?

Sed eadem solertia præstat, vt dilgramus, an symptomata indicent, audite, illud, quod propriè & per se insinuat aliquid, non potest aliud genere diuersum insinuare, sed sic est, quod symptomata propriè insinuant morbos, ergo non insinuabunt remedium, quod à morbo, vt ostendimus, genere differt. Præterea ab eo, quod est per accidens, non potest sumi indicatio, quia nulla scientia, & nulla infima ars ita rudis esse potest, vt aliquid colligat ex accidentalibus; oportet enim ex propriis, & ex iis, quæ sunt per se procedere, si aliquid inuenire, voluerimus, alioquin frustra tempus teremus: quod tanto magis in methodo medendi debet obseruari, quanto Galenus 2. methodi 7. dicat, indicationem esse organum inuentionis, cuius merito remedia debent perquiri. Indicatio sanè non posset esse organum inuentionis nisi esset syllogismus concludens aliquid, quod erat prius ignotum.

Ratione logica ostenditur quod symptomata non indicent.

Porro, qui indicationem haurient à symptomatibus semper incident in Elenchum, in quo sumitur non causa pro causa. Exemplum, alui fluor est symptoma; qui à symptomatibus sumunt indicationem, dicent, fluxum semper indicare remedium astringens, & arte medica omnino ignari astringentium vsu aliquando arcebunt commodam naturæ euacuationem, & aliquando interficient: causa fluxus est bilis, à qua deberet sumi indicatio; quare cum à symptomate illam hauriant sumunt pro causa non causam.

Qui à symptomatibus sumunt indicationes incidunt in elenchum nō causam pro causa.

Amplius, quod symptoma nullo modo indicet remedium, nec remedium indicetur à symptomate, patebit, quia vel considerabitur symptoma vt finis, in quem remedia dirigi debeant, vel vt effectus superabilis, & vincibilis à remedio, quod secundum hunc sensum est causa efficiens; dicimus, quod quocunq; modo consideretur est necessarium, vt indicans, & indicatum sibi inuicem respondeant in aliquo modo dicendi per se: omnes enim causæ, quæ sunt veræ, quæ aliquid efficiunt, & quæ aliter se habere non possunt sub aliquo necessitatis gradu debent contineri: omnes conueniunt philosophi, quod causæ externæ, vt efficientes, & finales sint in quarto modo dicendi per se: videamus ergo, an symptoma possit dici causa finalis in quem remedia dirigi debeant, & an remedium possit dici causa efficiens superans, & vincens symptomata: quod symptoma non possit esse propositus finis, est Galeni sententia 3. meth. 9. vbi dicit, quod in affectibus præter naturam triplex sit solum proponendus finis, causa scilicet, illud sine quo non, & vrgens, sub qua distinctione symptoma, vt symptoma nō collocatur. Præterea symptoma non potest esse finis, quia de ratione finis est, vt sit quid vltimum, independens, quo adepto quiescimus, at symptoma est accidens

depen-

dependens à morbo, est quid posterius, & in fieri, ergo non erit finis in quẽ remedia dirigi debent. Insuper quãdo remediũ tollit morbũ, accidit remedio vt symptoma quoq; tollatur; cõsideratũ igitur remedium, vt dirigitur in finem, respectu symptomatis erit accidens, & non causa; quare si nullus erit progressus ab accidente ad accidens, nullus quoque erit à remediis ad symptomata. Auerrhoes enim in famosa quadam digressione contra Themistium redarguit demonstrationem ab accidente ad accidens vt vanam, & chimericam: fundamentum huius rationis est Aristotelis 4. Meta. text. 14. vbi dicit, quod nunquam accidens est accidentis accidens: nullum accidens, vel nullus effectus de effectu, vel alio accidente per se dicitur, erit igitur causa finalis petenda à subiecto, quod est indepẽdens & vltimum, quódque non sit in fieri: si demum dixerimus, quod symptoma sit effectus vincibilis à remedio, & hoc modo symptoma indicet contrarium, iam ostendimus superius, quod oppositio contraria versetur inter terminos positiuos, & non priuatiuos, quare cùm symptoma sit in fieri, remedium, quod est positiuum, symptomati non reluctabitur: nulla sanè est sub cœlo potentia, quæ, corporis eadem manente præsentia, eius vmbram posset destruere.

Demum, si indicata agerent in symptomata, vt in contraria; sequeretur, quod symptomata agerent quoque in indicata: sunt Aristotelis hæc verba, faciunt autem & patiuntur contraria ab inuicem: sed sic est, quod symptomata sunt in fieri, ergo non agent; agentis enim proprium est, vt sit in facto esse, si agere debeat: patet ergo symptomata non indicare.

Quibus logicis principiis probetur, locum affectum in methodo curatrice non indicare.

CAP. XI.

SI satis mihi esset protritas Galeni sententias consulere, hic acturus, an locus affectus in methodo medendi indicet, possem cum aliis, in verbis magistri conquiescere: clarissimum enim est apud Galenum, locum affectum indicare conseruationem, & nequaquam contrarium: causa, cur omnia ad examen logicum in hoc libello reuocamus, est Galenus, qui 2. methodi cap. 6. & alibi proponit in tota methodo agendum de logica, par igitur erat; vt semel videretur, quænam esset hæc logica, cuius virtute Galenus tam præclaram methodum edere in lucem potuit.

Quod ex Galeno locus affectus non indicet, in primis patebit, quia 3. meth. 1. dicit, quod solum, quod curatur, indicat contrarium; à medico enim solum causa, & morbus curantur, indicant contrarium, partem verò affectam simile, vt conseruetur. *Prima ratio.*

Amplius morbi & causæ sunt accidentia separabilia locorum affe- *Secunda.*

ctorum, ergo à loco affecto non indicabitur remedium morborum, & causarum; pleura enim sine pleuritide, & pulmo sine peripneumonia esse possunt: nec valet, pleura est affecta præter naturam, ergo est inflammata; pulmo est læsus, ergo peripneumonia: cum igitur accidat, vt pleura inflammetur, si à pleura affecta, vel ab alio loco affecto procedemus ad inueniendum remedium pleuritidis, vel alterius morbi, vel causæ, incidemus semper in enthimema ex signo solubili omnino explosum atque reiectum ab Aristotele.

Tertia Insuper si locus affectus indicaret, sequeretur quod idem indicaret duo contraria; modo enim pars corporis redditur affecta ab intemperie calida, modo frigida; modo patitur adiapneustiam; modo ecphraxim, quam reclusionem Græci vocant; si igitur locus affectus indicaret in methodo curatrice, idem in affectibus contrariis indicaret opposita, quod esset inconueniens.

Quarta. Amplius, si quis diceret, pleuritidem indicare phlebotomiam quia pleura sit affecta, idem est, ac si diceret, hominem esse risibilem, quia sit Italus: causa hic à loco desumpta est omnino extranea, & falsa. Aristoteles 2. Post. tex. 25. dicit, quod, qui referunt causam non adæquatam pro adæquata tripliciter errent, vel dum afferunt causam partialem pro totali, vel dum pro proxima afferunt causam remotam, vel extraneam, sicuti est locus respectu locati, hæcque postrema est aliis deterior.

Quinta. Postremo indicata desumuntur vel ab essentia indicantis, vel à consequentibus essentiam; at locus affectus neque pertinet ad essentiam indicantis, neque ad ea, quæ consequuntur essentiam; ergo ab illo non debent desumi indicata: non ad essentiam; quia vnum indicat vnum; locus affectus indicat plura, quia pluribus; iisque contrariis affectibus premi potest; non ad ea, quæ consequuntur, quia quæ consequuntur quatuor sunt, & alia non dantur, suntque actio, passio, præsentia, & subsistentia non loci affecti, sed causæ peccantis.

Vnde sit, quod quid agendum debeat necessariò desumi ab essentia specifica indicantis.

CAPVT XII.

Vt ex Galeno probatur, quid agendū desumi ab essentia specifica indicantis

QVOD desumatur ab essentia indicantis quid agendum, non vno loco à Galeno colligi potest: dicit enim libro de optima secta ad Trasyb. c. 48. quod à specifico affectu indicetur morborum expulsio, at sic est, quod affectus specificus est eius essentia, ergo quid agendum ab essentia indicātis desumitur. Cæterū ad altiora methodi principia mentis aciem conuertamus: dicit 4. methodi 4. quod methodus, vt methodus, est via vniuersalis cuilibet particulari applicabilis: quare si methodo inquirere est per indicationem, & viam vniuersalem procedere, vt in limine huius libelli quoque probauimus, sequetur, quod reme-

remedium methodo inuentum ſit vniuerſale, & non particulare, & ſi vniuerſale, ſit quoque eſſentia; omnia enim, quæ ſupra particularia collocantur, ſunt eſſentiæ, & naturæ vniuerſales, vel quidditates rerum, non infinitæ, vt ſunt particularia; ſed finitæ; non corruptibiles, ſed æternæ, & quæ ſolæ artibus, & ſcientiis ſubiiciuntur.

Præterea illud quod indicat contrarium eſt forma, ergo à forma, quæ eſt rei eſſentia quid agendum deſumitur: patet ex Ariſtotele, D. Thoma & Themiſtio, qui dicunt; quod contraria ſunt duæ formæ extremæ in eodem genere. Inſuper cum ex Galeno probatum ſit, à cognitione indicantis inuentionem remediorum pendere, ſequetur, quod indicans ſit medius terminus, quo peruenire poſſumus in notitiam remedij: remedium vero ſit maior extremitas, & ægrotus minor; ab indicantis igitur natura, & eſſentia ſolum colligere poterimus remedium pro cura huius, vel illius ægrotantis. Amplius, patet, quod hæc eſſentia, à qua colligitur quid agendum, non ſit ſupra ſpecificam eſſentiam, neque infra, ex iis, quæ ſuperius probata ſunt; patet quoque quod quid agendum, vel remedium, quod indicatur ab eſſentia ſpecifica indicantis, non debeat eſſe ſupra ſpecificam naturam & eſſentiã; quia in eoſdem errores incideremus, ſicuti diximus de indicantibus genericis; incideremus enim in diminutam diuiſionem, in petitionem principij, in ſecundam figuram ex duabus affirmatiuis, & applicaremus indicatum genericum ſpecifico alicui morbo, quod eſſet à ratione alienum: exemplum huius erroris eſt, dum rudiores deſumunt remedium intercipiens à materia fluente, putantque inueniri intercipiens genericum & commune, quod poſſit omnibus fluentibus humoribus ſatisfacere, quod intercipiens genericum eſt quid ſuperius, & hactenus neque à Galeno, neque vnquam ab alio inuenta eſt materia iſtius auxilij intercipientis, nam ſi incraſſando intercipere voluerimus, tunc indicabitur à materia tenui; ſi aſtringendo, ab anguſtante auxilio; quare non ſat eſt, vt colligamus eſſe intercipiendum, niſi intercipiens auxilium (cuius materia eſt occulta) diuidatur in craſſefaciẽs, & anguſtans, vt illud ſpecificum inueniamus remedium, quod non ab eſſentia generica, ſed ſpecifica indicatur; generica enim reſpectu inferiorum ſubeunt materiæ vicem, ipſaque non ſunt, quæ rem complent, quæ rem conſtituunt; quia nunquam ſunt conuertibilia, ſola ſpecifica ſunt illa, quæ omnia conſtituunt, & ab illis effluunt operationes; quoniam per illa ſunt, & conſeruantur; ea igitur, vt naturalis, erit conſeruanda, & vt præter naturam contrariis corrigenda.

Rationes analytica probantes quid agendum ab eſſentia ſumi.

Materia intercipientis, vt eſt intercipiens eſt occulta.

Vt errant, qui plura tribus indicantia faciunt.

CAPVT XIII.

IN nulla artis medicæ parte plures ſe offerunt difficultates excutiendæ, quàm in hac contemplatione, quæ ad medendi methodum pertinet, quãuis Galenus omnia reddiderit clara, & prænitentia: cauſæ ſunt, quia noſtratum plurimi non in primis fontibus medendi me-

thodum addiscunt, sed vel ex librorum indice, vel ex paruis rudiorum hominum opusculis, vel ex eorum sermonibus colligunt aliqua perperam intellecta de indicatione. Ex Galeno 10. methodi 2. vbi de putridis febribus loquitur, dicit, tria tantùm esse indicantia, scilicet morbum, causam, virtutem: quæ sententia infra quoque confirmabitur altissimis philosophiæ principiis: nihilominus non desunt qui putant suffulti verbis Galeni perperam intellectis; plura alia indicantia dari, quæ ad illa tria non referantur, sunt qui, sed importunè defensant, indicationem desumi in Therapeutica à loco affecto, ab ætate, ab aëre, à morbi magnitudine, à morbi temporibus, à consuetudine, & similibus; vt in nostratum medicorum cócionibus audiuimus, & in opusculis impressis legimus. In hæc errata non prolaberentur; si ad potiora methodi exordia, & fundamenta respicerent. Quis, vbi hoc principium pernosceret, quod omne, quod indicat in Therapeutica curetur, diceret locum affectum, ætatem, aërem, tempus anni indicare? Quis vbi comprehenderet hoc aliud, quod indicans vnum indicet, diceret, magnitudinem morbi propriè indicare, cum Galenus dicat 4. methodi 6. magnitudinem morbi indicare purgationem, & sanguinis detractionem, quæ duo sunt: si de propria indicatione esset locutus, non sibi constaret 9. methodi 12. vbi dicit vnum indicatum ab vno indicari, & non plura. Quis denique præuiso, quod infra remedium specificum nullum sit indicatum, sed tantum materiæ indicatorum, quæ non ad methodum medendi pertinent, sed ad alias medicinæ partes, diceret ab aëre, ab ætate, & similibus sumi indicationem? quę omnia methodi fundamenta à Galeno sunt disertissimè (vt superius ostendimus) declarata, & pro virili nostro analyticis rationibus confirmata.

Occasiones, quod plura tribus indicantia faciant, sunt nonnulla Galeni loca prauè intellecta. Galenus enim 13. method. 16. habet, coindicantia esse virtutem, ætatem, aërem, & consuetudinem, statim altiori Galeni philosophia spreta, plurimi rudiores colligunt ętatem, aërem, & consuetudiné indicare: similiter habet Galenus 3. meth. 3. in vlcere cauo sumi indicationem à loco affecto: similiter colligunt locum affectum indicare: vidét 9. meth. 14. referri à Galeno, quod indicatio specifica sumatur ab ætate, consuetudine, & ab aëre, ideo statim colligũt, hæc omnia indicare, & per consequens indicantia esse plura tribus: Causa erroris istorum est, quia indicans sumitur dupliciter, vel pro affectu, cui primo reluctatur indicatum, & de hoc est in methodo loquendum, vel sumitur indicans pro signo indicante affectum præter naturam, quod indicans non indicat remedium, sed indicat naturas affectuum, illósque manifestat, & declarat; de quo indicante omnes scientiæ, & facultates agunt, & hoc non est illud, quod contrarium indicat, & ad methodum pertinet: ostendimus cum Galeno superius, quod de ratione veri indicantis sit quod curetur, & sit forma opposita remedio: ætas florens non indicat venæ sectionem; 4. de ratione vict. 19. dicit, secanda est vena, quando ætas est florens; quia vt plurimum

Indicans sumitur dupliciter.

in ætate

in ætate florente virtus est adeo robusta, vt facilè ferre possit sanguinis euacuationem; accidere tamen potest, vt ætas florens sit viribus confracta, & non sit signum perpetuæ veritatis, ætas igitur erit, vt plurimum signum indicans, quod venæ sectio tutò fieri possit: similiter tempus nō per se indicat remedium; dicit enim Galenus 4. methodi 4. quod tempus non indicat per se; quinimmo cap. 5. eiusdem libri habet, in vlcere diuturno inueniri iuuans, vel remediū non ex diuturnitate vlceris, sed ex tali vitio succi, ecce quod succus, & non tempus indicat iuuans remedium, quamuis tempus diuturnum possit esse signum mali succi: eadem dicimus de aëre: dum quispiam patitur vlcus, & aër tūc sit humidissimus, aër est signum in vlcere intensiorem humiditatem fieri, quæ deinde humiditas indicat exiccans remedium, quod sit validius. Cæterum quorsum hæc disputatio, cùm doctrina Galeni sit aperta, & perspicua? ex Galeno (vt diximus) 10. methodi 2. tria tantùm enumerantur indicantia, à causa videlicet, à morbo, & à virtute desumenda; ergo cætera, vel ad hæc reducentur, vel erunt signa significantia morbum, vel causam & non remedium.

Quod tria sint indicantia, potest analytica virtute sic confirmari: causa, cur termini ad conficiendam optimam demonstrationem, neque plures, neque pauciores tribus requiruntur, est, quia nihil fieri potest, nisi tria conspirent, scilicet causa quæ efficit, res effecta, & subiectum: analytica enim principia omnia ad vnguem declarant, vt esse possint extra animam: quod verò causa efficiens in medicina à re effecta distinguatur patet, quia à se inuicem sunt separabiles; febris putrida efficit hecticam, abit, & remanet hectica: seruabitur ergo inter causam, & morbum nexus quarti modi dicendi per se; exemplum erit ædificator, ædificium, & materia ædificij: morbus, causa, & subiectum viuens: iis tribus res constant, & quilibet discursus, nisi sit deceptorius, iis tribus formatur, si quis addiderit quartum in paralogismum cadet; si quis adimet tertium, ex duobus nihil fieri poterit. Medici igitur est, contrariis duos terminos, scilicet causam, & effectum dirimere, tertium, quod erit subiectum, conseruare. Cætera omnia præter tria proposita erunt vel antecedentia, vel signa consequentia, quæ de natura eorum non sunt: sicuti de ędificio dicimus, tempus & magnitudinem non pertinere ad naturam ædificij; sed ad signa an facile, vel difficile erui possit, ędificium tēporis vetustate ferè absumptum indicabit facile, recens difficile erui posse: magnitudo ædificij indicabit difficultatem, quę sunt signa ostendentia naturam ędificij, natura deinde ædificij, quatenus ex lignis, & marmoreis lapidibus constat, varia indicantur; etenim, vt lignea igne, vtque marmorea ferro esse demollienda: ad eundem prorsus modum tria sunt indicantia causa, morbus, virtus; magnitudo morbi, vel tempus morbi indicant naturam morbi, sed non remedium, quo destrui possit morbus, quod est illud, quod quærimus in methodo medendi.

Ratione analytica ostenditur quod indicantia non sint plura tribus.

Finis Vndecimi Libri.

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in analogiſmis, & experimentis perquirendis,

LIBER DVODECIMVS.

Quid ſit analogiſmus Empiricorum, & quomodo formetur.

CAPVT I.

IXIMVS, quod à variis medicorum ſectis tria fuerint obſeruata inſtrumenta pro inueniendis morborum remediis, ſcilicet indicatio, analogiſmus, & experientia. Oſtenſum eſt in libro ſuperiori, quod indicatio erat inſtrumentum certiſſimum; quia omnes eius conditiones, & proprietates firmiſſimis analyticis principiis conſentiebant. Modo, vt differant hæc inſtrumenta inter ſe, & quantum valeant, ſecundum eaſdem leges logicas examinabimus.

Vt differt analogiſmus ab indicatione, & experientia.

Differt indicatio ab analogiſmo, & experientia; quia per indicationem colligitur remedium ab indicante præcognito; niſi enim indicans prius rectè cognoſcatur, non poſſunt remedia per indicationem perquiri: hinc tota Galeni methodus, quæ ſolum per indicationem inuenit remedia, tradit quoque modos cognoſcendi omnia indicantia præter naturam; quia ſolum illis præcognitis remedia cognoſcuntur: remedia vero, quæ per experientiam inueniuntur, non à præcognitione indicantis; ſed ab aliorum obſeruatione colliguntur; verbi cauſa, ſi viderimus, quod aliquis vſu portulacæ ſtupore dentium

tium fuerit liberatus, & deinde cæteros eodem stupore correptos iuuare videamus, tunc dicemus fuisse inuentum per experientiam, & non per analogismum, quod portulaca iuuet. Quæ demum per analogismum perquiruntur, non pendent ab obseruatione eiusdem affectus, sed à similitudine quadam; analogismus enim ex Galeno libro de opt. secta, & alibi, est comprehensio remedij per similitudinem.

Verum, quia duplex est analogismus, alter Empiricorum, & alter dogmaticorum; par est, vt in hoc capite prius declaremus ex Galeni sententia quid sit analogismus, & deinde in sequentibus distinguamus analogismum vtilem ab inutili. Galenus libro de optima secta ad Trasyb. cap. 10. & alibi de virtute analogismi habet hæc verba: tunc inueniuntur remedia virtute analogismi, quando causa, vel indicans ignoratur, & nulla sit facta obseruatio, sed affectus videatur symptomatibus aliis præcognitis esse quamsimilimus. Ex iis verbis colligimus duo requiri, vt formetur analogismus, alterum, vt indicans ignoretur; dum enim præcognoscitur, non indigemus analogismo; quia tunc per indicationem procedere possumus: alterum, vt in affectu, pro quo remedium quæritur, non sit facta aliqua obseruatio, vel experientia; sed solum à simili in remediorum inuentione procedatur; subdit Galenus, & tradit exemplum, vt clarius intelligatur modus procedendi per analogismum: hæc sunt verba: esto aliquis demorsus ab hæmorrho serpente, ac sanguis effluat, nos ignari, quę causa affectum attulerit, neque vlla obseruatione instructi, ea adhibebimus remedia, quæ ad sanguinis eruptionem ortam ex diuisione sunt accommodata: ignota itaque causa, nullaque facta experientia, dabitur hic tertius mod s inueniendi remedia per analogismum, qui est per similitudinem: quis enim posset causa ignota symptomatum per indicationem inuenire remedium? quis quoque posset pro affectu, de quo nulla facta est obseruatio, remedium per experientiam reperire? analogismus igitur, quando erunt inuenienda remedia per similitudinem habebit locum.

Duplex est analogismus Empiricus, & Dogmaticus.

Vt sit analogismus ex Galen.

Similitudines verò, quibus vtuntur Empirici in analogismis conficiendis, traduntur à Galeno libro de subfiguratione Empirica cap. 11. & alibi, vbi dicit, quod à locis affectis, ab affectibus, & à materiis auxiliorum depromuntur similitudines: à locis affectis, sicuti si in brachio aliquod appareret symptoma, idque aliquo auxilio sanaretur, Empiricus, qui vtitur similitudine locorum affectorum, quando viderit, quod simile symptoma accidat cruri, statim ob similitudinem harum partium extremarum, putabit eodem remedio posse cruris affectum tolli: ab affectibus colliguntur similitudines, exempli causa, si fluxus sanguinis è naribus bolo armena supprimatur, & eodem remedio putarent Empirici, alui sanguineum fluxum arceri posse: à materiis, veluti si cydonium pręstiterit auxilium; à simili dicerent mespillum idem emolumentum allaturum; quia ambo vires astringentes sortiuntur.

Similitudines analogismi vnde colligantur.

Analogismus Empiricus reijcitur.

Cæterum, quam sæpè ob hanc malam philosophandi rationem in errores prolabantur, antequam initiis analyticis Empiricorum errata aperiamus: casus, & exempla medica, quibus conuinci possunt Empirici, afferantur: expendamus sputum sanguineum, cui dubium, quod modo profluet sanguis ob fracturam, modo ob erosionem venarum, modo ob diapidisim, & modo ob anostomasim? quis tam rudis crederet, quod vnicum remedium posset accommodari omnibus iis diuersis, & contrariis causis? simili modo erit in aliquo ægrotante vrinæ suppressio, an ne hoc symptoma aliquando ob calculum, aliquando ob inflammationem, & aliquando ob distensionem vesicæ fit? symptoma est vnum, vel similimum, nihilominus remedium non potest esse vnum; etenim, si suppressio fuerit facta ob distensionem, tunc, si immiserimus catheterem, statim iuuabimus; quia vrina è vestigio diffluet: si verò suppressio fuerit facta ab inflammatione, ex vsu catheteris nullum habebimus leuamen. Galenus libro de optima secta ad Trasyb. capit. 23. loquens de analogismo affert hoc exemplum; si suppressio fiat ob inflammationem, adiungendum esse cataplasma, si ob calculum, esse secandum, vt extrahatur: ecce igitur, quod in vnico affectu remedia diuersa, & aliquando contraria esse debent: ecce, quod ex similitudine symptomatum nullo modo colligere possumus remedium.

Vt affectus dissimilis idē remedium indicet.

Postremo tantū abest, vt affectuū similitudo indicet vnū remedium, vt sępè possit accidere, quod affectus omnino dissimilis requirat idem remedium: exempla afferūtur à Galeno locis citatis, vbi dicit, in tetano, emprotostano, & opistotano, quæ sunt symptomata diuersa, vnicam esse affectuum naturam, vnicámque formalem causam, & hanc esse conuulsionem, dicitque eadem requiri remedia, licet symptomata videantur esse contraria. Demum poterit esse sanguinis eruptio, obstructio, inflammatio, qui affectus licet sint diuersi, possunt tamen ab vnica plenitudine pendere, quæ vnico quoque remedio tollitur, scilicet euacuante; quare nec vnicum symptoma, nec simile nos docebunt remedium; nec dissimile & contrarium dissimile, & contrarium remedium indicabunt.

Ostenditur, quod analogismus ratione formæ sit paralogismus.

Cap. II.

NVMQVID analogismus Empiricorum sit modus ineptus perquirendi remedia, necne, dicimus, quod non ad medicum, vel philosophum hæc consideratio pertineat, sed ad syncerum logicum, cuius munus est decidere, an argumenta falsa, aut vera sint:

sint. In hoc capite igitur analogismi vitia ad arguendi formam pertinentia declarabimus: primum igitur analogismi vitium est, quia medius terminus quo vtũtur Empirici pro cognitione remedij, est communior passione curanda, & eius remedio, quod vitium pertinet ad secundam figuram ex duabus affirmatiuis, quæ ab Aristotele in libro priorum, & 2. elenchorum cap. 5. est reiecta; medius enim, quo vtuntur in analogismo, est similium symptomatum concursus, qui obseruatur in affectibus omnino diuersis, quales sunt vrinæ suppressio, sputum sanguineum, & alij plures, qui à diuersis fiunt causis; erit igitur symptomatis similitudo quid vniuersalius, & ex illa nihil inferri poterit: non valet, est lumen, ergo est sol, cum ignis, & plura putrida luceant. Nec dicant Empirici, quod multa requirantur, quibus distingui possit suppressio à calculo, ab illa, quæ fit à distensione, vel inflammatione vesicæ; quia, si rectè distinguerent, coacti admitterent distinctam cognitionem causarum, quas putabant esse incognoscibiles: nunquam suppressionem vrinæ à calculo factam ab aliis distinguerent, nisi quoque cognouerint, quod illius causa calculus sit: similiter dicendum de sputo sanguineo; Empyricus, exempli causa, semel sanauit sanguineum sputum saccaro rosato; quia sanguis qualitate peccabat; nunc supponatur, quod ob sanguinis copiam sputum sanguineum fiat, tunc quomodo ex concursu eiusdem symptomatis (nisi causam cognoscat) colligere poterit remedium? saccarum rosatum in copia sanguinis maxime læderet: similitudo igitur est medius terminus nimis vniuersalis, vt inde remedia pro auferendis causis colligere possimus: de ratione medij termini ex Aristotele est, vt contineat, & contineatur, si solum contineat, non est amplius medius, & ex eo nihil sequitur: quis admitteret hunc paralogismum factum ex medio termino, qui solum continet, & à maiori extremo non continetur? ignis est elementum, aqua est elementum, ergo aqua est ignis: elementum quod est medius terminus ab igne non continetur, hinc ex illo nihil inferri potest.

Vt analogismus emp. procedit ex medio communiori maiori extremo.

Obiect.

Sol.

Præterea analogismus non solum est argumentum in secunda figura ex affirmatiuis; verum etiam est irreducibilis ad primam: audias, quomodo syllogizant, dum ex suppressione vrinæ colligunt remedium consistere in vsu cathereris: omnis affectus cathetere indiget, qui est alteri, cui profecerit quamsimilimus; sed hæc suppressio vrinę est affectus ei, cui profecerit quamsimilimus, ergo hæc suppressio indiget cathetere. Hæ propositiones neque per conuersionem, neque per transpositionem possunt redigi ad primam figuram: non per conuersionem, quia maior propositio, in qua prædicatum est communius subiecto, fieret particularis, & per consequens esset vana; quia in prima figura ex maiori particulari nihil omnino inferri potest. Quod igitur affectus quamsimilimus latius se habeat, quam ille, qui eget cathetere, patet, quoniam similitudo istius affectus non solum est in calculosis; verum etiam in vesicæ distensione, & inflammatione: erit ergo necessarium, vt illa maior stet sicuti posuimus: posito verò, quod

Vt analogismus sit irreducibilis ad primam figuram.

in maiori medius terminus prædicetur, illico est secunda figura, quia etiam in minori prædicabitur; nisi quis in alium peiorem errorem transiret dicendo, quod detur quarta figura; in qua propositiones sunt præter naturam, & in qua semper medius continetur, quod est monstruosum, veluti si diceremus, dolium esse in vino, vel arcam in nummis. Non per transpositionem, quia transponas maiorem, vel minorem, semper medius terminus prædicabitur, & erit secunda figura ex puris affirmatiuis.

Vt analogismus sit falsũ enthimema

Præterea dum dicunt, illud remedium esse iuuaturum, quia profecit alteri huic quamsimilimo, incidunt in enthimema ex signis communibus, quod non concludit: quis inferret, quod mulier pepererit ex eo, quod pallida sit, cum pallor ab innumerabilibus causis euenire possit? eodem modo affectuum similitudo est communis iis, quibus supprimitur vrina ob calculum, ob inflammationem, & ob distensionem vesicæ.

Vt analogismus est exemplum ex quo nil infertur.

Insuper, qui hoc analogismo, vel argumento à simili vtuntur, in remediis perquirendis arguendi modum ab exemplo desumunt, veluti Socratem correptum sputo sanguineo hæmatites, vel saccarum rosatum iuuit, ergo & alios sputo sanguineo correptos iuuabit: hæc exempli consequentia ab Aristotele 2. priorum cap. de exemplo reiicitur, quia est à partes ad partem, quod non sequitur, vt ibi docet: ad hæc ab Aristotele exemplum vocatur inductio imperfecta, quæ cadit semper in tertiam figuram cum vniuersali conclusione, quæ non sequitur; quia ex particularibus neque vniuersale, neque particulare colligi poteſt; non vniuersale; quia ex Aristotele de ratione conclusionis est, vt semper deteriorem partem sequatur, si à præmissis debeat contineri: non particulare, quia non datur processus ab eodem ad idem.

Scio, me plurimis nauseam fortasse inferre ob hanc toties repetitam logicam, verum, quia nullam aliam inuenire possumus viam, qua reiici possit falsus analogismus, aliqua sumus excusatione digni, eo magis cum Aristotelem imitemur qui alio modo in naturali philosophia, & metaphysica non potuit veterum philosophorum paralogismos infringere, quàm logica, non semel, sed decies repetita; quare non erit abs re, si aliis quoque mediis logicis hũc Empiricorum analogismum reiecerimus: age, si analogismus aliquam haberet inuentionis vim, eam, cum ex similibus exemplis procedat, colligeret (vt diximus) virtute inductionis; at ab Aristotele 2. post. tex. 4. ostensum est, quod occultum per inductionem nunquam possit inueniri, ergo analogismus erit omnino inutilis: medici munus est remedia, quæ sunt occulta perquirere; etenim, si ex se nota essent, neque experientia, neque demonstratione indigeremus; ratio potissima, cur inductio non aperit occulta, est, quia semper procedit ex particularibus, à quibus nil sequitur, omne enim quod infertur debet fundari in dicto de omni, vel de nullo; vt altissimis rationibus ab Aristotele in libris priorum probatum est.

Vt analogismus est in inductio ex qua nil colligitur.

Præterea,

Præterea, dum aliquid occultum per aliquam oſtenſionem manifeſtatur, ſolum id fieri poteſt ratione trium terminorum, qui ſint inter ſe diſtincti, & tales, vt maior terminus differat à medio forma ſeu definitione, dum enim definitione formali conueniunt, non manifeſtatur quod quæritur, & argumentum redditur omnino ridiculum, quia ſemper ſupponet principij petitionem: hæc doctrina eſt Ariſtotelis 2. poſt. tex. 12. vbi probat, quod nunquam per definitionem ſeu formam maioris termini occulta manifeſtantur: exemplum Ariſtotelis eſt tale: ſi quis probaret glaciem eſſe in aqua ob defectum caloris, nihil probaret; quia defectus caloris formaliter non differt à glacie: & hæc eſt cauſa, cur neque genus, neque differentia maioris termini poſſint manifeſtare quæſitum. Quod igitur argumentum in quibus medius terminus eſt genus aliorum terminorum ſit vanum, comprobetur aliquo famoſo exemplo, hocque afferatur, omne quod eſt, ſubſtantia eſt: phœnix eſt ſubſtantia: ergo phœnix eſt: argumentum eſt nullum; quia ſubſtantiam eſſe eſt medius terminus, eſtque genus phœnicis, & in maiori propoſitione eſt manifeſtiſſima petitio; quia, qui negabit phœnicem eſſe, negabit quoque, phœnicem eſſe ſubſtantiam: eadem ſequentur incommoda, ſi quis probaret per differentiam quæſiti, veluti, ſi quis probaret, hominem eſſe, hoc ſyllogiſmo; eſt animal rationale, ergo eſt homo. Cum igitur medius terminus forma ſeu definitione debeat differre ab eo, quod quæritur, quomodo tranſeundo à particularibus ad aliud particulare, quæ non forma ſeu definitione differunt, poterimus aliquod occultum remedium manifeſtare; particularia enim, ſi fuerint eiuſdem ſpeciei, non different forma, tranſituſque erit ab eodem ad idem: ſi diuerſæ ſpeciei, erit tranſitus omnino vitioſus; quia particularia, vt particularia ſolum per hic, & nunc diſtinguuntur: amplius ſi committatur petitio principij ob tranſitum, qui fit à genere ad ſpeciem, quanto maior committetur à particulari ad particulare? ſpecies, quamuis forma aliquo modo conueniat cum genere, eſt tamen maior differentia inter ſpeciem, & genus, quam inter particulare, & particulare: maximus igitur erit error illorum, qui approbant remedia, quia alios iuuarunt; quandoquidem illorum petitio non eſt ob tranſitum à genere, vel differentia ad ſpeciem, ſed ob tranſitum à particularibus ad particulare, inter quæ nulla omnino cadit formæ diſtinctio.

Vt analogiſmus ſit ex duabus terminis quod eſt monſtruoſum.

Ad hæc ſuppoſito, quod Empiricorum analogiſmus ſit inductio, vel tranſitus à particularibus ſine cauſarum cognitione, in alia duo errata ad formam arguendi pertinentia Empirici videntur prolabi: quorum primum eſt, quia de ratione præmiſſarum eſt, vt contineant concluſionem; ſed ſic eſt, quod particularia nihil poſſunt continere, ergo ab illis nihil colligi, vel inferri poterit; ſi igitur vim inductiuam habebit analogiſmus, vt aliqui putant, erit in perquirendis remediis vaniſſimum argumentum. Secundum, qui arguunt ex particularibus neceſſario incidunt, vel in primam figuram, vel in ſecundam cum maiori particulari: maior particularis neque in prima, neque in ſecunda

Duo errata formæ analogiſmi inexcuſabilia.

Cur maior propoſitio neque in prima neque in ſecunda figura poſſit eſſe particularis;

figura accommodari potest: non in prima, quia medius terminus, si debeat manifestare, cur passio inhæreat subiecto, debet in maiori contineri, & in minori propositione continere. Non in secunda, quia in hac medius prædicatur in maiori de quęsito, seu de maiori extremitate, at sic est, quod de ratione maioris extremitatis est, vt semper contineat minorem; idcirco semper maior in secunda figura erit vniuersalis; nullus igitur relinquitur modus probandi, quod analogismus possit esse argumentum aptum ad perquirendum aliquid, quod sit occultum.

Ostenditur, quod analogismus ratione materiæ sit paralogismus.

CAPVT III.

QVOD analogismus Empiricorum peccet quoque in materia, facilè ostendi potest: illud in primis se offert analogismi erratum, quod ab Aristotele reiicitur 1. post. cap. 5. quod est, dum attribuitur inferiori, quod superioris est: obseruant, exempli causa, Empirici, quod aliquod remedium curet tetanum; statimque putant, quod illud non possit conuenire emprostotano, & opitostano; quia sunt affectus dissimiles; putant enim, quod remedia hauriantur ab affectibus quamsimilibus: error illorum est, quia quod tetanum curat, non est tetani remedium, sed conuulsionis, quæ æquè prædicatur de tetano, & de aliis suis speciebus: eadem ratione, dum curant inflammationem factam à pleuritide virtute phlebotomiæ, credunt hoc auxilium conuenire inflammationi, & affectibus quamsimilibus, & non aliis. Error hic apud Aristotelem apertè reiicitur, dicit enim quod habere tres angulos non conuenit primo schaleno, sed triangulo: curatur inflammatio remedio, quod tollit plenitudinem, quod non conuenit primo inflammationi: à plenitudine enim obstructio, febris & sexcenta symptomata omnino dissimilia oriri possunt.

Vt empirici attribuunt inferiori quod est superioris.

Præterea multis modis ab admirandis Aristotelis præceptis traditis in lib. post. analogismus Empiricorum deflectit: 2. post. tex. 25. agẽs philosophus de adæquata causa, prout potest esse medius terminus in optima demonstratione, dicit, quod in huius causæ inquisitione triplex error committi possit, quorum primus est, dum affertur causa cõmunis loco adæquatæ. Secundus, dum affertur causa extranea: tertius, dum partialis: dicimus igitur, quod dum attribuunt tetano, quod est conuulsionis, accipiant partialem causam pro adæquata & totali, quod non licet in Medicina, in qua tractatur de hominis vita, vti synecdoche figura; sed Poetis est relinquenda: eodem modo dicimus, dum ab vrinæ suppressione communiter sumpta colligunt esse vtendum syringa, quod ex medio communi procedunt, qui est ineptus ad perquirendum remedium accommodatum pro tollenda suppressione facta

Vt medius terminus analogismi Empiricorũ modo sit cõmunis, modo partialis.

ne facta ab inflammatione, vel calculo: eſt Galeni, locis ſuperius citatis, quod ſyringa conueniat ſolum in diſtenſione veſicæ, in inflammatione vero cataplaſma externum, & in calculo ſectio Lithotomi.

Amplius Ariſtoteles 2.poſt.circa finem, vbi agit de ritè proponendo problemate, dicit, quod in qualibet contemplatione, ne labamur in ſyrtes, debeant proponi paſſiones, quæ æquè dicantur de ſubiectis; ſi quis applicaret riſibilitatem animali, vel hominibus Italis tantum, & non Turcis, vel Indiis, nihil de hac paſſione poſſet concludere: ſimiliter, ſi daretur remedium, quod curaret tetanum, & Empiricus non crederet, illud quoque conuenire opiſtotano, & emproſtotano, nec ritè problema proponeret, & de hac re loquens ſemper vacillaret; quia remedium curans tetanum eſt accommodatum conuulſioni, quæ æque deinde dicitur de propoſitis ſpeciebus, dum verò vice verſa ſpeciei remedia applicant generi, vt diximus de ſyringa, quæ omnibus vrinæ ſuppreſſionibus ab illis applicatur, errant, quia, vt optimè dicit Auerroes, ſpecies non eſt de natura generis, ſed genus de natura ſpecierum: accidit enim ſpecies generi, & genus ſine aliqua ſpecie ſtare poteſt: nihil enim pateretur animalis natura, quamuis ſub cœlo non eſſet Leo, vel Homo, quia animal poſſet ſe conſeruare ſine homine, & ſine leone; ſpecies igitur quælibet ex ſe non erit de eſſentia animalis.

Vt errant dũ remedia ſpeciei applicãt generi.

Præterea, qui vtuntur analogiſmo tranſeunt ad ſimilia, & inde colligunt remedia; at tranſitus ad ſimilia non fit in genere vniuoco, ſed analogo, ea enim quæ vniuocè conueniunt, non dicuntur ſimilia; ſed eadem; addimus, quod, qui vtuntur analogia ſemper tranſeunt de genere in genus; quanti vero ſit hoc vitium, Ariſtoteles 1.poſt. & Galenus 1.ad Glauconem, & alibi, demonſtrauit ex medio alterius generis nihil concludi poſſe; media enim & extrema 1.poſt.tex.20. ex eodem genere vniuoco ſunt ſumenda: ratio eſt, quia inter analogata nulla eſt naturæ conuenientia, nec dependentia; medulla, quæ eſt in animalibus, & quæ eſt in arboribus, quamuis analogicè conueniant, ſeruéntque ſimilitudinem, attamen eorum naturæ toto cœlo inter ſe differunt: ſimiliter ſepium, & oſſa natura differunt. Ad eundem modum dicimus, quod ſuppreſſio vrinæ à calculo facta, licet quamſimilima ſit illi, quæ fit ab inflammatione, & analogicè cum illa conueniat, differt tamen ab illa toto cœlo: nemoque eſt ita mente obcæcatus, qui diceret, quod illæ ſuppreſſiones (quamuis ſint quamſimilimæ) natura non differant.

Vt Empirici in analogiſmo tranſeunt de genere in genus.

Inſuper cum Empirici ex ſymptomate diuerſo colligant remedij diuerſitatem, & ex ſimili ſimile, eodem modo in errorem incidunt, ſicuti qui prauè, & per differentias accidentales diuidunt, quod ab Ariſtotele reiicitur 2.poſt.tex.19.& 20. non poteſt diuidi ſubſtãtia, quod alia ſit calida, alia frigida, vel quod alia ſit anterior, alia poſterior: ſimiliter conuulſio, quod alia ſit tetanos, alia opiſtotanos; quia hęc ſunt accidentia, & paſſiones ægrorum, & non propriæ differentiæ conuulſionis, à quibus ſolum debent remedia deſumi.

Vt Empirici praui diuidant.

Ad hæc ex Aristotele loco citato habemus, quod inter membra diuisa illarum differentiarum, quæ genere conueniunt, si proba fuerit diuisio, medium nullum cadere possit; at qui putant tetanon, emprostotanon, & opistotanon esse tales differentias, vt inde remedium perquiratur, accipiunt illud à differentiis, inter quas datur medium, vel quæ sunt accidentales, à quibus per se nihil colligi potest: portò ex iis, quæ ostendimus, remedium solum infertur ab aliquo, quod sit vniuersale, & prædicatiuum, quia medius terminus ducens nos ad cognitionem cuiusque quæsiti, nunquam potest esse particularis, sed solum specificus, nisi admittamus quartam figuram, & alios monstruosos errores, de quibus superius: sed tetanos, vt tetanos non est quid vniuersale, & prædicatiuum; sed tetanos, vt conuulsio, quæ dicitur etiam de aliis differentiis; ergo nihil erit in tetano, quod possit nobis significare remedium pro illius affectus cognitione. Nec mihi quis obiiciat, quod Empirici nulla vtantur diuisione, quia arbitrabantur causas esse imperceptibiles: namque antiqui, quæ vnum specimen similitudinum habebant, coacti admittere debebant, dari causas saltem innominatas, quas dicebant esse imperceptibiles; quarum similitudines diuersum indicabant remedium; diuersæ igitur similitudines diuersas morborum naturas ab illis incognitas significabant: erant igitur coacti similitudines diuidere, vt formarent varios analogismos; & varia colligerent remedia. Quod vero similitudines symptomatum, quibus vtuntur, illos decipiant, patet; quia sæpe sub vnico membro ponunt quæ toto genere differunt, veluti dum stat apud illos pro specifica differentia suppressio vrinæ; suppressio enim est quid æquiuocum, & sub hoc nomine significari potest calculus, vesicæ inflammatio, vel distensio: eundem errorem committunt in materiis auxiliorum, & in locis affectis. In materiis; quia licet cydonium astringat, & inde roboret ventriculum, errant dum dicunt, mespilum astringit, ergo roborat. Galenus enim libro de optima secta ad Trasyb. dicit, absynthium roborat, quia astringit; marrubium, quamuis aliquomodo astringat, non tamen roborat ventriculum, quinimmo, eum reddit imbecillum, & flaccidum: in locis affectis quoque errant; quia oleum rosatum ex Galeni methodo in vulneribus capitis est concoctorium, in aliis corporis partibus est repercutiens: quare qui per similitudines affectuum, vel materiarum, vel locorum affectorum procedunt, in perquirendis remediis errabunt, & hoc fallaci modo ægros sæpius lædent, quàm proderint.

Medius terminus solum valet dum est vniuersalis, & prædicatiuus.

Obiect.
Sol.

Vt similitudines affectuũ locorum affectorũ & materiarum decipiant.

Denique, qui ex sola symptomatum similitudine remedia colligũt nulla præhabita cognitione causæ efficientis, & materialis, vel subiectiuæ nec vniuersalem, nec particularem præceptionem habebunt, non vniuersalem, quia, si de vrinæ suppressione loquamur, falsa est hęc propositio, suppressio, vt suppressio requirit catheterem, quia valeret, ergo omnis, quod est falsum: non particularem, quia hæc quoque, si seuerè philosophari velimus, non valet, aliqua suppressio requirit catheterem, quia non quatenus aliqua suppressio, sed quatenus hæc aliqua

Quomodo suppressio vrina
Vt est aliqua suppressio non indicet catheterem.

qua

qua ſuppreſſio pendet à diſtenſione; de quo vero, & ſubtili philoſophandi modo Auerroës loquens 1. poſt. tex. 21. proponit, an ſit verum, dum dicimus, aliquod animal eſt riſibile, dicitque, quod propoſitio eſt per accidens, & per conſequens falſa, quia vt optimè dicit Auerroës, omne per accidens falſum eſt: homo non quatenus eſt aliquod animal, eſt riſibilis; ſed quatenus eſt homo; ſimiliter non aliqua ſuppreſſio indiget cathetere, vt aliqua ſuppreſsio, ſed quatenus ob diſtenſam veſicam talis eſt; quoniam remota cauſa diſtenſionis, remanet adhuc aliqua ſuppreſſio, ſicuti remoto homine, remanet adhuc aliquod animal, quod non eſt homo, & quod non eſt riſibile. Hinc Ariſtoteles, ne in ſimilem incideremus errorem 2. poſt. valde laborauit, vt nos doceret, quomodo ritè debeat proponi problema, docuitque, quod paſſio quærenda debeat applicari illi ſubiecto, cui æquè conueniat, quodque non excedat paſſionem, neque ab illa excedatur: docuitque, quod, quando ſubiectum proprium paſſionis propriæ deliteſcit, coarctari debeat per concurſum multarum paſſionum communium, donec innominatum ſubiectum fiat conuertibile: quem modum procedendi Ariſtoteles 2. poſt. exemplo animalis habentis tres ventres declarat, dicitque, quod cognoſcetur, quia habebit cornua, & carebit dentibus ſuperioribus. Empirici ex ſimilibus ſymptomatibus neque cauſas, neque propria ſubiecta poterant inquirere, quia logica omnino ſpoliati cæcorum more in ſcopulos in qualibet contemplatione medica illidebant. Præterea neque incognitas cauſas concurſu ſimilium ſymptomatum coarctabant, vt vera remedia inuenirent, nec ſeparabant vtilia ab inutilibus: omnia illorum ſigna erant inepta ad docendum; quia vel erant communia, vel ſupergredientia: quod communia non coarctata nihil doceant, ſufficiat nobis, vt afferamus paralogiſmum Briſonis, qui per hoc commune principium, ſcilicet, quæ ſunt eiſdem maiora, & minora ſint inter ſe æqualia, putabat colligi poſſe quadraturam circuli: neque videbat, quod principium erat commune, & per conſequens aliquando falſum: quatuor enim, & ſex ſunt ſimul maiora tribus, & minora octo, non tamen ſunt æqualia. Quod denique ſupergredientia ſemper decipiant, patet, quia ſunt alterius generis, & ex illis nihil infertur: nunquam igitur ex concurſu ſimilium ſymptomatum remedia colligemus.

Vt cōmunia principia nihil doceant.

Quid ſit Analogiſmus Dogmaticorum, & quomodo formetur.

CAPVT IV.

SI affectus præter naturam ignoratur, non per indicationem, quæ à præcognita natura morbi dependet, remedium inueniet: ſed per experientiam, vel analogiſmum; per experientiam, ſi illius morbi aliquam habuerit obſeruationem; per analogiſmum, ſi occulta, & noua

fuerit ægritudo, quia illa, vt occulta, non præcognoscitur, & vt noua, non obseruatur per experientiam: exemplum est lues gallica, quæ, dum ab Indiis fuit ad nos delata, neque per indicationem, vel experientiam in eius curatione erat procedendum: sed solum per analogismum dogmaticum; statim enim ad nos non fuit guaiacum delatum.

Quæ sit differentia inter analogismũ dogmaticum, & empiricum.

Differentiam inter analogismum dogmaticum, & empiricum tradit Galenus libro de optima secta ad Trasyb. cap. 18. & 19. vbi dicit, quo Dogmaticus separat vtilia ab inutilibus: Empiricus confusè miscet, ac implicat vtilia inutilibus. declarans Galenus, quæ sint vtilia, & quæ inutilia, dicit quod symptomata vtilia ad bonum analogismum pertinentia sunt quæ desumuntur à causis, locis affectis, & à virtute; inutilia vero, quæ desumuntur à symptomatibus patientis, quæ licet aliquando eadem videantur esse, vt dictum est de suppressione vrinæ, & de sputo sanguineo, omnino diuersa debent proponi auxilia. Dogmaticus, quamuis sibi proponat curandum morbum occultum, dummodo eius causam, virtutem permittentem, & locum affectum ex actionibus læsis cognoscat, adeo innominatam morbi naturam coarctat, & limitat, vt semper virtute analogismi accommodatum remedium perquirat; exemplum, supponatur occulti morbi causam esse bilem, an ne statim dicimus esse euacuandam? Sed quomodo, nescitur, nisi confugiamus ad locum affectum, & virtutem; loci affecti ex læsis officiis cognoscuntur, ex respiratione læsa dicimus Thoracem esse læsum, ex vomitu ventriculum ex delirio cerebrum, & sic de aliis; si igitur æger in vomitum esset valdè pronus, dicemus ventriculum esse læsum; cognito igitur causam esse bilem, locum affectum esse ventriculum, & vires permittere, statim virtute analogismi dogmatici colligemus quod vomitorium sit proportionatum remedium.

Vt comparetur analogismus dogmaticus indicationi.

Hic Dogmaticus analogismus est indicationi valdè similis; sicuti enim indicationes à causa desumptæ dicuntur præseruatiuæ, à morbo curatiuæ, à virtute vitales: sic in hoc analogismo obseruantur symptomata causarum, & locorum affectorum, qui limitant causam, & describunt innominatam morbi naturam: humores peccantes sunt communes causæ morborum: à locis affectis morbi fiunt specifici; ex Galeno 3. de sympt. causis cap. 2. habet, atram bilem, si in toto redundet facere elephantiasim, si in parte cancrum: bilem flauam, si in toto icterum, si in parte, erysipelas, si in ventriculo, vomitum, si in membranis cerebri, phrenesim, & sic de aliis partibus: patet igitur, quod loci affecti limitant quoque innominatam morbi naturam; Hippocrates, & Galenus, cum sæpè videant specifica indicantia esse nobis occulta, vtuntur in perquirendis remediis analogismo dogmatico, quippè qui post indicationem tenet primum locum: & præcipuè 4. de ratione vict. in ac. comm. 19. cum videant, quod indicans specificum phlebotomiæ sit occultum, & innominatum, illud per concursum signorum declarant, vt inde nos possimus scire, quando conueniat san-

guinis

guinis miſſio: dicunt magnitudinem morbi, virtutem robuſtam, & floridam ætatem indicare ſanguinis euacuationem; at re vera, ſi vnum indicet vnum, & vnum indicetur ab vno; ex iis tribus non colligemus per indicationem, quando ſit mittendus ſanguis: patet primo, quia ſola magnitudo morbi non ſufficit, patet ſecundo, quia magnitudo remedij indicatur à cauſa, & à morbo: quam inſtantiam nunquam Alexander Maſſaria, neque cæteri, qui putarunt magnitudinem morbi eſſe proprium indicans phlebotomiæ, ſoluere potuerunt; magnitudo igitur cum ſit quid genericum, quod limitatur à virtute, & aliquando à loco affecto præſtanti, non pertinebit ad indicationem; relinquitur ergo, vt pertineat ad analogiſmum dogmaticum; alij enim non dantur modi, quibus inueniri poſſint remedia, niſi tres propoſiti, qui ſunt indicatio, analogiſmus, & experientia. *Magnitudo morbi & virium robur per analogiſmum do. et, eſſe phlebotomandum.*

Similiter dum Gallica lues ad nos fuit delata non ſtatim potuerunt medici per experientiam, & indicationem præſidia inuenire: non per experientiam, quia antea talem morbum non viderunt: non per indicationem, quia ſpecifica huius affectus differentia erat ignota; neque illicò cognitum fuit guaiacum; per analogiſmum igitur in curanda lue procedebant: videbant affectum fuiſſe quamſimilimum iis, qui ex corruptione, & putredine fiunt; ideo poterant dicere morbum ratione propriæ eſſentiæ eſſe magnum, & poterant dicere, robore virium permittente phlebotomiam fore illis frugiferam: amplius videbant, in confirmatis affectibus ſcabioſis hydrargirij inunctionem valere, videbantque à gallica lue ſcabies, & plurimos alios affectus cutaneos produci; ideo poterant virtute permittente concludere, ſimilem inunctionem gallico morbo profuturam. In hoc exemplo de lue gallica eſt inuenta hæc inunctio per analogiſmum dogmaticum, primò quia obſeruatur ex ſymptomatibus ſæuiſſimis magnam eſſe cauſam, quæ magnum requirit remedium. Secundò obſeruatur locum affectum fuiſſe præcipuè cutim; quare, remediis auferentibus cutaneos morbos ſæuiores, meritò concluditur eſſe procedendum. Tertiò obſeruatur, virtus permittens, quæ ſcilicet ſit fortis; quoniam remedia magna ſine forti virtute non debent adminiſtrari. *Vt per analogiſmum inuenta fuerint remedia procuratione luis gallicæ.*

Diſcrimen inter analogiſmum Empiricorum, & Dogmaticorum eſt, quia Empiricus in remediis inueniendis procedit per ſigna communia: Dogmaticus per conuertibilia. Empiricus à particulari ad vniuerſale facit tranſitum, dicit enim, iuuat cydonium, ergo & meſpillum, & alia ſimilia aſtringentia, quod non valet. Dogmaticus ab vniuerſali ad particulare procedit, ei non ſat eſt ſcire, quod meſpillum aſtringat, ſed exquirit quo gradu id efficiat; à gradibus igitur procedens ad remedia inuenienda eſt tranſitus ab vniuerſali, & nequaquam à particulari. Empiricus procedit per ſymptomata patientis, quæ ſunt omnino inutilia, vt oſtendimus. Dogmaticus per ſymptomata cauſarum, locorum affectorum, & virtutis; exempli cauſa, dicerent Empirici, Socrates, qui non poterat incedere, lotionibus curatus eſt, ergo & Plato, ſi incedere non poterit, iiſdem lotionibus curabitur; Dog- *De paralello analogiſmi dogmatici cũ empirico.*

maticus, quamuis nesciret, quo morbo Platonis incessus sit impeditus, procedens tamen per signa locorum affectorum, causarum, & virtutis remedium certum inueniret; quia quæreret, an læsio principaliter sit in musculis, & in quo; an in neruorum trunco, & stipite; atque cognita parte affecta: cognito, virtutem permittere, & causam esse humorem frigidum, quod facilè cognitu erit, remedium promptissimè inueniet. Dogmaticus partes affectas ex læsis officiis propriis profundè perquirit, & deinde per analogismum, si occultus est morbus, remedium colligit. Empiricus non distinctè de locis affectis agit, sed solum de symptomatibus patientis, quæ ad rem non faciunt: tota enim medicæ artis difficultas stat in exacta locorum affectorum cognitione; quod cognouit Galenus, qui 13. method: cap. 20. dicit, si quis adimat indicationem à parte desumptam, adiscet totam medicinam sex diebus. Dogmaticus, quamuis morbus delitescat, distinguit symptomata, & perquirit in qua actione læsa, in quo exeunte, & in qua mutata qualitate sint. Empiricus non considerat genera symptomatum pendentium à causis, & locis affectis; sed à patiente, quo fit vt ferè semper transeat de genere in genus; quia idem symptoma patientis potest sub diuerso symptomatum genere & sub diuerso causarum genere contineri, quale est sputum sanguineum, quod modo fit à venarum erosione, modo ab apertione osculorum, & modo à sanguinis nimia tenuitate. Dogmaticus distinctè quærens quæ pars sit affecta, & quæ sit causa affectus, consultius in perquirendis remediis procedit: si aliquis haberet aluum adstrictam, & medicinam ab empirico peteret, ab illo alia non dabitur, nisi, quæ à sympromatibus patientis colligi possit; at symptoma patientis est alui constrictio, dabit ergo medicinam aluum mouentem, quam præ manibus habebit, quãque cæteris omnibus, qui astrictam aluum habuerunt, porrexerit. Dogmaticus verò, quamuis nesciret ob quem morbũ astrictam aluum patiens haberet, inueniet per læsa officia in qua parte corporis occultus morbus sit; expendet virtutem totius, & partium, & ex symptomatum concursu remedium necessario colliget frugiferum: si viderit ventrem esse exsiccatum, non dabit aloem, scammonium, & alia soluentia id genus; sed potius tamarindos, & cassiam: namque hæc lenientia reddent corpus fluidum, & humectum, & omnem siccitatem, & ardorem compescent: si viderit esse aluum adstrictam; quia iecur non gignat bilem, non dabit rhabarbarum: si viderit ob nimios flatus esse adstrictam, videritque ventriculum esse læsum; quamuis nesciret, quo morbo laboret, colliget ex flatibus, & læsione ventriculi non esse dandam cassiam, sed potius hieram, dummodo tamen virtus totius & partis affectæ permitteret: diximus virtutem totius, & partis à Dogmatico considerari ad differentiam Empirici, qui cum sæpè non consideret, an virtus partis permittat, in grauissimos incidit errores; plurimi enim sunt, qui in erysipelate mamillarum, & aliarum partium mollium, & flaccidarum vtuntur suppurantibus, quæ mirum in modum laxant, quo fit, vt pars debilis ob Empirici erratum in cancrenam

Quomodo tractetur aluus adstricta ab Empirico, & quomodo à Dogmatico.

sæpè

ſæpè cedat: ſimiliter, dum aliquis claudicat, Empiricus hoc ſolum ſymptoma conſiderat, & pro huius ſymptomatis curatione vult vnicum eſſe remedium; nihilominus pro varietate cauſarum, & locorum affectorum varia ſunt; etenim ſi aliquis claudicet, quia humores ad pedes deſcendant, remedium non applicabitur pedibus, ſed partibus ſupernis, vnde prodeunt: ſi propter ruptum os remedium toto genere differt ab illo: ſi propter luxationem ſimiliter erit omnino diuerſum. Hæc omnia Dogmaticus diſtinguit, & quamuis morbus eſſet occultus, dummodo cognoſcat particulam affectam, cauſam, & virtutem totius, & partis remittere, colliget remedium iuuans, & non decipietur. Empirici nunquam remedium certum inuenient, quia procedunt ex concurſu ſymptomatum patientis, tranſeundo de genere in genus, & permiſcendo ſymptomata, quæ ſua natura ſunt impermiſcibilia.

Vt colligitur à veris Medicinæ fundamentis, quod experientia ſit fallax.

CAPVT V.

OSTENDIMVS analogiſmum Empiricorum eſſe ineptum ad perquirenda remedia. Nunc, an per experientiam melius perquiri poſſint morborum auxilia, eſt videndum. Empirici noſtrates ſunt perſuaſi, quod experientia in tanto negotio vnica ſit; etenim ſi bis, vel ter viderint correptum putrida febre, vel alio morbo, poſt exhibitum aliquod remedium ſortitum eſſe bonum euentum, non amplius de remedio hæſitant, ſed omnibus eodem genere morbi pollutis illud dant: vnde vexant non modo ægrotos, qui poſt eorum remediorum exhibitionem pereunt, verum etiam, qui ſanantur; natura viribus donata duplici vtitur ſolertia, altera in pellendis morbis, & altera aliquando in corrigendis, & emendandis plagis ab inſanis Medicis inflictis.

De paralello inter Empiricos noſtrates, & priſcos.

Hæc tamen diuina ars magis ab Empiricis noſtratibus, quàm à Priſcis eſt lacerata. Priſci conſtituebant tres fontes, vnde remedia colligebant, ſcilicet inſpectionem propriam, hiſtoriam, & analogiſmum; deinde ad hæc tria capita omnia referebant remedia, ad fortuitum, conſultum, & imitatorium, & demum ex ſignorum ſyndrome quid agendum colligebant. Noſtrates ſine analogiſmo, & experientia remedia obſeruant: quinimmo, ſi legerimus Ariſtotelem, clarè videbimus, illos non percipere, quid ſignificet experimentum. Ariſtoteles 2. poſt. cap. vlt. & 1. metaphyſices, vbi docet, quomodo fiat experimentum, habet hęc verba, ex ſenſu fit memoria, ex multis memoriis fit experimentum, multæ namque memoriæ numero experientia vna eſt, ex qua deinde vniuerſale in anima fit. Empirici, dum vident poſt ex-

Quomodo fiat experimentum.

hibitum medicamentum ægrum subleuari, illicò putant de illo factum esse experimentum, quod ab experimenti definitione est omnino alienum; apertè nos docet philosophus, experimentum neque ab vnica sensatione, neque à multis neque ab vnica memoria, sed ex multis, & iteratis, memoriis fieri: quare tantum abest, vt medicamentum, post quod vident ægrum bis, vel ter subleuari, dicatur experimentum, vt neque memoria, neque sensatio bona de illico dici possit: & ratio est, quia vt plurimum Empirici decipiuntur circa sensationem, putant enim sanationem ab hausto medicamento pendere, quando à natura viribus optimis prædita prodit.

Prima causa, cur experimentum Empiricorum sit fallax, est, quia putant ex re semel visa colligi posse experimentum, quod Aristoteli, vt diximus, aduersatur: Secunda, quia circa res sensibiles decipiuntur, causa erroris est; quia in quolibet ægrotante variæ, & diuersæ sunt conditiones, naturæ, & affectuum ideæ, & quęlibet potest variare medendi modum: hasque varietates rerum, cum Empirici non consulant, nunquam ab experimentis sciunt remedia haurire. Quæ igitur causant varietates, sunt natura ægrotantis, ætas, tempus anni, regio, præsens constitutio, robur, habitus, consuetudo, solitum exercitium, morbus, causa, locus, symptomata, morbi similes, mos, motus, repletio, figuræ partium, pulsuum motus, animi mores iuuantia, & lædentia: sine distincto harum conditionum examine nunquam obseruabimus experimentum, illæ enim variam, & diuersam naturam agentis, & patientis patefaciunt.

Vnde fiat quod Empirici semper decipiantur.

Quis diceret valere has consequentias? cassia profuit Socrati, ergo & Platoni proderit? dum erat iuuenis, ergo dum est senex? In hyeme, ergo etiam in æstate? dum erat in Germania, ergo dum est in Italia? Spirante austro, ergo & aquilone? profuit dum erat debilis, ergo dum est robustus? Nautæ, ergo & Nobili? assueto, ergo & insolito? ocioso, ergo exercitato? tertianæ, ergo & quartanæ? homini bilioso, ergo & pituitoso? In hepatis affectione, ergo & in stomachi? In remissis symptomatibus, ergo, & in vrgentibus? Proprietates quoque morbi, & constitutionum sunt considerandæ: scribit Montanus Venetiis 1527. febres quasdam sæuisse, quæ solum illos interficiebant, qui vtebantur cassia: similiter non valet medicamentum, profuit in benigna febre, ergo & in maligna iuuabit. In augmento, ergo & in decremento. In repletione, ergo & in inanitione. In pulsu veloci, ergo & in tardo. In hilari, ergo & in tristi, & sic de aliis omnibus dici potest; omnes igitur conditiones sunt in quolibet ægrotante considerandæ, quia quælibet variare potest medendi modum.

Particu-

- *Particulares conditione agri ob quas variantur medicinæ.*
  - *A Galeno 2. ad Glauconem cap. 2. & Hippocrate 1.aph.2.*
    - *Natura ægrotantis*
    - *ætas*
    - *tempus anni*
    - *regio*
    - *morbus*
    - *præsens constitutio*
    - *robur*
    - *habitus*
    - *consuetudo*
  - *Ab Auicenna 4. 1. cap.3.& a'ibi hæ & aliæ colliguntur conditiones.*
    - *Ars solita*
    - *causa*
    - *locus*
    - *symptomata*
    - *similes morbi*
    - *proprietates morbi*
    - *mos*
    - *motus*
    - *repletio*
    - *motus pulsus*
    - *excrementa*
    - *animi mores*
    - *figura*
    - *iuuantia*
    - *lædentia*

His igitur non rectè ab Empiricis consideratis non est mirum, si in experimentis conficiendis infinities decipiantur: propositæ conditiones colliguntur ab Hippocrate, Galeno, & Auicenna: ab Hippocrate 1.aphorismorum 2. vbi habet, inspicere oportet regionem, anni tempus, ætatem, & morbum. A Galeno 2.ad Glauconem cap.2. vbi proponit ætatem, tempus anni, regionem, præsentem constitutionem, robur, habitum, consuetudinem, naturam ægrotantis: & cap.1. addit mores, pulsuum motiones, calores, & colores: libro de arte medicinali præ cæteris proponit in quolibet curando affectu iuuantia. Ab Auicenna quarta primi capite tertio decem proponuntur, quæ sunt tribus carminibus expressa.

Ars, ætas, regio, virtus, complexio; forma,
Mos, & symptoma, repletio, tempus, & vsus,
Et, benè si numeres, figuram addere debes.

Tria quoque carmina vagantur per scholas, quæ exprimunt, quæ sint in quolibet ægrotante consideranda; hæcque sunt.

Temperies, ætas, cœli status, ars solita, morbus
Vsus, causa, locus, symptomata, innata facultas,
Consimiles morbi, mors, motus, pharmaca, gestus.

Cur secreta medicorum sæpè lędant. Ecce quàm varia sint præcognoscenda, antequam remedium experiamur, ecce quàm vana propterea sint rudiorum hominum secreta; illud enim quod semel iuuit mutata aliqua conditione ex propositis posset interficere: est igitur necessarium, vt conditiones agentis, & patientis exactè præsciamus, si velimus rectè mederi: Galenus 1. aphorismorum in principio dicit, subiectum circa quod Medicus versatur non ex corio, aut ligno factum est, in quo errata sine dolore possent emendari, sed ex carne, vt detrimentum nullum sine pœna possit resarciri, itaq; videntes experientiam esse periculosam, esseque argumentum à particularibus, dixerunt esse coniungendam cum ratione, ne nos decipiat. Hinc Galenus libro de sectis cap.1. redarguit Empiricos dicentes experientiam sine ratione in remediis perquirendis sufficere. *Vt fallax sit experientia apud Galenum.* Similiter Galenus 3. aph. 11. docet, quàm fallax sit experientia, habet hæc verba, si quis expertus fuerit sex, vel septem homines aliqua medicina purgatos, dicere certo non poterit, quod omnes homines posthac ex necessitate purgabuntur: quod nostrates Empirici non obseruant; vbi enim vident medicinam semel iuuasse, eam non solum dant, sed statim exhibita, certam sanitatem in omni regione, in omni aëris constitutione, in qualibet natura, sit biliosa, vel pituitosa omnibus pollicentur. Similiter Galenus 7. de compositione med. per genera cap. 4. habet, „ si quis post me æquè studiosus, ac veritatis amator extiterit, ne temerè, ac subitò vbi bis, terue vsus, expertusque sit, „ ferat sententiam; frequenter enim ei ex longa experientia; quemadmodum & mihi vsu venit in secundo gradu dicta in tertium incipiẽtem transponi debere videbantur. *Oratio inuectiua aduersus Empiricos.* Si igitur sapientissimus Galenus post longam experientiam aliquando est deceptus, tanto magis, si ex illa aliquid colligemus, idem nobis contigerit; cum igitur nostratum Empiricorum plurimi neque ratione, neque experimentis vtantur; neque intelligant, sicuti ostensum est, quomodo fiat experimentum, eos reprehendimus non vt Medicos, sed vt carnifices, eosque non solum ab hac præclara arte, sed à bonorum hominum quoque congressibus explodemus. Plinius loquens libro 29. suæ Historię naturalis cap. 1. habet hæc verba; nulli magis, quàm se Medicum profitenti creditur, addit, negotiantur enim animas nostras, & experimenta per mortes agunt. Quid itaque scelestius est, quàm in Republica hosce admittere? quid in Ciuitate deterius, quàm consentire, quod ab iis occultis carnificibus homines innocentissimi sæpè occidantur; illi vt plurimum sunt scientiarum, & omnium bonarum artium ignari: si ab ipsis rationem medendi quærimus, nobis referunt nomina ignota, & qualitates occultas: si percunctemur, vnde hauserint suarum opinionum fundamenta, citant Hippocratem, & Galenum, non tamen particularia loca, quasi quod sacris sit interdictum, Auctorum libellos, & capita propria referre.

Ostenditur

Ostenditur ex analyticis principiis, quod experientia sit fallax, & periculosa.

CAPVT VI.

IAM patet ex Hippocrate, & Galeno, quod omne experimentum sit fallax, & periculosum, nunc altioribus principiis ostendemus experimenti fallacias: prima est, quia omne experimentum acquiritur per inductionem, vel exemplum; at sic est, quod inductio, & exemplum reducuntur ad falsum syllogismum, ergo experimentum erit fallax: quod inductio, & exemplum reducuntur ad falsum syllogismum, patet, quia ambo concludunt in tertia figura cum conclusione vniuersali, qui arguendi modus est ab Aristotele reiectus; quia de ratione conclusionis non est, quod sequatur nobiliorem, sed ignobiliorem partem; ratio denique cur conclusio insequitur ignobiliorem partem est, quia si bonâ sit, semper continetur à præmissis, & contentum semper est ignobilius continente. Patet similiter, quod, qui procedunt per exemplum, & inductionem, supponant colligi posse vniuersale; quia non possent dicere, quod portulaca sit iuuatura Platonem; quia Socrati stupore dentium affecto aliquid opis præstitit, nisi virtute huius vniuersalis conclusionis, scilicet, quod omnibus hominibus eo stupore affectis possit accommodari; quare, cum hæc conclusio ab experientia desumpta sit vniuersalis, sitque in tertia figura non valebit, & erit vana. Aristoteles solum sex modos possibiles tertiæ figuræ proposuit, hunc vero cum conclusione vniuersali, vt inutilem reiecit.

Prima ratio.

Ostenditur experimentũ reduci ad tertiam figurã cum conclusione vniuersali.

Patet similiter, quod experientia, exemplum, & inductio pertineãt ad tertiam figuram, quia medius terminus, qui consistit in particularibus exemplis, necessario debet subiici: quia prædicata in propositionibus naturalibus non possunt esset particularia.

Amplius, quando experimentum colligetur à particularibus, non concludet, quia ex puris particularibus nihil sequitur. Neque obiicias, quod experientia non ex duobus particularibus, sed à pluribus colligitur; quia respondemus, quod si ex mille eam colligeres, non posses vniuersalem conclusionem inferre; quinimmo si per milliona millia induceres adhuc non posses conclusionem vniuersalem haurire; quoniam quælibet species vniuersalis sub se continet infinita particularia. Amplius cum conclusio non sequatur nisi ex prædicatis, quæ saltem de omni dicuntur, scilicet quod insint infinitis subiectis illius speciei & semper, dato adhuc quod per infinita particularia induceres, tibi adhuc esset videndum, an semper omnibus attributum conueniat: quod est omnino impossibile, vt mortalis homo per experientiam consequatur.

Secunda.

Experientia esset paralogismus, quãuis ex infinitis part. colligeretur.

Præterea, experimentum cum fiat procedendo à singulari ad singulare, nihil concludere potest; quia ad colligendum aliquid requi-

Tertia.

runtur tres termini formaliter distincti: si medius terminus formaliter non differret à maiori termino, actum esset de demonstratione; qui enim ostenderet esse eclypsim, quia in luna est luminis priuatio, nihil doceret, & syllogismum ineptissimum faceret; quia eclypsis, quę est maior terminus formaliter non differt à priuatione luminis: similiter errant qui probant portulacam esse iuuaturam Socratem, quia iuuit Platonem; & ratio est, quia Socrates, & Plato formaliter conueniunt: ratio analytica, cur ex iis, quæ forma conueniunt nulla sequitur conclusio, est, quia de ratione medij termini est, vt contineat minorem, & contineatur à maiori; dum verò formaliter ab aliis terminis non differt, nec contineret, nec contineretur.

Nullus syllogismus bonus est, nisi tres termini formaliter differant.

Insuper, si portulaca curet Socratem, id efficit, vel quia conuenit propriè, & per se Socrati, vt est tale indiuiduum; vel per accidens: si per se, hic syllogismus iuuat Socratem, ergo omnes stupore dentium affectos iuuabit, erit nullus, quia quod vni per se, alteri per accidens conuenit: si per accidens, inde nullam conclusionem veram, & æternam inferre poterimus. Quod verò per accidens portulaca indicetur à stupore dentium Socratis patet, quia indicatur quoque à stupore aliorum indiuiduorum: patet quoque, quia portulaca posset stuporem dentium non solum in hominibus, verum etiam in aliis animantibus auferre: denique posset per accidens conuenire Socrati ratione regionis quatenus portulaca in Europa hanc virtutem habet, & non in aliis locis. Plantæ nonnullæ in diuersis Regionibus varias, & diuersas sortiuntur vires. Ferunt de Persico, quod in Persia sit virus, quamuis apud nos sit suauissimum alimentum. Postremò posset portulaca hūc stuporem tollere ratione habitus, ætatis, vel temperamenti: sunt Nautę: & senes valido, & forti habitu præditi, qui vsu portulacæ stupore dentium non liberantur: ecce igitur quàm ineptum sit experimentum sine ratione ad colligendam vniuersalem conclusionem.

Quarta ratio.

Ad hæc singularia, circa quæ versatur experientia, vt sunt singularia, nullas habent proprietates communes, sed solum vniuscuiusque proprias, quæ sunt hic, & nunc; Sed sic est, quod illud nunc, & illud hic, quippe conueniunt Socrati, vt Socrates est, neq; præteritis, neque futuris hominibus neque aliis præsentibus conuenient, ergo ab experimento nihil colligi poterit.

Quinta.

Amplius nullus est processus à particularibus ad cognitionem genericam, vel specificam, quia particularia accidunt generibus, & speciebus, potest enim humana species stare sine Socrate, & Platone, & animal sine homine, sed non Plato, vel Socrates sine homine, & sine animali, quo fit, vt in quolibet discursu possimus ab vniuersali ad particularia procedere, sed non versa vice.

Sexta.

Septima.

Præterea authoritate Aristotelis, Alexandri, & multorum patet, quod experientia non dat vniuersale. Aristoteles 1. metaphy. non longè à principio dicit, quod experimentum est circa singulare: ars vero circa communes conceptiones; additque: experimentum quo ad

Probatur authoritate, philosophorū, quod experientia non det vniuersale.

actionem,

actionem, & quo ad cognitionem esse singularium: 2. verò post. tex. 6. reprobat philosophus inductionem, vt insufficientem ad cognoscendum quid est, & vniuersale: & primo elenchorum dicit in omni inductione committi petitionem principij. Alexander Aphro. 1. top. cap. 1. definiens inductionem, quæ est experimenti idea, & quæ à singularibus procedit, dicit, inductio est oratio, ex qua quibusdam positis aliquid aliud, quàm quæ posita sunt accedit, sed non ex necessitate: ecce quod ab inductione nec vniuersale, nec particulare colligi potest; quia dicit, nihil ab inductione ex necessitate sequi: similiter cap. 10. primi top. Alexander dixit, inductionem esse progressum à singularibus ad vniuersalia, qui tamen non est possibilis: & cap. 11. eiusdem libri dicit, inductionem habere verisimile, sed non necessarium. Auerroes 2. priorum cap. 29. dicit inductionem nobis non conferre, quamuis complerentur omnia particularia. Diuus Thomas videns ab inductione particularium vniuersale ex necessitate non concludi in libris post. vbi de inductione loquitur, habet hæc verba, inductio non concludit nec demonstratiuè, nec syllogisticè ex necessitate: Io. Grammaticus dixit, inductionem esse inutilem ad cognoscendum vniuersale: merito itaque dicere poterimus, quod experimentum, quod ex omnium consensu inductione fit, sit fallax, & periculosum.

Sed magna exurgit dubitatio, quia est Aristotelis auctoritas, & ratio, quod experimentum det vniuersale. Aristoteles 2. post. cap. vltimo habet hæc verba: Cum vnum particulare in memoria steterit, tunc primum incipit in anima esse vniuersale: sed sic est, quod particularia virtute inductionis, vel experientiæ conseruantur in memoria, ergo inductio, vel experientia pariet vniuersale. Præterea experimenta videntur parere cognitionem causarum, & demonstrationem quia; at sic est, quod causarum cognitio est vniuersalis, ergo experimenta indicabunt vniuersale; maior pluribus exemplis confirmatur; sed duo omnium vice afferri possunt; suntque, quia non videtur, alio modo addisci posse hæc vniuersalia, quod guaiacum sit causa curationis gallicæ luis, & rhabarbarum bilis, quam vsu experientiæ, minor est manifesta, & non indiget probatione. Aristoteles 2. post. in principio non semel dicit, quid, quod est vera rei causa, esse vniuersale & prædicatiuum. *Magna dub.*

Primo respondemus auctoritati propositæ, quod propterea, dum particulare est in memoria, incipiat esse vniuersale; in anima, quia in quolibet particulari est inclusa tota natura vniuersalis; quare non ab experientia particularium, vt particularia sunt, sed quatenus in quolibet indiuiduo est totum vniuersale, scientias & artes, quæ vniuersalia tractant, acquirimus. Intellectus separat vniuersale à singularibus suo proprio lumine, & nequaquam inductione & experientia, quæ circa particularia tantum versantur; si in vniuerso orbe vnicus esset particularis homo, ita tota & completa esset humana species in illo solo, ac in infinitis hominibus; Aristotel. 2. post. in fine libri dicit, *Sol.* *Si in vniuerso vnus esset homo adhuc completa esset humana species.*

intellectum separare hominem à Callia homine; quia in Callia est inclusa tota humana species; vocat ibi vniuersalia ἀμερῆ id est indiuisa, quia in quolibet particulari sunt tota simul; si vniuersale esset diuisum in multa particularia, & non esset totum in quolibet, esset interitui obnoxium, est Aristotelis 12. metaph. tex. 49. quod si plures essent primi Motores, materiam haberet, & per consequens essent corruptibiles: vniuersale igitur, cum totum in vnico solo indiuiduo stet, inductio, vel experientia, quæ fit transeundo à particulari ad particularia in hac re erit vana; quia non adferet nobis cognitionem vniuersalium, sed solum particularium. Amplius, si inductio fieret per infinita particularia eiusdem speciei, & interim intellectus suo lumine non separaret naturam vniuersalem à conditionibus indiuiduantibus, de notita vniuersali actum esset; hæc sententia videtur esse Auerrois „ 2. priorum cap. 29. vbi hæc habet, inductionem nobis non conferre „ per se, si etiam complerentur omnia particularia.

Ab experientia, vel inductione non colligi vniuersales. sed solū indefinitas propositiones.

Ad exempla, quod scilicet experientiæ vsu hęc vniuersalia noscantur, quod guaiacum tollat gallicum, & rhabarbarum biliosum morbum, respondemus primo, quod ab experientia nemo vnquam colliget propositiones vniuersales, sed solum indefinitas; hæc propositio guaiacum curat gallicum est indefinita, & non vniuersalis: ab experiētia nemo, colliget quod omne guaiacum curet gallicum morbum, nec vice versa scilicet, quod omnis affectus gallicus à guaiaco curetur; etenim non implicat contradictionem, si dixerimus, quod detur aliqua lues gallica, quæ guaiaco non curabitur, & aliquod guaiacum, quod nullam gallicam luem curare possit. Similiter non implicat, quod detur aliqua bilis, quæ non purgetur rhabarbaro, & aliquod rhabarbarum, quod bilem non purget: omnia igitur, quæ experientia noscuntur, videntur esse indefinita, & nequaquam vniuersalia. Secundò, dum dicunt experientiam, quoniam procedit ab effectibus ad causas, esse demonstrationem à posteriori de ratione cuius est, vt pariat vniuersale. Respondemus, experientiam non procedere ab effectibus ad causas, sed ab effectibus ad subiecta particularia, & indefinita, per quem processum nec statim, nec per regressum causas cognoscere possumus: quinimmo Auerroes quæstione quintadecima logicalium quæstionum probat, quod nullum subiectum dare possit quid, & causam passionum: exempla sunt, si demonstrarem, quod homo respirat; quia sit animal, nihil demonstrarem, quia animal est subiectum, & non causa respirationis; causa vero est pulmo; dantur enim animalia, quæ non respirant. Aristoteles 2. post. tex. 25. vocat subiectum passionum causam remotam; quæ non potest dare propter quid; datque hoc exemplum: si probaremus, vitem pati defluxum foliorum per latifolium habens, problema esset accidentale; quia latifolium habens non est causa, sed subiectum, quod non per discursum, sed per experientiam cognoscitur: causa vera est congelatio humoris.

Experiētiam procedere ab effectibus ad subiecta: & non ad causas.

Præterea per subiecta, quæ sunt causæ remotæ, non perueniemus ad vniuer-

ad vniuersale, quia ex subiectis solum colligimus conclusionem negatiuam in secunda figura in camestres: ratio analytica, quod res ita se habeat, est, quia si causa remota est medius terminus debet prędicari; quod enim est vniuersalius, semper prædicatur, & fiet secunda figura: si vero à causa remota bonam volumus colligere conclusionem, oportet, vt semper sit negatiua, & semper reducatur ad illum modum, qui dicitur camestres; quia ex puris affirmatiuis in secunda figura nihil colligitur. Dum verò dicunt, guaiacum sanasse Gallos, Indos, & Italos, dicimus, quod non afferunt causam, sed subiectum, in quo causa est inclusa. Hactenus nescitur, cur lignum curet gallicum virus. Sunt qui dicunt, causam esse reconditam, & pertinere ad substantificam ligni qualitatem; hinc Scaliger exercit. 180. dicit, in eundem vsum valere aquam ex theriaca destillatam, corticem Iuniperi, tormentillam, Cardum benedictum, Scordeum, & dictamum: Amatus Lusitanus refert, se curasse gallicum morbum buxo: ecce, quod solum cognoscimus per experientiam, lignum curare gallicum; sed cur id efficiat, nescitur: causa est; quia experientia seu inductio transit à particulari ad particularia, & affert in medium subiecta, quæ solum componere possunt propositiones particulares, vel indefinitas, & nequaquam vniuersales: quodque de guaiaco dictum est, de rhabarbaro, & de omnibus expertis dicendum arbitramur.

Ratio analytica cur à subiectis, vel causis remotis nō colligitur vniuersale.

Tres opiniones diuersæ cur guaiacū curet gallicū affectum.

Non tamen negamus inductionem, vel experimenta conferre posse ad cognoscendum vniuersale: quia, vt dicit Boetius in prædicamentis, experientia est exemplorum collectio, postquam collectionem intellectus à proprio lumine excitatur ad separandam naturam vniuersalem ab indiuiduali; tota enim natura vniuersalis est in quolibet indiuiduo, vt sæpè visis indiuiduis, sæpè quoque intellectui offeratur vniuersale. Auerroes 2. priorum 29. habet, inductionem inseruire cognitioni vniuersalis ex accidente, quatenus scilicet ob multorum exemplorum collectionem frequentius offertur intellectui obiectum vniuersale, quod in quolibet particulari est inclusum.

Vt inductio, vel experientia conferat ad cognoscendum vniuersale.

Intellectus verò primò proprio lumine à conditionibus indiuiduantibus naturam vniuersalem toties per inductionem oblatam secernit. Secundò logicis præceptionibus promptius eam exquirit: afferatur exemplum; scio per experientiam, quod vesicantia attrahunt, sed hæc propositio, quod vesicantia attrahant, est inde inita: etenim nescio adhuc, an omnia attrahant, confirmabor tamen, quod, omnia talia sint, si viderimus, quod causa attractionis vniuersalis sit quod scilicet attrahant, quia omnia calida, & dolorifica attrahant: confirmabor adhuc melius argumento à contrariis; quia contrariorum eadem est disciplina; dicendo, si omnium frigidorum proprium fuerit repellere, omnium calidorum erit attrahere; & inde omnia vesicantia attrahent. Denique, vt omnis scrupulus auferatur confugere possumus ad contradictionis principium, cuius virtute logicus, & Metaphysicus potest conuincere proteruos: exem-

Qua via intellectus vniuersale cognoscat.

pli causa, dicimus, aliquod calidum attrahit, hæc est vera & omnibus nota: ea igitur posita & concessa dicimus, quod eius contradictoria sit falsa, quæ est nullum calidum attrahit, quæ propositio, quamuis sit negatiua, est vniuersalis & virtute huius principij sine inductione cognoscitur; similiter dicimus, quod hæc propositio est falsa, aliquod vesicans non attrahit, dicimusque quod ex necessitate eius contradictoria debet esse vera, quæ est omne vesicans attrahit: ecce igitur quo pacto virtute logica, & metaphysica possimus vniuersales propositiones pernoscere.

Finis Duodecimi Libri.

SAN-

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in administrandis remedijs.

LIBER DECIMVSTERTIVS.

Ostenditur, quod omnia errata, quæ committuntur in administrandis remediis, ad tria capita reducantur.

CAP. I.

COGNITIS instrumentis, quibus remedia inueniri possunt; reliquum est, vt de erroribus, qui fieri solent in administratione remediorum, agamus: recta remediorum administratio ex Hippocrate, & Galeno 2. in 6. de morb.vulg.tex.32. consistit in proportionato Quanto, Quando, Quomodo, & Vbi. Si malè administretur remedium in tria, & non plura errata incidere possumus: quorum primum erit, dum remedium administratum est superfluum & abundans. Secundum, dum est diminutum. Tertium, dum est transcendens, & omnino remotum à natura remedij. Quod ad hæc tria capita omnia errata, quæ committuntur, reducantur, potest auctoritate Aristotelis confirmari, qui 2. post text.4. dicens, quod per viam diuisiuam non possit definitio perquiri, nos quoque docet, quod omnia errata, quæ fieri possunt in formanda diuisione, & definitione ad tria tantum capita reducantur; quorum primum est, dum addimus aliquod superfluum. Secundum, dum auferimus aliquod requisitum necessarium. Tertium, dum transcendimus de genere in genus; nos

Administrationem remediorum circa quatuor versari.

igitur eadem præceptione philosophi admoniti ad eadem capita omnia errata, quæ possunt committi in administrandis remediis, reducemus. Si medicamentum non fuerit quantum oportet, necessariò vel erit plus, vel minus, vel transcendens & extraneum: nostrum igitur erit, vt in omni administratione remediorum præuideamus, ne in aliquod erratum ex illis incidamus: hoc enim præuiso rectè administrabimus præsidia.

De erratis Empiricorum circa QVANTVM *diminutum.*

CAPVT II.

QVANTVM sit dandum medicamentum ab alio non desumitur, quàm ab actione indicantis, sed hac lege, vt à summa actione summa dosis, à mediocri mediocris, & à minima minima medicamenti quantitas debeat præscribi; ratio est, & quia vnum est contrarium; sic quædam certa dosis erit contraria indicanti, & non quælibet indiscriminatim, vt Empirici rudiores putant, qui præsidij quantitatem à communibus indicationibus, & non à specificis sumunt; vnde ægrotantes vexant diminutis, modo superfluis, & modo extraneis medicinis. Sed aliquot incipiemus Empiricorum errata afferre, dum diminuta quantitate præsidiorum vtuntur.

Vt errãt, qui in affectibus pulmonis diminuta sacchari rosati dosi vtuntur.

Plurimi in catarrho salso in pectus procumbente causa roborandi pulmonem, ne exulceretur, & fiat phtysis, dant quotidie solum drachmas duas sacchari rosati; quod præsidium est diminutum, & nihil efficere potest; quinimmo in itinere hæc quantitas sacchari rosati amittetur, antequam perueniat ad pulmonem. Si saccharum rosatum debeat roborare, & astringere pulmonem, expedit, vt eius virtus illum tangat, & alteret: est Aristotelis præceptum agentem non introducere effectum, nisi tangat, superet, & dominetur patienti. Galenus 2. ad Glauc. cap. 2. docet, quot partes corporis pertrãseat medicamentum, antequam perueniat ad pulmonem dicit, primum quidem os,
„ fauces, stomachum, ventriculum, & quædam ex tenuioribus intesti-
„ nis pertransit, deinde eas, quæ sunt in mesenterio, venas: deinde eas,
„ quæ in cauis partibus hepatis: ex quibus ad eas, quæ in gibbis sunt;
„ hinc ad concauam peruenit venam, postquam ad cor, & deinceps ad
„ pulmonem: neque negare possumus, quin in singulis iis partibus qui-
„ busdam admisceatur humoribus, ac quandam transmutationem, at-
„ que alterationem pro natura visceris capiat; quare, quod de eius vir-
„ tute relinquitur, minus omnino est, atque imbecillius, quàm vt mem-
„ brum affectum iuuare possit. Qua ratione igitur suffulti porrigunt in pulmonis affectu solum drachmas duas sacchari rosati? quando ad pulmonem hoc diminutum præsidium perueniet? Hinc Galenus loco hoc citato loquens de affectibus, qui in profundis corporis partibus

bus fiunt, dicit, non præsens vis medicinæ est consideranda, sed qualem obtinebit, quando ad membrum peruenerit: subdit, quod enim per multorum corporum media ipsi patienti est occursurum, omninò exoluitur, & viribus deficit, si ab initio fuerit imbecillum. Tantum aduentitij roboris adiungere oportet, quantum in transitu amittitur, vt quod relinquitur æquale remaneat ei, quod tactu iuuat. Idem Galenus libro de artic. med. cap. 95. vult à situ partium esse colligendas præcipuas intentiones: quare, cum pulmo sit roborandus, & astringendus, non duarum drachmarum virtus vnquam erit peruentura ad pulmonem, sed potius trium, vel quatuor vnciarum, quæ possent bis, terue diei spacio exhiberi: habet Galenus loco citato quod, quæ iuuare debent pulmonem, si per os assumantur, exasperent ventriculum oportet; ridicula ergo erit diminuta hæc sacchari rosati dosis in roborando pulmone.

Vt errãt, qui in vigiliis dãt somnifera diminuta.

Videntur quoque diminutè agere, dum pro somno conciliando inungunt tempora vnguento populeonis, & oleo violato; hæc enim sunt perexiguæ virtutis, & vix pueros reddunt ad somnum procliues: quin accidit, vt ægri ob fœdos vnguentorum odores vigilem, & insomnem ducant totam noctem: errant, quia tempus in iis conterunt, & interim omittunt, quæ sunt præstantiora, & efficaciora ad somnum conciliandum, veluti est pedum lotio à cœna administrata, quæ fit ex capitibus papaueris, matre violarum, ex rosis siccis, & lactuca; hæc enim reuellendo vapores, qui excitant vigilias, somnum conciliant. Præterea, quæ mirabile afferunt emolumentum, dimittunt, vt est syrupus de papauere, eius extractum, & puluis capitum papaueris, quippe drachmæ pondere mistus ferculis nullum reddit saporem, & miras habet virtutes in conciliando somno.

Quomodo diminuta oxymellis dosi vtuntur.

Similiter, si quis magnis grauetur obstructionibus vtuntur vncia cum dimidia oxymellis: quæ diminuta dosis vix ad ventriculum peruenit; partim enim detinetur in paristhmis, partim in œsophago, & partim per sputum illicò ferè reiicitur: quomodo ergo obstructiones mesenterij, splenis, & hepatis reserabit? vix odor huius perexiguæ quantitatis oxymellis perueniet ad has altiores partes. Ego igitur manè tres vncias, & vesperi eandem quantitatem repeterem, & si impenderet periculum, ne oxymel ventriculum vellicaret, cibis illud permiscerem: hoc enim modo quotidie oxymellis vnciæ sex, & octo possent illis præberi, qui pertinacissimo humorum infarctu detinentur.

Vt diminutè agunt dum in doloribus oculorũ aqua dulci tepida, vel rosacea vtuntur.

Itidem, dum pro auferendis oculorum inflammationibus, & doloribus vtuntur aqua rosacea, vel aqua dulci tepida, non iuuant ægrotantem; quia hæc sunt diminutæ virtutis; quamuis aliquantulum sedetur dolor, paulo post tamen reddit. Præterea, si vtantur aqua rosacea plumbeo alembico stillata, lædunt patientes; quia cerusa, quæ in rosacea aqua hoc modo parata delitescit, reprimit, & transpiratum tollit, vnde truciores excitantur dolores: omittunt phlebotomiam, & cathartica medicamenta, quæ à supernis partibus reuellunt, & sum-

ma cum omnium admiratione sanant. Galenus in methodo fatetur, medicamenti exhibitione hominem oculorum inflammatione obsessum ad sanitatem perduxisse: omittuntque Hippocratis auxilia 6. aph. 31. proposita, vbi dicit, meri potionem, balneum, fomentum, sanguinis missionem, & pharmacum soluere oculorum dolores: præstat tamen, vt profundè inquirantur causæ, vt sciamus eligere præsidium, quod tutò possit administrari. Omittunt in doloribus oculorum pertinacissimis vesicantia, quæ occipitio applicata diuinitus dolores, & inflammationes oculorum tollunt. Sciunt amici mei, quibus ingentissimam oculorum fluxionem vesicatorio occipitio adiuncto statim cohibui.

Vt diminuta vtuntur seri dosi. Insuper sunt, qui ardenti febre, vel diarrhœa biliosissima correptis seri lactis libram solum porrigunt; quibus, nisi aliquod euidentissimè prohiberet, essent quinque, & sex seri libræ præscribendæ. Est Hippocratis, & Galeni 4. de ratione vict. 29. quod vnica die dari possint duodecim libræ lactis asinæ, & vltra. Nos quoque illorum imitatione copiosissimo sero caprino in caloribus & siccitatibus corrigendis, vti poterimus.

Vt diminuto enemate in colica vtantur. In eundem errorem labuntur rudiores, dum in colica prodeunte à materia vitrea proponunt enemata diminutæ virtutis, & improportionata, , veluti est illud quod fit chamæmello, anetho, & laurino oleo, quibus admista sit hiera, quippe in colicis leuioribus solum aliquid possunt, in contumacissimis causas auferre nō possunt; & quamuis frequenter hos clysteres iniiciant, attamen non sunt tanti, vt hostilem humorem euincere possint: assidua repetitio clysteris non sumitur ab actione indicantis vehementis, sed à præsentia. Idcirco repetitio diminuta nunquam poterit insignem vim indicantium demolliri, quia vis, & præsentia genere differunt. Valentiora enemata in colica passione omnium contumacissima fient ex decocto carminatiuo, in quo drahma cum dimidia trociscorum alhandal, & centaureæ minoris manipulus ebullierint, & ex oleo amygdalino dulci; quod pharmacum contemperat.

Vt diminutè agūt in lumbricis auferendis. Diminutum quoque erit auxilium, dum in pueris qui abundant lumbricis vtuntur enemate ex lacte, & saccharo, gratia alliciendi lumbricos sæpè antequam lac vnicum alliciat, pueri pereunt: efficax, & proportionatum erit aloe non lota, quæ promptè eos occidit, & propellit per aluum. Cæterum, si pueri adeo ab insectis iis premerentur, vt instaret mortis periculum, adsunt pillulæ, quæ cōficiuntur ex aloe, terebentina, & mercurio, quæ confestim occidunt, & pueros certissimè sanant; pillulæ fiunt perexiguæ, ad quas tamquàm ad lumbricorum proprios hostes confugimus.

Vt diminutis, & extraneis vtuntur remedijs in gonorrhæa. Porrò, vt pluribus exemplis explodamus diminutas medicinas, dum gonorrhæam tractant, putant cassiam, prissanam, infrigidans Galeni, laminas plumbeas renibus applicitas satis esse, quæ sunt omnino remedia diminuta, ne dicam transcendentia: causa erroris est, quia putant in gonorrhæa auferenda, esse solum renes refrigerandos: tam

rectè

rectè dicunt, quod gonorrhæa sit affectus renalis, quantum si dicerét, quod esset hepatis, vel intestinorum, quoniam locus affectus non sunt renes, sed glandulæ adstantes: hæ igitur essent detergendæ terebentina, aqua Beatæ Virginis, vel Villensi, vel Calderiana largè epota, in quibus ebullierit liquiritia, iis enim plurimos gonorrhæa correptos curaui.

Vt in mensibus suppressis diminutè agunt.

In suppressis mensibus diminutè agunt, dum dant conseruam capillorum veneris, pulegium, iusculum ciceris, quæ omnia vt plurimum nihil operantur; quia maior est resistentia passi, quàm vigor istorum: proportionatum auxilium est sanguinem euacuare per sectum cubitum, & deinde per saphenam: qui tundunt saphenam non secto cubito, minora vasa circa matricem magis implent, & obstruunt; quo fit, vt sæpissimè pro mouendis mensibus secta saphena non iuuet, nisi post sectum cubitum.

Vt errãt dum pro tollenda siti dulcia dant.

Non solum diminutis sæpè vtuntur medicinis, verum etiam extraneis; dum enim vident ægros magna siti ferè enectos, non pudet, proponere plurima sacccharo condita, vt sunt marinatæ, conseruę ex acido citri, limbæ, quæ licet sine saccharo fortasse possent sitim arcere; attamen sacccharo mistæ est omnino impossibile, vt sitim auferant: mulieres vident, & sciunt pueri, quod saccharum contendat sitim: satius esset nihil sumere, quia lingua non polluta iis dulcibus aliquarum horarum spacio minori tentaretur siti. Si aliquid esset concedendum est ptisana actu frigida, quæ os abluendo eam sedat: deinde si sero lactis actu frigido sæpè os abluetur, omnino mitigabitur: non solum igitur dulcia erunt inepta in siti pellenda, verum etiam cum intendent, & meritò, quia facilè bilescunt. Hinc mirandum est, quod medici, licet videant quotidiè dulcibus non sedari sitim; videant ab ægrotantibus respui, non resipiscant, nec ab iis abstineant.

Errata Empiricorum circa QVANDO.

CAPVT III.

Dum vtuntur medicina quando non oportet.

QVANDO sit danda medicina, nos docet præsentia indicantis, & absentia prohibentis: mirum igitur est, quod Empirici leuissima de causa dant pharmaca: adest Galeni sententia 3. aphorismorum 14. quæ admonet, quod sæpè non sint corpora purganda: hæc sunt verba, « neque tamen ea, quæ fit per purgantia pharmaca, superfluitatum euacuatio, idonea est, quia valdè indigentibus, & ex longis interuallis vtilis est, nam euacuatio superfluitatum, quæ quotidiè generantur in corpore, minor est, quàm exigua operatio purgantis pharmaci; si quis voluerit bis in mense, aut semel vti ea veritus ne aggregentur superfluitates, nocebit, & corpora trahet in malam consuetudinem, non sæpè accidit, vt in corpore tot sint excrementa congesta, vt solum phar-

macis, & non viuendi norma, possint tolli; quot sunt, qui vexantur grauedinibus, & catarrho, qui nullo sumpto pharmaco recta viuendi ratione seruata, vel breui liberantur? quippe, qui si pharmacis tractarentur, nec citius, nec melius curarentur: præcipuéque sunt, qui destillatione tentantur ob imbecillitatem, vel ob frigiditatem externam densantem, & exprimentem cerebrum, vel ob caliditatem liquefacientem; iis nullo vnquam tempore conueniunt pharmaca.

Vt errant, dũ vtuntur inedia quando non oportet.

Amplius superfluè, & importunè agunt in grauedinibus, & destillationibus capitis, dum nimiam inediam cholericis præcipiunt: dicit Hippocrates, & Galenus 2. de ratione vict. 44. biliosorum ventrem ob ieiunium repleri cruditatibus; à quibus deinde vapores eleuantur, caputque obrepunt, & tempora pulsant: de nimia inedia loco citato dicit, inediam intempestiuam crudum reddere morbum. Secundo verò de ratione vict. 30. reddere bilem amariorem. Secunda sectione apho. comm. 22. inediam biliosis febrem afferre; aduersus Erasistrat. dicit, eliquare carnes, & mordicando stomachum efficere morsum cordis, quo in loco loquens de Diodoro Grammatico dicit, inediam intempestiuam motus epilepticos & vertiginosos facere: & 8. methodi capite 2. habet picrocholos ob intempestiuam inediam in hecticam incidere.

Vt errant. dũ vtantur terebra, quando non oportet.

Errant sæpè Empirici, dum intempestiuè vtuntur terebra in capitis vulneribus: intempestiuè ea vtuntur, quia, quando æger esset viribus destitutus, in opere ipso posset edere extremum spiritum: nullum magnum remedium est, dum virtus non permittit, administrandum; etenim si phlebotomia non possit administrari in virtute languida, quanto minus terebratio, quæ est vulnus ferè læthale, conueniet? intempestiuè quoque ea vtuntur, dum putant, à sæuissimis accidentibus colligi posse quod pus sit collectum licet non sint fracturæ, signa; intempestiuè dum nesciunt qua sub parte cranei sit pus; Causarum, cur terebratio aliquando mortem pariat, prima est, quia vehemens excitat dolorem in vtraque membrana; secunda quia aër tangens duram, & piam matrem efficit magnam læsionem, tertia in opere ita concutitur cerebrum, vt aliquando fiat attonitus affectus. Hinc Galenus 2. de loc. aff. 9. & 4. de loc. aff. 3. dicit inter perforandum craneum, si quis premendo nimium violauerit membranam, sopor accidet; quarta, terebrando sæpè sanguinis profluuium contingit, & inde mors; quinta, terebrando sæpè fit noua inflammatio, & inde mors; sexta, aliquando propter inflammationem accenditur febris, & deinde sequitur exitium: septima, in terebratione cranei requiritur summa inedia, quam si in tanto labore ferunt, vt plurimum pereunt: octaua squamma ossis fracti sæpè non percipitur, vbi fit, vt hinc reddatur opus inutile non sine mortis periculo. Dicimus igitur, quod in magna consilij angustia melius sit terebrationem dimittere: sagax enim natura sæpè parat sibi iter, & sine terebratione squammam latentem, & absconditam saniem expellit, vel resoluit, & insensibiliter digerit:

exemplum huius admirandæ operationis naturæ est pus in pleura inclusum, quod aliquando ad vasa vrinæ fuit propulsum: posset itaque facilius propelli si erit inclusum sub craneo per foramina ossium cranei, etenim os cuneale habet decem & octo foramina, occipitium septem: in temporibus vtrinque sunt quatuor, quatuor quoque sunt communia occipitio, cuneali, & temporib. per quę natura posset pus excernere: nos tamen non omninò negamus terebrationis vsum, vt fecerunt Conciliator, & Cardanus, quorum opinio omninò reluctatur experientiæ; multi enim mortem obirent, nisi terebratio administraretur; quare supposito, quod virtus permittat, quod sciatur, vbi sit pus, vel squamma ossis, semper terebratio erit admittenda.

Empirici solent errare, dum vtuntur repellentibus, quando non oportet: nouem sunt casus, quando repellentia non conueniunt.

Vt errant, dũ vtuntur repellentibus, quando non oportet.

Primus ex Galeno colligitur: 3. de med. lo. capite 2. vbi dicit, non esse vtendum repellentibus, quando humor fluit ad emunctoria auris, axillorum, & inguinis, &c. & ratio est, quia materia peteret partem principem; partes enim principes in glandulas expellunt excrementa, vt in cloacam, & inde innumeris liberantur malis.

Secundus casus, quando repellentia nocent, est, dum egreditur materia venenosa, vel dum fluit in partes ignobiliores à corde distantes.

Tertius in motu critico non vtimur repellentibus; quinimmo, si tumor criticè factus est, laxantibus est tractandus vt in maiorem molem eleuetur: hic obiter quinque conditiones bonæ crisis à Galeno traditæ 1 aphorismorum 20. afferuntur, quarum prima est, vt fiat per euacuationem, & non per abscessum: secunda, vt euacuentur humores peccantes: tertia, è directo: quarta, vt æger facilè tolleret: quinta, vt fiat die critico: quando igitur seruabuntur hæ conditiones crisis euacuatio non erit repellentibus impedienda.

Quot sint conditiones bonæ crisis.

Quartus casus in pletora, vel cacochimia repellentia nocent: est Galeni de arte medicinali capite 45. & alibi, quod in principio apostematum pletora existente, non sint adiungenda repellentia: hæc sunt verba Galeni, corpora pletorica non admittere humoris retrocessus, "
cum vndique plena sint. "

Quintus est, quando pars est adeo imbecilla, vt immineat periculum, ne calor partis extinguatur, hic casus colligitur à Galeno 6. de med. loc. cap. 7.

Sextus est, quando fluit materia ad partem vicinam parti principi, si in facie, esset erysipelas, ibi repellentia propellerent ad cerebrum excrementa, quod esset inconueniens, eadem ratione, qui in angina vterentur repellentibus, errarent. AVDIO his temporibus Medicum rationalem parti externæ gutturis in angina apocrustica applicare, à quo medendi modo, nisi abstineat, verendum est, ne aliquem miserum iugulet.

Error cuiusdam nostratis medici.

Octauus, dum materia est fixa, hicque colligitur ex Galeno 13. metho. cap. 6. in principio enim fluxionis, quando humor videlicet est

in venis, & in itinere, vti possumus repellentibus, quando vero est inclusus in spatiis nullo modo: quia humor factus crassus amplius non potest regredi.

Nonus casus est, dum tumor factus est per congestionem, tunc enim vti debemus digerentibus, & non reprimentibus.

Vt errat Guido proponens duos casus vetantes repellentia non necessarios.

Duo alij à Guidone ponuntur casus prohibentes repellentia: qui re vera possunt reijci, alter est, dum affectus fit solum à causa externa: alter, dum fluit materia crassa, horum primus est vanissimus, quia in vulneribus illicò vtimur repellentibus: secundus reluctatur Galeno 14. methodi 17. vbi hæc leguntur: repellunt enim non solum quę
„ astringunt, verum etiam quæ sine adstrictione refrigerant: aliqua igi-
„ tur repellentia sunt frigida & humida, & aliqua frigida & sicca, & hæc sunt fortiora, quia astringunt: dicimus, quod repellentia frigida & humida, qualia sunt lactuca, nimphea, & alia id genus, sint reprimentia accommodata humoribus biliosis; frigida vero & sicca pituitosis, & crassis: quod Galeni testimonio confirmatur 6. de med. loc. cap. vltimo vbi dicit, in capite, si sint acorę subflauæ vtar repellenti-
„ bus potius refrigerantibus, si acoræ sint ex pituita vtar astringentibus:
„ ecce igitur, quod Galenus vtitur repellentibus, dum fluit materia crassa, & pituitosa; tandem de materia fluxa loquens Galenus 13. methodi 6. dicit, tunc esse vtendum digerentibus, & non repellentibus.

Cur interna viscera non tractantur repellentibus.

Causa vero, cur in fluxione vti debemus repellentibus, duplex à à Galeno affertur 11. methodi cap. 15. altera est, quia repellentia virtute sua adstrictoria afferunt robur partibus, ne recipiant excrementa; altera est; quia exprimunt humorem tenuissimum inclusum: hæc sunt
„ Galeni verba, apocrustica auxilia sunt adhibenda, quando fluxio pe-
„ tit aliquam partem, tum quia dant robur partibus, & roboratis prohi-
„ betur fluxio; tum, quia astringentia tenuissimum succum exprimũt: ibi Galenus reprehendit illos, qui vtebantur laxantibus, quia laxando tollitur affectarum partium robur, & partes implentur excrementis. In hoc loco nostratium Empiricorum error notatur, dum ante totius purgationem in qualibet inflammatione vtuntur laxantibus, vt est oleum amygd. & alia vnguenta emollientia: quod Galeno reluctatur; dicit enim 2. ad Glauconem, vbi loquitur de inflammatione, quod duo errata ab Empiricis in curandis inflammationibus committuntur, primum est, dum localia applicant non purgato corpore. Secundum, dum vtuntur laxantibus. 13. method. cap. 5. docet in omni inflammatione esse vtendum moderatis astringentibus gratia corroborandi partem affectam: quinimmò refert ibi casum Theagenis Cynici philosophi, qui, cum haberet phlegmonem in Iecore, ab Atalo Medico laxantium vsu, est occisus.

Vt errant empirici vtentes laxantibus.

Quæstio an repellentia glandulis le suadinungantur.

Occurrunt dubitanda; quia sunt Empirici nonnulli, qui vtuntur repellentibus in glandularum ægritudinibus, quod iis, quæ superius dicta sunt, reluctatur: confirmant auctoritate Rasis, qui libro de apostematibus dicit, plantaginem conuenire strumis, ac plantago est au-

xilium reprimens: ergo. Præterea Galenus 2.ad Glauconem pro curandis strumis vtitur plantagine. Insuper afferunt Galenum 14.methodi 1-.dicentem: exiguum vitiosi humoris, etiam si quis ad viscera, " & ad magnas venas retrudat, nullum malum committet; quare non " videtur inconueniẽs, si exiguus humor in glandulis sit, quod aliquando repelli possit ad partem principem. Demum Galenus 10.de comp. med. sec. loc. vbi agit de podagra, dicit, in fluxa materia, & in parte ignobiliori nos vti posse repellentibus, hæc sunt verba: administrata " totius euacuatione, vtimur repellentibus fluxionem in manibus, & " pedibus; iuxta coxendicem verò minimè, ea cum in profundo sita sit " iunctura, sanguis ex vicinis, & ambientibus vasis à musculis ad illam truditur; patet igitur, quod aliquando ex Galeno possint ignobilioribus partibus applicari repercutientia.

Ad primum argumentum respondemus, Rasim locutum fuisse de plantagine sicca, & non viridi; sicca enim abstergit, & discutit; viridis vero reprimit. Hinc Galenus 6 simp. med. cap. de plantagine dicit folia, & radices plantaginis exsiccatas valere ad obstructiones iecoris, & renum aperiendas. Hinc innumerabiles notantur errores illorum, qui vtuntur hyeme herbis siccis loco recentium, quæ natura, & qualitate valdè differunt. *Ad primum.*

Ad secundum argumentum, quod Galenus 2.ad Glauconem doceat esse vtendum plantagine, quæ astringit. Respondemus, quo Galenus non dicit plantaginem adstringere, sed σφίγγει, quod verbum significat sistere, & compescere, quare plantago, vt sicca & detersoria ex Galeno compescet strumas, & non vt viridis, & repercutiens. Galenus 14.methodi 11.dixit quod strumis illa conueniat curatio, quæ debetur scyrrhis, & tumoribus induratis; quibus nullo modo conueniunt astringentia. *Ad secũdum*

Ad tertium, dato quod collectus humor in glandulis esset exiguus, dicimus illum esse adeo rebellem, vt timendum sit, ne viscera illum euincere possint. Præterea dicimus, Galenum non intellexisse de humoribus existentibus in glandulis, sed in aliis partibus; nulla enim alia corporis pars recipit humores adeo coctioni contrarios, & rebelles, vt glandulæ. *Ad tertium.*

Ad postremum dicimus, quod in podagra solum corpore purgato licet vti repellentibus, neque illico in partem principem posset retrudi, quia pedes valdè distant à visceribus principalibus. In glandulis vero aurium, & gutturis si vteremur repercutientibus, statim confluerent humores ad caput: tutius tamen semper est, vti repercutientibus corpore existente purgato: exemplum enim est à Galeno 14. methodi 17. traditum de Matrona Romana habente Herpetem in malleolo, quæ medicamento ex alga, quamuis corpus non erat purgatum, sanabatur, & paulo post iterum in aliis partibus rumpebatur vsque ad genu, tandem à Galeno sanatur vsu seri lactis, cui admistum sit scamoneæ pauxillum. *Ad quartũ.*

Vt errant, dũ alterãt quã do nõ oportet. Falluntur quoque plurimi dum porrigunt ægrotantibus alterantia, & cibum, quando non oportet: præscribunt post duas horas ab incœpto paroxismi calore, esse dandum serapium, & post serapium elapsis duabus, vel tribus horis ouum; & quod pessimum est, mulierum iudicio hoc summi momenti munus commendant: errant, quia sæpè incipiunt ægri exardere, & post incœptum calorem trium horarum spacio conseruant extrema frigida, quod significat accessionem adhuc esse in augmento, quod cum ita sit, valdè lædunt, quia naturam rectè operantem à sedibus febrilis foci distrahunt: & morbum intendunt. Præterea dato quod in aliquibus, duabus horis ab incœpto calore incipiat declinatio, non tamen id omnibus febricitantibus accidet. Galenus 2. de differentiis feb. 3 & 11. dicit, longas, seu breues accessiones modò pendere à multitudine peccantis humoris, modò à qualitate, & modò ab imbecillitate, & demum ab angustia meatuũ; quare, cum humoris quantitas, qualitas, imbecillitas, vel meatuum angustia modò sit maior, modò minor, eadem ratione accessiones erunt modò breuiores, modò longiores, & in longioribus accessionibus erunt longiora principia, & longiora augmenta, vt omninò sit ridiculum in ęgrotantibus omnib. accessiones in horas eodem modo semper diuidere: in aliquibus enim post duas horas ab incœpto calore erit adhuc principium, in aliis augmentum, & in aliis status; quare hæc norma alterandi, & nutriendi est periculosa. Falluntur quoque dum post tres horas à potione syrupi dant alimentum, tunc enim potest paroxismus esse adhuc in augmento: quanti vero sit hoc erratum, colligitur ab Hippocrate 1. de morb. vulg. com. 2. tex. 26. vbi dicit, Filiam Philonis septima die mortuam esse, quia intempestiuius cœnauit: similiter Galenus dicit, Filiam Eurianactis mortem obisse, quia in paroxismo comedit vuæ racemum: si itaque in augmento dabitur cibus, vel alterans serapium, in discrimen adducetur ægrotus: medicus igitur iuuare non poterit, nisi prius cognouerit principium accessionis, & declinationis; accessionis, vt ante quinque horas possit proportionatum nutrimentum præscribere; declinationis, vt alterantia, & deinde cibus opportunè exhibeatur; sæpè aberrant, qui in hac re tanti ponderis stant relationi mulierum, quoniam mœrore confectæ sæpè referunt extranea, & minimè ad rem conferentia: illæ semper verentur, ne æger fame pereat: neque aliud cogitant, quam ventriculum cibis multæ nutritionis infarcire: si medici ab illis quærant accessionis principium, omnia præposterè referunt; vocant enim vt plurimum paroxismi principium, dum æger incipit anxietatibus premi, quod potius ad augmentum pertinet: demum væh ægrotanti, si ab illo Medico tractetur, qui stat relationi mulierum, quia huius medici auxilia necessario sint importunè, & præposterè administrata oportet, ex quibus quantum detrimenti sequatur, cæteri iudicent. Similes medici sunt nostratum Empiricorum plurimi, qui in maligna febre, vel nullum principium insultus obseruant, vel de accessionibus omnia concredunt mulieribus; & quod exitiosum est,

manè

manè audent præscribere, quæ vesperi, media nocte, & sequenti die sunt administranda, quasi quod non medici, sed vates essent: quod erratum est inexcusabile, quia quando agendum sumitur à præsentia indicantium, & indicantia tam facilè mutari possunt, vt semper occasio operandi, vt dicit Hippocrates 1. aphorismorum, sit præceps.

Videntur, quod plurimi vtantur purgantibus, & variis auxiliis in statu morbi, quando minus oportet: Empirici, dum dira, & trucia sæuiunt symptomata, præcipuè videntur confugere ad purgationes, ad sanguinis missiones, & ad vesicantia. Errare videntur; quia clarissimè Hippocrates 2. sect. aph. 29. oppositum docet his verbis: vigentibus morbis quiescere multò præstat: & Galenus in commento habet hæc verba: circa initia morborum, in quibus speramus ægrum conualiturum, tentandum est, maiora afferre remedia, vt venæ sectionem, & aliquando purgationem, quorum neutrum oportet adhibere morbo consistente, quia tunc actiones morborum quam maximè fiũt; & infra, cũ fiunt actiones, superfluũ est, euacuare. Prima ratio, cur in statu morbi magnis remediis non sunt tractãdi ægrotantes, est, quia tunc virtus est defatigata: est enim Galeni 2. aph. 25. quòd humores nõ sunt euacuãdi, nisi virtus valida sit: secũda, quia natura non est distrahenda à concoctione, natura enim tunc agit singulare certamen, à quo si remouebitur facilè succumbet: verum, quia aliquando turgent humores, vel magis possunt indicantia ad indicandum remedia, quam enarrata prohibentia ad prohibendum; ideo Dogmaticus in statu morbi aliquando etiam vtetur magnis remediis, quod est faciendum non sine exacto indicantium æquilibrio; omnino tamen reprehenditur mos illorum, qui in omni morbi tempore, & qualibet die sanguinem ab aliqua parte mittunt, vel medicinis importunis vexant ægrotos, & nunquam permittunt vt æger quiescat.

Vt errant, dum euacuãt quando non oportet.

Plurimi plus nutriunt in statu morbi, quàm in principio; ij Galeno, Hippocrati, & præcipuis medicinæ fundamentis reluctantur: Hippocrates 1. de ratione vict. in ac 18. eos reprehendit, qui primis diebus absolutam inediam obseruant, dum verò ad statum morbi propius accedunt, iis, quæ maximè nutriunt, vtuntur: hæc sunt verba, verum & medicos contra omnino, quam oportet facere non ignoro, quippè qui ab initio duos, aut tres dies, aut etiam plures ægros fame cruciant: deinde, & sorbitiones, & potus exhibent. Empirici hunc ordinem Hippocratis peruertunt, primis diebus præscribunt febrientibus panem madefactum in iure pulli, & ouum recens: in statu, iis addunt contusa caponis; quod omnino aduersatur etiam Galeno 1. sect. aph. 8. vbi dicit, cum morbus est in vigore, vtimur victu tenuissimo, tum quia magna symptomata ægrum vexant; tum quia natura est occupata coctione humorum: præterea in statu morbi virtus est adeo languida, vt vix possit tenuissimum cibum assimilare. Galenus 1. aphor. 3. dicit, in euacuato corpore refectiones non sunt securæ, cum natura sit facta debilis, & non possit coquere, neque distribuere alimentum, vel assimilare: primis diebus debilitantur ægroti medicinis, & phle-

Vt errant, dum nutriũt quando non oportet.

botomia: in statu cum sint debiles, refectiones, non sunt securæ. Præterea non sunt securæ, quia (vt diximus) distrahitur natura ab humorum coctione: nihilominus mulieres, circulatores, & Empirici aliam obseruant medicinam, putant virtutem languidam indicare, quæ valdè nutriunt, & fortem indicare inediam. Galenus 1. sect. aph. com. 12. desumit rationem virtus ab iis tribus à viribus ægrotantis, à constitutione morbi, & à particularibus accessionibus. Quo ad vires ægrotantis attinet, Galenus 2. methodi 5. dicit quando virtus facilius morbum tolleret, tunc ægrum esse cibandum, addi potest, at sic est, quod in statu morbi maximè læduntur ægri, & minus tollerant, ergo minus cibandi. Quo ad constitutiones morbi, dicimus, in inflammationibus minus esse nutriendum; quia inflammatio semper habet annexam intemperiem, & solutam vnitatem; præterea inflammatio est ferè vniformis, & non edit paroxismum, in cuius declinatione natura possit quiescere: hinc dicimus inflammationem magis prohibere cibum, quam intemperiem sine inflammatione: demum dicit Galenus, quod paroxismi prohibent cibum; quia natura tunc est maximè occupata, & non potest cibis, & morbi insultibus vacare. Hinc Galenus 1. ad Glauconem 10. dicit, in tertiana non exquisita solum alternis diebus esse cibandum, vt aufugeret periculum cibandi in accessionibus. Verum non negamus, quod aliquando non sint ægroti in statu quoque reficiendi & præcipuè si aliquod vrgens sit, quinimmò est Galeni 1. aphor. 9. vbi dicit, quocirca aliquando in ipso vigore morbi nutrire cogimur, vbi casus interuenit robur naturę dissoluens. Præterea sunt picrocholi, qui habent corpora disposita ad hecticas febres, de quibus Galenus in methodo dicit, quod nisi cibo in principiis paroxismorum refocilentur, in habitum hecticum cadant oportet; si igitur nullum fuerit vrgens, quod cibum indicet, seruanda erit Galeni sententia tum 1. ad Glauc. 13. vbi dicit in acutis in principio victu solidiori, si vires non valent in statu tenuiori, tum 1. sect. aph. vbi dicit, in longis morbis oportet conseruare vires, vt acceperimus; in acutis satis est, eas seruare debilitatas.

Cur in inflammationibus minus cibandum quam in febribus.

Quoties verò sit dandus cibus, docet Galenus 2. de ratione vict. 36. iis verbis, imbecillitas indicat sæpè quidem, sed paulatim dandum alimentum: firmitas semel, & multum, quod plurimi Empirici non obseruant, quia dum vires sunt languidissimæ, dant quæ maximè nutriunt, & sæpè: dum robustæ parum.

Vt errant, dum alunt debiles multum, & sæpè.

De erratis circa QVOMODO.

CAPVT IV.

QVOMODO agendum à passione indicantis desumitur: indicans non patietur à remedio tribus modis, vel quia sit diminutum, vel abundans, vel extraneum; ratio est, quia vni indicanti (vt diximus)

ximus) vnicum debet esse remedium, & non plura: omnia igitur, quæ non iuuabunt sub aliquo ex iis tribus continebuntur. Cæterum remedia malè administrata, quæ pertinent ad Quomodo, proponamus: exordiamur ab extraneis; hęc enim nullomodo conueniũt, quia, cum sint alterius, non aduersabuntur morbis, si vera est Aristotelis sententia proposita in prædicamento qualitatis, quod in illo genere, in quo est vnum contrarium, sit & alterum.

Vt errãt qui putant, quod lapis renum, vel vesica frangi possit remedijs.

Quidam putant, quod calculus in Renibus, & Vesica existens frangi possit succo citri, electuario ex vitro, decocto saxifragiæ: verbenæ. Quidam valdè confidunt in cinere scorpionum, in Yrci sanguine: quæ materiæ nec diminutè, nec abundanter possunt calculum frangere, vel comminuere; vocabuntur igitur remedia extranea, & transcendentia. Si remedium esset istius virtutis, vt lapillum existentem in vesica, vel in renibus posset frangere, prius viscera exanimaret, intestina vellicaret, & ad vltimũ partes viuẽtes qua trãsiret, laceraret, antequã calculi extimã superficiem cõminueret. Hic non possum omittere, quin erratũ cuiusdã nostratis reiiciam, qui in percelebri viro calculo vesicæ laborante multis diebus vsus est electuario ex vitro; dũ enim putat calculum comminuere, exedit intestina dysenteriam efficit, & immaturè tam præclarum virum iugulat: errauit, quia remedia, quæ haberent virtutem frangendi calculum, nihil efficerent, nisi super ipsum detinerentur: actio ex Aristotele 1. de gener. non fit nisi per contactum: sed demus, & non concedamus, quod hæc remedia, quæ per os assumuntur, sine læsione aliarum partium eant ad calculum, illum solum obuoluant, & tangant, quid tum postea? frangerentne illud? obuoluas calculum polline vitri, vel adamantis, quod fortius est, & anni spacio sic obuolutum conseruas, experientia videbis, calculum integrum, & nullo modo comminutum conseruari: quod cum ita sit, fatuum erit credere, quod assumpta per os possint calculum renum, vel vesicæ comminuere.

Vt errant dũ per loca affecta euacuãt.

Dum in Renũ, & vesicæ inflammatione vtuntur diureticis, videntur errare; quoniam diuretica ad loca illa affecta alia plura excrementa secum rapiunt, & morbum intendunt: eadem ratione videntur errare, dum in colica passione exhibent pharmaca, hæc enim intestinum collum debilitatum recrementis implent, vnde truciores, & scelestiores succrescunt dolores. Similiter non licet in vteri passionibus menses mouentia porrigere, vt plurimi Empiricorum quotidiè faciunt: quod manifestissimè errẽt, est Galeni auctoritas 6. de morb. de vulg. com. 2. tex. 7. hæc sunt verba, vitiata vesica, aut renibus, melius est per aluum deriuare, quàm per vrinam euacuare: & 13. methodi cap. 11. dicit, cum iecur incipiat phlegmone laborare, & aliquis tentet medicamenta exhibere, maximam excitabit inflammationem, æquè vt, si cum renes, aut vesica laborat, aut vterus, & menses deuocet: subdit ac vomitu, vti pudibundis laborantibus est auxilium revellens: valebit ergo in Galeni doctrina hæc consequentia, vterus, renes morbo laborant, ergo neque diuretica, neque menses mouentia sunt porrigenda:

non tamẽ omnia duretica sunt interdicẽda, sed solũ calida, quæ secũ ferunt alia excrementa; quia si partes illæ fuerint refrigerandæ, & contemperandæ, diuretica frigida, vt lac sem. mellonum, & alia id genus laudantur: præterea si esset aliquod vrgens, veluti in desperata vrinæ suppressione, tunc ad cantharides confugimus; nunc non loquimur de vrgentibus, sed solum de indicantibus; laudat Galenus vomitum, vt auxilium reuellens, qui pudibunda laborantia valdè iuuat; Ego in sæuissimo arenularum dolore hactenus non inueni præstantius remedium vomitu, statim mitigantur dolores, quod fortasse fit, quia loco ab impetu vomitus arenulæ dimouentur.

Vt errant qui in calculosis vtũtur diureticis.

Præterea, qui vtũtur in calculosis diureticis calidis, errãt primò, quia diuretica secum ferunt excrementa, & aperiunt meatus: secundò lapidem denudant, & inæqualem, & asperum reddunt: lapis, dum crescit, quia augetur iuxtapositione, conditio eorum, quæ crescunt per iuxtapositionem, non est, vt æqualiter, & secũdum omnes partes crescant, quia hæc est conditio animatorum, & hæc est ratio, cur calculi, vt plurimum inæquales, & asperi sint: verum, quia renes, aut vesica asperitate læderetur, sagax & prudens natura eum mucosa, & lubrica pituita induit, ne partem viuentem vellicaret: diuretica magnũ afferunt detrimentum, quia calculum circumuentũ viscosa pituita denudant, qui ob asperitates adeo pungit, vt post breue deinde spatiũ vlcus exitiosum efficat, vnde adeo trucia symptomata, vt nulla mors hac crudelior accidere possit.

Vt famosus circulator calculosum occidit.

Audias quomodo famosus quidã Circulator hac scelestissima morte calculosum peremptsit. Hic porrexit misero valentissima diuretica, quæ mouerunt lotia fæculentissima, quia viscosam, & lubricam pituitam, quæ erat tamquam calculi puluinar, à calculo separauit: illicò melius habuit; putabatque iam esse liberatum, & Circulatorem, ac Æsculapium laudibus ad sydera extollebat. Verum post paucos dies calculus nudus, & asper cœpit paulatim exedere, & terebrare vesicæ parietes, & doloribus, quos ante nunquam fuit expertus, vexari; mox facto vlcere, eoque cancrenoso (vt vidimus post sectum eius cadauer) tot penis lacerabatur, vt fatear, me ante nunquam vidisse mortem violentam, quæ esset hac trucior, atq; crudelior: miser potuisset, vel se permittere Lithotomo cum spe salutis, vel multo temporis tractu sine cruciatibus adhuc frui lucis vsura; voluit tamen circulatori, vel potius carnifici se committere: patet igitur non solum ratione, verum etiam experientia, quod calida diuretica in calculosis sint perniciosa.

Cur Bezoar ad nos dilatum sit nullius virtutis.

Inter extranea remedia pro malis qualitatib. veneficis debellandis à nobis reponuntur margaritæ, bezoar, cornu cerui: bezoartica laudãtur à Pharmacopeis, quia iis citius, quam aliis medicinis, ditescunt: hæc aliquando Probus Medicus cogitur exhibere, quamuis sit manifestissima impostura; quoniam dum æger in deterius labitur, si antea bezoartica medicus non adhibuerit, omnes putant illi esse malorum acceptum referendum: ratio, cur Bezoar, quod defertur ad nos, despici debet, est quia referunt sudorem excitare, quod (vt docet experientia)

tia) est falsum. Præterea in nostro Bezoar intrinsecus est nucleus, vel palea, quod ostendit esse artefactum. Insuper videtur fabulosa eius Historia; à Serapio libro agg. habetur, esse lachrimam ceruorum Orientis; quæ sic fiat, cerui comedunt serpentes, vt deponant senium, deinde intrant flumen & immerguntur vsque ad caput, & tamdiu morantur, donec sentiant veneni vires esse superatas, interea emittunt lachrimam, quæ oculorum angulis adhæret, donec exsiccatur, inde cadit, & inuenitur. Alij dicunt, quod in ventre huius animalis bezoar inueniatur; quod si ita esset, mercatores, qui Venetias tot preciosos lapillos adferunt, semel seruum deferrent.

Eadem ratione reiicimus, quod ferunt de virtute cornu rhinocerotis aduersus venena; quia experientiæ non respondet: vereor ne, quod refertur de rhinocerote, sit omninò falsum; etenim, si tam virtuosum quadrupes inueniretur, integrum apud Regem Hispaniarum, vel Turcarum fuisset visum, & expertum; sed apud neminem istorum virtutes cornu rhinocerotis celebrantur, ergo non est credendum, quod alibi inueniatur. *Cornu rhinocerotis esse imposturam.*

Præterea inter Bezoartica sunt Hyacinthi, coralli, & cæteri preciosi lapilli, quippe si experientiæ, & rationi standum est, neque occultis, nec manifestis qualitatibus iuuant maligna febre correptos: non occultis; quia hæ quialitates (vt ostensum est libro 8.) non dantur; non manifestis, dicunt enim exsiccando hæc Bezoartica aduersari putredini, at sic est, quod assumpta non possunt tangere putredinem insidentem venas proximas cordi, ergo non exsiccabunt; nulla actio manifesta fit sine contactu; exempli causa si adesset vlcus putridum in externa corporis parte, & Medicus exsiccans medicamentum non vlceri, sed aliis partibus adiungeret, nunquam vlcus exsiccaret, quinimmò Astantes medicum valdè irriderent. Similiter quo pacto volueris putredinem existentem in venis proximis cordi bolis cordialibus exsiccare? Ego non semel bolos cordiales per secessum integros vidi excretos. Præterea dato, quod smaragdi, Hyacinthi, & saphiri possint malignam putredinem arcere: dicimus, quod ij lapilli, quos habemus, non sunt orientales, sed boreales, & vilissimo prætio emuntur; ad hæc dato, quod essent orientales, & quod mirificam haberent virtutem, nostrates illis abutuntur; quia aliqui cibis illos permiscent, aliqui tribus horis ante cibum illos sumunt. Est Auenzoar 1. Thessir cap. 1. qui iis verbis docet tempus opportunum sumendi smaragdum: qui sumpserit Theriacam, vel smaragdum non recipiat cibum, nisi post septem horas, & non exhibeatur cibo in stomacho existente; arbitror primo bezoartica nullo modo iuuare, quia sic me docuit diutina experientia, secundò pulueres bezoarticos cibis commistos plura incommoda ægrotantibus afferre posse; quia sicuti ex quolibet puluere misto humidis rebus fit glutem; sic bezoarticus puluis cibo mistus glutem efficiet, quod venas capillares Hepatis summa cum ægrotantium iactura obstruere posset. *Vt errant qui vtuntur lapillis preciosis.*

Vt errant qui dant refrigerantes syrupos actu calidos.

Videntur errare, dum ægrotantibus alterantia, quæ habent potentiam refrigerandi dant actu calida est Galeni 3. de temp. cap. 4. quod viscera ab illis refrigerari non possint, nisi caliditas actualis, & acquisititia prius pereat; hæc sunt verba, dum aliquid agendo patitur, in patiente si est aliquis effectus acquisititius ex accidente, perit celeriter; subdit Galenus, in applicandis iis, quæ natura sunt nobis frigida, & per accidens calida, si debeant refrigerare perit prius acquisititius calor; datque hoc exemplum Galenus, si papaueris succus exhibeatur calefactus, paulo post in ventre euadit frigidus, & natura ad tollendum acquisititium calorem extrinsecus immissum magis affligitur; quod ita se res habeat, probat experientia dicens, quod ptisana, lac, & far demissa in ventrem imbecillum aliquando euomi actu frigida; ventriculus enim antequam concoquat, prius acquisititium calorem superat, quo superato aggreditur concoctionem, & solum illo concoquendi tempore alterantia frigida refrigerant, quando vero sunt cocta, & superata non refrigerant, sed augent calorem naturalem: quodque ita sit, audite Galenum loco citato: lactuca afficit corpus nostrum, vt medicamentum toto concoquendi tempore, vbi iam est assimillata, & cocta, non amplius refrigerat, sed naturalem calorem auget: alterantia igitur refrigerantia non debent esse actu calida, nec calefacientia actu frigida, quia actio syruporum non incipit, nisi reducantur ad pristinam naturam.

Dub.

Sed exurgit dubitatio, quia ex Galeno 13. methodi 12. habetur, quod alterantia extrinseca non debeant applicari actu frigida, quare tanto minus dabimus alterantia intrinseca actu frigida, hæc sunt Galeni verba, si hepar inflammatione laborare incipit, medicamentum actu frigidum non applicabitis; at si brachia, vel crura incipiant inflammatione affligi, medicamentum poterit apponi actu frigidum.

Sol.

Respondemus, quod Galenus dum dicit, inunctionem actu frigidam non esse apponendam regioni Hepatis, quod non intelligit ratione indicantis calidi, de quo nos loquimur, sed ratione prohibentis: meatus externi circa regionem hepatis non debent frigiditate externa astringi, quia per illam partem maximè ventilātur iecur, alterantia igitur nec calida, nec frigida esse debent: non calida; quia actus alterantium omnium insequuntur energiacam potentiam: non frigida, quia magis potest prohibens relatum, quam indicans: in pedibus, vel cruribus inflammatis vbi magis potest indicās, quam prohibens, actu frigida alterantia apponuntur. Ex iis colligimus erratum illorum, qui in alterantibus glacie vtuntur, sit enim indicans calidum vt lubet, nunquam alterans refrigerabit, nisi prius caliditas acquisititia, vt dicit Galenus loco citato, omnino destruatur.

Errant qui vtuntur glacie in alterantibus syrupis.

Lædunt quoque febricitantes, dum eos collocant in aëre calido, & occluso: permittuntque, vt æstiuis temporibus claudantur fores & fenestræ, perinde ac febris indicaret calefaciens, & non refrigerans: aër inclusus tam malis halitibus refercitur, vt facilè interna viscera ad maiorem putredinem disponat; audiamus Galenum 9. methodi 14. qui aerem

aerem calidum febrientibus omninò interdicit, si morbi species est calida, & sicca præparabis ambientem aerem cubiculorum frigidiorem, & humidiorem; subdit, in æstate, in morbo calido, & sicco subterraneas domus eligimus, & ad septentrionem versus; ac aspergas humore assiduè eorum pauimenta exornes germinibus, & floribus frigidis: malè igitur agunt, qui permittunt, vt claudantur fenestræ; aer non perflatur, euadit calidus & putridus, & febrienti nihil potest esse eo deterius, & perniciosius; hinc Galenus in morbis calidis subterraneas domus ad septentrionem versus locatas eligebat, vt aeris caliditas, & halitus putridi, qui eleuantur in cubiculo, noui, & puri aeris flabello ventillarentur, & mala qualitas caloris febrilis reprimeretur.

Vt errãt dum in calido cubiculo tenent febrientes.

Malè agunt quoque, dum permittunt, vt plurimi ingrediantur cubiculum; quia multorum halitus aerem corrumpunt, Galenus 10. methodi cap. 8. habet; turba amicorum calefacit cubiculum, quare prohibendum, ne ingrediantur: si turba amicorum, qui ægrotantium animos sedare, ac demulcere posset, est à Galeno interdicta, ne cubiculum calefiat; quanto magis erit prohibendum, ne claudantur fenestræ? non solum enim calefieret cubiculum, verum, fuligines putredinosæ cum puri aeris inspiratu non perflentur in deteriorem conditionem laberetur æger. Nec obiiciant, quod ab aere frigidiori cutis densetur, & obstruatur, & inde maius detrimentum nascatur. Galenus enim loco citato statim occurrit huic dubitationi, quod ex aeris frigidi inspiratione magis sit futurum commodum, quàm ex cute densanda incommodum. Verum quamuis condensatio cutis sit causa caloris, potest quoque vitari hoc incommodum, si æger cooperiatur, aer enim frigidus inspiratus interna viscera refrigerabit, & intensum calorem compescet; nihil enim promptius temperaturas humorum immutat, quam aer, vt dicit Galenus 3. de hum. com. 2. hæc sunt verba, si aeris nos ambientis temperies immutetur, etiam humores necessario immutabuntur: nihil itaque citius emendabit effrenem viscerum calorem, quàm aer frigidus: & nullus error in febribus malignis, & ardentibus maior fortasse erit, quam ægros in locis calidis occlusis, & hominum turba plenis tenere.

De Erratis circa vbi agendum.

Capvt V.

Qvi actiones, & vsus omnium partium corporis non callent, nunquam (vt ait Galenus 1. de loc. aff.) internas ægritudines cognoscere, & curare poterunt; quia ex læsis officiis vbi sit indicans, & vbi debeant remedia applicari, est colligendum. Galenus 13. methodi cap. 17. & 18. & alibi docet, quod à subsistentia indicantis vbi sit agendum desumitur. Nos in 3. libro tradidimus methodos cognoscendi

ſpecificas partium affectarum differentias: quarum contemplatio tanti eſt, vt Galenus 13. methodi cap. 20. dixerit; ſi quis adimeret indicationem ſumptam à parte, is totam medicinam ſex diebus adiſceret: noſtrum hic eſt, aliquot errata Empiricorum, qui internas ſubſiſtentias indicantium non perquirunt, afferre: quoniam de modo cognoſcendi internas affectuum ideas in libris ſuperioribus abundè egimus.

Vt errãt, dum putant omnes morbos tolli poſſe catharticis.

In primis illud ſe offert commune erratum rudiorum, dum in omni morbo putant, humores peccantes purgantibus medicinis tolli poſſe; eſt Galeni ad poſthumum cap. 3. quod multæ ſint viæ, quas natura aperit pro expellendis excrementis, per vomitum videlicet, per alui profluuium per vrinæ multitudinem, per ſudorem, per ſanguinis eruptionem, per hæmorrhoidas, &c. cur itaque plurimi in omni morbo putant catharticis eſſe vtendum; perinde ac natura non poſſet per alias regiones corporis aggredi criſim quam per aluum; ac vnica eſſet indicantis ſubſiſtentia, vnicum vbi agendum, vnicuſque, & vniformis in omnibus medendi modus: dum natura eſt prona & procliuis, vt ſoluat morbum per ſudorem, vel per vrinam, ſi porrexeris pharmacum, impedies illicò criſim; quia motum contrarium efficies; raptus humorum per aluum eſt omninò oppoſitus raptui per ſudorem, per vrinam, per vomitum, & per fluxionem ſanguineam è naribus. Amplius Galenus 5. de loc. aff. 2. & alibi de morbis, qui fiunt in pectore dicit, non euacuari excrementa pectoris per aluum, nec per vrinam: percelebris quoque eſt Hiſtoria Pythionis ab Hippocrate propoſita, in qua refert Galenus, affectionem pectoris, quæ erat in Pythione per ſputa perfectè curari, vrina adhuc manente cruda; quia, vt ſubdit Galenus, affectus pectoris nec per vrinam cognoſcitur, neque expurgatur. Sæpéque thoracis morbi ſoluuntur, & ſuperantur vrina cruda perſeuerante: qui igitur putant, catharticis morbos omnes curari poſſe, toto cœlo aberrant, quia plurimæ ſunt viæ, eæque inter ſe contrariæ, per quas ſolers natura morbos ſoluit.

Cæterum veritas melius percipietur, ſi ægros ab Hippocrate propoſitos expenderimus, quia in illis, tanquam in ſpeculo omnia potiora medicinæ fundamenta elucent. Horophons 17. die ſudore iudicatur: ponamus, quod Empiricus dediſſet Horophonti pharmacum 16. die, certè non ſudaſſet, quia medicamentum trahens ad intima humores diuertiſſet naturæ inclinationem, vnde magis grauata natura facilè poterat ad exitium peruenire.

Clonactides 80. die copioſo ſudore iudicatur; ſi hic ęger fuiſſet tractatus ab Empiricis, qui ſolis pharmacis putant tolli poſſe morbos, ſudorem anteuertiſſent, & natura per medicinas diſtracta ab hac optima criſi in peiorem ſtatum fortaſſe incidiſſet.

Mulier decumbens in litore trimeſtri fœtu grauida 14. die per vomitum, & ſudorem ægritudine liberatur: cui dubium, quod ſi Empiricus ei pharmacum dediſſet die 12. vel 13. quod criſis hæc fuiſſet diſtracta, & decima quarta non fuiſſet liberata?

Cherionas

Cherionas vigesima liberatur multitudine biliosarum vrinarum, si pharmacum sumpsisset, natura impedita fuisset, & crisis illa die non esset secuta.

Virgo in Abderis ardente febre vigesima septima per sudorem copiosissimum liberatur: eodem modo liberatur (vt dicit Hippocrates) Nicodemus: si rudis Medicus iis dedisset medicamentum paulo ante crisim, an ne malè egisset, profligando naturam, quæ non erat inclinata, vt per aluum moueret.

Mulier morosa tertia die liberatur; quia muliebria multa descenderunt, quomodo ergo hæc mulier potuisset liberari medicamento? pessimum igitur est arbitrari, quod medicinis soluentibus omnes ægrotantes sint tractandi.

Virgo in Larissa sexta die liberatur per fluxum sanguinis è naribus, & sudorem; erat ergo humoris peccantis subsistentia supra gibbam iecoris; quia narium venæ à iugularibus enascuntur, & iugulares à caua prodeunt, quæ supra gibbam habet suam sedem. Quomodo igitur per aluum excrementa existentia in caua propensa, vt per sudorem, per nares, vel per vrinam excernantur, medicamentis auferri poterunt?

Meton quinta die morbo acutissimo liberatur per sanguinis euacuationem è naribus. Hippocrates sapientissimus, vt illicò Metonem ad pristinam sanitatem transferret, noluit mouere per aluum, sed paulo ante crisim ei parauit lotiones capitis; quia videbat harum auxilio naturam iuuari ad perfectam crisim faciendam; quibus administratis, largè è naribus effluxit sanguis, & sine medicinis statim fuit liberatus: nostrates Empirici non solum caput lauissent, immò, si probus Medicus in simili casu lotiones proposuisset, increpassent, & ei vitio vertissent, tantus est medendi abusus. In simili casu mea sententia fuit semel iniustè reiecta: erat patiens in quo stillæ sanguinis è naribus incœpere in die indicatoria. Ego imitatione Hippocratis lotiones capitis proposueram; cæteri medici summis ferè vocibus, medicinam, & hyrudines hæmorrhoidibus applicandas proposuerunt, & inde naturæ adeo fuerunt impedimento, vt amissa occasione fluoris sanguinei è naribus, facta fuerit viscerum inflammatio, & miser, qui omninò debebat ab hoc discrimine enatare, tandem importunis medicinis funeratus est. Quorsum post tres dies voluistis repetere medicamentum leniens, si paulo ante intestina fœcibus fuerint euacuata? Quorsum voluistis vti hyrudinibus in partibus infernis, si natura euacuationi per nares erat inclinata? opus erat, vt imitaremini Hippocratem, qui Metonem lotionibus, statim liberauit: variæ enim subsistentiæ indicantium omnino variant vbi sit agendum: si subsistat indicans in Thorace, non debemus vti medicinis, vt vidimus in Pythone; quia Thoracis affectus per tussim curantur; sic febris ardens per sudorem, vel per vrinam iudicatur, inflammatio iecoris præcipuè sanguinis profluuio, tertianæ vomitu, & splenetici hæmorrhoidibus: verum antequam administrentur auxilia, opus est, signa omnia indicatoria ex-

Error quorundam.

pendere, quia hæc nos docebunt naturæ inclinationem.

Vt errant dũ in hæmorrhagia è naribus narium pinis astringentia applicant. Postquam de fluore sanguinis è naribus locuti sumus, se offert ridiculum remedium Empiricorum, qui dum arcere volunt fluxum sanguineum è naribus adiungunt astringentia narium pinis, credentes quod indicans subsistat in naribus, cum subsistat in venis cauis. Hinc tollitur hæc hæmorrhagia secto cubito, quia seruantur quatuor requisita reuulsionis, quorum primum est, seruare rectitudinem, secundum per vasa communia euacuare, tertium trahere ad originem, quartum per distantissima.

Vt errant Empirici in curandis lumbricis. Demum sæpè videmus, pueros lumbricis vexatos, ab Empiricis, qui nesciunt vbi subsistant, medicinis importunis tractari; quia, dum lumbrici sunt supra vmbilicum, vtuntur clystere, dum infra, potionibus. Auicennas lib.3.fen 16.tract.4.cap.25.dicit, vermes si supra vmbilicum fuerint, administranda ea quæ bibuntur; & si fuerint apud vmbilicum, & sub eo, clysteria imponenda: qui igitur præbent medicamentum per os, lumbricis existentibus sub vmbilico, agunt frustra, quia ante quam descendat medicina, ita alteratur in supernis partibus, vt eius virtus retusa non valeat vermes occidere, nisi fortasse medicamentum sit natura insuperabile, sicuti est mercurium; quod mirificè illos occidit, vel quod à Galeno lib. de theriaca ad Pisonem proponitur, estque cantharis læuigata pota cum radice brioniæ, quæ medicamenta semper sunt lumbricis deleteria: similiter, si vtuntur clysteribus lumbricis existentibus in partibus superioribus, tempus conterunt, & frustra vexant ob incognitam subsistentiam ægrotos.

Vt errant, dum in lienis affectibus putant, quod vbi agendum sit vena saluatella.

Capvt VI.

Hodierno die, & olim ante Galenum in animis multorum vixit error hic insignis, quod saluatella vena sit splenetica, lienosis solum cõferat, & quod falsissimum est à splene exordium trahat: quo fit, quod nullus sit quartanarius, nullusq. inflammatione splenis correptus, cui non secetur hæc vena. Cæterum, quia error est valde communis, præcipua eius fundamenta proponam, eaque conuellam vt veritas melius elucescat: *Fundamenta aduersariorũ à Galeno desumpta.* primum aduersariorum fundamentum, videtur, quod à Galeno colligi possit 3. de anatomicis admin. cap.5. vbi habet hæc verba, lienem iuuari asserunt ex euacuatione venæ inter anularem, & minimum digitum: confirmant similiter suam sententiam Galeni auctoritate 1. de hum.comm. 13. vbi dicit, liene inflammationem patiente venam sinistræ manus internam secabis si iecur fuerit inflammatum, internam dextræ. Præterea lib. de cur.rat.per s. m.c.14.& 16.& 2.ad Glauc. habet; liene inflammato, venam manus

sinistræ

sinistrę dicit esse aperiendam: idem confirmat 13. methodi 11. iis verbis, vbi iecur phlegmone est correptum, secatur vena in dextra manu, vbi lien in sinistra.

Insuper confirmant suam opinionem auctoritate Hippocratis libro de morbis particula 25. vbi habentur hæc verba, peripneumonia, & pleuritide laborantibus venam manus splenitidem appellatam esse aperiendam: addũt, Soranum Ephesium in sua introductione cap. 1. hæc afferre, in lienis inflammationibus venam secus minimum digitum existentem suo quoque tempore aperiri consueuisse. Auicennas lib. 3. fen. 22. tract. 2. cap. 25. dicit, in lienis, & iecinoris affectibus saluatellæ sectionem anteposuerunt sectioni Basilicæ; Præterea est Oribasius 7. collect. med. cap. 3. & alibi: est Aetius serm. 3. cap. 12. Paulus lib. 3. de re medica; Alexander lib. 8 cap. 12. Actuarius libro 3. methodi cap. 1. Rasis 9. ad Almansorem cap. 70. Halij 7. pract. cap. 40. Rabi Moyses particula 22. suorum aphorismorum; & demum Serapio tract. 6. sui breuiarij capite 15. qui conuenire videntur, quod in affectibus lienis, & vbi melancholia redundat, sit saluatella vena secanda. *Ab Hipp.* *A Sorano.* *Ab Auic.*

Quo ad Galenum attinet, respondemus, quod 3. de anat. cap. 5. ex sententia aliorum loquitur; verba Galeni hæc sunt, asserunt lienem iuuari ex euacuatione saluatellæ, cum igitur dicat [asserunt] aliorum opinionem proponit. Dum verò afferunt loca 1. de hum. com. 13. in inflammatione videlicet lienis venam sinistræ manus internam esse secãdam, & 2. de ratione vict. 10. & aliis citatis locis; respondemus Galenum per manum [nisi dicat summam manum] semper intelligere brachium; 3. sint enim de anatom. admi. declarans, quod in brachio sint duæ venæ, & vna arteria, habet hæc verba, vna sanè arteria, duæ autem venæ in totam manum pereptant, quod nullomodo de summa manu potest intelligi: sed de brachio. Nec obiiciant, quod Galenus 1. de hum. 3. clare dicat, esse secandam venam inter digitum minimum & anularem: quia ibi intentio est Galeni enumerare omnes venas, quæ aptę sunt, vt secentur: proponit saluatellam, quia ipsa quoque adferre potest magnum beneficium hepati, & lieni, dum virtus non fert euacuationem per vasa cubiti, quæ cum sint maiora, maiorem requirunt virtutem permittentem, vel dum venæ cubiti non apparent. Neque Galenus loco citato saluatellam vocat spleneticam, neque dicit, magis iuuare splenem, quam venæ cubiti, à quibus immediatè saluatella dependet. *Vt interpretetur Galenus.*

Quo ad Hippocratem, quod dicat libro de morbis 25. saluatellam esse spleneticam. Respondemus libros de morbis esse ex omnium ferè opinione genuinos, & spurios. *Vt Hipp.*

Quo ad Soranum Ephesium attinet, dicimus nobis non reluctari; quia solum refert, quod suis tẽporib. in lienosis saluatellam secarent: priscis enim & modernis temporibus fuerunt Empirici, qui corporis anatomem nunquam viderunt, quique in communem de saluatella abusum inciderunt, qui ad hæc vsque tempora, quasi per traditionem *Vt Soranus.*

in animos nostratium hoc erratum transtulerunt, meritò igitur Soranus reprehendit illorum opinionem, qui crediderunt, quod lienosis magis saluatella, quam vena cubiti prodesset.

Vt Auic.

Similiter Auicennas ex aliorum sententia est locutus, quia dixit, quod aliqui sectionem saluatellæ anteposuerunt basilicæ. Itidem Oribasius loco citato apertè dicit, quod nonnulli in affectibus lienis eligunt saluatellam; eius verba adeo sunt clara, vt non indigeant explicatione.

Vt interpretentur Græci.

Quod verò Paulus non fuerit illius sententiæ, quod saluatella sit splenetica; illum legamus lib. 3. c. 49. vbi dicit laborante liene anteponendã esse cubiti venam, ei quæ summæ manus: si Paulus credidisset saluatellam esse spleneticam ei in affectibus lienis non anteposuisset sectionem venæ cubiti. Alexãder quoq; loco citato habet hæc verba, non apparentibus venis brachij, saluatellam esse substituendam: idem quoque dicit Actuarius; vt mirandum sit, quomodo, qui sequuntur Empiricorum abusum, audeant afferre auctoritates falsas. Tandem Serapio vbi dicit, ex sinistra manu in febre melancholica sanguinem esse extrahendum, per manum dicimus, illum intelligere brachium, nisi addat summam: nulla igitur auctoritate Græcorum vel Arabum Empirici poterũt defendere, quod saluatella sit splenetica, habeátque eum morborum splenis prærogatiuam, quam venæ cubiti non habeant maiorem. Veteres enim nominati auctores, qui omnium bonarum artium fuerunt auctores in tam manifestum errorem non poterant incidere.

Ostenditur Arethei auctoritate, quod saluatella non sit splenetica.

Cæterum auctoritate, & experientia anatomiæ confirmemus, quod saluatella non sit splenetica. Legamus Aretheum antiquiorem Galeno lib. 2. de curat. acut. morb. ubi habet hanc verborum seriem, nonnulli medicorum dixerunt venam, quæ est inter minimum, & anularem digitum ad lienem vsque pertingere; verum, & hæc ipsa est propago venarum cubiti, sed cur isti potius eam, quæ propè digitos est, quam quæ in cubito, cùm vena cubiti amplior sit, & ad fluxum habilior eligunt; mirabatur Aretheus crassissimam medicorum suorum temporum ignorantiam; qui nesciebãt, vnde saluatella traheret suum principium: eadem ratione quoque nos mirari possumus nostratum Empiricorum inscitiam, qui de re medica, de Hippocrate, & Galeno, & de re anatomica semper loquuntur, quamuis nunquam Hippocratem, & Galenum legerint, vel anatomiam viderint.

Ostenditur Galeni auctoritate quod saluatella non sit splenetica.

Insuper confirmatur Galeni auctoritate 3. de loc. aff. cap. 7. vbi dicit, dum sanguis melancholicus abũdat, venam cubiti esse secandam, nec verbum quidem de saluatella protulit: sed clarius adhuc Galenus libro de cur. ratione per s.m. ostendit, quod saluatella cum lienosis nullam habeat prærogatiuam, habet enim hæc verba: inuenire tamen nequeo, quamobrem medici in lienosis sanguinem detrahere neglexerint, si quidem ingentem vtilitatem prouenire conspexi, si libra dumtaxat detracta foret ex interna sinistra cubiti. Cui dubium, quod si saluatella lienosis magis conferret, quàm vena cubiti, quod

de

de saluatella eo loci, & non de vena cubiti esset locutus. Amplius Galenus loco citato habet hæc: affecto liene haud æquè " adiuuerit circa anularem digitum sinistræ manus incisa vena, atque si " internam cubiti secueris. Qui putant saluatellam esse spleneticam dicunt, non reperiri in codice Græco particulam [haud] verum esto, quod non reperiatur, quid tum? sequitur ne propterea saluatellam magis conferre lienosis, quam cubiti vena, cùm dicat æquè, hanc & illam iuuare lienosos? Demum libro de ratione vict. in ac. cap. 10. habet, affecto liene maximè est secanda vena interior cubiti, quæ si non appareat, secetur ea, quæ ex cubitu obliquarum venarum fit; & hæc est mediana, quæ similiter, si non appareat, secari debet humeralis; & tandem, si omnes sint occultæ, secantur quæ in vlna existunt, inter quas est saluatella: ecce, quod quælibet alia cubiti vena magis potest ex Galeni sententia in lienosis affectibus pellendis, quam saluatella.

Denique anatomiæ experientia exactè docebit, saluatellam nihil cum splene habere, nisi communem consensum, quem habere potest quælibet vena cum vniuerso corpore; de quo communi consensu Galenus libro de venæ sect. aduersus Erasistratum cap. 4. & Hippocrates libro de alimento dicunt, omnium partium corporis esse vnum confluxum, & vnam conspirationem: omnes anatomici Prisci, & Moderni sciunt, venas manus, & brachiorum non esse portarum; quare, qui dicet saluatellam esse spleneticam, quemadmodum elapsis mensibus à Rudi Ænobarbo audiuimus, in re clarissima, & apertissima cæcutiet. Hic vir reddens rationem, cur saluatella multum iuuet spleneticos, dicebat in anatome imposuisse specillum in cauum venæ saluatellæ, & sensim per communem cauitatem peruenisse ad lienem: ego aderam, sed admiratus eius audaciam, tacui; tum, quia ille erat ineptus ad discendum, tum, quia illum docendo essem magnum inimicum lucratus.

Ex anatomia ostenditur, saluatellam non esse spleneticam.

Error Empirici Ænobarbi.

Proponuntur octo sophistica argumenta, quibus nonnulli probant, quod semper ad cutim debeant attrahi humores maligni vesicantium auxilio.

CAPVT VII.

QVI in omni maligna febre vtuntur vesicantibus, hoc fundamento videntur esse suffulti, quod semper sit proprium naturæ, vt turgentes humores ad cutim propellat: si igitur hoc fundamentum reiecerimus, inde statim patebit, quod malè agant, qui in omni maligna febre vtuntur vesicantibus. Cæterum antequam ex Galeni fundamentis veritatem declaremus, argumenta illorum, qui semper in maligna febre trahunt turgentes materias ad cutim, proponamus, eaque pro viribus diluamus.

Primum aduersariorum argumentū. Primum aduersariorum argumentum desumptum est à Galeno 3. de naturalibus facultat.13. vndecimo methodi 20.& libro de cur. ratione per s.m.hocque est: excrementa ab vna in aliam partem, donec omnium imbecillimam inueniunt, transmeare: addunt, sed hæc pars imbecillima est cutis, ergo: confirmant argumentum; quia ex Galeno 2.de vsu par.cap.5.quando cutis non suscipit excrementa corporis, partes interiores magis afficiuntur, & eò magis, quò interiores partes redditæ sunt imbecilliores ab obstructione, intemperie, vel inflammatione. Ex iis inferunt semper humores malos esse trahendos ad cutim, & per consequens vesicantia turgente materia semper conuenire posse.

Secundum. Secundum argumentum sumunt ex Thucydidis testimonio dicentis, in truci illa pestilentia fuisse seruatos illos,in quorum manus,vel pedes procumberent maligni humores,qui exedebant,& vlcerabant illas partes: ex hac Historia colligunt, naturam semper habere promptitudinem expellendi malos humores in extremas partes; colliguntque, partes extremas non sine maximo beneficio vesicantiis posse exulcerari,& naturam semper exercere hoc munus expellendi malignos humores ad cutim.

Tertium Tertium colligunt à Galeno libro de cibis boni & mali succi, vbi habet: quibus nihil horum accidit, interierunt omnes, aut cum manifesto visceris vnius phlegmone, aut ob vehementem,& malignam febrim: qui verò seruati sunt,id fuit factum, vel ob eruptiones in cutim siue per sudorem,siue per erysipelata, vlcera,phlegmones, herpetes,impetigines, psoras, & lepras; ex hac auctoritate, & experientia inferunt, malignos & turgidos affectus optimè curari posse transponendo humores peccantes ad cutim vesicantium auxilio.

Quartum. Quartum argumentum à Galeno desumunt 5.methodi c.22.ibi hęc verba leguntur,atque cum ita iam vacuati essent,qui euasuri erant,iis pustulæ, quas exanthemata vocant, nigræ toto corpore multæ confertim apparuerunt,vlcerosæ quidem plurimis,omnibus certè siccæ. Inde colligunt, quod sit conuenientissimum, vt in omni febre maligna ad cutim propellantur turgentes humores.

Quintum. Quintum desumunt ex casu Horophontis 3. in primum epid. ab Hippocrate proposito. Huic ægroto morbo-existente crudo accidit abscessus in cruribus,& inde malignissimo affectu liberatur; inferunt ergo optimum foret,si in omni maligna febre, crudo quoque existente morbo ad crura virtute vesicantium traherentur humores: confirmant quoque,quod morbo existente crudo id fieri possit exemplo Sileni,& Critonis; de Sileno Galenus in commento dicit, non periisse Silenum nono die, vt erat rationi consonum: sed vndecimo; quia papulæ ad cutim octauo die transmissæ sunt, ergo & nos, vt naturam imitemur, morbo quoque existente crudo humores ad pedem, dicit Galenus. cum pes totum humorem peccantem capere non potuisset retrocessit: & quia malignus erat, excitauit furiosum delirium, & periit; ex hac Historia colligunt, vesicantia conuenire in febribus malignis;

gnis; quia humores dum essent attracti & confluxi ad pedes non retrocederent, si continuò vesicantium beneficio expellerentur,& noui humores illum attraherentur.

Sextum argumentum est à simili,dicunt enim,si in qualibet febre crudo existente morbo vtimur in principio cucurbitulis, frictionibus, & balneis,& in peste, carbunculis, & bubonibus apparentibus, vtimur ferro,igne,& vesicantibus: cur in febre maligna materia existente cruda,& furiosa non conueniet vsus vesicantium ad cutim, & postremas partes humores trahentium? addunt, si in morsu canis rabidi statim vrimus, scarificamus, vesicantia adiungimus, vt virus non petat altiores, & nobiliores partes,similiter erit procedendum vesicantibus,dum humores maligni repunt ad cor. *Sextum.*

Septimum argumentum ex Hippocrate colligitur: 6. enim aphorismorum habet, erysipelas ab interioribus ad exteriora bonum. Galenus in commento dicit, omne quod ex profundis, & nobilioribus partibus ad cutim transfertur, bonum; contra vero, si ad interiora, malum: & Hippocrates paulo post dicit, ab angina habita, si tumor fiat in collo,bonum; Galenus in commento dicit, quod causa huius est;quia ex partibus infirmioribus,& principalioribus transferre passiones ad cutim confert; similiter 3.aphoris.20.& 4.de acutis 30. habet,quia transpositio ad exteriora,ad cutim,ad pedes,ad manus semper confert ad salutem,ideo in angina, si appareat tumor in collo est bonum,trahitur enim materia à centro ad circumferentiam. *Septimum.*

Octauum argumentum desumunt ex 8.de comp.med.sec.loc.capite 4. vbi Galenus in stomachi distensione, & inflatione dicit esse applicandum spongiam aceto acerrimo imbutam pedibus, & brachiis gratia reuulsionis: eadem ratione dicunt, in omni maligna febre conuenire vesicantia; quæ exulcerando attrahant humores malignos petentes cor ad partes extremas:adduntque,quod nihil fortius attrahere possit vesicantibus, quia id efficiunt ratione caloris, doloris, vi vacui, & (vt aiunt nonnulli) similitudine totius substantiæ; putant enim quod deleteria vesicantium natura deleterios, & malignos humores attrahat,vt magnes ferrum. His, & similibus argumentis suffulti plurimi dicunt, turgidam materiam semper esse transponendam ad cutim,idque promptè fieri posse vesicantium auxilio. *Octauum.*

Ostenditur, quod argumenta superius allata pro vesicantium defensione, sint paralogismi.

Capvt VIII.

NEgare nunquam potui, quod humores praui, & maligni aliquando non debeant transponi ad cutim,& ad extremas partes vsu potentissimorum reuellentium, inter quæ tenent vesicantia primum locum: verum, qui ex propositis argumentis colligunt, quod

non aliquando tantum, sed semper praui humores malignarum febrium debeant iis potentissimis reuulsoriis ad cutim transponi, in manifestissimum errorem incidunt; ideo eorum argumenta superius relata reiiciam, & potiora (nisi me fallit opinio) fundamenta hic, & in sequentibus capitibus pro vesicantium defensione proponam.

Primū fundamentum quo reyciuntur qui in omni febre maligna vtuntur vesicantibus.

Primum fundamentum est, quod natura modò moueat per aluum, & modò per vrinam, modò per tussim, & modò per cutim; Galenus 1. aphorism. 21. habet, euacuantibus conferentia loca sunt intestina, venter, vesica, vterus, cutis, nares, &c. subdit Galenus ex ore Hippocratis dicens; medicum naturæ inclinationem obseruare, & si idonea fuerit inclinatio, ei adminiculari, si verò noxia, illam reuellendo prohibere: est quoque Hippocratis sententia 2. in 6. de morb. vulg. 28. quæ his verbis exprimitur: reuellendum est, si non repunt, quo expediat; si verò quo expedit, eis aperienda via est, prout singuli repunt: quibus positis, si natura nullam inclinationem habuerit ad cutim, vt quid auxilio vesicantium vti volumus? quasi quod natura esset aliis viis destituta, & nunquam esset inclinata ad mouendum in partem contrariam cuti: quasi, quod nunquam crisis fiat per aluum, & per eruptionem sanguinis è naribus, quæ è diametro opponuntur crisi, quæ fit per eruptionem cutis, pedum, & brachiorum.

Secundū fundamentum.

Secundum fundamentum est, quod materia turgens, & maligna moueatur modò per cutim, modò per aluum, modò per vrinam, & modò per fluxionem sanguineam, & per alias partes: patet ex Hippocrate, quia in aphorismis dicit, si materia turgeat dandum medicamentum in principio, & id fiat cum præmeditatione, id est, dandum est medicamentum, quando materia habet raptum ad ventrem, in quo casu nullo modo sunt ad cutim tránsponendi humores, & ratio est, quia eodem tempore in viuentibus non licet vti motibus oppositis. Quod verò crisis non fiat semper per cutim, non desunt exempla Hippocratis. Meton enim sanguinis eruptione è naribus quinta die liberatur. Mulier morosa largè eiectis menstruis per vterum malignissimam febrem euincit. Virgo in Larissa superat acutam febrem sexta die, quia copiosus è naribus effluxit sanguis: stupidi itaque & hebetis ingenij est, arbitrari, quod ad cutim semper maligni humores debeant vesicantium auxilio transponi.

Tertiū fundamentum.

Tertium funndamentum: si natura vergeret per nares, & medicus per aluum, vel per aliam regionem vellet euacuare, naturam rectè operantem impediret, eius vires frangeret, & valdè opprimeret, notissimus enim est Hippocratis aphorismus superius quoque citatus, quò natura vergit eo ducere oportet, &c. His iactis fundamentis omnia argumenta facilè solui possunt, quia omnia concludunt, quod semper sint transponendi humores maligni ad cutim, & ad partes postremas, quod propositis fundamentis ab Hippocrate & Galeno desumptis reluctatur.

Reyicitur primum argumentum.

Primum argumentum erat tale; omnes humores sunt transponendi ad locum debiliorem, at cutis est locus debilior, ergo ad cutim sunt

transponendi: argumentum est in secunda figura ex duabus affirmatiuis, & ad primam figuram reduci non potest; maior propositio est falsa, quia humores sunt transponendi, quò natura vergit: dummodo locus sit conueniens, nihil refert, quamuis non esset cæteris omnibus debilior: minor verò non potest conuerti, quia non solum cutis est locus debilior; verum aliæ quoque partes aliquando esse possunt loci debiliores; si enim natura est inclinata euacuationi per aluum, tunc aluus erit locus debilior; si per nares, vel tussim; nares, & trachea erunt partes, quæ minus resistent, & quæ vocati poterunt cæteris omnibus debiliores.

Quod attinet ad secundum, tertium, quartum, & quintum argumentum dicimus, quod omnia vnica responsione dilui possunt: quia omnia colliguntur ab exemplis: ostensum est in fine superioris libri, quod exempla, experimenta, & inductiones nullomodo concludant; hæc enim instrumenta primò, procedunt ex meris particularibus, à quibus nil sequitur, secundò, exempla & experimenta cadunt in tertiam figuram cum conclusione vniuersali, quod est monstruosum, & ab Aristotele 2. priorum cap. de inductione reiectum. Nam, quamuis in illa pestilentia à Thucydide relata, omnes, quibus non acciderit aliqua in cutim humorum eruptio, perierint; non propterea sequitur, quod natura in omni pestilentia, & in omni maligna febre eodem modo disposita sit ad transponendos humores per cutim, aliquando enim peste affecti liberantur per narium hæmorrhagiam, aliquando per alui fluorem, vel per alias regiones sine vlla inclinatione, & eruptione in cutim: similiter dum dicunt, quod illi solum seruati sint, qui eruptiones in cutim habuerunt, & quod Herophons, Silenus, & Chrito fuerunt ob transmissionem humorum in cutim subleuati; nihil concludunt; quinimmo miror, cum ab exemplis velint hoc vniuersale colligere, quod in omnibus maligna febre correptis sint transponendi humores ad cutim, non proponant mille alios nostri temporis ægrotantes, qui quotidie per transmissionem humorum ad cutim liberantur; sæpissimè enim videmus malignas febres curari per sudorem, erysipelas, abscessus, vlcera, & per alias eruptiones in cutim: ego quoque eis proponerem mille alios ægros maligna febre correptos, qui curati sunt per fluxum sanguineum è naribus, per alui fluorem, & per vrinam: vanissima itaque erunt argumenta proposita: reluctantúrque rationi, experientiæ, & auctoritatibus Hippocratis, & Galeni.

Vnica responsione diluuntur quatuor sequentia argumenta.

Ad sextum argumentum, quod erat, sicuti vtimur, crudo existente morbo, cucurbitulis, & in bubonibus pestiferis ferro, igne, & vesicantiis, cur non licebit in febribus malignis vti iisdem remediis, quæ ad cutim transponunt humores? Respondemus nullam esse similitudinem inter bubones, quippe qui iam cuti adhærent, in quos virosi humores confluunt, & humores malignos latentes in venis, qui nullam inclinationem, & propensionem ad cutim ostendunt: ostendimus libro de indicatione, quod non partes corporis sint illæ, quæ in-

Ad sextum.

dicant, ſed natura propria ægritudinis, quæ dicitur de morbo, & de eius cauſa: morbi cutis, vel aliarum partium affectarum de læſis partibus per ſe non prædicantur, quia morbi & cauſæ ſunt accidentia locorum affectorum. Præterea, propoſitum argumentum eſt analogiſmus Empiricus,quia procedit ex ſymptomatibus ægrotantis, & non ægritudinis; quia colligunt eſſe vtendum veſicantiis non à natura malignæ febris, vel ab humorum inclinatione, & propenſione, ſed à ſymptomatibus Horophontis, Sileni, vel Chritonis, quæ non pertinent ad methodum curandorum morborum; accidentia enim ſunt extra methodum: amplius experientiæ non reſpondet, quia modò humores maligni habent raptum per aluum, modo per vrinam, & per alias partes. Denique argumentum propoſitum videtur eſſe à ſimili, & dicitur enthimema ex ſigno ſolubili, quod rejicitur ab Ariſtotele in libris Priorum; etenim humorum tranſpoſitio ad cutim eſt ſignum ſolubile, & accidens ſeparabile malignarum febrium; oſtenſum eſt ſuperius per varias regiones moueri malignos humores. Addunt quoque nonnulli,quod ſicuti in morſu canis rabidi vrimus,& veſicas excitamus,ne virus cor obrepat,eadem ratione in malignis febribus vtemur veſicantibus. Reſpondemus, quod in morſu canis rabidi locus affectus eſt pars externa, in malignis febribus eſt cor, vel partes proximæ cordi, quæ poſſunt propellere vitioſos humores per hæmorrhagiam narium, vel per alias regiones, tuncque Medicus trahens ad cutim impediret naturam rectè operantem.

Ad ſeptimū. Ad ſeptimum quod dum transferuntur à profundis partibus ad cutim humores mali, ſit bonum: reſpondemus, quod bonum quoque eſt, vt transferantur ad inteſtina, & ad vaſa vrinæ, quare argumentum non concludit, quod propterea veſicantia ſemper bona ſint, ſuadet tantum, vt aliquando bona eſſe poſſint.

Ad octauū. Ad octauum, dum dicunt, ſicuti in ſtomachi diſtenſione à Galeno, & Archigene laudatur, vt ſpongia aceto acerrimo imbuta partibus extremis applicetur cauſa reuellendi humores; eadem ratione dicunt valere in maligna febre veſicantia: argumentum non ſequitur; apertè enim dicit Ariſtoteles 2. Priorum cap. de exemplo, quod primum de medio nunquam concluditur per ſimile tertio, ratio eſt, quia ſimilitudines ſunt paſſiones generum, & non ſpecierum; indicationes (vt oſtendimus) ſolum deſumuntur ab ideis ſpecificis, & non à genericis, vel ſingularibus. Præterea aliis quoque modis poſſet hoc argumentum infringi: ſed quia credimus, in malignis febribus veſicantia aliquando habere locum, hoc argumentum cum aliis propoſitis inter probabilia collocabimus.

Reijciuntur

Reyciuntur quoque argumenta illorum, qui nunquam admittunt, vesicantia malignis febribus habere locum.

CAP. IX.

SVNT alij, qui tenent in maligna febre, nunquam esse humores transponendos ad cutim vesicantium auxilio: quorum opinio est omnino falsa, quia licet hoc vehemens auxilium febri, vt febris, incommodum sit, attamen illius maleficio aliquando summum beneficium in transponendis humoribus ad cutim compensatur.

Primum argumentum, quod nullomodo in febribus liceat vti vesicantibus, aduersarij desumunt ab auctoritate Hippocratis, & cæterorum græcorum, qui nunquam vsi sunt vesicantibus. Argumentum est probabile, & per consequens nullius vigoris: quod sit probabile patet ex Aristotele 1. Topicorũ; ibi enim dicit, quod omnia argumenta ab auctoritate desumpta sunt probabilia: quod topica & probabilia argumenta sint nullius vigoris patet, quia omnia sunt cum principij petitione; supponunt enim, quod est probandum, si nihil supponerent, non essent argumenta probabilia, sed demonstrationes. Præterea, qui colligunt esse spernendum vesicantium vsum ex eo quod Galenus, vel Hippocrates de illis non sunt locuti, adeo vanum faciũt argumentum, vt neque verè topicum, & probabile dici mereatur; locus enim topicus esset, si proponerent auctoritatem Galeni, quæ clarè exprimeret vesicantia non esse admittenda in febribus malignis, quod non inuenient; apud Galenum enim, & Hippocratem neque reiiciuntur, neque nominantur vesicantia, quare argumentum neque inter topica collocari meretur. *Primum argumentum illorum qui omnino negant vesicantia in febribus.* *Solutio argumenti.*

Secundum argumentum; illud medicamentum ex Hippocrate, & Galeno in febribus solum est permittendum quod quietem parit, sed vesicantia quietem non pariunt, sed tenent in motu totum corpus, ergo non sunt in febribus admittenda: maiorem probant, quia concoctiones quiete fiunt. Primò respondemus concedendo, quod vesicantia noceant, attamen dicimus, adeo iuuare, & prodesse posse, vt illius maleficio ægrotantes longè maiori beneficio compensentur. Secundò dicimus, quod argumentum propositum est vitiosum, quia est in prima figura cum minori negatiua, quod ab Aristotele est rectum, quia nõ cõcludit, est enim à destructione antecedẽtis ad destructionẽ cõsequẽtis, veluti est hoc: si est aqua est elementum, sed non est aqua, ergo non est elementũ, quod nõ sequitur; similiter dicunt, si medicamentũ quietẽ pariat, est admittendum, sed vesicantia nõ pariunt quietem, ergo non sunt admittenda; reducitur ad primam figuram cum minori negatiua hoc modo, omne medicamentum quietem pariens est admittendum, vesicantia non pariunt quietem, ergo non sunt admittenda: quod nullam habet virtutem illatiuam. *Secundum argumentũ.* *Eius solu.*

Tertium argumentum colligunt ab Hippocrate, qui habet, si in principio febrium acutarum materia turget, pharmacum est propi- *Tertium argumentum.*

Eius solu. nandum; inferunt, ergo non vesicantia. Respondemus, non semper in malignis febribus conuenire vesicantia, sed solum quando humores possunt transponi ad cutim; etenim, si habeant raptum ad intestina, pharmacum dandum est: quando Hippocrates dicit, si materia turget, dandum est pharmacum, idque fiat cum præmeditatione, intellexit tunc esse consulendum, an humores turgentes habeant aliquam inclinationem ad aluum, quia, si nulla esset humorum propensio in illam partem non pharmacum, sed aliis auxiliis transponentibus humores, eò quò vergerent, vteremur. Præterea accidit materiæ turgenti, vt possit per aluum euacuari; qui igitur ex hoc accidente voluerit concludere, quod in acutis, dum materia turget, solum pharmacum administrari possit, & non alia auxilia, incidet in elenchum accidentis, qui apud Aristotelem tenet primum locum elenchorum in re. Præterea Aristoteles 2. Post. 25. explodit duplex problema: à demonstratione æquiuocum, & accidentale, quis non videt, habere raptum per aluum prædicari per accidens de turgente materia? quis non videt, admodum raro accidere, quod in acutis, dum turget materia, dari debeat pharmacum?

Quartũ argumentum. Eius solu. Quartum argumentum, si papulæ efflorescunt, vesicantia impediunt hanc humorum, vel vaporum transmissionem ad cutim, quæ, vt in casu Sileni nos docuit Hippocrates, vtilis est. Silenus enim non vndecimo die, sed nono periisset, nisi octauo apparuissent papulę: quod vero vesicantia impediant, patet, quia non ad cutim, sed ad postremas partes attrahunt humores; argumentum est nullum, quia nos non tenemus vesicantia in omni febre maligna esse administranda. Præterea argumentum est vitiosum; quia est à partibus ad totum, quod est valde explosum in secundo priorum: non valet, in acutis febribus cum papulis vesicantia non conueniunt: non conueniunt in malignis febribus cum narium hæmorrhagia, vel cum alui fluore, ergo nunquam conuenient; argumentum est omninò vanum.

Quintum argumentũ Eius solu. Quintum argumentum: excretiones, dum crudi sunt humores, dicunt non iuuare: quod argumentum nullum sit, patet, quia possem propterea dicere, non esse in principio morbi phlebotomandum, leniendum, vel pharmacum exhibendum, quod reluctatur Hippocrati dicenti, in principio, si aliquid videtur mouendum moue, & si materia turgeat aliquando pharmacum in principio, crudis existentibus humoribus, esse exhibendum.

Sextum argumentum. Eius solu. Sextum argumentum dicunt, quod vesicantia calefaciunt, & propterea febribus nullo modo conuenire. Respondemus primò, quod omnia medicamenta quoque calefaciunt: disputationis cardinem non perceperunt, quia omnes concedunt, quod vesicantia, & omnia medicamenta corpora viuentia lædant: agitur hic an maius afferant beneficium, quàm maleficium; patet, quod vesicantia non calefaciant; quia si ex Galeno quinto methodi decimotertio catarrhus sal-

Vesicantia nõ calefacere partes internas. sus suffert Thapsiam, & caput non calefiat; tanto minus cor, & cætera viscera à vesicantibus, quæ extremis partibus, quæ valdè à corde remotæ

motæ sunt, patientur calorem. Hinc Galenus 1. de differentiis febr. vltimo dicit, partes, quibus adhibentur sinapismi, & vesicantia calefieri, & non remotas. Demum, dato, quod vesicantia calefaciant, & ægros perturbent, non sequetur, si maius ab illis oriretur beneficium, quam maleficium, quod non essent administranda, ex Galeno 14. methodi 13. colligitur quod, vt curetur morbus periculosus possumus facere alium minus periculosum. Hinc morbos incurabiles aliquando facimus, vt à mortis periculo liberentur ægri: sicuti, dum abscindimus arteriam, vt curetur aneurisma, carnémque abscindimus, vt tollatur cancrena.

Ostenditur, quod maligni & turgentes humores possint aliquando vesicantium auxilio transponi ad cutim.

CAP. X.

TAM furiosam malignitatem aliquando humores excipiunt, vt nisi externis partibus vehementissima reuulsoria, qualia sunt vesicantia, adiungantur, viscera illis impleantur, & inde pereant; ne igitur hoc accidat, prudens medicus, spreta febre, humorum cruditate, & ægrotantis quiete cogitur ad extremum hoc auxilium confugere. Quod verò in arte medica habeat locum, & à Galeni principiis, & fundamentis non abhorreat, potest plurimis auctoritatibus confirmari.

Primus locus est 1. de hum. com. 13. vbi habet hæc, si redundantia " ad caput, aut ventrem feratur, medicamenta mordacia manibus, pe- " dibúsque admota reuellere contrariam in partem solent; valet ergo in Galeno hæc consequentia, redundantia fertur ad caput, ergo manibus & pedibus sunt apponenda mordacia; an verò mordacia sint ex cantharidibus, euphorbio, flamula iouis, vel ex aliis, nihil refert: quoniam materiæ remediorum ad methodum non pertinent: satis est, quod hoc auxilium reuellens materiam petentem caput fieri possit ex acri medicamento. Neque obstat, dum dicunt febrem impedire; quoniam in omni casu sunt indicantia, & prohibentia libranda, & trutinanda; quia semper ei, quod magis vrget, est attendendum: etenim (vt dicemus in libro de indicantium æquilibrio) dum fit comparatio inter vrgentia, & causas principales, causæ principales non sunt tanti, vt impediant vrgentia, quin ad se curationem trahant: similiter, dum fit comparatio inter causam, & morbum, prius attendimus causæ, quàm morbo; quinimmò sæpenumero omninò spernimus morbum; in pituitosa enim febre vtimur exsiccantibus, quæ reluctantur febri: si deniquè fit comparatio inter impedimenta, & morbum, morbum quoque despicimus, veluti, si in capitis vulnere squammæ ossis detineantur; tunc tantum abest, vt vulnus trahat ad se curationem, vt potius dilatetur, & maius fiat, vt commodè ossium squammæ egrediantur. Empirici, quia de hoc indicantium æquilibrio nihil omnino sciunt, incidunt quotidie in sexcenta errata: quia tota re vera medicandi pe-

Prima Galeni auctoritas pro defensione vesicantium.

Obiect.

Sol.

Cur Empirici semper errăt.

ritia in hac indicantium comparatione consistit: quibus positis, ad obiectionem respondetur, quod licet vesicantia noceant febri, possint tamen malignis humoribus, qui vrgentium vicem subeunt, tantum prodesse, vt maleficium longè maiori beneficio compensetur. Hinc, licet maximè hominib. noceat, vt arteria abscindatur, attamẽ in aneurismate, vt maius malũ euitetur, abscinditur; tũc magis potest vrgẽs, quã corporis particula: similiter digitum morsum à vipera, vel à cane rabido, vitæ gratia abscindimus. Hinc in cancrena igne, & ferro corporis particulas auferimus; quia ei quod magis vrget, est vacandum. Hinc, vt hominis vita saluetur, terebramus craneum, & vulnus ferè exitiosum facimus; hinc terrificum vulnus inter anum, & testes fit, vt extrahatur lapis. Quò fit, vt Cornelius Celsus libro 3. in fine noni capitis iure

Quæ sint remedia quorũ maleficium compensatur maiori beneficio.

„ hæc dicat. Circumspecti hominis est, & nouare interdum, & augere
„ morbum, & febres accendere, quia curationem, vbi id quod est non
„ recipit, potest recipere id quod futurum est: quapropter; quamuis vesicantia febres accendant, vigilias inducant, continuò ægrum vexent, & aliquando intollerabiles meiendi difficultates pariant, non propterea semper, & in omni casu sunt despicienda: anne, si solummodo illorum auxilio posset diuerti humorum turgentium furor, & impetus in cor, & cerebrum, illis vteremur? & omnia mala faceremus, dummodo ægrotus mortem non obiret. Semper miratus sum, quod dentur Medici, iique dogmatici, qui respuunt ea de causa vesicantia, quia calefaciunt, & quia augent febrim, quod, quamuis sic esset, ostendunt prima artis medicæ initia non callere, quia tota ratio medicandi in æquilibrio indicatium, & indicatorum consistit: nullum enim medicum auxilium inuenietur, quod non laceret, quod noxam animo, & corpori non inferat. Phlebotomia frangit vires. Cassia ventrem perturbat, & cætera omnia auxilia aliquos languores ægrotantibus afferunt: illa tamen auxilia eligimus, à quibus maius beneficium, quàm maleficium colligitur. Cornelius Celsus vir sanè insignis indicantium æquilibrium considerans, peroptimè dixit, circumspecti hominis esse, gratia præcauendi futuram tempestatem, interdum augere morbum, & accendere febrem; quia ei, quod magis vrget, est attendendum.

Vt ratio medendi cõsistit in indicantium æquilibrio.

Secundus locus est 5. simp. 18. vnde colligere possumus, vesicantia doctrinæ Galeni maximè cohærere, ibi habet hæc verba, omne deleterium venenum à foris impositis medicamentis euacuatur, nempe aut
„ caliditate attractionem molientibus, aut totius substantiæ similitudi-
„ ne; quare, si ratione caloris venenum à profundis corporis partibus foris attrahi possit: quanto magis materia hæc putrida, & turgens attrahetur à vesicantibus, quæ non solum virtute caloris, sed doloris, & vacui attractionem moliuntur.

Secũda Galeni authoritas pro vesicãtijs.

Tertius locus est 6. epid. sect. 3. tex. 41. vbi docet modòs, quibus mo-
„ uentur humores ab vno in alium locum: dicit, loca aliorum locorum
„ morbos excipiunt, prout succi commutant sedes aut ob dolorem par-
„ tis, aut ob grauitatem humorum, aut aliam causam; aut ob acre medicamentum irritans, aut frictionem, aut ob calorem extrinsecum: si

Tertia.

ex Galeno succus obrepens caput, vel cor potest virtute acris medicamenti à propria sede dimoueri, erit quoque possibile, vt putridus, & malignus humor à corde, à cerebro, & à cæteris visceribus vesicantium auxilio dimoueatur, & inde transponatur ad extremas partes. Stupidi, vel inexperti homines mihi videntur, qui hanc possibilitatem negant; etenim non solum vesicantia opportunè administrata possent malignos humores ad internas partes transponere, & inde præseruare cor, & cætera viscera, ne pereant; verùm accidere potest iterum talis casus (sicuti vidimus) vt æger maligna febre oppressus curetur, quia ab hostis ense vulneretur; si igitur inflictum vulnus ab ense hostili potuit diuertere humores petentes cor, & ægrum ad salutis portum transferre, quanto magis possibile est, vt vesicantia rectè administrata aliquando id efficere possint? Similiter stupidissimi, & imprudentissimi mihi videntur illi, qui in omni febre maligna vtuntur vesicantibus; hancque opinionem reiecimus superius.

Insuper cognoscemus vesicantia summum beneficium aliquando afferre posse, si expenderimus causas salutis, & mortis nonnullorum ægrotantium Hippocratis; loquens igitur de Larissa Caluo, qui febre maligna erat detentus, dicit in femore dolorem persensisse, quod erat bonum signum, ac dum femur dolere desit, dicit Hippocrates, id euenisse, quia tunc ascenderunt in caput humores, qui eum deinde occiderunt: posita hac Historia, cui dubium, si humores in femore existentes non petiissent caput, vel cor, quod Larissa euasisset? dum erant in femore non petiissent caput, vel cor, quod Larissa euasisset? dum erant in femore non petiissent caput, si potentissimo auxilio reuulsorio, quale est vesicans, fuissent ad femur perpetuo attracti, & per inflicta vlcera euacuati. *Vsus vesicantium colligitur ex casu Larissa.*

In Virgine, quæ in vestibulo templi habitabat, id ipsum obseruabatur; quia adueniente dolore pedum, statim cessauit delirium; ex Hippocratis igitur sententia, quia humores ad pedes confluunt, sedari potest delirium; si igitur sit, vel immineat delirium, possibile est, vt sedetur, & præseruetur vesicantium vsu; potest enim contingere, vt aliquando natura aliquam habeat inclinationem ad mouendos humores ad postremas partes, attamen non sit tantæ virtutis, vt ex se sola, vel frictionum, balneorum, & cucurbitularum auxilio possit diuertere humores à corde; sed solum id efficiat adiuta à vehementissimo auxilio reuulsorio, quale est vesicans, quòd à profundis partibus vnicè humores attrahere potest. *Ex casu Virginis morantis in vestibulo templi.*

Similiter est æger in Dealcis Horto, qui habuit stillas sanguinis è naribus nigras, cum vrinis nigris: hic liberatur, dicit Hippocrates, quia humores ad pedes confluxerunt: quare, si vesicantia poterunt ad pedes trahere humores, poterunt quoque in maligna febre, dum adsunt vrgentia, in bonorum auxiliorum catalogo collocari. *Ex ægro morante in Dealcis Horto.*

Demum est Chrito, qui habuit malignam febrem cum pustulis nigris, huic accidit dolor totius pedis; causa, cur periit, dicit Hip- *Ex Critone.*

pocrates, est, quia pes totum humorem capere non poterat, vnde retrocessit, petiit caput, delirium effecit, & deinde vitam cum morte mutauit: dicant mihi quæso, si pes totum humorem recepisset, numquid periisset? minimè gentium; quia Hippocrates nullam causam delirij, & mortis reddidit, nisi, quia pes non poterat totum humorem capere: si igitur vesicantium auxilio in simili casu redderetur pes admodum debilis, an ne humores pes caperet, & contineret? quinimmò cum per inflictum vlcus euacuari possint humores excrementitij tolletur omnino occasio retrocessus, & mortis.

Obiectio. *Sol.* Neque obiiciant, quod motus symptomatici non sint adiuuandi, quia plura sunt exempla apud Hippocratem, quod ab iis motibus ægri aliquando subleuentur. Primum exemplum obseruatur in Historia Metonis, qui habuit in quarta stillas sanguineas, in quinta iussu Hippocratis ei fuit lotum caput; sanguis largè subito effluxit, & deinde eadem die, crudo adhuc existente morbo, fuit liberatus. Secundum exemplum desumitur à Muliere trimestri fœtu grauida, quæ morbo existente crudo per sudorem iudicatur. Tertium exemplum colligitur ab Historia Periclis, qui in quarta per sudorem, & sanguinis fluorem similiter liberatur: quartum exemplum obseruatur in Sileno, qui vixit vsque ad vndecimum diem ob papulas exeuntes. Hic periisset ante duos dies, dicit Galenus, nisi motus symptomaticus papularum secutus fuisset; quare quod motus symptomatici aliquando iuuare possint, non est amplius dubitandum.

Ostenditur quod ægri aliquando per motus symptomaticos subleuentur.

Interim ex citatis ægrotantibus vesicantium vsum ex principiis artis medicæ colligemus: non tamen admittemus hanc consequētiam; enarrati ægrotantes febre maligna correpti morbo existente crudo ob humorum transpositionem ad cutim subleuantur, ergo in omnibus maligna febre detenti sunt transponendi, ostensum est superius, hanc consequentiam esse vanissimam: valet tamen hæc, transmissio crudorum humorum ad infernas partes iuuit citatos ægrotantes maligna febre vexatos, ergo possibile est, vt eadem transmissio humorum ab arte excitata aliquos correptos malignis humoribus aliquando iuuet: confirmatur hæc consequentia virtute supremi illius principij metaphysici, scilicet de quolibet est affirmatio, vel negatio vera; nam ex duabus propositionibus contradictoriis quillibet Proteruus cogitur affirmare, quod altera sit vera, altera falsa. Hæ duæ sunt contradictoriæ, altera est; omnes maligna febre læsos iuuant abscessus, vlcera, vel dolores pedum facti sponte, vel ab arte excitati gratia transponendi humores à supernis ad infernas partes: altera propositio est, aliquos non iuuat, veluti quando natura mouet per sanguinem è naribus, per aluum, & per alias regiones; hæc postrema propositio, cùm sit verissima, altera, quæ est eius contradictoria, erit falsa, quæ est, quod vesicantia omnes maligna febre vexatos iuuet.

Principio cōtradictionis ostenditur, vesicantia nō iuuare semper in malignis febribus

Obiect. *Sol.* Occurrit dubitatio, non videtur, quod ex principiis artis Medicæ colligi possit, quod vesicantibus in febribus malignis vti debeamus;

quia

quia Galenus de illis nihil dixit. Respondemus primò, quod fortasse Galenus, si diutius superuixisset, non solùm de hoc præsidio pro transponendis virosis humoribus malignarum febrium scripsisset; verum multa alia suo ingenio propemodũ diuino reperiisset, nobisq. reliquisset: scimus enim in arte medica ab ipso tradita, quod attractio fit vi caloris, & doloris: scimus, quod vesicātia calorē & dolorem excitant: scimus reuulsionem esse faciendam in cõtrarium, & pedes, quibus affiguntur, secundum rectitudinem aduersari humoribus existentibus in venis proximis cordi: scimus nullum esse reuellens, quod vehementius reuellat vesicantibus: & tandem scimus impetum & furorem turgentium magis posse ad indicandum potentissimum reuellens, quale est phænigma, quàm quodlibet prohibens: quibus positis principiis, & fundamentis, coacti aliquando ad vesicantia pro transponendis malignis humoribus ad extremas partes confugiemus.

Tempus verò opportunum, quando vesicantibus debeamus vti in maligna febre à variis signis desumitur, primum signum est, si videmus, naturam habere aliquam propensionem mouendi humores ad partes extremas; & cætera attractoria, vt sunt frictiones, balnea, & ligaturæ, non sufficere in hoc obeundo munere, tunc vtemur vesicantibus vt longe à corde transponamus malignos humores. *Septem signa ostendentia vesicantium vsu. Primum.*

Præterea reuellemus hos humores vesicantium auxilio, si quatuor conditiones reuulsionis aderunt, quarum prima est, vt partes, quibus applicantur, secundum rectitudinem aduersentur locis vbi resident maligni humores. Secunda, vt vesicantibus trahi possint humores versus suam originem: tertia, per distantissima; quarta per vasa communia: verbi gratia, si humores caput obrepant, & immineat periculum, ne humorum impetus omninò opprimat capitis vires, vesicantia partibus infernis adiunguntur. *Secundum.*

Tertium, si humores à natura incipiunt propelli ad femora, vt in Larissa; vel ad pedem, vt in Chritone; in virgine vestibuli Templi; & in ægro, qui habitabat in Dealcis Horto, tunc tutò maxima cum salutis spe pedibus adiungere poteris vesicantia. *Tertium.*

Quartum, si dum turgent humores partes extremæ vlcusculis, pustulis, & similibus vexari incipiant, instétque ob morbi vehementiam aliquod sæuum symptoma, statim illis partibus vesicantia erunt adiungenda. *Quartum.*

Quintum, si coxis grauitas, vel tensio superuenit, signum est, quod natura conatur ad illas partes propellere: ideo est vesicantiis, si vrget affectus, vtendum. *Quintum.*

Sextum, si in febre maligna suspicio est de imminente læthargo illicò, vt futuram tempestatem præueniamus, coxis, & brachiis phænigmata sunt adiungenda. *Sextum.*

Postremum, si adeo trucis, & scelesta est febris maligna, vt ferè de salute actum sit; tunc, si adhuc turgeant humores, & non vergant per *Septimum.*

alias regiones, ad vesicantia confugimus, vt Galeni præceptum obseruemus 10.method.10. vbi dicit, satius est nonnulla cum fiducia, & periculo aliquid facere, quam spe adempta certo perire; tanto profectò satius est potentibus præsidiis pugnare, quàm nihil agere. Ex iis cognoscemus, quando vesicantia debeant opportunè administrari, inde euitabimus eorum vsum superfluum, diminutum, & transcendentem.

Finis Decimitertij Libri.

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani

METHODI VITANDORVM errorum in natura Reuulsionis, & deriuationis perquirenda.

LIBER DECIMVSQVARTVS.

Ostenditur, quam variæ sint opiniones auctorum in iis, quæ pertinent ad reuulsionem.

CAPVT I.

Quatuor conditiones reuulsionis.

ACTVRI in præsentia de reuulsione, statim in medium eius proprietates, & conditiones afferemus, quia illis rectè perceptis cognoscemus, quando, & quomodo sit reuellendum. Quatuor conditiones reuulsionis vagantur per scholas, eæque colliguntur à Galeno 13. methodi cap.11. & aliis in locis, quarum prima est, vt fiat secundum rectitudinem. Secunda, per distantissima: tertia, quam Curtius magnifacit, trahantur humores versus originem: quarta, per

ta, per vaſa communia. Verum, quid intelligendum ſit per rectitudinem, quid per diſtantiſſima, & numquid illa conditio, quod trahantur humores verſus originem per ſe, & ſemper conueniat reuulſioni, & demum quid ſit per vaſa communia intelligendum, tam variæ ſunt opiniones, vt vix duo Auctores celebres inueniantur, qui in tota hac contemplatione ſint concordes.

Opinio Curtij & Briſoti, quod intelligi debeat per rectitudinem.

Percelebres Auctores, qui de hac re plenius egerunt, & qui inter ſe valdè diſentiunt ſunt Curtius, Manardus, Fernelius, Fuſcius, Achachias, Petrus Briſotus, Altimarus, Argenterius, Laurentius Ioubertus, & Horatius Augenius. Curtius vbi agit de pleuritide, & Petrus Briſotus in libro apologetico de pleuritide cum Fernelio vnanimes tenent, quod per rectitudinem debeat intelligi ea, quæ ſurſum, & deorſum eſt: negant enim quod ſeruetur rectitudo à parte anteriori ad poſteriorem, & ab interna ad externam. Fernelius verò apertius aliis defendit, quod inter dextrum & ſiniſtrum non ſit illa rectitudo, ſecundum quam fieri debet reuulſio, reddénſque rationem dicit, quia fibræ rectæ, quarum beneficio (vt omnes c edunt) fiunt humorum attractiones, non ſunt in latum, vel in profundum exporrectæ, ſed in longum; hocque eſt præcipuum fundamentum Fernelij, quo ſuffultus defendit veram reuulſionem fieri à ſuperna ad infernam partem, & non à dextra ad ſiniſtram, vel ab interna ad externam. Ex altera eſt Altimarus, qui omninò negat, reuulſionem fieri ſecundum rectitudinem fibrarum; quia, dum poſt venam pertuſam fit ſanguinis reuulſio, nõ à fibris rectis expellitur; ſed tantum virtute vacui egreditur. Similiter Argenterius primò reijcit Ferneliũ, & negat ſanguinem euacuari poſt ſectam venam à rectis fibris; deinde opinionem, quam ſuſtinet Altimarus, quod ſcilicet virtute vacui ſanguis egrediatur, reprehendit, & demum propriam opinionem affert, quæ eſt, quod ſanguis à ſecta vena egrediatur, quia expultrix irritatur à dolore vulneris, & à vinculis.

Fernelij.

Altimari.

Argenterij.

Opinio Curtij Fuſcij Achachia & Manardi quid per diſtantiſſima.

Ad eundẽ modum omnes diſſident, dũ interpretantur, quid intelligat Galenus, dum dicit per diſtantiſſima eſſe faciendam reuulſionem. Curtius, Fuſcius, Achachias, & Manardus dicunt, dum præſeruamus, reuulſionem eſſe faciendam per diſtantiſſima, dum curamus per propinqua: Laurentius Ioubertus dicit per propinqua, & nunquam per diſtantiſſima eſſe faciendam reuulſionem. Briſotus vero dicit, in principio eſſe reuellendum per proxima, in fine per remota; vt hæc materia ſit difficultatibus plena.

Laurentij Iouberti.

Briſoti

An in reuulſione trahantur humores verſus originem

Porrò ſi tertiam conditionem reuulſionis expendamus, an ſcilicet verſus originem ſit ſemper reuellendus humor, quot ſunt capita, tot ſunt opiniones. Curtius hanc conditionem defendit: plures tamen ſunt, qui tenent, quod nullomodo ſint reuellendi humores verſus originem & præcipuè, quando pars, à qua humores originem trahunt, eſt inflammatione obſeſſa, vel eſt debilis & infirma; nunquam enim conuenit, vt ad partes læſas tranſponantur humores.

Poſtrema conditio, quid videlicet ſit intelligendum per vaſa com-

munia, patitur quoque plurimas instantias; aliqui enim dicunt, reuulsionem fieri solum per vasa sensibilia: alij per vias quoque insensibiles, dicunt, totum corpus esse transpirabile: nihil igitur de reuulsione hactenus propositum est, quod non sit explosum, atque reiectum.

Difficultates pertinentes ad deriuationem. Simili modo de deriuatione altercantur, an scilicet fiat in eodem latere, an solum per proxima, & an humoribus solum confluxis æquè, ac fluentibus competat. Quæ, vt methodo aliqua tradamus de natura, & conditionibus reuulsionis præcipuè agemus; quia illis cognitis, facilè omnia, quæ de deriuatione quæruntur, aperta & prænitentia erunt.

Reijcitur quædam definitio reuulsionis, & ostenditur, quod reuulsio non sit attractio.

CAPVT II.

ALIA non est via, quæ melius affectiones, & proprietates rerum explicet, quàm definitio. Aristoteles 1. de anima in principio dicit, quod animæ definitione præcognita, cæteræ affectiones facilè cognoscantur. 1. de moribus cap. 7. in omni re esse auspicandum à definitione: & aliis in locis Aristoteles, & Plato testatum reliquerunt, quod definitio sit principium cognitionis proprietatum, & affectionum, quas quærimus. Nos quoque imitatione Aristotelis conabimur prius definitionem reuulsionis perquirere, vt inde facilè innotescant reuulsionis attributa.

Reijcitur definitio reuulsionis, quæ nũc in scholis recipitur. Valdè conuenit, vt prius definitionem ab aliis traditam examinemus; quia si ex illa perceperimus eius naturam, & proprietates, aliam non quæremus: hæc per scholas hodierno die vagatur, & à plurimis recipitur: reuulsio est attractio humorum confluentium, vel confluxorum in partem omninò contrariam. Quod hæc sit imperfectissima definitio primò patet, quia, cum sit accidentis definitio, deberet esse illa, quæ solo situ à demonstratione differt: at sic est, quod hæc non est talis, ergo est imperfecta, & recipi non debet: patet maior, quia omnes accidentium definitiones sine causa externa sunt nominales, & cum principij petitione; petimus enim, dum eclypsim definimus, quod sit priuatio luminis in luna, petitionémque aufugimus, dum addimus causam externam, quod scilicet lumine priuetur ob terræ interpositionem. Hinc Auerroës causam extrinsecam, quæ tradit propter quid insint accidentia subiectis, vocat differentiam vltimam respectu accidentium; patet quoque, quia dum dicunt, esse attractionem in oppositas partes afferunt genus: dum verò addunt confluentium, & confluxorum afferunt subiectum; caret igitur causa inhærentiæ, qua non expressa, nihil de reuulsione sciri potest; erit igitur hæc definitio non illa, quæ solo situ differt à demonstratione, nec quæ est principium demonstrationis, cum non exprimat causam,

sed,

ſed, quæ eſt concluſio, quippe eſt aliis ineptior ad docendum.

Præterea, dum dicunt, quod reuulſio ſit attractio, errare videntur; quia attractio neque eſt genus proximum, neque remotum reuulſionis; patet, quia reuulſio modò fit attrahendo, modò expellēdo: quod fiat expellendo, nos docet Galenus decimo tertio methodi cap. 3. vbi habet, cauſas fluxionum eſſe partem mittentem, & partem recipientem; humor enim non fluit à ſe, & proprio impetu, alias omnis fluxio ad inferiora fieret, ſed vel à parte mittente propellitur, vel à recipiente trahitur; pellitur à mittente tùm, quia robuſta, tùm quia irritata; quare, ſi fiet reuulſio, quia pars mittens medicamento irritetur, tunc quomodo reuulſio dici poterit attractio? Similiter, dum laxantibus reddimus partem debilem, tunc quis dicet, quod pars laxa, & ſemiuiua attrahat, cum in illam, vt in cloacam expellantur excrementa? erit igitur hæc reuulſio ab expultrice, & non attractrice facta. *Oſtenditur reuulſionem non eſſe attractionem.*

Amplius reuulſio, quæ fit per contrarium, non debet dici attractio, quia cauteria non recipiunt excrementa, quia attrahant, ſed recipiunt quæ ſunt expulſa ab aliis partibus. Nemo defendere poterit, quod reuulſio, quæ fit ratione vacui ſit attractio: ſtupidi hominis eſſet credere, quod vacuum, quod reuera nihil eſt, habeat proprietates poſitiuas. Omnis enim cauſa attrahens debet eſſe cauſa efficiens actu poſitiua, & non priuatiua: dum igitur videmus, quod multa ratione vacui magno cum impetu mouentur, id accidit, quia in locum, vbi nulla eſt reſiſtentia, omnia facillimè, & celerrimè expelluntur. Cauteria, ſinus, caro fungoſa, glandulæ, & partes imbecilles naturali virtute ferè deſtitutæ non attrahunt, vel expellunt; ſed ſolum aliarum partium excrementa expulſa ſine vlla reſiſtentia recipiunt. Hinc, dum volumus humores petentes caput reuellere, poſſumus non ſolum attrahentibus medicinis id efficere: verum etiam iis, quæ laxant ventriculum, & inteſtina: ſicuti eſt oleum amygdalinum dulce: quia hæ partes laxatæ, deinde recipiunt ſine reſiſtentia excrementa ab aliis partibus expulſa; quis hanc reuulſionem laxantibus factam vocabit attractionem? Præterea, ſi ventriculi excrementa caput petant, an-ne reuelli poſſunt medicamento aloes, quippe ſolum irritando expultricem facultatem ventris expellit? nemo negabit, quod hæc reuulſio non ſit expulſio: ex altera parte obſeruantur tum reuulſiones, quæ ſolum à virtute attrahente excitantur, ſicuti ſunt, quæ per hirudines fiunt, tùm quę à virtute expellente, ſicuti quæ fiunt per cathartica, quæ attrahunt electiuè, & irritant expultrices ad propellendos proportionatos ſuccos, & quæ per veſicantia, frictiones, quæ ſimiliter attrahendo, & partem debilem reddendo retrahunt, quare nullo modo reuulſionis genus erit attractio, cum reuulſio modo fiat attrahendo, modo expellendo, & demum attrahendo, & expellendo; melius igitur eſt, vt cum Galeno lib. de arte Medicinali cap. 99. & 5. methodi 3. dicamus quod auerſio ſit genus reuulſionis & deriuationis, quia reuulſionem ibi vocat antiſpaſim, id eſt auerſionem in contrarium, deriuationem vero Paroche- *Cur vacuum & laxantia medicamenta nõ attrahant.* *Quod genus reuulſionis ſit auerſio.*

teusim, id est auersionem ad proxima: concludi igitur potest, quod genus reuulsionis sit auersio, & non attractio.

Ostenditur, quod reuulsio non solum conuenire possit humoribus fluentibus, verum etiam fluxis, & fluxuris.

Cap. III.

COGNITO, quod reuulsio sit humorum auersio in contrarium, sequitur, vt inquiramus, an hæc auersio solum conueniat humoribus fluentibus: omnes ferè dicunt, reuulsionem indicari à materia, quæ est in motu, à fluxu verò, & à fluxura non indicari, quia vtraque quiescit, quæ sententia non potest esse absolutè vera; quia fluxi, & fluxuri humores, quamuis actu non moueantur, dummodo apti sint, vt aliquo ingenio possint ab vno ad alium locum moueri, defendemus non esse impossibile, quod auersio in contrarium illis quoque conuenire possit.

Vera ratio cur fluxis & fluxuris possit conuenire repulsio.

Insuper oportet vt reuulsio desumatur ab indicante, quod primò & per se indicet reuulsionem: at non fluere in contrarium, sed posse fluere est, quod indicat primò, & per se reuulsionem; ergo non solum fluentibus humoribus sed omnibus, qui sunt fluxi, & fluxuri, dummodo apti sint, vt posint cum ægrotantium beneficio in contrarium moueri, reuulsio conueniet: etenim scientifici quærunt quod possibile est, & quod est æternum, & non quod solum actu est: sic non dicimus, quod risus sit hominis proprietas, sed risibilitas; ridere enim est accidens, & in nullo modo dicendi per se de homine dicitur. His moti principiis dicimus, quod reuulsio per se non indicetur ab humoribus quatenus actu fluunt, sed quatenus possunt fluere, possuntque aliquo ingenio auerti in contrarium, & tales non solum sunt fluentes, sed aliquando possunt esse fluxuri, & fluxi: similiter Galenus lib. de morb. diff. cap. 1. dicit, non ab actione, sed à potentia esse definiendam sanitatem; dormiens non videt, attamen non dicitur cœcus; quia licet actum videndi non habeat, dummodo potentiam habeat, videns dicetur; à potentiis igitur definitionem reuulsionis haurientes dicemus, esse auersionem, quæ conueniat humoribus, qui possunt retrahi in contrarium, & tales non solum esse fluentes, verum etiam esse posse fluxos, & fluxuros.

Quod fluxuri possint reuelli.

Præterea, quod reuulsio indicetur quoque ab humoribus quiescentibus, qui sunt fluxuri, & non solum actu fluentibus, colligitur ex Galeno 2. in 6. epid. text. 9. vbi dicit, quod reuulsio debet fieri in principiis morborum, vt plurimum quiescunt, ergo à quiesentibus, & fluxuris indicabitur reuulsio. Hinc Galenus 13. methodi 11. dicit, se sanasse inflammationem oculorum vnica die facta purgatione, & reuulsione humorum existentium in ventriculo, qui partim fluebant,
„ & partim erant fluxuri: hæc sunt Galeni verba, vidistin vnica die sanatos

natos purgatione per aluum, qui oculi phlegmone tentabantur? Inſuper quis negaret, quod dum fiunt reuulſiones prima morbi die, non auertantur in contrarium humores non ſolum fluentes, verum etiam aliqui, qui in aduerſum erant fluxuri?

Modo, cum probatum ſit, humores confluxuros aliquando poſſe reuelli, ſequitur, vt confirmemus ratione, & auctoritate, quod etiam fluxi poſſint aliquando in contrarium auerti: ratione, quia cum omnes humores fluxi poſſint deriuari, poterunt quoque moueri, ſi poterunt loco moueri. non erit impoſſibile, quod à facultatibus naturalibus, vel à medicamentis poſſint aliquando in contrarium auerti: auctoritate, quia Hippocrates 2. de ratione victus text. 10. loquens de pleuritide dicit, ſanguinem eſſe euacuandum, donec liuidus exeat; quare, ſi tanta copia ſanguinis fuerit euacuanda, donec liuidus apparuerit, euacuabimus humorem confluxum; liuidus enim eſt confluxus, & ſic reuulſio conuenire poterit quoque fluxis humoribus. Videntes Curtius, & Manardus hunc locum interpretantur Hippocratem, quod per reuellere intelligat deriuare; quæ expoſitio non poteſt eſſe deterior: ſic omnes dubitationes facilè tolli poſſent, mutando ſcilicet, addendo, vel ſubtrahendo verba. Ad hæc Galenus 4. de ratione victus in acut. tex. 30. habet hæc verba, "medicamenta circumpoſita ceruici in angina reuellent humorem, qui in partem anteriorem fluxit:" ſi fluxos medicamenta reuellent, ergo reuulſio conuenire poterit confluxis.

Quod fluxi poſſint reuelli.

Vt male Curtius, & Manardus interpretantur Hippocratē.

Porrò Galenus 12. methodi capite 11. & paſſim dicit, in iecore inflammato eſt reuellendus ſanguis ſecta cubiti vena, quæ ſocietatem habet cum caua; quid vetat, tunc expultrices hepatis poſt ſanguinis miſſionem poſſe confluxum ſanguinem expellere à capillaribus parenchymæ ad venam cauam, vel ad portam?

Inſuper in capite erit catarrhus ſalſus, tunc Galenus 5. methodi capite 14. docet, eſſe ſupra commiſſuram coronalem applicandum ceratum ex thapſia reuulſionis gratia: quis diceret, humorem illum non eſſe collocandum in numero illorum, qui dicuntur confluxi, vel confluxuri?

Amplius, an-ne materia confluxa ad orificium ventriculi, quæ excitare ſolet angorem, vel alterius generis affectum, tolli poteſt medicamento reuellente, & auertente per aluum? vel acri enemate? quare non ſolum materia, quæ eſt in motu, verum etiam, quæ eſt confluxa, reuelli poterit.

Ad hæc, ſi poſſint reuelli humores impetum habentes in contrariam partem, quantò magis poterunt confluxi quieſcentes, qui tantum impetum non habent in læſas partes?

Poſtremò adeſt argumentum efficaciſſimum, quod reuulſio competere quoque poſſit fluxis humoribus, ſuppoſito nempè hoc principio in philoſophia altioribus principiis probato, quod inter duos motus oppoſitos mediet quies, quoniam, qui dicunt, reuulſionem ſolum deſumi ab humoribus actu fluentibus, coguntur quoque aſ-

Argumētum efficaciſſimū quod etiam fluxis conueniat reuulſio.

firmare à quiescentibus summi reuulsionem. Exempli causa, humores petentes partes supernas non possunt ad infernas reuulsoriis auxiliis trahi, nisi prius quiescant, quoniam inter motiones oppositas mediat quies, quare, qui negant reuulsionem cõuenire humoribus quiescentibus, negabunt quoque reuulsionem conuenire humoribus existentibus in motu, quia ij non possunt in contrarium auerti, nisi prius aliquantulum quiescant: melius itaque est, vt dicamus, quod reuulsio indicetur ab humoribus, qui possunt moueri in contrariam partem, quàm quod indicetur solum ab iis, qui actu mouentur: sic enim logicis in principiis, Aristoteli, rationi, & experientiæ melius consentiemus.

Dub. Occurrit dubitatio, quia Galenus 2. ad Glauc. capite 2. 4. methodi cap. 6. & sexcentis in locis habet, deriuationem, & non reuulsionem esse humoris in aliquam partem confluxi. *Sol.* Respondemus nullo modo negari posse, quod deriuatio præcipuè sit confluxorum humorum, sed dicimus non esse impossibile, quod humores confluxi possint quoque per reuulsionem aliquando in contrarium auerti. Hæc sententia cõfirmatur auctoriate Galeni, & experimentis; 4. enim methodi cap. 6. dicit, quod, si in aliqua particula confluxus, & quiescens humor steterit, melius sit tunc deriuare, quam reuellere; hæc sunt verba: at si iam fluxio resistit, atque in membro inhæsit, de-
" riuare per vicina magis expedit: dicit (magis) non negando quin
" possit accidere, vt aliquando fluxi humores non posint quoque opportunè reuelli, particula (magis) id clarissimè docet; quoniam omnium comparatiuorum proprium est, vt positiuis participent: valet hæc, magis confert vt fluxi humores per deriuationem tollantur, quam per reuulsionem, ergo non est impossibile, vt per reuulsionem aliquando tolli possint.

Ostenditur experientia quod fluxi possint quoq. reuelli.

Quod attinet ad experimenta, adest primum illud à Galeno propositum methodi 14. dum cerato ex thapsia apposito commissuræ coronali reuellit pituitam salsam in cerebro quiescentem, & in pectus confluxuram: similiter 3. de locis affect. cap. 7. refert, quod puer, qui patiebatur comitialem ob auram frigidam à tibia ortam sit liberatus medicamine ex thapsia, aut sinapi tibiæ applicato: refertque Galenus eodem capite quamplurima experimenta, quæ clarissimè docent, posse applicari partibus corporis, si in illis adsint venenatæ quallitates, potentissima reuulsoria, quæ humores seu venenatos spiritus confluxuros ad cor, seu cerebrum retrahant in contrarium. Nos igitur non arbitrabimur, differentiam constitutiuam deriuationis esse, vt confluxi humores tollantur, reuulsionis verò vt fluentes, quia deriuationis re vera est, vt sequatur inclinationem, & motum humoris euacuandi, reuulsionis verò renitentiam; sed quod fluentes & aliquando confluxi, & confluxuri possint reuelli.

Qua

Quæ ſit cauſa efficiens reuulſionis.

CAP. IV.

HACTENVS patet quod reuulſio ſit auerſio in contrarium, & quod non ſolum fluentibus, verum etiam fluxis, & fluxuris humoribus conuenire poſsit: reſtat, vt de cauſa efficiente reuulſionis dicamus: cauſa vna eſſe non poteſt, & hac ratione reuulſio eſt quid æquiuocum; alia enim eſt natura reuulſionis factæ vi vacui, alia per ſectam venam, & alia virtute hirudinum. Similiter Ariſtoteles dicit, cauſas efficientes adæquatas ſæpiſſimè eſſe innominatas, effectuſque eſſe æquiuocos. Secundo poſteriorum de iis cauſis loquens dicit, non inueniri vnicam longæuitatis cauſam, longæuitatémque eſſe quid æquiuocum, quia in animalibus greſsibilibus dicit, cauſam longæuitatis eſſe carentiam bilis, in auibus verò, in quibus eſt copioſiſsima, non eſſe bilem, ſed ſiccitatem carnis; qui igitur cauſam longæuitatis communiter ſumptam vellet afferre, alio modo dicere non poſſet, niſi, quod eſſet cauſata vel ob bilis carentiam, vel ob carnem ſiccam, ſeu recrementis purgatam. Hac ratione nos quoque dicimus, reuulſionis cauſam vnam non eſſe, ſed modò promotam ab expultrice, modo attractrice, & modo ab vtraque ſimul, qui modi auertendi inter ſe diſtant natura, & definitione. Quod verò humores in viuentibus moueantur, vel quia tranſmittantur, vel attrahantur, eſt Galeni 3. de ſympt. cauſis cap. 2. & 13. methodi cap. 3. Reuulſio facta per cauterium, per ſectam venam non eſt per attractionem, ſed per tranſmiſsionem: natura enim ad locum vacuum, vbi nulla eſt reſiſtentia, facilè tranſmittit excrementa: ſimiliter reuulſio facta per hirudines, balnea, & cucurbitulas eſt alterius generis: reuulſionis igitur cauſæ erunt vel facultates expellentes copia, vel qualitate grauatæ, vel attrahentes externæ, quomodo autem dolor, & calor attrahant lib. 10. declarauimus, vbi retulimus rationes ob quas humores redundantes, vel mala qualitate affecti confluunt in partem dolore, vel calore affectam, itaque colligere hactenus poſſumus, hanc reuulſionis definitionem: reuulſio eſt illorum humorum, qui poſſunt in contrarium auerti, à facultatibus expellentibus, ſiue attrahentibus.

Cur cauſæ efficientes immediatè ſæpè ignorantur.

Definitio reuulſionis quæ.

Quomodo ſanguis à ſecta vena egrediatur.

CAPVT V.

VERVM quia ſæpiſsimè ſanguis mittitur reuulſionis gratia, par eſt, vt in exemplum ponamus celebrem hanc quæſtionem: quomodo ſanguis à ſecta vena fluat: variè de hac re diſtrahuntur

Opinio Fernely & Petri Brisoti.

Auctores: Fernelius asserit sanguinem egredi à secta vena per vim fibrarum rectarum, quæ in venis sunt protensæ; dicit harum esse officium attrahendi sanguinem per partem post partem, donec ex vena secta exeat.

Fernelij sententiam secutus est Petrus Brisotus Parisiensis; dicit, hac de causa veram reuulsionem fieri solum secundum rectitudinem, quæ est sursum, & deorsum quia fibræ rectæ solum secundum hanc longitudinem sunt extensæ, negatque propterea, quod dici possit reuulsio, quæ humores auertit à parte dextra ad sinistram, ab anteriori ad posteriorem, & ab interna ad externam, quasi quod rectitudo, quã Galenus dicit, esse seruandam in reuulsione, solum possit esse in longitudine, & non in latitudine, vel profunditate.

Reiicitur Brisoti & Fernelij sententia tum per instantiam, tum per fiduciariam reprobationem, per instantiam, quia negamus, fibras rectas esse solum extensas per longitudinem sursum, & deorsum; plurimæ sunt venæ, quæ in dextram, & sinistram partem propagantur, & quæ fibris rectis similiter sunt contextæ, ergo falsum est, quod fibræ rectæ solum per longitudinem sursum, & deorsum extensæ sint. Porta vena spleni, qui est in sinistra parte, surculos porrigit, & Hepatis concauum circumuestit, quod est in dextra. Per fiduciariam reprobationem, quia quamuis fibræ rectæ essent solum in longitudinem extensæ, quid tum? mouebitur ne sanguis à secta vena velocissimo cursu ob vim rectarum fibrarum? nullo modo; quoniam motus à fibris dependens est naturalis, & tardissimus, est enim motus per partem post partem, quatenus imbibitæ, & repletæ exprimunt roris in modum tenues succos, quod tardissimè fit.

Opinio Argentery reÿcitur.

Argenterius in commentariis artis Medicinalis quæstione propria arbitratur, sanguinem à secta vena defluere propter expulsionẽ promotam à dolore sectionis venarum, & à vinculis: hæc sententia non videtur rationi consona, quoniam egreditur aliquando sanguis nullo percepto dolore, & nullis vinculis administratis, sæpè enim vidimus homines sauciatos, qui non ex dolore, sed ex sanguinis visione se sauciatos cognouerunt, ecce quod sanguis sine dolore, & sine vinculis egreditur, quare alia erit causa inquirenda.

Opinio Altimari reÿcitur.

Altimarus putat, sanguinem egredi ob vim vacui, dicit, pauca prius sanguinis portione egressa aliam necessariò subire, ne locus vacuus in natura relinquatur: quæ sententia sustineri non potest; quia in vena caua, vnde sanguis versus sectionem mouetur, idem sequeretur inconueniens, scilicet ibi quoque locum relinqui vacuum; quinimmò retorquere quis posset argumentum, quod scilicet sanguis, ne daretur vacuum in centro cauæ venæ, non posset egredi; in doliis occlusis, quamuis fiat foramen, nihil exit, nisi aër per aliud ingrediatur. Verum neque Altimarus, neque qui retorqueret argumentum appositè loqueretur; quia venæ minores, & maiores in sanguinis egressu subitò confidunt, & nullum sequitur vacuum; prorsus itaque falsa est Altimari inuentio.

Recen-

Recentiores dicunt, ſanguinem ſponte egredi, quatenus grauis: quæ opinio cæteris fermè deterior mihi videtur; quoniam ſequeretur, quod in homine ſtante ab eius ſecto, & vulnerato pericraneo nulla poſſet fieri ſanguinis euacuatio: ſanguis non exiſtit in venis eo modo, quo aqua in vaſe, in quibus nunquam effunditur per ſupernum orificium, quamuis ſit recluſum; recluſis venis pericranei in homine ſtante, ſanguis extemplò egreditur, ergo non vt grauis: eſt Galeni ſententia vbique locorum aperta, & prænitens, humores in viuentibus non fluere proprio impetu, quia omnis fluxio ad inferiora fieret, ſed à parte mittente propelli, vel à recipiente attrahi. *Opinio recentiorum reijcitur.*

Nos verò non abſolutè negamus, quod in ſanguinis egreſſu ratio grauitatis, vis vacui, & fibræ rectæ non efficiant aliquid: ſed negamus, quod hæ cauſæ ſint præcipuæ, & adæquatæ. Dicimus primò, quod aër, & ſpiritus vitalis toto corpore incluſus, & perpetuò à corde in omnes partes infuſus, inflet, & diſtendat cum violentia vaſa, quæ ſi ferro, vel alio modo aperiantur, ſanguis illicò foris cum impetu exprimatur. Secundò dicimus, quod ob continuum motum arteriarum, quæ re vera ſubiectæ ſunt vniuerſis venis, eædem venæ comprimantur, quibus compreſſis ſanguis promptè foris exprimatur; quantò magis igitur arteriæ imbutæ erunt vitali ſpiritu, tanto magis erunt venæ compreſſæ, & inde promptius exprimetur ſanguis ad vulneratam partem. *Opinio propria.*

Hæc opinio pluribus experimentis confirmari poteſt: primum eſt, dum ob lypopſichiam, vel ſincopem ſanguinis effuſio in ſecto cubito ceſſat; ceſſat, quia ſpiritus vitalis ita diſſipatur, vt amplius non inflet, vel diſtendat vaſa, & per conſequens non exprimat ſanguinem extra venas. Secundum experimentum habetur in doliis muſto refertis, quibus fumus & ſpiritus vitalis vini incluſus adeò abundat, ac feruet, vt per ſuperna orificia muſtum aliquando cogatur magno cum impetu exilire. Tertium experimentum hoc pacto poteſt obſeruari; recipiatur vas, quod vnicum, idque ſupernum habeat foramen, in quo ſit tubus, qui ad imum ferè deſcendat; deinde per eundem tubum vas ferè totum aqua impleatur, tandem aër folli maxima cum violentia per eundem tubum immittatur, immiſſus enim cum petat partem ſupernam, & amplius (cum ab aqua impediatur) non poſſit exire, comprimit adeò aquam, vt ſi adaperiatur orificium, tota, licèt grauis ſit, magno cum impetu diſſultet: ſic ſanguis refertus ſpiritu vitali comprimente, & diſtendente venas, à qualibet ſuperna parte viuentis corporis inciſa, vt compreſſus, & expulſus egredietur. *Primum experimentum idem confirmans. Secundum. Tertium.*

Ostenditur, quod euacuatio per distantissima non sit conditio reuulsionis propria, & per se, sed per accidens.

Capvt VI.

QVAMVIS sæpissimè dicat Galenus reuulsionem esse faciendam per distantissima, videndum est, an hæc conditio conueniat per se, vel per accidens: præcipuum enim philosophandi munus est decidere, an attributa per se, vel per accidens rebus conueniant: si reuulsioni conueniet per se, vt per distantissima fiat, erit quoque semper, & in omni casu sic reuellendum; si verò per accidens, vt nos credimus, non erit necessarium, vt semper auertantur humores per distantissima, si enim ostenderimus auctoritate, vel ratione potissima, quod semel fieri possit reuulsio per proxima, conditio per distantissima non erit de natura reuulsionis.

Primum fundamentum, quod distantissima non sit conditio per se reuulsionis.

Pro huius rei decisione confugimus ad Galenum 2. de ratione vict. com. 10. vbi habet hæc verba si in pleuritide extendatur dolor ad iugulum, vena in cubito secanda est, quæ sanguinem ab affecta parte, & magis velocius reuellere, & euacuare possit: nulla alia de causa Galenus vult reuellere per cubitum affectæ partis; nisi, vt velocius reuellat, ergo de ratione reuulsionis erit, vt citò, & non tardè fiat; ergo per proxima, & non per distantissima erit reuellendum: qua verò de causa per distantissima vt plurimum reuulsio fiat, inferius declarabitur.

Secundū fundamentum.

Insuper 5. methodi capite 14. docet, commissuræ coronali ceratum ex thapsia esse applicandum, vt fiat reuulsio ab intima cerebri parte ad pericraneum, ne pituita salsa in pectus descendat: hæc reuulsio est per propinquissima, hæcque non potest vllo modo dici deriuatio; quoniam natura mouens in pectus catarrhum sua natura grauem dici non potest, quod sit prona ad mouendos humores ad pericraneum: Neque cum alijs dicere possumus, quod hæc reuulsio sit per distantissima ratione pectoris, quatenus scilicet curamus, vt pectus præseruetur; quia hæc est mera fuga; quoniam catarrhus, qui ad pericraneum reuellitur, nō à pectore originem trahit, sed ab internis cerebri partibus, estq. vera reuulsio; quia pituita salsa dilabens deorsum in pectus trahitur sinapismi virtute sursum, scilicet in locum contrarium, ergo per proxima reuellitur.

Tertiū fundamentum.

Similiter digitus, à quo oritur aura frigida, quæ ex Galeno 3. de locis aff. 7. epilepsiam facit, exuritur, & sinapismis tractatur, vt aura petens partes supernas regeratur in contrarium, scilicet ad infernas, vel foris expellatur; sicuti enim deriuatio trahit humores, quà sunt proni, atque propensi, sic reuulsio per contrariam semitam, quò non sunt inclinati, auertit.

Quartū fundamentum.

Amplius legamus Galenum & Hippocratem, & non mutentur (vt nonnulli faciunt) verba, 2. in 6. epid. tex. & com. 31. quia clarissimè apparebit,

parebit, quod dentur reuulſiones per proxima: hæc ſunt Hippoc. verba, in oculorum fluxu in fauces reuellere oportet: Galenus vero in com. habet hæc; hoc vnum eſt remediorum reuellentium genus, vt diuturnas oculorum fluxiones ad fauces reuellamus acribus medicamentis; patet ergo quod apud Galenum, & Hippocratem aliquando reuulſio non fiat per diſtantiſſima: quare, ſi ſemper non fiet, nec per ſe, nec de omni conueniet reuulſioni vt per diſtantiſſima fiat.

Ad hæc, ſi materia ſit in ventriculo, eaque obrepat orificium, & morbum inſignem minetur, an-ne ſtatim auerti poteſt in contrarium medicamento deorſum trahente? ergo reuulſio aliquando fiet per proxima: omnes conueniunt, deriuationem per ſe inſequi humorum inclinationem, & reuulſionum renitentiam. Similiter clyſteres acres auertunt in contrarium humores habentes raptum ad ſupernas partes, quæ auerſio eſt per proxima, & dicitur reuulſio. Itidem, ſi à capite retrahere velimus humores, eoſque per cauterium euacuare, cauterium fiet in brachio: ſi per diſtantiſſima auertere eſſet proprietas inſequens naturam reuulſionis, fieret in pedibus. Hinc Galenus 5. method. 6. & pleriſque alijs locis docet, in fluxu ſanguinis è naribus eſſe ſecandam venam cubiti directè reſpondentem, vel eſſe affigendam magnam cucurbitulam præcordiis: ſi per diſtantiſſima fieret reuulſio, propoſuiſſet ſectionem venæ tali. Neque reſpondeant, id fieri ob antiquam corporis diuiſionem inter iecur & renes, vt ſcilicet intelligatur per diſtātiſſima in vnica parte, ſicuti iis verbis admonet Galen. 6. epid. parte prima com. 6. membra ſupra iecur venæ cubiti ſectione indigere, infra verò crurum, in poplitibus venam ſecamus, vel venam iuxta maleolos; quoniam retorquere poſſumus argumentum, quod ſcilicet hæc corporis diuiſio ob nullam aliam cauſam fuerit à Priſcis propoſita, niſi vt euacuationes, & reuulſiones per magis proxima, & non per diſtantiſſima fierent; etenim, ſi reuulſio per diſtantiſſima melior eſſet, diuiſio corporis eſſet vaniſſima: & tanto magis, quanto inter partes quoque diſtantiſſimas, & remotiſſimas maximus ſeruatur conſenſus per venam cauam, & per alia quoque vaſa, quæ ſupernis, & infernis partibus maximè reſpondent.

Quintum. *Sextum.* *Septimum.* *Obiectio.* *Sol.*

Cauſa verò, cur ſæpiſſimè reuulſiones fieri debeant per diſtantiſſima, eſt prohibens, & non illud quod indicat reuellens: prohibens eſt redundantia excrementorum, qui ad locum affectum facilè confluerent; quinimmò, dum eſt læſa aliqua corporis pars, quæ aliorum recrementa facilè ſuſcipere poteſt, tunc reuulſio adeò per diſtantiſſima fieri debet, vt antiqua illa corporis diuiſio nullomodo ab ipſo Galeno obſeruari poſſit; exempla ſunt plura, 2. ad Glauconem 2. habet, ſi morbus eſt in genu ſanguinem ex brachio mitte: dicitque in eodem cap te retrahes à locis muliebribus, ſi eas, quæ in cubito ſunt ſecueris venas, aut iuxta mammas cucurbitulas appoſueris: ecce, quod genu, & vterus ſunt ſub renibus, & reuulſio fit in parte ſuperiori, in cubito ſcilicet.

Cur ſæpè reuulſiones per diſtantiſſima fiant. *Exempla in Galeno oſtendentia non ſeruari antiquam corporis diuiſionẽ.*

Ratio, cur reuulſiones vt plurimum fieri debeant in eadem corpo-

ris partitione, & per proxima, nisi aliquid prohibeat, est, quia omnis curatio, & medicatio debet velocissimè fieri, vt ægroti quam citissimè ad sanitatem transferantur: quælibet medicorum secta amplectitur Asclepiadis consilium, quod scilicet citò, tutò, & iocundè sit medicandum, hi enim tres fines sunt de ratione omnium medicarum operationum, quare per se quoque conuenient reuulsioni; ergo erit semper quanto citius reuellendum, ergo nisi quid prohibeat, per proxima, & non per distantissima.

Octauū fundamentum. Similiter causa, cur in reuellendis humoribus seruari debet rectitudo, est, vt per proxima fiat, recta enim linea est omnium breuissima: nobis quoque fauet Galenus libro de ratione curandi per sanguinis missionem cap. 15. vbi dicit, seruandam esse rectitudinem, vt citissimè curentur ægroti: hæc sunt verba, si venas secaueris gratia reuulsionis indirectè oppositis partibus, citissimè vtilitatem afferes, & si contra seces, nihil profeceris; dicit citissimè ob proximum, & breuem viam; quia via recta est aliis breuior: idem dicit 2. de rat. vict. 10. velocem scilicet debere esse reuulsionem: colligere ergo possumus, quod de ratione illius quod indicat reuulsionem, sit vt per proxima, & non per distantissima fiat. Quantum verò ad illud quod Galenus 2. ad Glau. cap. 2. iubet, dum fluunt humores ad genu esse secandum cubitum; dicimus quod ibi proponit iuuenem cum maxima sanguinis redundantia, quæ est illa quæ impedit, ne per proxima fiat reuulsio: si fiet igitur reuulsio per distantissima, non fiet ratione sui, sed ratione prohibentis.

Hinc causa, cur sæpissimè fiant reuulsiones per distantissima, est, quia ægrorum corpora vt plurimum sunt humorum redundantia oppressa; ideo ratione huius prohibentis sæpissimè timendum est, ne auxilia reuulsoria adiuncta partibus, quæ parum distant à locis affectis, allicere possint humores magno cum detrimento vicinæ partis, quæ actu mala valetudine premitur. Eadem de causa topica præsidia vt plurimum in principiis ægritudinum non administrantur; quia tunc corpora ferè semper sunt humorum multitudine referta; non tollitur tamen, quominus inueniri possint corpora ægrorum sine excrementorum plenitudine, quibus topica in morbi quoque principio possint applicari. Galenus declarans casum Larissæ Calui nos docet, quando in ægris adsit humorum redundantia, & quando vti possimus localibus non purgato corpore; hæc sunt verba, si ex antecedenti victus ratione nulla plenitudo in corpore appareat, statim nos vti posse remediis localibus: admoniti ergo Galeni præceptis dicemus, si non aderit corporis plenitudo, quod ex antecedenti victus ratione cognoscetur, nos non solum posse topica adiungere in principiis morborum, verum etiam per proxima reuellere, quia tunc non aderit prohibens, id est plenitudo humorum, qui excurrere possint ad locos affectos.

Reuulsio quando per proxima & quando per distantissima sit facienda.

Diluuntur

Diluuntur aduerſariorum fundamenta, & apertius manifeſtatur, quod de ratione reuulſionis non ſit, vt per diſtantiſſima fiat.

CAPVT VII.

RESTAT, vt aliorum opiniones melius expendamus, & fundamenta aduerſariorum euertamus. Curtius libro de mittendo ſanguine in pleuritide, Akachias de arte Medicinali, Leonardus Fuſcius, Petrus Briſotus, & Manardus dicunt, reuulſionem modò fieri per proxima, & modò per diſtantiſſima: dicuntque humores eſſe in contrarium auertandos per diſtantiſſima, vel gratia præſeruationis, vel quando affectus eſt leuis, & ſine periculo, vel quando humores non petunt partes principes, vel in morbis longis: per proxima vbi morbus eſt periculoſus, vel quando humores petunt partes principes, vt in morbis acutis. Quorum ſententia veris philoſophiæ fundamentis reluctatur; quia, ſi intelligant, quod de ratione reuulſionis ſit, quod modo ad proxima, modo ad diſtantiſſima ſint trahendi humores, faciunt naturam variabilem, & inconſtantem, quod eſt apprimè inconueniens; quia ratione vnius naturæ, & vnius ideæ vnicus debet eſſe procedendi modus, & non plures: de qualibet re ſimpliciſſima debet fieri propoſitio vniuerſalis, vniformis, atque æternæ veritatis: non decet rerum naturis, quæ ſunt ineuitabiles, & ſumma neceſſitate conſtitutæ, permiſcere attributa contingentia, quæ aliter eſſe poſſunt; quare, ſi ſtatis, & firmiſſimis principiis loqui velimus, cogimur dicere, quod vel ſit de natura reuulſionis, vt ſemper per diſtantiſſima fiat, vel ſemper per proxima.

Opinio aliorum cur modo per diſtantiſſima modo per proxima fiat reuulſio.

Superior opinio reyicitur.

Qui rectè ſcient interpretari Galenum, vbi dicit, reuulſionem eſſe faciendam per diſtantiſſima, facilè omnes nodos enodabunt, idque facient duplici diſtinctione, prima, quod reuulſio vel conſideretur ratione ſuæ propriæ naturæ, & ſic dicere poterunt, quod ſemper ſit facienda per proxima; ſic enim citò fiet, & citò Medicus de medio tollet peccãtes ſuccos: vel conſiderabitur reuulſio cũ prohibentis comparatione: ſi enim redundãt humores, reuulſio nõ eſt faciẽda per proxima, quia imminet periculũ, ne ad locũ proximum loco affecto confluant humores; in hoc caſu dicimus, quod longiſſimè à parte affecta eſt reuellendum, quia magis poteſt prohibens, quàm indicans. Secunda diſtinctio eſt, dum dicit Galenus, eſſe reuellendum per diſtantiſſima, dicimus, quod diſtantia duplicem habere poſſit cõſiderationem, ſcilicet, vel vt eam à parte læſa dimetiamur, vel ab humoribus redundantibus in læſamque partem irruentibus; dicimus, quod reſpectu læſæ partis, ſi aderit plenitudo, reuulſio ſemper per diſtantiſſima fieri debeat, & ſi non aderit, per proxima: ſi verò conſideretur diſtantia non reſpectu læſæ partis, ſed reſpectu plenitudinis, ſemper reuulſio

Prima diſtinctio vt reuulſio ſiat per diſtantiſſima.

Secunda diſtinctio.

fiet per proxima. Exemplum, inflammatio eſt in crure; humores irruentes in crus ſunt in vena caua; auxilium reuulſorium eſt phlebotomia cubiti; ecce quod cubitum à læſa parte valdè diſtat, reſpectu verò humorum in vena caua reſidentium eſt proximum, alia quoque plura ſunt exempla, quæ ſuperius citata ſunt: itaque meritò harum diſtinctionum omnia dubia facilè dilui poterunt.

Argumenta aduerſariorũ ſumpta à Galeno.

Qui aliter ſentiunt perperam interpretantur Galeni methodum, primò colligunt ex Galeno 13. methodi cap. 11. vbi dicit, in inflammationibus eſſe reuellendos humores longiſſimè à partibus, quę inflammantur, dicítque in brachio inflammato eſſe ſecandam venam cruris eiuſdem lateris: idémque dicit 2. ad Glauc. cap. 2. ſimiliter 5. methodi cap. 3. habet, quod dum ſanguis ad membra conuertitur proxima & vicina, ſit deriuatio, dum ad contraria, & longinqua, reuulſio: idem dicit pleriſque in locis. Facilè illis reſpondemus, quod Galenus proponat reuulſionem eſſe faciendam per diſtantiſſima; non ratione indicantis, ſed ratione prohibentis: nec obſtat, quamuis, vt plurimum per longinqua fiat reuulſio; quia non tollitur, amoto prohibente. ſc. plenitudine, vel magno humorũ affluxu, quin poſsit quoq. fieri per proxima: prætereа reſpondetur, quod in curãda inflãmatione & qualibet humorum profluuie duo vniuerſales, & pręcipui ſe offerant Scopi explendi: alter, vt citò curetur: alter, vt tutò: dicimus, quod hic poſtremus magis poteſt, & ideò ſæpè impedit, ne reuulſio per proxima fiat: quãdo verò Medicus certiſſimè ſciret, in corpore nõ eſſe plenitudinẽ, tũc nihil prohiberet, quin per proxima reuelleret. Duæ obſeruari poterunt occaſiones, quando per proxima humores erunt reuellendi: altera, quando nulla erit plenitudo prohibens, veluti accidit, dum humores mordaces in inteſtinis exiſtentes, habentéſque propenſionem in caput clyſtere acri in contrarium auertuntur, altera, quando aderit prohibens, ſed minus poterit, quàm indicans; præceptum enim eſt omnibus notum in arte Medica ſemper potentiori eſſe attendendum: hinc Galenus rubificantia ex thapſia applicat commiſſuræ coronali, vt auertat catarrhum ſalſum, ne labatur in pectus; quia magis indicat catarrhus, vt regeratur, ne fluat ad pulmones. quam ſalſedo prohibeant thapſiam, ne ab illa calefiat, & intendatur: ſimiliter ex Galeno diximus in cap. ſuperiori, quod oculorum fluxiones in fauces reuelli poſſint, quia magis poteſt indicans, quam prohibens: itidem, ſi aura venefica à digito pedis exoriens petat caput, & comitialem efficiat, magis poteſt hoc indicans, quod eſt vt exuratur digitus, & immediatè per proxima retrahatur aura venefica, quam poſſit hoc prohibens, id eſt. timor ne ad digitum læſum confluant excrementa ex aliis corporis partibus tranſmiſſa: alia quoque plura poſſent afferri exempla, quæ oſtenderent, quod per proxima liceat reuellere, quamuis adſit aliquod prohibens, quod tamen tale ſit; vt minus poſſit in prohibendo, quam indicans in indicando; ſed declarata ſufficiant.

Reſponſio.

Declaratur quando per proxima fiat reuulſio.

Præterea

Præterea reuulſio ſæpè fit per longinqua, non ſolum ob prohibens, verum etiam, quia non ſunt vaſa propinqua, per quæ reuelli poſſint humores: ſi de reuulſione per venas loquamur, non inueniuntur in omni parte corporis venæ, quæ poſſint ſecari, ſicuti dum ſecamus in brachij inflammatione venam cruris, ſi eſſent venæ prominentes in dorſo, in regione hepatis brachio proximiores, quæ recto tramite reſpicerent locum læſum, vel eſſent immediatæ propagines cauæ venæ, tunc illas, & non venam cruris ſępè ſecaremus; ſi igitur eſſent venæ ſecabiles proximiores, nullumque adeſſet prohibens, vel adeſſet, ſed minus poſſet, quam indicans, ſemper reuulſio per proxima fieret: ſi verò obſtaret prohibens, tunc ſatius eſſet diſtantiæ maleficio, certo, & maiori beneficio penſari, quam cum detrimento per proxima citò euacuare. *Alia cauſa cur per longinqua fiat reuulſio.*

Inſuper confirmant quoque ſententiam ex Arte Medicinali, vbi Galenus dicit, communem indicationem eſſe ad quammaximè diſtantia loca reuellere; & 2. de natura humana, vbi refert, ſectiones eſſe faciendas longiſsimè ab iis locis, qui dolore premuntur; Reſpondetur primo, quod Galenus in arte med. conſiderabat communem indicationem, & non ſpecificam, ibi non diſtinguebat indicantis naturam à prohibente, quia ibi non erat locus illud diſtinguendi; ſed in methodo medendi; dicebat igitur Galenus eſſe communem indicationem, id eſt, præceptum commune, quod ad loca quammaximè diſtantia ſit reuellendum, reſpiciens ſemper ad prohibens, & ad impedimenta. Secundò dixit, eſſe faciendas ſectiones longiſſimè ab iis locis, qui dolore premuntur, quia dolores attrahunt humores ad locum læſum. Præterea, ne inde maius naſcatur detrimentum, longiſsimè iubet eſſe ſectiones faciendas: reſpicit loco citato Galenus ad prohibens, & nequaquam ad indicans, quia tunc magis poteſt prohibens in prohibendo, quam indicans in indicando. Quod verò reuulſio fiat per diſtantiſsima ob prohibentia, & non indicantia, ipſi quoque aduerſarij coguntur fateri: quia ſi ab illis quæreres, cur reuulſio non fit per proxima, numquid vna voce reſponderent, ne humores ad locum læſum trahantur, quare non indicans reuellens indicabit per diſtantiſsima eſſe auertendum, ſed prohibens, ergo per aliud, ſed quod per aliud fit, per accidens fit, ergo auerſio per diſtantiſſima conueniet reuulſioni per accidens, & non per ſe, quod erat probandum. *Obiect.* *Sol.* *Reuulſionem fieri per proxima ex ore aduerſariorũ colligi.*

Præterea mouentur auctoritate Galeni 13. methodi cap. 11. vbi docens rationem curandi inflammationem habet hæc verba: ſed ad partes quæ maximè longinquæ ſunt ſemper facies reuulſionem, æſtimata ſcilicet phlegmonis magnitudine, & corporis totius ſtatu. Reſpondetur, quod locus iſte oſtendit reuulſionem fieri debere per diſtantiſſima ob prohibentia, quia Galenus dicit in inflammationibus fieri reuulſionem per diſtantiſſima ob magnitudinem inflammationis, & ob ſtatum totius corporis: ſtatus enim corporis ferè ſemper talis eſt, vt quamplurimis abundet excrementis, quæ niſi auertantur *Obiect.* *Sol.*

longissimè à læsis partib. maiorē faciunt inflammationē: similiter pars corporis magna inflammatione obsessa redditur excremētorum corporis capax, & propterea reuulsio non fit per proxima, quia ad partes vicinas confluerent excrementa: conuenit tamen, vt per proxima faciamus reuulsionem, quando maius succedit beneficium, quam maleficium, vt diximus ex Galeno de catarrho salso in pectus dilabente, & de frigida aura faciente comitialem, etenim longè maius consequimur beneficium, dum digitus, vel caput impletur excrementis. Medici igitur est spernere quod minus potest, & attendere potentiori: magis potest aura frigida, seu catarrhus salsus officere, quam humores confluentes attractos à rubificantibus, seu cauteriis administratis in commissura coronali, vel in pedis digito.

Reuulsio vt per proxima & vt per remota fiat. *Vt per remotissima.*

His præcognitis facilè patebit, cur reuulsio aliquando fiat per propinqua, aliquando per remota, & aliquando per remotissima: per propinqua, dum indicans est vigens, & maximè potest, & prohibens nullius est considerationis, vt dum applicatur commissurę coronali ceratum ex thapsia, vt auertat catarrhum, ne in pectus labatur: per remota, dum prohibens magis potest, sic Galenus 13. methodi cap. 11. in Iecoris inflammatione dextrum cubitum secat, & non venam tali: per remotissima, dum prohibens quammaximè potest, vbi enim est quammaxima plenitudo in inflammatione pleuræ, Auicennas libro 3.. fen. 10. vbi agit de pleuritide secat prius saphenam, & deinde cubitum, quia prohibens vehementissimum cogit Medicum, qui tutò debet procedere, vt per loca distantissima reuellat.

Laurentij Iouberti erratum.

Hinc quoque meritò reiici potest sententia Laurentij Iouberti prima deca. paradoxorum cap. 10. dicentis, in inflammatione manus, esse secandum idem cubitum, vt semper per proxima sit reuulsio facienda: errare videtur, quia maius ex hac proxima sectione nascitur maleficium, quam beneficium: ratio est, quia maior copia humorum à vena iugulari ad cubitum proflueret, quam à carpo ad cubitum; quare quando prohibens magis potest, quam indicans, ei prius est attendendum.

Obiect. à Galeno desumpta. *Sol.*

Postremò proponunt auctoritatem 2. in 6. de morb. vulgaribus 9. vbi Galenus dicit, quod reuellens locale sit retrahens ad locum proximum, commune ad remotos. Respondetur, quod hæc Galeni auctoritas potius fauet sententiæ nostræ; ea enim de causa in locali reuulsione humores possunt in contrarium retrahi per proxima, quia in locali reuulsione, cum fiat corpore prius purgato, non adest prohibens, quod magis possit, quam indicans: quod localia non adiungātur, nisi purgato corpore, passim Galenus docet: patet ergo, quod retractio per distantissima nō prædicetur de reuulsione per se, neq. de omni, sed fiat per partes longinquas, ne scil. excremētorum plenitudo inferat aliquod damnum partibus quæ proximę sunt loco affecto.

Confirmatur quod per distantissima auertere non conueniat per se reuulsioni.

Præterea, si retractio humorum ad distantissima conueniret per se reuulsioni, conueniret ei de omni, id est non solum reuulsioni communi, verum etiam locali, quia reuulsio æque prædicatur de communi, &

ni, & locali : ambæ enim in contrarium auertunt humores; ſi verò dicerent reuulſionem eſſe ab vno, ſcilicet eam per prius dici de communi, & per poſterius de locali; falſum dicerent, quia localis eò dicitur localis, quia per proxima fit: quomodo igitur hæc conditio per diſtantiſſima per poſterius locali conueniet? Quod hic diſcurrendi modus efficaciſsimus ſit, patet ex Ariſtotele 2. poſt. circa finem vbi docet quod in quolibet proportionali genere ſit primum ſubiectum quærendum, exemplum ibi tradit de habente os, ſpinam, & ſæpeum: dicitque philoſophus, quod proprietas iſtius ſubiecti proportionalis ſit ſuſtentari, quia conuenit ſpinæ, oſsibus, & ſæpio; quare, ſi de ratione reuulſionis eſſet per diſtantiſsima auertere, ſicuti ſuſtẽtari oſſi, ſpinæ, & ſæpio conuenit, ſimiliter retractio per diſtantiſsima omni reuulſioni conueniret; cum igitur auerſio per diſtantiſſima nõ conueniat locali; ſequitur, quod neque reuulſioni vt reuulſio per ſe conueniat; non erit igitur reuulſio genus ab vno: ſed, ſi dicerent hanc auerſionem per longinqua non conuenire reuulſioni in communi tantum, ſed eſſe attributum ſpecificum, & non genericum; hoc quoque defendi non poteſt, quia Galenus in fluxu è naribus vult, cubitum, & non talum eſſe ſecandum, nulla pars, per quam communi reuulſione poſſint auerti humores è naribus, proximior eſt cubitò; cæteræ enim partes proximiores, ſi ſecarentur gratia auertendi ſanguinem in cõtrarium, id fieret per reuulſionem localem, & non communem : demum, dum dicunt, quod per proxima reuellere conueniat locali, non communi, petunt principium, ac ſi dicerent, quod reuulſio localis fiat per proxima, quia fit per proxima; colligere ergo poſſumus, quod de ratione reuulſionis non ſit, vt fiat per diſtantiſſima; ſimiliter quod non conueniat reuulſioni quatenus reuulſio, vt modo fiat per proxima, & modo per remota, quia attributa propria ſunt vniformia, & demum, quod falſa ſit Laurentij Iouberti ſententia, dum dicit eſſe faciendam reuulſionem ſemper per proxima, nullo facto prius prohibentium, & indicantium examine.

Exemplo Iſchiadis declaratur, quando auxilia reuulſoria debeant applicari remotioribus, & quando proximioribus partibus.

Cap. VIII.

Tribvs diuerſis modis obſeruatur, Iſchiadem affectionem auxiliis reuellentibus curari poſſe; primò, dum per diſtantiſſima fit reuulſio; ſæpè enim cauterium in cubito eiuſdem lateris reuellendo humores fluentes deorſum tollit ſciaticam: hoc reuulſionis genus à Galeno proponitur 2. ad Glauc. cap. 2. & 13. methodi cap. 6. vbi dicit, vno crure inflammato ſanguinem mitte ex cubito eiuſdem lateris; in qua reuulſione ſeruantur omnes conditiones reuulſionis, rectitu- *Vt ſciatica tollitur ſecto cubito.*

do scilicet, distantia, retractio humorum, versus originem & vasa communia.

An tolli possit sciatica secto alio crure. Secundò curatur aliquando, vt experientia docet, auxilio cauterij in alio crure appositi, quod hæc reuulsio à partibus dextris ad sinistras, & vice versa à Galen. concedatur, clarissimè patet ex iis, quæ leguntur 5. metho. cap. 3. vbi habet, quod reuulsio possit fieri secundum omnes oppositiones: hæc sunt verba, reuulsio vero in iis quæ supra
» sunt, omnibus, deorsum semper agitur; sursum in iis, quæ sunt infra.
» Præterea à dextris ad sinistra, sicut ab iis rursus ad illa; similiter ex iis
» quæ intus habentur ad ea quæ foris sunt, contraque ab iis ad illa: ex his verbis non solum colligimus, posse reuelli humores à partibus supernis ad infernas, sed à dextris ad sinistras, & ab internis ad externas.

Cur sciatica tolli possit phœnigmate. Tertio patet, quod sciatica aliquando curari possit retrahendo humores internos iuncturæ infixos ad externam cutim vesicantibus, dum enim fit retractio humorum cum violentia ab interno ad externum locum, quamuis per proxima fiat, debet vocari ex Galeno reuulsio; character reuulsionis est, vt in contrarium regerantur humores, & nihil refert an per proxima, vel remota fiat: neque deriuationis est, vt per proxima perpetuò fiat, sed quod motum, seu inclinationem humorum insequatur: exempla, quod per longinqua aliquãdo fiat deriuatio, non vno loco traduntur à Galeno, & præcipuè 2. in 6. de morb. vulg. text. 7. vbi dicit, quod renibus vitiatis optimum sit per aluum deriuare, ecce quod in Galeno datur quoque deriuatio per longinqua. *Deriuatio datur per longinqua.*

Qui amethodum sectam colunt, quomodo poterunt intelligere, quando sciatica tolli debeat reuellendo ad brachium, quando ad aliud crus, & quando ad cutim externam, nisi Galeni auctoritates ad methodum redigantur? Dicimus ergo, quod si supra renes sit maxima humorum copia, quæ possit ad locum læsum summo cum detrimento procumbere, ratione huius prohibentis sit per loca distantissima à parte affecta reuellendum. Neque conueniret in magna humorum abundantia ad aliud crus retrahere, quia tanto cum impetu ad crura procumberet, vt maius oriretur detrimentum, quam emolumentum. *Quando sciatica tolli debeat secto cubito.*

Dub. Occurrit dubitatio, quia superius diximus, quod de ratione reuulsionis sit, vt per proxima fiat, & non per distantissima, quod reluctatur Galeno: præterea recepimus, & laudauimus illos tres fines ab Asclepiade inuentos, & à qualibet Medicorum secta receptos, quod citò, tutò, & iocundè mederi sint attributa essentialia cuiuslibet Medicæ operationis, quocunque modo enim mèdeamur, scilicet reuellendo, vel deriuando, vel concoquendo, quo citius ad sanitatem ægrum transferemus, eo magis laudabimur, ergo per proxima, & non per remota. Respondemus primò, quod semper per proxima fieret reuulsio, nisi aliqua plenitudo prohiberet. Secundò quod dum reuulsio fit per longinqua, distantia non consideretur respectu plenitudinis, *Sol. Vt reuulsio semper per proxima fiat.*

nitudinis, ſed reſpectu læſæ partis: exempli cauſa, reuulſio per cubitum facta, licet ſit reſpectu coxendicis per diſtantiſſima, attamen reſpectu plenitudinis eſt per proxima; reuellimus enim humores exiſtentes in partibus ſupernis, ne deſcendant deorſum, idque facimus per brachium, quod eſt adeo proximum & vicinum maioribus vaſis, in quibus reſidet plenitudo, vt alter non detur locus aptus ſectioni, qui proximior ſit. Si verò viſcera eſſent excrementorum ſarcina liberata, eo quia transmiſerint excrementa ad vaſa, quæ ſunt infra renes, ſcilicet in venæ cauæ partitionem, tunc melius eſſet per aliud crus reuellere, quam per cubitum; citius enim curaretur; quia tunc humores per proximiores partes retraherentur. Si demum fluxi iam ſint humores ad coxendicem, & non amplius fluant, commodè reuelli poſſent ad cutim veſicantium auxilio: oſtendimus ſuperius, à Galeno 5. methodi capite 3. reuulſionem quoque vocari dum humores, qui intus habentur, foras trahuntur, differentiamque inter deriuationem, & reuulſionem eſſe, quia deriuatio inſequitur eandem propenſionem motus humorum, reuulſio vero contrarium: idem humor exiſtens in interna parte coxendicis ſtabilis & infixus, ſi ad cutim externam cum violentia auertatur, dicitur reuulſio, ſi verò propenſus ſit, & facilè, & ſine violentia tranſponatur, dicetur deriuatio.

Quādo ſciatica tolli debeat ſectio alio crure.

Quando veſicantibus.

Poſtremò datur etiam locus curandi ſciaticam per cauterium paratum in eodem pede ſub genu, vel ſupra in eodem affectæ partis latere, quod perbellè ſuccedet, quando viſcera ſuperiora erunt ſanitate donata, & tota mala valetudo conſiſtat in iunctura coxendicis, quod ſolet contingere, dum ſciatica fit ob caſum ab alto, vel ob externum frigus vel ob nimiam equitationem, & alias cauſas huius generis. Qui verò Iſchiadem ab iis cauſis externis prodeuntem curare voluerint, corpus excrementis exutum Medicinis purgantibus potius lædent iuncturas, & ægros à malo hoc infortunio non vindicabunt; cauſa eſt, quia præcipua occaſio, quod humores inſident partem affectam, non eſt plenitudo, ſed ſolum dolor ab aliqua externa cauſa excitatus; itaque vnicum & ſingulare in iis eſt remedium, vt à parte affecta auertamus ſtabiles, & infixos humores veſicantibus coxendici applicitis, vel cauterio adminiſtrato ſupra, vel infra genu eiuſdem partis læſæ: audias caſum ſimilem, quem ſemel vidimus: fuit ſtrenuus quidam miles in finitimis Vngariæ locis, qui ob externum frigus, & nimiam equitationem incidit in ſciaticam ſiniſtri lateris, quamuis Eucrati eſſet temperamenti: hic fuit à Medicis non ſemel pharmacis, decoctis, cauteriis in cubito ſcilicet, & ſub genu dextri lateris reuulſionis gratia tractatus ſine vllo leuamine; tandem adminiſtrato cauterio ſupra genu in eodem latere, poſt duos menſes ad perfectam ſanitatem illum tranſtulimus.

Quādo ſciatica cauterio læſæ partis tollitur.

Vt quidam liberetur ſciatica cauterio eiuſdem lateris.

Hæc tam mirabilis medicandi varietas ex ea cognitione pendet, vt cognoſcamus, quando læſio partis mittentis magis poſſit, quàm partis recipientis: in quolibet morbo, qui fit ex humoribus aliundè miſſis, duo ſemper ſunt affectus conſiderandi; alter, qui eſt in parte

Vnde pendet varietas medicandi ſciaticam.

mittente, alter in recipiente, & semper potentiori est attendendum. Exempli causa, si cruris inflammatio esset facta à copia sanguinis existentis supra renes, tunc magis posset pars mittens, quàm pars recipiens ad indicandum, rudis & mente captus esset medicus, qui in simili casu non secaret cubitum: similiter, qui per saphenam alterius cruris copiam humorum in supernis partibus prædominantium reuelleret, malè ageret. Si verò pars mittens esset infra renes in partitione venæ cauæ vel circa illas partes, satius esset supernis visceribus prius benè euacuatis in aliud crus auertere; quia citius, & expeditius auerteret: hæcque erit reuulsio, quæ à dextra ad sinistram partem seruatur: si demum partes mittentes, quæ sunt supra, vel infra renes nihil mitterent, quod ex signis læsionum viscerum cognosceretur, tunc tota cura esset in partem recipientem flectenda, quod fieret auxiliis reuellentibus, vel deriuātibus: reuellentia sunt, quæ stabilem & infixum humorem in altioribus partibus iuncturæ existentem ad externa cum violentia retrahunt, & hæc sunt vesicantia, vel sinapismi, quippe ex thapsia, & ex aliis similibus conficiuntur: deriuantia quæ retrahunt humorem inclinationem, & propensionem habentem, vel ad cutim, vel ad cauterium suprà genu in eodem latere administratum.

Quid per rectitudinem seruandam in reuulsione intelligi debeat.

Capvt IX.

Nvlla sanè opinio magis à physiologia Medica aliena visa est mihi, quam illa, quæ fuit Petri Brisoti in libro apologetico de pleuritide, Curtij, Ioannis Fernelij 2. methodi cap. 5. dicentium, quod per rectitudinem in reuulsione seruandam sit tantum intelligenda longitudo respectu partium, quæ sursum, & deorsum sunt, negaruntque à dextris ad sinistras, ab anterioribus ad posteriores, & ab internis ad externas partes fieri reuulsionem.

Opinio Brisoti & Fernelij

De causa tamen cur hoc fieri nequit, inter se valdè dissentiunt: Brisotus, & Fernelius dicunt, reuulsionem fieri tantum secundum longitudinem sursum, quia retrahuntur humores solum virtute rectarum fibrarum, quæ in longum, & non in dextrum, & sinistrum, vel secundum alias oppositiones exporriguntur. Altimarus hoc commentum de fibris rectis respuit, dicitque, quod dum reuellitur, & euacuatur sanguis per sectum cubitum egreditur virtute vacui. Alij dixerunt humores vt graues sponte deorsum deffluere: quas causas superius reiecimus; clarissiméque ostendimus, quod fibræ rectæ non sint, quæ à venis sectis sanguinem expellunt.

Opinio Altimari.

Opinio nonnullorum.

Reyciuntur Fernel. Briso.

Præterea, quod per hoc verbum κατ' ἴξιν, id est secundum rectitudinem non posit solum intelligi longitudo partium, patet, quia à centro

centro ſphæræ artificialis omnes lineæ ductæ ad cicumferentiam vocantur rectæ. tam ſcilicet quæ ſurſum & deorſum, quam quæ in dextrum, & ſiniſtrum latus ſunt extenſæ, ergo non omne rectum eſt longum: ſimiliter Ariſtotel. libris de cœlo tenet, quod in mundo ſint omnes differentiæ poſitionis, ſurſum & deorſum, ante retro, dextrum & ſiniſtrum, & lineas omnes à centro ad circumferentiam conſideratas vocat rectas, quare non ſolum longum, verum etiam latum, & profundum poterit vocari rectum. Inſuper, quod per rectitutudinem intelligatur longitudo, quæ ſurſum, & deorſum eſt, pueri quoque rejicient, quia ſi viderint lineam in plano in rectum protenſam, illico eam longam, & rectam vocabunt. *tur, & aliȷ. Primũ fundamentum.*

Inſuper Galenus 3. de fracturis 10. interpretans ὀρθ..., id eſt rectitudinem, dicit, per rectitudinem eſſe intelligendum è regione: an-ne dextrum brachium reſpectu ſiniſtri eſt è regione? & auris recta è regione alteram reſpicit; quare in Galeno admitti non poteſt, quod rectitudo conueniat tantum longitudini. *Secundum.*

Amplius Galenus lib. de ratione curandi per venæ ſectionem capite 15. habet venæ ſectionem gratia reuulſionis in directè oppoſitis partibus citiſſimè vtilitatem afferre, & ſi contra ſeces nil profeceris: directa oppoſitio prædicatur de qualibet differentia oppoſitionis, ergo ſeruari poterit rectitudo inter partem dextram & ſiniſtram, anteriorem, & poſteriorem, & internam & externam partem: quod à parte dextra ad ſiniſtram, ab interna ad externam, ab anteriori ad poſteriorem fiat vera reuulſio, habuimus à Galeno 5. methodi cap. 3. præterea 4. methodi 6. loquens Galenus de fluxu ſanguinis è naribus dicit, quod pars anterior ita poſteriori aduerſatur, vt ſuperiori inferiori; hæc ſunt verba, aduerſatur ei, quod ſupra eſt, id quod infra, & ei quod poſt habetur, id quod ante: inter partes oppoſitas reuulſio fieri debet, quia reuulſionis caracter eſt trahere in contrarium: inter directè oppoſitas partes ſeruatur reuulſio, vt reuellãtur humores quam citiſſimè & per breuiorem viam, linea enim omnium breuiſſima eſt recta: recta poteſt dari tam in longitudine, quam in latitudine, & profunditate: denique Galenus cap. 99. Artis Medicinalis non dicit, quod reuulſio ſit retractio ſolum à loco ſuperiori ad inferiorem, ſed dicit ex omni loco ad oppoſitas partes, vult igitur, vt poſſit fieri reuulſio ſecundum omnes oppoſitionum differentias, quæ non ſunt ſolum ſurſum & deorſum, ſed ante, retro, intus, foris, dextrum, & ſiniſtrum. *Tertium. Quartum.*

Præter propoſitas rationes, & auctoritates eſt Auicennas, qui dum de pſoriis, lepra, & elephantiaſi verba facit, docet hos affectus tolli poſſe purgantibus: eſt vera reuulſio, quia humores obrepentes ad cutim auertuntur in contrarium, ad inteſtina videlicet, ſecundum rectitudinem, & per partes oppoſitas, quæ ſunt ab internis ad externas: mirandum tamen eſt, quod inueniantur adeò pertinaces, qui videntes hanc non eſſe localem reuulſionem, nec ſeruari longitudinem ſurſum & deorſum, dixerint non eſſe reuulſionem, ſed deriuationem; *Quintum.*

quamuis clarissimè Galenus 5. methodi capite 5. dixerit, quod ab iis quę intus habentur, ad ea quæ foris sunt æquè seruetur reuulsio, ac à partibus supernis ad internas. Argenterius putat perfectissimam reuulsionem esse inter partes quæ sursum & deorsum sunt, eam verò, quæ intus & extra est, esse minus perfectam, quia vt dicit ille non fit secundum perfectissimam rectitudinem, quæ conuenit præcipuè longitudini: quæ opinio nobis non probatur, superiusque est reiecta, ostensumque est, rectitudinem conuenire posse etiam deriuationi, seruarique inter dextrum & sinistrum, & cæteras differentias positionis, & Galenum intelligere per rectitudinem è regione, vt per breuiorem viam semper fieri possit reuulsio.

Argenterij opinio reijcitur.

Diluuntur rationes aduersariorum, dum probant per rectitudinem esse intelligendam longitudinem sursum & deorsum.

CAPVT X.

FACILE quoque diluuntur ratione, quæ à Petro Brisoto, & Fernelio locis citatis proponuntur, dum scilicet, quod non detur reuulsio inter dextram & sinistram, anteriorem & posteriorem, internam & externam partem; sed tantum inter partes sursum & deorsum sunt ob fibras rectas, quæ ex illorum sententia sunt causæ reuulsionis, quæque solum in longum, vt aiunt, & non in latum, vel profundum extenduntur.

Vt errãt Brisotus, & Fernelius quod fibræ rectæ solum in longum sint extensa.

Primo videntur errare, quia est falsum, quod fibræ rectæ sint solum extensæ secundum longitudinem; innumerabiles enim venæ, & earum fibræ inueniuntur, quæ à dextro latere ad sinistrum, & ab anteriori ad posterius extenduntur: vena porta ab Hepate ad splenem mittit surculos quamplurimos, qui à dextra in sinistram partem pereptant: similter caua vena, quæ est in corporis centro ad corporis circumferentiam propagines sexcentas mittit; non potest igitur negari, quod fibræ rectæ non extendantur in omnem corporis dimensionem. Secundò, dato quod rectæ fibræ non essent, nisi in longum protensæ, quid tum; probatum est superius, quod in præcipiti illa reuulsione, quæ fit dum sanguis mittitur, fibræ rectæ non possint esse causæ euacuationis sanguinis; quia à fibris tardissimè moueantur humores.

Dum verò confirmant, quod reuulsio solum fit secundum longitudinem partium; quia Galenus secundo de ratione victus tex. com. 10. & alibi dicat, sanguinem esse mittendum in pleuritide ex cubito eiusdem, lateris, vt rectitudo secundum longitudinem obseruetur, non reluctatur iis, quæ diximus, quia & nos fatemur, quando venæ sunt in longum extensæ, reuulsionem fieri debere secundum longitudinem vasorum, quia sic fiet per vasa communia, & per proxima;

nulla

nulla enim linea breuior eſt ea, quæ longa, & recta eſt; quinimmò vt plurimnm reuulſiones fiunt ſecundum longitudinem partium, quia maior pars venarum, quæ poſſunt ſecari, in longum exporriguntur: non tamen valebit, vt plurimum fit, ergo ſemper debet fieri: an-ne affigimus dorſo cucurbitulas, quæ magna vi ad cutim trahunt humores, qui centrum corporis quoque adoriri incipiunt? quod hæc ſit reuulſio, patet ex Galeno 5. methodi cap. 3. vbi dicit, reuulſionem fieri à partib. ſupernis ad infernas, ab internis ab externas, & à dextris ad ſiniſtras. Omnes ſciunt, quod hæc auerſio humores ducti à centro ad ambitũ corporis, non ſit longitudo; quare reuulſio nõ fiet ſolum ſecundum longitudinem. Eandem ſolutionẽ cæteræ Galeni auctoritates recipient, ſicuti 13. methodi capite 6. & 2. ad Glauc. cap. 2. de cura inflammationis, vbi habetur, in iecoris inflammatione dextrũ, & non ſiniſtrum cubitum eſſe ſecandum: admittimus vt plurimum, ſicuti dictum eſt, eſſe ſeruandum longitudinem partium, ſed non ſemper, dum dicunt, quod fieri debeat ſemper, quia aliquando fit, eſt reductio imperfecta, & reducitur ad tertiam figuram cum concluſione vniuerſali, qui arguendi modus ad Ariſtotele eſt reiectus.

Inductio imperfecta eſt in tertia figura cum vniuerſali concluſione.

Rationabilius eſt, vt dicamus, reuulſionem vt plurimum fieri ſecundum longitudinem, non tamen tollit, quin ſecundum latitudinẽ, & profunditatem partium aliquando fieri poſſit, quemadmodum clariſſimè ex Galeno 5. methodi cap. 3. dum dicit reuulſionem fieri ſecundum omnes oppoſitiones, colligitur.

Declaratur, quid intelligi debeat per vaſa communia.

CAP. XI.

QVOD reuulſio fieri debeat per vaſa communia ex Galeno 13. methodi cap. 11. & ex rei natura facilè patet: ſimiliter omnes admittent, quod hæc conditio per vaſa communia conueniat reuulſioni per ſe, quia niſi eſſent communia, nihil euacuaretur; propterea euacuantur humores, quia retrahuntur ad vaſa, per quę poſſunt fluere, & hæc ſunt communia.

Cæterum, quid ſit intelligendũ per hanc vaſorum communionem, non omnes conſentiunt: ſunt, qui volunt, ſicuti eſt Curtius lib. de venæ ſectione, quod per vaſa communia ſint intelligendæ venæ; quia hæc ſunt omnibus corporis partibus communes; in qualibet enim parte corporis eſt aliqua vena, quæ tandem habet ſocietatem cum porta, vel caua, hæ ab Hepate, vt à primo ſtipite & trunco procedunt. Dicuntque propterea non poſſe fieri reuulſionem ab vna ad aliam partem, niſi merito venarum, quia hæ ſolæ ſunt vaſa per quæ fiunt euacuationes à qualibet parte corporis, & hæ ſolæ ſummum conſenſum, & communionem cum toto habent: confirmantur in ſententia, quia in Galeno paſſim obſeruant, reuulſiones per venas factas re-

Curtij opinio.

uellere à qualibet læsa corporis particula, afferunt locum 2. ad Glauc. cap. 2. vbi à Galeno exprimitur hic communissimus venarum consensus; ibi habet, retrahes à locis muliebribus, si cubitum secueris, aut iuxta mãmas cucurbitulas apposueris, & deinde deriuabis, si poplitibus, vel coxis applicaueris cucurbitulas: ex hoc quoque Galeni consilio colligũt, retrahi posse humores à qualibet corporis parte per venas: dicuntque præterea vbique in corpore reperiri venas, & vnica illarum secta ob communionem totum corpus cõsequi beneficium.

Quot sint vasa cõmunia

Quorum opinio non videtur vera, quia sæpissimè malæ humorum diluuies auertuntur in contrarium per alios canales, veluti per intestina, ventriculum, per vreteres, per arterias, per intercapedinem carnis, & cutis, carnis & nerui, carnis & periostij, per concauitatem musculorum, per extimam superficiem neruorum, per membranam carnosam, & per alios ductus; quare non per venas solum humores in contrarium retrahuntur.

Vt natura per vias latentes euacuat.

Præterea, habetur ex Galeno & Hippocrate, quod per vias nobis latentes & incognitas euacuentur humores crassi. Galenus enim habet hæc verba 7. aphorismorum 54. Hippocrates opinatur naturam validam & fortem semper inuenire viam materieb. licet sint quammaximè crassæ, & debeant per angusta foramina permeare: refertque Galenus ex Hippocrate in ossibus quoque fieri abscessum, quod indicat, crassos humores penetrare per ossium foramina angustissima: similiter primo methodi cap. 3. videns, quod humores penetrant omnes meatus nobis occultos, refert hæc verba, rectè Hippocrates affirmat totum corpus esse (vt Græcè dicitur) σύμπνουν καὶ σύρρουν, quasi conspirabile, & confluxibile dicas: vanum igitur erit dicere, quod per vasa communia sint venæ tantum intelligendæ, cum plurimæ sint viæ omnibus occultæ, per quas auerti possunt crassi humores. Quis anatomicorum, dum vesica lotio referta clystere aliquantulum depletur, cognoscet meatus, per quos ductus lotium admodum sensibile virtute clysteris per aluum possit subduci; si dixerint per poros vesicæ, non poterunt prohibere, quod lotium non dilabatur in spatium, quod est inter vesicam & intestinum rectum; melius igitur est vt cum Hippocrate, & Galeno dicamus, in viuente esse plurimos meatus apertissimos, quos crassissimi quoque humores peruadunt, qui nullo modo ab anatomicis cognosci possint; quique in cadaueribus re vera non appareant.

Primum exemplum.

Secundum exemplum.

Quod cum ita reuera sit, non est mirum, si multi affectus remediis quibusdam auferantur, de quibus vix ratio, vel methodus inuenitur; quemadmodum, dum Ischias acri clystere curatur. Quis mihi dicet per quas vias ab Ischiade ad intestina virtute clysteris auertantur pituitæ vitreæ? dici non potest, quod solum hac de causa curetur hic affectus, quia per clysteres tollatur fomes; quoniam obseruatur, ancham refertam crassissimis, & copiosissimis humoribus enematis virtute paruo temporis interuallo depleri: insuper, dicant mihi, dum aura dira, atque scelesta, quæ à pedis digito ad caput conscendit, efficitque epilepsiam, qua sit eius iter tam velox? non per partium poros,

ros, quoniam non ſequeretur tam velox actio, ergo, vel per intercapedinem carnis & cutis, vel per aliam incognitam atque latentem viam, de qua nec ratio, nec methodus habetur: ſimiliter dum quis hęmorrhagia narium angitur, aliquando ſupprimitur teſticulis deuinctis: non videtur quod hic conſenſus inter nares, & pudenda ſit per venas, quia ſequeretur quod aliæ corporis particulæ maioribus venis contextæ, quando deuincerentur, citius ſupprimeretur hæmorrhagia, quod non experimur; alia igitur debet eſſe ſympathia, quæ per vaſa nobis incognita fit. Ad hæc ſæpè in melancholicis hoc mirabile obſeruatur, vt vaporoſi ſpiritus celerrimè ſe ab vno ad alterum locum mouentes feriant modo vnam, modo alteram corporis particulam: omnes mirantur, dum hoc ſymptoma accidit, quomodo tot ſint vaſa inter ſe reſpondentia & communionem habentia, quæ nobis occulta ſint: tale quidpiam contingit aliquando, dum aliqua corporis pars tentatur pruritu, illam enim fricando & ſcalpendo in alia longè diuerſa corporis parte leues quædam puncturæ ſentiuntur, & deinde omiſſa fricatione, illico deſinunt, & iterum dum ſcalpimus reſurgunt; quis igitur poſſet vaſa, per quæ ſeruatur hęc ſympathia, pernoſcere anatomica virtute?

Tertium exemplum. *Quartum exemplum.* *Quintum exemplum.* *Sextum exemplum.*

Denique vt animaduertas, multas eſſe vias in viuentibus apertas, quæ in cadauere non poſſunt inueniri, audias hiſtoriam pluribus quoque notam. Contigit Venetiis puellæ acum magnum deglutienti, vt poſt aliquot menſes acus in veſicam deſcenderet, vbi cum conſtitiſſet, calculus circa illum eſt adauctus, & tandem à lithotomo fuit tráſpoſitus: quis ex cadaueris ſectione inuenire poſſet locum in iecore, qua magnus acus poſſet ſine læſione tranſire? vbi nec venæ capillares, nec fibræ conſpiciuntur; ſed, ſolum vniforme & ſimilare parenchyma, nihilominus in viuis alio modo res ſe habet: cum igitur multa ſint vaſa occulta, & alia pleraque manifeſta, ſicuti eſt canale à recto inteſtino ad œſophagum extenſum, à renibus per vreteres ad veſicam: per vaſa differentia ad paraſtates, ſit concauitas muſculorum, ſpatium inter carnem & cutim, inter oſſa & perioſtia; ſintque arteriæ & ſpinalis medula, & alia plura, vaniſſima erit interpretatio, quod per vaſa communia debeant intelligi ſolum venæ.

Caſus de viis latentibus.

Oſtenditur, quod retractio humorum ad fluxionis originem non conueniat per ſe reuulſioni.

CAP. XII.

A CVRTIO quattuor tradantur conditiones optimæ reuulſionis, quarum prima eſt, vt fiat ſecundum rectitudinem: ſecunda per vaſa communia: tertia per diſtantiſſima: & quarta vt retrahantur humores ad originem fluxionis. Quæritur an hæc poſtrema conditio conueniat per ſe reuulſioni: prima facie videtur quod ſic: quia à Gale-

Aduersariorū fundamenta. no proponitur 1.ad Glauc.cap.14. vbi habet hæc verba: in aduersum trahere oportet, aut ad communia membris patientibus, aut ad ea in
» quibus est fluxionis origo: experimentis à Galeno desumptis confir-
» mant. Galenus enim, ne catarrhus salsus in pectus descendat, applicat commissuræ coronali ceratum ex thapsia, ecce quod retrahit humores fluentes in pectus ad caput, quod est illorum origo: similiter 2.ad Glauc.2. & alibi dicit, in cruris inflammatione esse secandum cubitum eiusdem lateris, quæ retractio est ad originem: alia quoque similia exempla possent afferri.

Reijciuntur fundamenta aduersariorū. Prima ratio. Cæterum illorum argumenta non concludunt, quia nos non negamus, quod reuulsio non fiat sæpissimè retrahendo humores ad originem fluxionis, quærimus, an sit necessarium requisitum, vel quod saltem semper competat reuulsioni, quod non videtur, si potioribus Galeni fundamentis sit credendum: dicit enim 5.methodi c.3. quod reuulsio fieri possit secundum omnes oppositiones; & hæ non sunt solum in corpore sursum, & deorsum, sed ante, retro, dextrorsum, & *Secunda.* sinistrorsum, intus, & foris: quod cum ita ex Galeno sit, non est necessarium, vt semper in reuulsione, retrahantur humores ad originem fluxionis; præterea, origo non potest esse nisi in vnico loco, dicit Hippocrat.5.aphor.68. quod secta vena frontis tollitur labor partis posterioris capitis: quis diceret quod frons esset origo fluxionis? similiter *Tertia.* an-ne per cucurbitulas trahuntur humores à centro corporis ad cutim, vbi nulla est fluxionis origo? non conueniet ergo reuulsioni per se, quod retrahantur humores ad originem.

Trahere ad originem non conuenire reuulsioni communi. Neque occurrant, quod hæc conditio sit propria reuulsioni communi, & non locali, intelligendo per communem, quæ fit à partibus supernis ad infernas, vel ab his ad illas; quia ostẽdere possumus, quod neque huic reuulsioni, quæ dicitur communis, semper competat. Exempli causa, Hepar, quod est sanguinis origo, est inflammatum, tunc, vt præseruetur à maiori inflammatione, Galenus cubitum secat, Ecce quod non trahuntur humores ad originem fluxionis, cum potius in aduersum retrahantur, ne petant iecur inflammatum, fatuum ergo erit asserere, quod retractio humorum versus originem *Quarta.* sit requisitum necessarium, & conueniat semper reuulsioni locali: *Quinta.* præterea si fuerit aliquod viscus origo fluxionis, & illud sit flaccidum, & viribus destitutum, quis ad illud traheret humores? superius ostendimus ad partes infirmas non esse trahendos humores: amplius, in reuellendis humoribus indigemus omnibus differentiis ob plurima prohibentia, quæ in morbis profligandis semper emergunt: hinc dum humores sunt in partibus supernis, & aliquid prohibet, ne possint ad infernas trahi, nobis curæ est, nisi aliquid prohibeat, vt trahantur ad dextram, vel ad sinistram, vel ad exteriorem partem, prout citius, & tutius fieri poterit, quamuis in illis partibus sit fluxionis origo. Ars Medica non est tam inops auxiliorum, vt si aliquid prohibeat, ne possint ad fluxionis originem auerti humores, Medicus non possit amplius ægrotantibus auxiliari.

Vt errant, qui dicunt ſurſum & deorſum, dextrum & ſiniſtrum reuulſioni: ante, retro, intus & foris deriuationi conuenire.

CAPVT XIII.

QVI putant, quod reuulſio tantum ſit inter partes ſupernas & infernas, dextras & ſiniſtras: deriuatio inter externas & internas, anteriores & poſteriores, eò mouentur, quia vident Galenum paſſim aſſerere, quod reuulſio fiat per diſtantiſsima, & deriuatio per proxima; vidéntque inter partes internas & externas, anteriores & poſteriores non eſſe diſtantiam, ſed ſolum inter ſuperiores & inferiores, dextras & ſiniſtras.

Horum opinio ſuperius quoque eſt reiecta; dum declarauimus, quod retractio humorum non fit per diſtantiſsima ratione indicantis, ſed prohibentis: dum humores à toto irruunt ad crura, docet Galenus, per cubitum eſſe reuellendos: hæc auerſio, licet ſit per diſtantiſſima reſpectu morbi cruris, attamen reſpectu humorum, qui ſunt in caua vena ſupra iecur, quique ſunt deorſum fluxuri, erit per proxima: quando verò nullum adeſt prohibens, reuulſio commodè fit per proxima: conditio cuiuſuis operationis medicæ eſt, vt cito, niſi aliquid prohibeat, medicatio fiat, quare per proxima, & non per diſtantiſsima. Hinc in cruris inflammatione, ſi venæ ſuperiores non ſint ſanguine repletæ, ſed ſanguis fluens ſit in partitione venæ cauę, antequam deſcendat ad crura, vel ſit in venis coxis, tunc inflammatio cruris non curatur per ſectum cubitum, ſed per aliud crus. Galenus libello de curandi ratione per ſanguinis miſsionem cap. 18. idem dicit, ſcilicet ſe curaſſe iſchiadas, ſecta vena cruris, & non cubiti, habet; memini me curaſſe vno die iſchiadas, facta euacuatione ex crure, vbi proueniſſet ex ſanguine redundante in venis, quæ circa coxam ſunt: ſemper humor eſſet reuellendus per proxima, niſi quid prohiberet, dicimus reuulſionem per diſtantiſsima fieri, non ratione humoris euacuandi, ſed ratione partis læſæ: non decet, dum corpus humoribus redundat, trahere humores ad læſam partem, nec ad partes vicinas, ſi verò non redundat, licet, dum vnicum eſt affectum crus, per aliud reuellere. Dicunt nonnulli, quod, dum ſecatur alterum crus, ſit deriuatio, & non reuulſio: quorum ſententia à Galeno 5. method. cap. 3. videtur eſſe reiecta, quia ibi vult, quod vera conditio reuulſionis ſit, vt in aduerſum retrahantur humores, vultque quod aduerſæ partes non ſolum ſint, quæ ſupra & infra ſunt, verum etiam dextræ & ſiniſtræ; anteriores & poſteriores, internæ & externæ: niſi Galeni auctoritatem relinquant, non poſſunt negare; quin fiat reuulſio ſecundum omnes differentias oppoſitionis. Quod diſtinguit reuulſionem à deriuatione, eſt quod deriuatio inſequitur, & imitatur

Quando ex Galeno curetur ſciatica ſecta vena cruris.

Vt dextrum & ſiniſtrum conuenit reuulſioni.

inclinationem, & promptitudinem humorum: reuulsio verò contrarium: æquè conuenire possunt deriuationi, vt reuulsioni omnes oppositionum differentiæ, modò enim fit deriuatio supernè, modo externè, modo dextrorsum, & modo retrorsum, prout citius possunt deriuari.

Manardi, & Curtij opinio improbatur, dum dicunt phlebotomiam non posse esse remedium mixtum reuulsorium scilicet, & deriuatorium.

CAPVT XIV.

QVI admittunt, quod per se conueniat reuulsioni, vt in contrarium humores auertantur, vt ex Galeno probatum est, admittuntque, deriuationem æmulari inclinationem, & flexum humorum; nescio, qua ratione moti audeant deinde negare, quod phlebotomia aliquando non possit esse auxilium mixtum, scilicet partim deriuatorium, & partim reuulsorium; quoniam nihil prohibet, quominus aliqui humores in euacuatione auertantur in aduersum, quò scilicet non erant inclinati, & aliqui ad eundem locum proni deriuentur; exempli causa in pleuritide, vel angina dum per cubitum euacuatur sanguis, si humorem fluentem, & fluxurum ad pleuram, vel guttur retrahimus ad cubitum, dicitur reuulsio, quia illum in contrarium trahimus; si verò euacuatur sanguis, qui non resistit, neque habet inclinationem in aduersam partem, sed sequitur eundem motum, auertiturque à loco affecto, dicitur deriuatio; ecce, quod phlebotomia respectu diuersorum potest quoque esse remedium reuulsorium, & deriuatorium: quodque dicitur de phlebotomia, de pharmacis, de fonticulis, & de cæteris auxiliis reuulsoriis dici potest.

Exemplo ostēditur phlebotomiam esse remedium mistum.

Ex traditis colligi potest in quibus reuulsio cum deriuatione conueniat, & discrepet: conuenit, quia vtraque est auersio, sed reuulsio est vt plurimum per distantissima, deriuatio per proxima; apud Galenum centum inueniemus exempla, quod deriuatio per longinqua aliquando fiat: secundo in sextum de morbis vulgaribus tex. 7. habet, quod renibus vitiatis optimum sit per aluum deriuare; magis distant renes ab aluo, quàm dextrum cubitum ab hepate, inter quas partes est locus reuulsionis: sed melius, 2. ad Glauc. cap. 2. dicit, cucurbitam applicatam mammis ab vtero reuellere, & sectam venam tali ab vtero deriuare, cum igitur magis distat vena tali ab vtero, quàm mammillæ, sequitur, quod aliquando deriuatio fiat magis per longinqua, quam reuulsio: quod reuulsio sæpè fiat per longinqua non prouenit (vt ostendimus) à natura reuulsionis, sed à prohibente: ostendimus duplex esse prohibens, cur semper per proxima non fiat repulsio, & deriuatio, alterum, quando non est locus aptus sectioni, qui proximus sit, per quem possint humores auerti, veluti si vena tali in coxa, vel inguine

Vt deriuatio est per longinqua.

guine appareret nos eam ſecaremus & deriuatio ab vtero melior & citior fieret, alterum prohibens eſt, ne ad locum affectum, vel ad partes vicinas excurrant redundantes humores, qui poſſent reddere curam difficiliorem: quæ cum ita ſint, dicere poſſumus, quod reuulſioni, & deriuationi per ſe, niſi adſint impedimenta, conueniat vt per proxima fiant; etenim quanto citius Medicus operabitur, tanto magis eius operatio laudabitur. Diſcrepat, quia ſicuti reuulſio conuenit magis fluentibus, quam fluxis, & fluxuris; ſic deriuatio magis fluxis: diſcrepat quia deriuatio ſequitur humorum motum & inclinationem; reuulſio contrarium. Amplius reuulſio vt plurimum retrahit humores ad originem fluxionis, deriuatio longius ab origine ſemper illos abducit; conuenit, quia cauſa efficiens reuulſionis æquè ac deriuationis eſt æquiuoca, modo enim fit deriuatio attrahentibus, modo expellentibus, & modò vtriſque virtutibus, vt oſtendimus; conuenit; quia vtraque fit per vaſa communia, & ſecundum rectitudinem; quid autem intelligi debeat per vaſa communia ſuperius declarauimus; conuenit demum, quod non ſolum humores fluxi, fluentes, & fluxuri apti ſunt, vt deriuentur, verum etiam reuellantur. Nos de proprietatibus loquuti eas expendimus ſecundum aptitudines, & non actus, qui re vera ingrediuntur modos dicendi per ſe, vt proprietates, quæ in 2. modo collocantur; quod verò apti ſint fluxi, fluentes, & fluxuri vt deriuetur ex ſuperius dictis, & ab experientia ipſa certiſſima oſtendi poteſt; dum enim ſunt ſuppreſſi menſes, quia caua vena ſit ſanguine referta; tunc ſi talus tundatur, ſtatim menſes, vt millies vidimus, defluunt. Ecce quod deriuatio poteſt quoque conuenire fluxuris; ſimiliter experientia patet, dum diminutè fluunt; quia tunc ſecta vena tali promptius deriuantur; colligamus igitur deriuationem quoque conuenire poſſe non ſolum fluxis, verum etiam fluentibus, & fluxuris.

Reuulſio & deriuatio ob prohibens per longinqua ſit.

Differentia quæ ſit inter deriuationem & reuulſioné.

Vt deriuatio fluxuris poteſt conuenire.

Finis Decimiquarti Libri.

SANCTORII SANCTORII Iustinopolitani

DE INDICANTIVM Æquilibrio.

LIBER DECIMVSQVINTVS.

Ostenditur, quod medendi principium sit sumendum primo ab vrgente, secundo loco à causa, tertio ab impedimentis, & quarto à morbis.

CAPVT I.

A est ægrotantium miseria, vt post initium vnius simplicissimi morbi, statim alius affinis, & post illum alij plures breui spatio insurgant; vnde fit, vt in qualibet ægritudine plurimæ se offerant Medico hauriendæ indicationes curatoriæ, plures præseruatoriæ, & vitales: aliquando quindecim, & aliquando viginti, & vltra obseruabuntur affectus in ægrotante, quem Empirici vnico, & simplicissimo detineri fortasse putabunt; itaque nisi esset præclara medendi methodus à Galeno tradita, quæ docet à primis fontibus indicationes haurire, quæque ad determinata capita miro ordine eas redigit, & clarissimè ostendit, cui primo, cui secundo, cui tertio, & cui quarto sit attendendum. Ars medica non leuamen, sed laborem, & sæpè exitium ægris afferret.

Præpostera medicina exitium adfert.

Galenus itaque 3. methodi cap. 9. & alibi loquens de numero indicantium, quibus est necessarium, vt Medicus occurrat, antequam aggrediatur curationem morbi, dicit, quod hæc omnia reducuntur ad tria, ita vt primum sit vrgens, secũdum causa principalis, tertium causa sine qua non, sub quo nomine intelliguntur impedimenta: tractet Medicus ægrotantem, qui centum habeat affectus, non inueniet ante morbum

te morbum curandum plures indicationes tribus. Galenus 3. methodi cap. citato in exemplum afferens vlcus iunctum cum inflammatione, sorditie, & immodico sanguinis profluuio, statim in hoc affectuum concursu iubet, primo esse attendendum causæ principali, & demum iis, quæ impediunt vlceris sanationem, habetque hæc verba: profluuium sanguinis, vnde primum, maximéque imminet homini periculum, primò curari debet, si verò nulla sit vrgentis indicatio, primò inflammatio, quæ est causa principalis vlceris, secundò loco sordes, quæ impediunt, ne cauitas impleatur, & tandem vlcus sanatur: imagineris & tu centum alios affectus vlceri iunctos, vel separatos, omnes similiter reduci poterunt ad hæc capita, scilicet ad vrgens, ad causam, ad impedimenta, & ad morbum. Similiter, dum aliquod symptoma ad se trahit curationem, alio modo non indicat, nisi, vel quatenus subit vicem vrgentis, vel causæ principalis, vel causæ sine qua non, impedimenti scilicet; symptoma enim ex se nihil indicat, nec morbus esse potest, quia solum est in fieri, & semper illum insequitur, vt vmbra corpus: similiter Galenus ad hanc trimembrem diuisionem non solum loco citato, verum etiam 7. methodi cap. 12. omnia indicantia reduxit: si patiens conuulsione prematur, Medicus non primò de intemperie partis, de sorditie, de cauitate vlceris debet cogitare, sed de conuulsione, quia hæc ad vrgens reducitur; potest tamen conuulsione repressa, & quolibet alio vrgente, illico aggredi curationem inflammationis, quia est causa principalis vlceris: similiter superata inflammatione dirigenda est oculorum acies ad impedimenta, scilicet primò ad sordes, & deinde ad cauitatem tollendam, postremò vlcus, aliis superatis est remediis tractandum.

Ante morbũ curandũ non esse plures indicationes trib.

De ordinatione curandi vlcus.

Ob præposteram Empiricorum medicationem innumera committuntur errata: nos aliquot tantum obseruabimus, vt exemplorum luce methodum citius addiscamus, est Galen. 2. methodi cap. 4. quod exemplorum multitudine stupidorum quoque animi à somno excitentur.

Vt exempla à somno excitẽt.

Declaratur distinctius, cur primo ab vrgentibus, secundo à causa, tertio ab impedimentis, & quarto à morbis sumitur ordo curationis.

Cap. II.

Acturi de ordine curandi omnes affectus præter naturam, præstat, vt in hoc capite de vrgentib. causis, impedimentis, & morbis verba faciamus. Vrgẽtia varia, & multiplicia in ægrotantibus contingere possunt, Medicus nisi singillatim prænoscat omnia, non poterit diuinare, à quo sit sumendum medendi initium. Aristoteles 1. cœli text. 110. dicit, omne multiplex est prius distinguendum, quàm definiendum; distingui igitur poterunt in hunc modum. Vrgentia

aliqua sunt, quæ exitium & vitæ extinctionem minantur, aliqua non vitam, sed melior multam auferunt: quæ exitium minantur patiuntur quoque diuisionem, vt scilicet aliqua sint, quæ vires actu prosternunt, & extingunt; aliqua, quæ non actu vires tollunt, nisi tamen illico auferantur, certam virium perniciem, vel breui ægris pollicentur. Quæ verò non vitam, sed peiorem vitam promittunt, similiter sunt duum generum, aliqua maximam longitudinem affectus portendunt, aliqua verò statum indecorum, & inhonestum ægrotantis minantur, tale vrgens obseruatur, dum in curanda lue venerea despici solet virulentia, ne depillentur patientes.

Quot sint vrgentia.

De prima vrgentiũ classe.

Quoad primum vrgens, quod est dum vires sunt collapsæ, dicimus quod illi primo est vacandum, & dũ adest, dicimus ob cætera vrgentia, causæ principales, impedimẽta, & morbi sperni debeãt; Galenus enim 9. methodi 13. dicit virtutem omnium primam esse custodiendam, quia à viribus pendet viuere, addit, vitam vel esse ipsas vires vel earum actiones; si igitur virtus omnium prima est custodiẽda, quando adhuc viget, & nõ est collapsa; quãto magis si fuit perdita erit præ cæteris recuperãda? quanto magis causæ, impedimenta, & morbi curandi omitti poterunt? Adsit febris quantauis ardens, si superuenerit syncope, quippe vires & vitam tollit ei vt potentiori attendemus, spernimus febrem, confugimus ad vinum, & ad alia febri aduersa. Quo ad secundam vrgentium classem, quæ continet illos affectus in quibus imminet periculum, ne vires vel breui extinguãtur, sicuti accidit in profluuio sanguinis, in truci & insigni dolore, in conuulsione, & aliis plurimis affectibus, dicimus, quod si hoc quoque vrgens aderit, omnia similiter primo excepto spernantur, quia Galenus 6. methodi capite 13. habet, quod primum indicatum desumi debeat à virtute, deinde ab affectu, quinimmo addit, si indicantia fuerint paria primo quoque à virtute; deinde ab affectu desumi indicata. Exempli causa, si aliquis affectus valdè perturbet, & virtus eo modò deficiat, vt Medicus æquè de virtute, ac de morbo iudicet esse consulendum, docet Gal. vt tutius agatur, primum à virtute, & deinde ab affectu esse auspicandã curationem Si verò vires constant, & nullum ex propositis vrgentibus adsit, audacter causis, & morbis, & non virtuti attendimus. Hinc 9. meth. 7. dicit, quod virtus robusta sit despicienda, mediocriter conseruanda: quemadmodum aberrant plures dum spreta virtute imbecilli medicamenta potentissima exhibent, sic nonnullorum pace dicimus, quod aberrant, dum statim in morbi limine virtute existente robusta plenè nutriunt, ouis scilicet, & pullis. Simili modo Galenus 10. methodi cap. 1. habet, si virtus est robusta febrem, & causam profligare oportet; Robusti enim homines inedia & magnis remediis sæuissimis, quales sunt febres malignæ, & alii similes, sunt tractandi; nisi enim cito morbum magnum, & eius causam, dum virtus est valida, profligare tentemus, potest accidere, vt deinde à causis, & morbis adauctis virtus destruatur, & deinde non sit amplius tempus vacandi affectib. præter naturam, sed virtuti:

De secunda vrgentium classe.

Duo satis cõmunia errata.

tuti: poteſt quoque accidere, vt interim non ſolum à cauſis, & morbis; verum etiam ab aliquo ſymptomate virtus elidatur; ſæpè enim contingere ſolet, vt ſymptomata vicem vrgentis ſubeant, quo caſu non primò cauſis principalibus, & morbis. ſed ſymptomati attendimus; propterea Galenus 12. methodi cap. 1. dicit, ſymptomata aliquando ex accidenti mutare curationem: ſymptomata ſi ſubeant vicem vrgentium quæ tenent: primum locum, ſicuti eſt ſyncope, audacter cætera omnia indicantia ſperni poſſunt: ſi ſecundum locum, ſicuti eſt magna hæmorrhagia primo attendimus ſymptomati, ſed non omnino ſpernimus alia; Galenus 9. methodi 13. dicit, dum virtus eſt collapſa, tunc nullum remedium, quod affectum ſanet eſt exhibendum; hæc ſunt verba, tempus quo vires reficimus, eorum, quæ affectum ſanent, nihil planè ægrotanti exhibemus, vbi verò eo roboris eas perueniſſe coniicimus, vt nihil, aut parum ex vacuando ſint lædēdæ, tunc ad affectus curationem eſt accedendum; non deſunt tamen Empirici importuni atque moleſti, qui eodem die, quo viribus eſt attendendum, remedia plura, quæ affectum aliis temporibus ſanare poſſent, exhibeant; de iis Galen. 2. ad Glauc. cap. 2. dicit, quod fallunt ſe ipſos incidentes in illum ſermonem, morbus quidem curatus eſt, homo autem obiit.

Quando ſymptomati primo attendimus.

Erratum Empiricorum.

Vrgens in ordine tertium, eſt nimia affectus longitudo. Galenus rim quarto methodi ſecundo habet hæc, ſunt nōnulli homines, qui dūmodo citius ſanētur, ſunt parati quiduis ſubire: ſunt, qui malūt pati, vt teſticulus tumidus euellatur, & præcidatur, quā toto vitæ curriculo illud pōdus ſufferre: plurimi ſunt, qui habent vlcera in pedib. vbi nullum ſubeſt vitæ periculum, qui, vt citius curentur, ſpernunt longiorem, & diligentiorem curam, quæ vſu pharmacorum, & decoctorum adminiſtratur, & vnionem expoſcunt; quamuis eis doctus chirurgus prædicat, quod quamuis vlcera ad cicatricem illis violentiſſimis exſiccantibus redigantur, pedes tamen paulo poſt aliis maioribus ſcatebunt vlceribus: in his ægrotantibus coactus Medicus deſpicit cauſam, & impedimenta, & vacat breuitati curationi: ad eundem modum plurimi confugiunt, vt citius curentur, ad potentiſſima medicamenta, ſicuti eſt ſtybium.

De tertia vrgentiū claſſe.

Quartum & poſtremum vrgens, quod pertinet ad decorationem, veluti dum non patiuntur, vt cicatrix in facie appareat, tunc chirurgi prius huic vrgenti attendunt, quam cauſæ, & impedimentis; ſimiliter, ne quis in alopeciam cadat, coactè vtimur aſtringentibus, quæ detinent pilos, quæ tamen occludunt, ne acer, & mordax humor exhalet.

De quarta vrgentium claſſe.

Cauſa principalis tunc ſolum primò, & maximè indicat, quando nullum adeſt vrgens ex propoſitis; quæuis.n. illorum quatuor cauſæ principali præferri ſolent; amoto igitur quolibet vrgente Medicus totum ſpiritum dirigere debet in cauſæ amotionem, ſi morbos & ſymptomata curare voluerit, etenim: ſi tractu annorum centum auxiliis medicis vellet, non amota prius principali cauſa, morbos ſeu im-

Quando cauſæ principali ſecundo loco eſt attendendum.

pedimenta auferre, tempus prorsus contereret; hinc Empirici frustra in vlceribus vtuntur exsiccantibus, quæ sanant vlcera, frustra vtuntur lotionibus detersoriis, quæ sordes eluunt, frustra sarcoticis, quæ cauitatem implent, nisi prius demant intemperiem partis, vel humorum affluxum ab aliis partibus prodeuntem, quæ esse possunt causæ principales vlceris. Alius igitur non inuenietur ordo, vel alia medendi series, nisi vt primo loco vrgenti, secundo causę principali, tertio impedimentis, & quarto morbo, qui tamen nec vicem vrgentis, vel causæ principalis, vel impedimenti subeat: si verò alij fuerint affectus, qui morbum sequuntur, quique in proposita serie nullum habent locum, quales sunt affectus in fieri, despiciuntur, non curantur, illisque nunquam attendimus, quoniam alios sequuntur, vt vmbra corpus, & ad ablationem aliorum cessant, & desinunt esse.

Errata in curandis vlceribus.

De impedimentis quæ à Galeno 7. meth. 12. & alibi vocantur causæ sine quibus non, dicimus, quod ex harum amotione nunquam sanari possit patiens, nisi prius causæ principali occurratur: si in vulnere ensis frustrum relictum sit, semper auferri potest. Similiter, si ossis fragmenta, pili, sanies, sordes, sanguis in thrombum conuersus, & alia impedimenta sint in vulnere, dicimus, quod possunt prima die à vulnere demi, non tamen vulnus curari, nisi causa principalis, quæ potest esse inflammatio, vel affluxus, prius superetur: hinc quamuis vulnus indicet vnionem, hæc vniendi intentio despicitur propter impedimenta proposita. Impedimenta, quamuis semper debeamus auferre, dum possumus non tamen ex amotione illorum vulnus vnitur, vel sanatur, vnio enim despicitur ob causam principalem, quæ tollitur vulnere manente aperto, quia per sensibile foramen non solum inflammatio partis vicinæ, verumetiam humorum affluxus exhalent. Despicitur vnio ob vrgens aliquod imminens, ne scilicet clauso vulnere dolor insignis succedat ad retentum affluxum, vel ne sequatur spasmus ob puncturam nerui; vel ob alias causas: casus à Galeno 6. methodi capite 2. proponitur de punctura nerui talis, quidam stillo passus est nerui puncturam in manu, quidam Thessalius imposuit emplastrum ex farinis, quod claudens vulnus inter septimum diem hominem reddit conuulsum, eumque iugulauit; docet igitur Galenus, non esse vniēdum vulnus, dum neruus punctus est, sed apertum, & inglutinatum esse custodiendum, non solum propter causam principalem, verum etiam propter vrgens immінēs, id est conuulsionem: satis est igitur, vt colligamus, primò esse attendendum vrgentibus, secundo loco causæ principali, tertio impedimentis, & postremò tantummodo morbis.

De causis sine quibus non quibus tertio loco est attendendum.

Cur vulnera debent aperta seruari.

Casus de punctura nerui.

Detegitur erratum rudiorum chirurgorum.

Morbus vltimo loco sanari debet, nisi vicem subiret vrgentis, vel causæ principalis, vel impedimenti; ratio verò quod morbus non debet curari, nisi causa prius curetur, est, quia semper à causa fit, nec vnquam cessare potest, nisi causam illum facientem tollamus; hinc Galenus 4. methodi 4. & aliis in locis dicit, quod si fiat morbus, à causa auspicandam esse curationem, si non fiat, à morbo: hinc in morbis,

Declaratur quando morbo est attendendum.

qui

qui non fiunt quique ſimplices ſunt, & ſine cauſa fouente, vt hectica, & ephimera ſimplicem habent methodum; hecticæ enim tamquam vni & ſimpliciſſimo affectui attendimus: ſi verò cum hectica ſit putrida febris, ſintque obſtructiones, tunc exordimur à putrida, & ab obſtructionibus, non quia febris hecticæ, ſed quia ſunt impedimenta, ne hectica balneis, lacte, & ſimilibus adimi poſſit.

Vt vires totius corporis collapſæ poſſint recuperari.

Capvt II.

Cvm indicatio præcipui vrgentis hauriatur vel à viribus, dum ſunt perditæ, & collapſæ, vel quatenus imminet, ne vel breui collabi incipiant; videndum eſt, quibus auxiliis ſint reparandæ, & cuſtodiendæ. Galenus nono method. cap. 13. docens, quomodo vires conſeruentur habet; ſeruabuntur, ſi nec eius ſubſtantia inaniatur, & non alteretur, quod fit ſeruando temperaturam; quomodo verò ſint recuperandæ, præcipuè agi debet, quia qui ſciet eas recuperare, eodem auxilio promptius eas quoque cuſtodiet: omnes ſciunt, quod ſolum recto vſu alimenti vires & conſeruare, & reſſarciri poſſint; ſed qualis ſit hic vſus, à vulgaribus hominibus non cognoſcitur; ideò de illo agẽdum eſt. Dicimus, quod quatuor pertineant ad rectam nutriẽdi adminiſtrationem, ſcil. quantum, quando, quomodo, & vbi, quantum videlicet nutrimenti ſit dandum, quando, & qua hora, in quem modum ſit parandum, & vbi: hæc ſunt exactè expendenda, quia ex horum inſcitia quotidiè pereunt innumerabiles ægrotantes, qui ſine medicamento poſſent quoque ad ſanitatem peruenire: exempla inueniuntur apud Hippocratem in Epidemicis; dicit enim de Apollonio Recto, qui Ictéritia, quod miſerrimè periit, quia carnem bubulam, & lac coctum comederat, & aquam potauerat; ſimiliter de Filia Eurianactis habet, quod ob vuæ racemum in delirium inciderit, & obierit mortem. De Pario, Hippocrates, & Galenus dicunt, die centeſima vigeſima periiſſe ob malam viuendi rationem: verum hic non quærimus modũ reparãdi ſeu cuſtodiendi illorum vires, qui nec normam, nec vllã viuendi rationẽ ſeruare cupiunt, ſed illorum qui medicis morem gerunt, & nihil prætermittunt, vt diutiſſimè viuant; in iis igitur, vt reſarciantur, & conſeruentur vires, in primis ſe offert conſiderandum, quantum cibi ſit dandum, vel vnde ſumi debeat nutrimenti quantitas; dicimus cum Galeno primo ad Glauconem cap. 10. cibi quantitatem eſſe, quantam æger concoquere poteſt; ſi æger igitur tutò poſſet duos ouorum vitellos coquere, & vnicum tantum ſumeret, haud dubiè ægri vires minuerẽtur; quia calor naturalis tempore, quo maneret ocioſus, humidum radicale abſumeret, & maximè læderetur, quinimmo ex Hippocrate minus læduntur, qui pleniori victu vtuntur, quamilli qui tenuior; ſi verò tres ſumeret, ſimiliter

Quatuor neceſſaria ad vires recuperandas.

Ægri citati ab Hippo qui ob errorem in victu perierunt.

Quantitas cibi vnde ſumenda.

læderetur, quia distraheretur natura à certamine cum morbo non sine magno detrimento, dum concoqueret redundans alimentum quare tantum debet dari alimenti, quantum potest concoqui, quia indicatio de quantitate alimenti hauriri debet ab actione virtutis; comprobatur hoc à simili, quia sicut quantum agendum in methodo curatrice desumitur ab actione indicantis præter naturam, similiter in methodo de tuenda sanitate quantitas nutrimenti ab actione vitali desumi poterit; itaque virtus fortis, dum à certamine cum morbo distracta est, requirit maiorem cibi quantitatem, virtus verò mediocris, cibo mediocri est tractanda: debilis & infirma, vel quod in idem recidit, fortis quæ semper sit occupata in certamine cum morbo, minimam cibi quantitatem requirit: quo pacto vero tuto possit reparari, & conseruari minima quantitate sine detrimento, & iactura virium, inuenta est medela à Galeno 2. de rat. vict. in acutis cap. 36. & alibi, quæ est, quod tales parum, & sępè possint nutriri.

De signis bonæ virtutis.

Quæ verò sint signa virtutis valentis, & probè concoquentis, & quæ sint signa cibum prohibentia, quæ variant quantitatem, ab Hippocrate prima sectione aphorismorum secundo colligi possunt, quæ sunt regio, ætas, consuetudo, & morbus. In Germania febrientes non læduntur ab vsu carnis castrati, vel à vini portione: in Italia non læduntur ab ouis: in Creta, si ouum comederent, perirent: ætas quoque mutat quantitatem, sic pueris ob consuetudinem assiduam comedendi maior cibi quantitas, quam hominibus dari debet: si de morbis loquamur, similiter dicimus, quod in magnis vulneribus, & inflammationibus, vt in angina, & pleuritide oua non dantur; in febri tamen maligna conceduntur. Ecce, quod regio, ætâs, consuetudo, & morbus indicant, an virtus in coctione valeat, & an adsit aliquod prohibens. Regio frigida indicabit validam esse concoctricem facultatem, quia ob frigus concentratur calor, & inde fortius agit: similiter ætas puerilis primo fortior est in coquendo, secundo est puerorum consuetudo, quæ in omni re reddit operationem facilem; dictum quoque est, quod morbi nonnulli sint, qui indicant, ægros pauco cibo esse reficiendos; quia magis potest prohibens in illis, quam indicans, sicuti in angina, & pleuritide, dicimus, quod magis possit imminens suffocationis periculum, quam, vt refociletur robur, quod tenuissimo quoque cibo potest tam graues morbos vincere: semper est facienda comparatio inter indicantia, & prohibentia, & semper prius potentiori est attendendum; tametsi virtutis robur multam exposcat cibi quantitatem, nisi prius confugias ad indicantium examen, vbi videre possis an indicans, vel prohibens magis possit tutò non procedes: sola medendi methodus est, quæ apparentes contradictiones illico diluit. Hippocrat. 1. aphorismorum 11. dicit, in paroxismis nihil cibi dandum esse, in methodo Galenus picrocholos, ne in hecticam cadant, in principio paroxismorum nutrit, ratio est, quia imminens periculum hecticæ febris magis potest, quam morbi insultus; imminens enim periculum hecticæ est vrgens secundæ classis, in qua collocantur omnes affectus, qui minantur virium

Vt regio mutat cibi quantitatem.

Vt ætas.

Vt morbi.

Contradictiones medicinæ sola methodus soluit.

prolapsum, insultus verò pertinet ad morbum, qui vltimo loco indicat, & non solum minus potest vrgentibus in indicando, verumetiam minus potest, quam causa principalis, & impedimenta: ecce, quod Hippocratis, & Galeni sententiæ, nisi methodi, vt ita dicam trutina ponderentur, & examinentur, neque intelligi, neque in bonum vsum reuocari possunt.

Quoad quando sit nutriendum maximè refert scire; quia innumerabiles pereunt, qui in tempore non opportuno cibantur; exempla plura leguntur apud Hippocratem in Epidemicis; dixit de ægro innominato, quod periit non ob morbum, sed quia cœnauit calescens, & largius potauit, dum scilicet erat paroxismo detentus: idem ferè dicit de Filia Philonis, quæ ob similem errorem mortem obiuit.

Cibus non opportunè datus quos occiderit.

Vt igitur rectè præsciatur, quando cibus sit dandus, duo sunt obseruanda: alterum est indicantis præsentia: alterum verò est prohibentis absentia; indicantis præsentia est virtus potens alimentum assimilare, & coquere; absentia prohibentis dicitur esse, dum in ventre cibus inconcoctus non adsit; dum absunt paroxismi, animi passiones insignes, & dum paulò ante cibum non præcesserit nimius coitus, vel exercitium immoderatum: diximus, dum absunt paroxismi, quia natura non est cibo distrahenda à certamine; similiter debent adesse insignes animi passiones, quia si ita, vel insigni timore, vel gaudio æger corripiatur, adeo eius spiritus distrahitur, vt nisi paululum moderetur passionibus animi, cibus à ventriculo non arctè apprehenditur, vnde clydones statim succedunt; neque illico post coitum immoderatum est nutriendum, quia spiritus defessus magis cibo vexatur; etenim non sine labore coquitur: post coitum igitur expedit, vt corpus se tradat quieti; Neque post exercitium statim est cibandum, quia virtus deffessa non reficitur cibo, sed obruitur, nisi in minima sit quantitate: colligi itaque poterit, tempus dandi cibum à præsentia virtutis, & à propositorum prohibentium absentia, desumi, vel saltem quando prohibentia minus possunt, quam indicans vitale: in ægrotantibus dicit Galenus 2. method. 5. esse cibandum, quando virtus facilius morbum tolerat, hæc sunt verba: "tempus nutriendi in febribus vnam accessionem habentibus est illud, quo facilius "virtus morbum tolerat, subdit Galenus quo prius in sanitate erant assueti: data enim horarum paritate, vt scilicet prohibens non magis possit media nocte, quàm meridie, dicimus, quod tempore quo in sanitate erant assueti cibis pasci, cibus sit exhibendus, & nequaquam aliis horis insolitis: si verò certis horis morbus adoritur, ea erit hora eligenda, qua natura facilius morbum tolerat, eritque longè ab accessione, vt natura in certamine non onusta ciborum sarcina possit vincere morbum.

Quando cibandum vnde sumitur.

Quæ coctioni impediant.

Quo ad modum exhibendi cibum, dicimus, quod exhibendi modus sumi debet à minori passione virtutis, vt scilicet eo modo exhibeatur, quò minimum quid virtus in coquendo patiatur, quemadmodum quomodo sit medicandum indicatur à passione indicantis,

Quomodo sit dandus cibus et vnde sumi debeat.

ſic verſa vice, quomodo ſit cibus exhibendus indicabitur à minori virtutis paſſione: hinc liquida eligimus pro reficiendis viribus, quia virtus concoctrix,& cæteræ facultates naturales citius,& minori cum labore ſuum penſum abſoluunt, quàm ſi dura comedantur: hinc panis non madefactus iuſculo ineptus eſt ad coctionem, difficillimè digeritur, & tardiſſimè auget vires. Hinc fortaſſe Hippoc.2.ſect.aph. 11.dicit, quod facilius eſt potu refici, quàm cibo, natura enim à potu minus patitur.

Quaque viſcera vt ſunt nutrienda.

Quo ad vbi,dicimus,virtutem viſcerum principalium eſſe conſeruandam; ſi de ventriculo loquamur, quia ſemper eſt pituita refertus, dicimus, expoſcere alimenta calida: ſi de corde, quæ ſpiritum gignunt,vt ſunt vinorum varia genera:ſi de cerebro edulia quæ non fumant:ſi de Iecore,quę habent vim roborandi,adſtringendi ſcilicet,ſicuti inter vina ſunt ſubaſtringentia, inter carnes ſunt perdices, faſiani, & ſilueſtres gallinæ, quæ veſci ſolent variis corymbis adſtringentibus: ſi de ſplene,dicimus expoſcere,quę mixtas habent vires,id eſt corroborandi,& aperiendi,ſicuti eſt tamariſcus,citrac,& alia id genus: hæc ſunt ea quæ in collapſis viribus reficiendis poſſunt adminiſtrari.

Quomodo vires partium collapſæ recuperari poſſint.

Cap. III.

VRGENS præcipuum colligitur non ſolum à virtute totius corporis collisa, verum etiam aliquando ab aliqua corporis parte viribus deſtituta; etenim interitus vnius partis in conſortium trahere quoque poteſt totum animal. Declarauimus de virtute totius, vt poſſit alimentis conſeruari, & recuperari: ſequitur vt de partibus agatur, quomodo, dum ſunt robore exolutæ, vel imminet periculum,ne exoluantur poſſint in vita conſeruari, & collapſæ recuperari. Loquens igitur Galenus de iis, quæ roborant partes, dicit, eſſe adſtringentia, habétque hæc verba 2.methodi 15. adſtringentia eſſe illa,quæ corroborant affectam partem,ne excrementa ſuſcipiat; ratio, cur moderatè adſtringentia roborent, duplex eſt: altera, quia colligunt vires vniendo minimas particulas, quibus inde collectis alacrius natura ſuorum officiorum muneribus fungi poteſt;fortius enim expellit, concoquit, & promptius quod eſt bonum, & familiare attrahit,& conuertit: altera eſt,quia ope virtutis adſtrictoriæ partes affectæ non ſuſcipiunt aliena excrementa.

Vt aſtringētia roborant.

Aſtringentia cur ſanant ſpleneticos.

Quod aſtringentia roborent, exemplo ſplenis cognoſcitur: videmus enim aquas fabrorum,& calibeatas, quę valdè aſtringunt ſanare ſpleneticos; tamariſcum,intimam corticem fraxini,citrac,quorum virtus aſtrictoria guſtu manifeſtiſſimè percipitur, ſimiliter lienoſos curare;itidem Galenus 2.methodi 16.dicit in lienis affectibus eſſe admiſcenda

miſcenda aſtringentia, vt tollatur occaſio fluxionis, tollitur, tum quia roborata parte aſtringentium vſu fluxa materia reſoluitur; tum quia pars non ſuſcipit nouam fluxionem.

Cum igitur auxilium aſtringens habeat virtutem ſeruandi robur partis, ne in affectus exitiales corruat, quales ſunt gāgrænæ, & cachexiæ, par eſt, vt hic de recta adminiſtratione aſtringentium loquamur, ſcilicet quantum ſit aſtringendum, quomodo, quando, & vbi: quo ad quantum dicimus, quod ab actione partium indicetur; ſi partes conſiderentur in habitu corporis denſo, & plurimæ virtutis, ſicuti in ruſtico, vel nauta inueniuntur, dicimus, quod tales partes indicant fortius aſtringens: & ratio eſt, quia durus & firmus habitus magis reſiſtit, & reagit, & à maiori reactione maius quantum, quàm in habitu molli, in quo exigua fit reſiſtentia debet indicari. *Quantum ſit aſtringenda pars laxa, vnde ſumitur.*

Quo ad quomodo, dicimus, quod à paſſione indicantis, id eſt partis debet deſumi; ſicuti enim dantur habitus, qui minus patiuntur, quales ſunt duri, & qui magis, quales ſunt molles, ſimiliter aſtringentia, & quæuis alia indicata debēt modo fortiora, modo debiliora applicari. Galenus 3. methodi 3. loquens de ſarcoticis dicit, thus in humidis naturis eſt ſarcoticum, in ſiccis verò nequaquam, quinimmò in his non carnem, ſed pus generat; quo loci colligit Galenus, non ſatis eſſe, vt medicamenta meditemur, vt medeamur, niſi quoque temperaturarum notas quoque ſciamus: quod de ſarcoticis dicit, idem de aſtringentibus, & cæteris omnibus medicinis eſt dicendum: hinc vinum, quod moderatè aſtringit, roborabit partes in habitu molli, ſi verò valdè aſtringit, habitum firmū, & durum corroborabit, & mollem, exprimendo humorem roridum lædet: quod verò debeat eſſe aſtringens, ſiue roborans cuilibet proportionato, coniectura aſſequi poterimus ex traditis in 11. libro, vbi de analogiſmo, & experientia, & in 3. vbi de ſpecificis affectuum differentiis egimus, diximus coniectura, & non certa ſcientia inueniri, tum quia habitus duri, vel molles ſuſcipiunt magis, & minus, tum quia proprium cuiuſque ex Galeno 1. ad Glau. in principio, & alibi ſolus Æſculapius penetrare poteſt. *Quomodo ſit aſtringenda.*

Quando verò partes viuentium ſint corroborandæ, dicimus, cum debeat deſumi quando à præſentia indicantis, & abſentia prohibentis, quod ſemper pars debilis erit, niſi quid prohibeat, adſtringenda: ſi quis in curandis vulneribus vti vellet aſtringentibus corroboraret partem vulneratam, ſed ſi hoc faceret antequam tolleret prohibētia, qualia ſunt ſordes, pili, oſſium fragmenta, thrombus, & alia id genus, vel maximè vulneratum læderet: ſimiliter, qui roborant ventriculum abſinthio, miua, maſtice, & ſimilibus ante omnimodam excrementorum euacuationem lædunt perinde ac, qui in proprio domicilio hoſtem occultant; qui alia meliori occaſione hoſtilibus armis trucius ferit. Hic exurgit dubitatio, quia ex Galeno lib. de componendis medicinis, & paſſim in methodo habetur, quod aſtringentia gratia conſeruandi natiuum calorem debeant omnibus medicinis permiſceri. Reſpondemus, quod aſtringentia in compoſitionibus ſunt per exi- *Quando aſtringendum vnde ſumitur.* *Dub.* *Sol.*

guæ virtutis,& talia vt non superent vires medicinæ,sed superentur à reliquis simplicibus, & talia astringentia non occultant hostilia excrementa.

Vbi sit astringendum unde sumitur.

Quo ad vbi dicimus, quod sicuti in therapeutica vbi indicatur à subsistentia indicantis,similiter in profilactica indicabitur.Dum ventriculum roborare volumus,non iniicimus astringentia per clysteres; sed per os.

Roborantia pro qualibet parte vnde colligantur.

Quæ verò debeant esse roborantia accommodata pro omnibus partibus corporis, alias quoque diximus,quod ea sunt partis substantia,temperatura,compositio,meatus,situs, progressus, exordium,officium,figura, & numerus : ex iis itaque præcognitis facilè coniicere poterimus, quænam astringentia,quæ concoctoria,& quæ aperientia conuenire possint vni, vel alteri parti: exempli causa, si consideretur cerebri substantia,quæ sua natura mollis,& parum resistens est, dicimus indigere mitiori astringente, vt roboretur:similiter si consideretur eius temperatura,quæ frigida est,oleum rosatum (vt optimè nos docet Galenus)erit concoctorium, quamuis in aliis corporis partib. sit repercutiens:itidē de cōpositione est dicendū; astringentia enim, quæ firmant dētes, vel iuuant, vt melius componātur, valdè differūt ab illis,quæ genibus, & coxendici conueniunt; ratio diuersitatis est, quia genua,& coxēdices sunt cōposita per diartrosim,dētes per gomphosim:simili modo de situ est dicendum; etenim si pulmo est roborandus, cum à ventriculo magis distet, quam hepar, valentioribus astringentibus vti debemus si velimus,vt roboretur: tale quippiam est considerandum, si agatur de partium progressu,scilicet, vt rectè videamus, an per partem roborandam progrediatur neruus aliquis, qui prohiberet valentiora astringentia: idem de aliis; sed cum locupletissimè acta sit hæc materies in 3.lib. non est, vt de hac re protrahamus sermonem, tanto magis, cum Galenus passim in method.primo de loc.affectis in principio,& alibi dicat,quod partes affectæ variant curationem morborum; quinimmo 13.method. cap.16.habet,quod nulla in arte medica maior sit difficultas.quā perfectè cognoscere indicationem à partibus affectis desumendam;additque si quis indicationem sumptam à parte adimit,medicinam sex diebus addiscere.Nō est igitur mirum,si his temporibus studiosi omisso exercitio anatomico,cuius beneficio has indicationes addiscimus, paucorū dierū cursu in medicos exeant,sed admodum rudes,quia non in cognitione partium affectarum,sed solum in genericis persistūt, ex quibus est omnino impossibile,vt proportionata remedia colligant.Hinc semper miratus sum nostratum non paucos, qui de qualibet ægritudine non vlterius inquirunt, quam an sit intemperies,mala compositio, vel soluta vnitas,& an peccet bilis,vel pituita, neq; vllam specificam indicationem sumunt à partibus corpore expensam secundum decem propositas conditiones, quorum erratum quanti sit, in lib.de indicatione,& de analogismo & experientia cumulatissimè ostendimus.

Difficultas medicinæ vnde oritur.

Erratum commune nostratum.

De ordine, & potestate indicantium.

Cap. IV.

INdicatio vrgentis præcipui ex omnium sententia primum tenet locum; & in eius comparationem omnes indicationes à causis, impedimentis, morbis, & partibus desumptæ spernuntur: est Galeni 7. methodi cap. 12. quod prius vrgenti sit attendendum, & deinde causæ, quæ efficit morbum; similiter causæ prius, quam morbo est attendendum, dicit enim Galenus 8. methodi 1. quod si causa efficiat morbum ab ea sit auspicanda curatio; si non amplius fiat, sed factus est, à morbo, verum sit causa, sit morbus factus, sit denique pars quæuis quocunque modo læsa vrgenti prius vacandum est: Galenus 14. methodi cap. 11. in comparatione vrgentis adeo despicit indicationem sumptam à parte, vt non solum quando affectus est læthalis, verum etiam dum solum est insanabilis, admonet corporis partem, quæ tamen non sit gratia vitæ, esse amputandam. Hinc, si cancer obsideat partem corporis, qua ablata vita manere potest superstes, eam amputamus: similiter, si canis rabidus digitum mordeat, vt imminens ille læthalis affectus præcaueatur, digitum abscindimus, vel saltem profundè inurimus: si aura frigida à digito exiliens cerebrum obrepat, & epilepsiam faciat, phænigmate, vel cauterio, vel igne confoditur; similiter, nisi in exitu sanguinis arteriosi, qui fit in aneurismate, transuersim totam arteriam scinderemus, actum esset de vita; patet itaque, quod facta comparatione inter vrgens & causas principales, morbos & impedimenta, quod prius vrgenti sit attendendum: inter vrgens præcipuum, & vrgens sumptum à parte vacandum, præcipuo: patet quoque, quod facta comparatione inter vrgens sumptum à parte, & causam, & morbum, quod aliquando magis causæ, & morbo sit attendendum; exempla sunt, dum testiculus tumidus euellitur, ne pars illa ingrauescens viuentem pertu bet; dentem quoque perforatum eximimus; quia magis potest morbus partis, quam ipsa pars; erit igitur hic ordo seruandus, vt primo sit vrgenti præcipuo attendendum, & merito; quia agitur de virium lapsu, & de vitæ extinctione. Secundò causæ principali. Tertiò impedimentis, quarto morbo, qui tamen non subeat vicem vrgentium, causarum, vel impedimentorum aliorum affectuum, quinto loco attendere oportet corporis partibus, quæ non sint gratia vitæ.

Vt partes amputantur in comparatione vrgentis.

Verum omnes indicantium naturæ semper sunt expendendæ, an subeant aliorum vicem, posset enim indicans, quod sumitur à parte, vicem vrgentis subire, causę principalis, impedimenti, vel morbi. Similiter alia indicantia transire possunt de genere in genus, & mutari; quia morbus, cui vltimo loco est attendendum, aliquando adeo vrget, vt primum acquirat locum; idem dici potest de causa principali, & impedimentis. Itaque nisi medicus omnes ægrotantis affectus

Quæ sint optimo medico necessaria. disponere, in ordinem redigere sciat, cui scilicet primo, cui secundo, cui tertio, & quarto loco sit vacandum, si totum Galenum memoria teneret, adhuc nihil sciret, quinimmò latius esset, vt miseri ægrotantes se ipsos fortunæ, quam similibus medicis committerent, à nullo enim errore æquè vt à confusa, & præpostera medicina æger colligit.

Ostenditur, quod quindecim sint indicantium comparationes, & quodnam sit illud indicans quod in qualibet occasione magis possit.

CAPVT V.

Primus indicantium gradus cui primo sit attendendum. QVATVOR itaque sunt indicantiũ gradus: in primo collocantur vrgentia, quæ, cum minentur interitum, ante omnia medicum alliciunt: Galenus 3. method.cap.9. dicit, si in curandis vlceribus phlegmonosis superueniat conuulsio, prius esse attendendum conuulsioni, quam phlegmoni, quãuis phlegmone sit præcipua causa vlceris. Septimo method.cap.12. dicit prius esse dirigendam oculorum aciem syncopi, quæ vires euertere potest, quam cæteris affectibus.

Secundus. In secundo gradu ponuntur indicantia, quæ hauriuntur à causa principali, & fouente. Galenus 3. method. cap. 6. docet in vlcere phlegmonoso non esse exordiendam curationem ab vlcere; sed ab inflammatione, quæ est pręcipua causa vlceris; 4. method.cap.4. dum morbus adhuc fit, dicit, à causa esse exordiendum; octauo methodi cap.1. habet, prius esse submouendam causam febris, & deinde febrem; habet tamen, quod si causa iam desierit, tunc immediatè à febre esse auspicandam curationem.

Tertius. In tertio gradu impedimenta collocantur, vt tollemus sordes, pilos, fragmenta, & thrombum, nisi quoque inflammationem, quæ potest esse causa vlceris, prius superemus: & vbi contingeret conuulsio, sanguinis profluuium, vel aliquod aliud vrgens, tunc omittemus ablationem causæ vlceris, impedimentorum, & illicò vrgenti attendemus: dicimus igitur, quod nisi hæc impedimenta auferantur, non possimus vllomodo vlcus sanare; idem dicimus de aliis affectuum generibus: non licet, vt obstructiones tollantur, vel iecoris ardores mitigentur, nisi alui excrementa leniter subducantur.

Quartus. In quarto gradu sunt morbi, qui ex Galeni sententia 7. meth. cap. 1. 2. & 3. meth. 6. post amotionem dictorum omnium, & non prius submoueri debent: quo tempore solum roborentur partes astringentibus, quod officium non ad methodum medendi, sed tuendæ valetudinis pertinet, non licet vti roborantibus, dum sæuiunt vrgentia, vel dum causam morbi profligamus; quia roborantia cum astringant, impedirent causæ amotionem; eadem de causa dum impedimenta auferimus non roboramus partes, quia non astringentibus, sed laxantibus, vel detersoriis ea euelluntur; relinquitur igitur, vt solum roborentur

Quando partes sint roborandæ.

rentur patres, dum morbus curatur; In hoc loco rudiorum errorum notatur, dum prima die ante ablationem causæ, & impedimentorum vtuntur roborantibus, quæ potius resistunt, ne inde causa, & impedimento superentur.

Erratum in chirurgia quodnam sit.

Proposito hoc indicantium ordine sequitur, vt videamus quomodo possint sibi inuicem comparari, & quod magis possit: dicimus igitur, quod quindecim, non plures fieri possint indicantium comparationes, & ab hoc solo examine rectum indicantium æquilibrium cognosci: Prima comparatio debet fieri inter vrgentia, dum plura superuenient, vt sciatur, cui prius sit vacandum. Secunda inter causas principales, dum ęger diuersis affectibus premitur. Tertia inter impedimenta. Quarta inter morbos. Quinta inter indicantia vitalia desumpta à partibus, quæ non sunt gratia vitæ, sed melioris vitæ. Sexta comparatio fieri debet inter vrgens, & causam. Septima inter vrgens, & morbum. Octaua inter vrgens, & impedimenta. Nona inter vrgens, & indicationes vitales sumptas à partibus à natura institutis gratia melioris vitæ. Decima inter causam, & impedimenta. Vndecima inter causam & morbos. Duodecima inter causam & partes roborandas. Decimatertia inter impedimenta, & morbos. Decimaquarta inter impedimenta, & partes roborandas. Decimaquinta inter morbos, & partes; alias fingere comparationes indicantium nemo poterit; vertetur quis in omni affectuum varietate, & fingat ægrotum, qui centum habeat ægritudines, nunquam poterit plures iis comparationes efficere.

Ostenditur quindecim fieri indicantium comparationes, & non plures.

Quo ad primam comparationem, quæ debet fieri inter vrgentia, dicimus, quod statim videndum est, ad quam classem reducantur: vrgentium classes quatuor sunt: in primaque posuimus vrgentia, quæ vires statim dissoluunt, vt est syncope; in secunda, quæ minantur virium prolapsum, vt sunt, profluuia: in tertia quæ pollicentur nimiam morbi longitudinem; sicuti dum spreta, & morbo euellitur testiculus tumidus, ne maximam longitudinem morbi experiatur patiens; in quarta, quæ ad decorationem pertinent; sicuti sunt, qui, ne depilentur, petunt à medicis astringentia, quæ gallicam luem non sanant, sed sæuiorem reddũt; dicimus, quod facta horum vrgentium comparatione, quod prius attendendum sit iis, quæ collocantur in prima classe, & deinde ordine proposito vrgentibus aliarum; Galenus non solum spernit causas & morbos, dum est vrgens, quod statim vires adimit; verum etiam ob vrgens, quod non statim, sed temporis spacio posset vires opprimere, etenim in alui fluore, quamuis vires actu robustæ sint, subeat tamen periculum, ne aliquo interuallo temporis cadere possint, nec phlebotomiam, nec pharmacum, vt colligitur 1. ad Glauconem cap. 4. Galenus admittit.

Quatuor vrgentium classes quæ sint.

Cadit tamen in hoc loco considerandum, dum plura simul sunt vrgentia primæ classis, quæ scilicet sunt de illis, quæ statim vires tollunt, sicuti est syncope, & magnus fluor sanguineus, cui primo, cui secundo sit vacandum. Respondi potest, quod statim est videndum,

Dub. de vrgentium comparatione.

quodnam vrgens citius tollat, quo viso, dicimus, quod nisi eodem tempore vtrique occurrere possimus, quod affectui, qui citius vires opprimat, prius sit vacandum. Similiter dicimus, si adessent plura vrgentia secundæ classis ei prius esse attendendum, quod citius, potentius, & certius vitam, & vires lædit.

De comparatione vrgentium tertiæ classis.

Vrgens tertiæ classis, quod consistit in longitudine affectus, spernitur non modò ob affectum, qui vires extinguit, verum ob illum, qui minatur virium lapsum: quod vero huic vrgenti prius, quam caussis, & morbis, aliqui attendunt, Galenus 4. method. cap. 2. iis verbis fatetur: sunt quidam, qui malunt quiduis subire, quam diutissimè pati. Hinc plures arbitrantes, quod stybij vsus possit inueteratum affectum vincere spernunt febrem, eius causam, & alios affectus, quippe stybio intendi possent.

De comparatione vrgentium quartæ classis.

Quartum locum tenet vrgens, quod pertinet ad decorationē: nisi morbi subeant vicem vrgētium primæ, secundæ, vel tertiæ classis; possumus prius decorationi quā cæteris morbis, & causis attendere; Medicus tamen debet tutò mederi, quod respondet primis, & deinde secundis vrgentibus; deinde citò, quod respondet tertiis, & demum iocundè, quod respondet decorationi; iocunditas, ne turpis fiat cicatrix, tanti est, quanti, omnia plurimi patiuntur, vt non conspiciatur.

De morborum principalium cōparatione.

Secunda comparatio fit inter causas principales: vnius morbi vnica est causa principalis: attamen, cum plures in ægrotante possint esse morbi iique separati, plures quoque in illo possint esse causæ principales; Hippocrates in Epid. de Pythione habentes pectoris affectionem, & febrim, dicit in illo duas fuisse causas principales: altera erat catarrhus in pectore collectus, altera erant humores putridi: vnica die apparuerunt sputa subcocta, & vrina tenuis, sputa cocta ostendebant causam principalem affectionis pectoris esse à natura domitam, & superatam: vrina tenuis, humores febrim facientes esse adhuc crudos: in iis separatis causis erit semper expendendum, quæ ex illis magis possit: quod fiet hoc modo: debet videri, quænam ex illis magis reducibilis ad vrgentia primæ, vel secundæ classis, scilicet quæ citius, certius, & potentius vires opprimere posset; exempli causa in Pythione erat catarrhus tenuis in pectore collectus, & in venis putridi humores: dicimus, quod magis poterant putridi humores vires opprimere, quam catarrhus; quia in pectore nulla aderat inflammatio; magis igitur humores putridi erant reducibiles ad vrgentia, quoniam putredo viribus magis est inimica, quam tenuis catarrhus, ideo medicatio fuisset incipienda à putredine, non tamen spreto catarrho, si verò fuisset crassus, & talis, vt temporis spatio potuisset inflammationem pectoris, vel suffocationem efficere, & putredo fuisset aperta, & careret malignitate, minus esset reducibilis ad vrgentia, & per consequens minus posset, & ei nō primo, sed secundo loco esset attendendum; catarrhus enim qui posset inflammationem, vel suffocationem parere, esset reducibilis ad vrgens secundæ classis, putredo aperta ad vrgens tertiæ classis, in qua non vitæ periculum,

sed

ſed morborum longitudines collocantur. Quod de iis diximus, de omnibus eſt intelligendum, quod ſcilicet medicatio ſit incipienda ab illis cauſis, quę ſunt magis reducibiles ad vrgentia potentiora.

De impedimentorũ comparatione. Tertia comparatio fieri debet inter impedimenta, quæ cum in quolibet morbo plura ſint, aliquo ordine eſt procedendum: dicimus itaque, quod impedimenta, vel ſunt reducibilia ad vrgentia, vel non: ſi ſint reducibilia, videndum eſt ad quam claſſem, an ſcilicet ad primam, in qua collocabuntur illa impedimenta, quæ actu vires, & vitam tollunt, veluti quando eſt ſub craneo pus retentum; vel ad ſecundam, in qua ſunt impedimenta, quæ niſi auferantur, minantur virium diſſolutionem, ſicuti, dum in vulnere fragmenta oſſis, vel enſis, vel ſanguineus grumus detinentur: dicimus loquendo de impedimentis, quæ vrgent, quæque ſunt in eadem claſſe, quod ei prius ſit attendendum, quod citius, potentius, & certius vires, & vitam tollere poſſunt: ſi ex ſymptomatib. cognoſceretur eſſe pus ſub craneo, quod eſt impedimentum, ne ſanetur eſſentque in vulnere ſordes, ſi chirurgus inciperet à medicatione ſordium, & poſt diem cogitaret de terebra, valdè deficeret in ſuo explendo munere; quia illo breui temporis ſpatio in maximum diſcrimen ægrum vocaret: ſtatim igitur impedimento, quod potentius, certius, & citius lædere poteſt eſt attendendum; ſi verò impedimenta non ſint reducibilia ad vrgentia, prius attendimus cauſæ, & deinde impedimentis; ſi verò accideret, vt plura eſſent impedimenta iſtius generis, tunc prius attendimus ei, quod magis impedit, vel quod eſt cauſa, ne alterum auferatur impedimentum; ſicuti ſordes eſt impedimentum, ne cauitas vlceris impleri poſſit, à ſordibus eſt incipienda cura, quia cauitas, quæ ſimiliter eſt impedimentum, cur vlcus non ſanatur, non poteſt impleri carne, niſi ſordes auferatur.

De morborum comparatione. Quarta comparatio fit inter morbos, intelligendo morbos, qui non ſubeunt vicem vrgentis, cauſæ, vel impedimenti; tunc dicimus, ſi plures in ægrotante extiterint tales, quod illi magis poterunt, qui erunt magis propinqui vrgentibus; adeſt gonorrhea, & perniones; hi ſunt affectus ſeparati; ſi quis quæreret à quo eſſet incipienda medicatio, reſponderem à gonorrhea, quia niſi curetur, poſſet temporis ſpatio impedire vrinam, vnde ſuccederet non ſolum vrgens ſecundæ claſſis, dum ſcilicet ſubeſt periculum, ne ſuccreſcat ſymptoma, quod vires tollere poſſet; ſed vrgens primæ dum ſcilicet ob retentum lotium aliquando mors ſequitur; quod de pernionibus non poteſt dici; idem de aliis comparationibus eſt dicendum.

De partium læſarum comparatione. Quinta, & poſtrema comparatio fit inter partes læſas, quæ cum ad vitam non pertineant, ſed ad meliorem vitam, non ſubeunt vrgentis vicem, vel cauſæ, & impedimenti, vel morbi; tunc ſi duæ partes fuerint læſæ, dicimus, quod curatio erit exordienda ab illa parte, quæ temporis ſpatio vicem maioris, & vehementioris vrgentis, cauſæ, impedimenti, vel morbi poſſet ſubire.

Colligemus itaque, quod ſi fiet comparatio inter vrgentia, & cau-

De specifica indicantium omnium comparatione.

sas, ab vrgentibus sit incipiendum; inter vrgentia, & impedimenta similiter ab vrgentibus; inter vrgentia præsentia, & imminentia à præsentibus; inter eminentia, quæ vires possent vel breui opprimere, & vrgentia pertinentia ad longitudinem affectus vel decorationem, dicimus, quod medicatio erit incipienda ab iis vrgentibus, quæ minantur virium casum; inter vrgentia & morbos similiter ab vrgentibus; itidem inter causas, & impedimenta à causis; inter causas & morbos à causis, & non à morbis: inter causas, & partes corroborandas à causis; etenim non potest roborari pars vulnerata, vt exemplo chirurgico vtar, nisi dematur inflammatio partis circumstantis: inter impedimenta, & morbos ab impedimentis; quis vellet, nisi stolidus sit, prius siccare vlcus, & deinde tollere sordes? inter impedimenta & indicationes partium ab impedimentis; quis vellet partem prius roborare, & deinde sanguinem concretum auferre? Demum si fiet comparatio inter morbos, & partes, dicimus, quod simul tempore morbus potest curari, & pars roborari: per hæc igitur quindecim capita est faciendum examen indicantium, si voluerimus exactè scire, quid magis possit in indicando, vel cui primo, cui secundo, & tertio sit attendendum.

Ostenditur, quod Chirurgi illi sint amethodi qui in omnibus vlceribus vtuntur exsiccantibus.

Cap. VI.

Vt methodi vniuersales siue exercitio non sufficiant.

DECLARATA methodo, quæ in complicatis affectibus docere potest, à quo sit exordienda cura, præstat, vt nunc eam exerceamus: est Galen. 9. methodi cap. 4. quod vniuersales methodi non satisfaciant ad exactam cognitionem, nisi in exemplis exerceantur: & cap. 6. eiusdem libri, quod in comparanda omnium artium scientia non sufficiat methodus per vniuersalia theoremata acquisita, nisi addatur aliquod exercitium in particularibus exemplis. Vt igitur methodum superius declaratam exerceamus, incipeimus Galen. imitatione ab vlceribus, ostendemusque Empiricos chirurgos ordinem curandi vlcera sæpè peruertere: quia quod primo loco est in vlceribus sanandum omittunt; & quod postremò, curationem primò aggrediuntur.

Exsiccantia quibus prepostere vtuntur Empirici.

Proponatur igitur vlcus sordidum, cauum, cum labris duris, cum partis intemperie cum materia, quæ adhuc ab humorum affluxu foueatur: in hoc vlcere curando, chirurgorum plurimi, iique rudiores statim prima die spreto indicantium examine, & æquilibrio vtuntur solum exsiccantibus, scilicet emplastro de minio, cerato de succo solatri, lenimento simplici, vnguento de pomo citri, & vino, quo semper abluunt, perinde ac in vlceribus non possint esse plures ideæ, quam vnica, quæ indicet exsiccantia, & solum ille chirurgus omnibus

bus præstet, qui in curandis vlceribus sciat vti potentioribus exsiccantibus.

Horum erratum videtur esse inexcusabile, quia si de affluxu loquamur, tantum abest, vt exsiccantibus de medio tollatur, vt potius impediant, ne fluxi humores perspirent; quod maximum detrimentum adfert vlceribus; impedita enim perspiratione, humores inde fiunt magis effrenes, vnde vlcus sordidius, & magis cauum efficitur; quare, dum vlcus est cum affluxu, exsiccantibus externis nunquam sanabitur. Præterea, dato etiam quod vlcus non esset fotum ab affluxu, sed solum ab humore imbibito in parte vlcerata, adhuc dicimus, quod nullo modo exsiccantia conuenire possint, & ratio est, quia partes vlceratæ humoribus imbibitæ cum sint omnes imbecilles, non possunt digerentibus, vt vino & similibus expurgari, sed suppurantibus; quam doctrinam nos docuit Galenus 3. præsag. 29. dum dixit, humores detentos in parte debili nunquam iudicari per excretionem insensibilem, sed per conuersionem in pus; quare non remedia sicca, sed potius humida, & suppurantia conuenient.

Quot modis errent dum vtuntur exsiccantibus in vlceribus curandis

Primum erratum.

Secundum erratum.

Insuper, dicimus, quod exsiccantia sordido vlceri non conueniēt, quia non poterunt sordes, & cauitatem sanare, nisi prius sanetur inflammatio, quæ iuncta est cum vlcere: clarissima est Galeni doctrina 11. method. cap. 12. vbi habet, si vlcus cauum iunctum sit cum inflammatione partis circunstantis, nisi inflammationem, seu tumorem, vel materiam imbibitam prius curaueris, vlcus efficies sordidius, & inde magis cauum; ratio est, quia exsiccantia, quibus vti solent, vt est vinum, & similia, sunt detersoria, quę partem vlceratam aliquantulum vellicant, & pungunt, vnde sæpè confluxus maior, vnde sordium incrementum, vnde sinus, & plura alia symptomata exurgere possunt.

Tertium erratum exsiccantium.

Denique variis Galeni locis confirmari potest, quod in vlceribus, quæ ęgrè curantur non sit exordiendum ab exsiccantibus, 4. method. 1. habet, quod difficultas sanationis vlcerum non pendet ab vlcere, vt vlcus est, sed ab eius causis, quæ alio ingenio, quam exsiccantibus externis tolluntur: hacque occasione omnes vlceris causas iis paucis verbis enumerat, vlcera ægrè sanantur vel propter intemperiem carnis vlceratæ in qualitate sola, vel ob intemperiem cum tumore, vel ob affluentes humores peccantes qualitate, vel quantitate: sequitur itaque, quod in sanandis vlceribus, nisi adsit aliquod vrgens, cura sit incipienda ab aliqua causa ex iis quatuor à Galeno relatis, scilicet vel ab intemperie carnis vlceratæ, quæ sola qualitate officiat, vel ab intemperie cum aliqua magnitudine aucta, id est cum tumore seu apostemate; vel à fluxione humorum copia, vel qualitate peccantium, addas vel ab omnibus iis simul iunctis; vel dicas cum Galeno 1. de comp. med. per genera cap. 18. vlcera esse vel cachoethica, vel dysepulota: cachoethica sunt, quando pars vlcerata est adeo intemperata, vt influentem humorem, licet sit bonus, corrumpat: dysepulota, quando propter confluxum humorum copia, vel qualitate peccantium non sanãtur, absque eo quod pars vlcerata habeat virtutem corrum-

Quatuor causæ cur vlcera non sanentur.

pendi fluentes humores: dum igitur vlcus est cachoethicum, vel dysepulotum, dicimus, quod ab iis causis sit incipienda cura, & in illis amouendis exsiccantia externa nullum habeant locum, quinimmo vlceris sanationi potius sint impedimento.

Ordo curationis vlcerum vnde pẽdeat.

Quo pacto verò sit procedendum in vlceris curatione, dum tot sunt causæ difficilis sanationis: dicimus, quod aliquando ab affluxu auspicamur curationem, aliquando ab intemperie, & aliquando ab apostemate: ab affluxu incipiemus, quando apostema, & intemperies partis dependent ab humorum fluxione, ablata enim causa, cætera indicantia facilè superantur: ab intemperie partis, si esset mali moris, & vlcus esset cachoethicum: quia tunc magis posset malignitas ad indicandum, quam apostema, & affluxus: aliquando enim, quamuis sint affluxus, & apostema malignitas magis potest, quia tam mordaces succos in vlcere gignit, vt inde excitentur fluxiones, quæ deinde apostemati summum adferunt incrementum, quo casu curatio non ab affluxu, vel apostemate est exordienda: sed à malignitate vlceris, quæ solum ferro, vel igne tolli potest.

Ab apostemate vero exorditur curatio; non semper ab affluxu, quando affluxus excitatur occasione doloris, caloris, & putredinis pendentis ab apostemate vlceris; apostemate enim ablato, illicò cessat fluxio, & vlcus: quo pacto igitur rudiores poterunt exsiccantibus sanare vlcus cum apostemate iunctum, nisi prius tollant suppurantibus apostema? sapientissimus Galenus 3. de fract. 43. vtitur in vlcere cum inflammatione cõiuncto non exsiccantibus, sed iis quæ leniunt, ne inflammatio incrementum suscipiat; tantum enim abest, vt ea quæ leniunt siccent, vt potius vlcus sordidius reddatur, habetque hæc verba. medicamenta, quæ inflammationem coercent, & leniunt, sunt, vt tetrapharmacum, quod tuetur partem affectam ab inflammatione, sed efficit vlcus sordidum; ecce igitur, quod si adsit inflammatio in vlcere, liceat applicare humida, quamuis vlcera ab illis reddantur sordidiora; magis enim potest phlegmon, quam vlcus, & cauitas. Hinc Galenus 4. method. 5. dicit, quod dum cupimus pus in vlcere, non est exsiccandum, cupimus pus, dum vlcus est cum apostemate; quia vlcus sanari non potest, nisi prius apostema sanetur. Vidimus in Vngaria Empiricum, qui ob huius methodi inscitiam miserrimè vlceratum hominem tractauit: hic erat miles vlcere sordidissimo cum phlegmone correptus, Empiricus vtebatur exsiccantibus, scilicet emplastro de minio, de succo solatri, vnguento de pomo citri, lenimento simplici, vng. de litarg. & similibus, his vlcus modo videbatur sanari, & modo sordidius, & magis cauum effici, nunquam tamen poterat ad sanitatem peruenire, tandem me in consilium vocauit; nouimus inflammationem magis posse, quam vlcus, & cauitas; eamque alio modo non tolli, quam suppurantibus, iussimus, vt farinæ, lactes, & pinguedines applicarentur, post quorum vsum, vel breui apparuit album pus, quod erat signum humores imbibitos esse concoctos & superatos, est Galeni 5. aphorismorum 22. pus in vlcere maximum esse

Vt Galenus in vlcere aliquando vtitur humidis

securi-

securitatis signum; superata inflammatione breui spatio exsiccantibus,& epuloticis ad sanitatem eum transtulimus.

Demum, qui vtuntur topicis exsiccantibus pro sanatione vlceris, cui iuncta sit durities scyrrhosa, aberrant, & conterunt tempus, quia nisi scyrrhosam duritiem prius emollientibus tollant, vlcus nunquam sanabunt.

Quartum erratum illorũ, qui vtuntur exsiccantibus in vlceribus.

Causis vlcerum ablatis vniuersis non potest adhuc exsiccantibus vlcus sanari, quia prius sunt miro ordine remouenda impedimenta, quæ sunt sordes, cauitas, vel sinus, fragmenta ossium, Thrombus, labra indurata, & alia plura: si quis vellet cauitatem, vel sinus sanare, antequam sordes auferantur, inter imperitos esset ponendus; quoniam sordes causant cauitatem, & non cauitas sordes: similiter, si quis vellet prius sordes auferre, quam callum, vel duritiem labrorum, nunquam sanaret, etenim donec adesset durities labrorum seu callus, nunquam vlcus coalesceret, vel sanaretur.

Quintum erratum ob exsiccantium vsum.

Sed ex dictis exurgit dubitatio; quia diximus ex Galeno 4. methodi cap. 1. quatuor esse causas vlcerum ægrè sanabilium, & non plures: hic tamen proposuimus sordes, cauitatem, thrombum, quæ non reducuntur ad quatuor propositas: augetur dubitatio, quia Galenus 6. aphorismorum 45. dicit, vlcera ægrè sanari, non solum propter affluxum humorum, aut propter dispositionem in membro longo tempore contractam ex humoribus influentibus, sed etiam ob aliquam passionem ossis corrupti, ecce, quod præter quatuor propositas causas, refert os corruptum impedire vlceris sanationem. Responsio facilis est, quia sordes, os corruptum, thrombus, siue sanguis concretus, & alia id genus non referuntur ad causas vlceris, sed ad impedimenta; in illis enim quatuor causis ægrè sanabilium vlcerum non continentur impedimenta, sed solum causæ: quæ verò impedire possunt sanationem vlcerum sunt infinita: hæc doctrina est Galeni 3. meth. 9. & 7. method. 12. vbi omnes affectus, qui sunt ante morbum curandi, refert ad tria capita, scilicet ad vrgens, causas, & impedimenta: nunquam curabitur morbus, nisi prius causæ, & deinde impedimenta, quæ natura distincta sunt, auferantur.

Dub.

Responsio.

Quibus sic positis mirandum est quo pacto Chirurgi Empirici audeant nullo facto indicantium examine ὕστερον πρότερον medicinam facere, dum scilicet prius vlceri topicis exsiccantibus vacant, quod vltimo loco esset curandum: errant, quia nisi causæ, & impedimenta vniuersa, quæ in vlceris productionem conspirant, auferantur, vlcus æterno tempore perseueraret, quinimmò nisi esset, positis causis citò fieret, & si aliqua vi supprimeretur, iterum rediret, illudque sordidius: & quamuis obiiciant aliqui, quod sordida vlcera aliquando potentissimis exsiccantibus perueniant ad συμφυσιν, & coalescant. Respondemus, quod illa sanatio est fucata; quia causæ vlceris in fidam pacem faciunt, exsiccantia enim potentissima solum externam vlceris faciem velant, interimque humores occlusi fiunt magis audaces, & erumpunt in vlcera sordidiora, & maligniora.

Vt præpostera medicina vtuntur qui in vlcere vtuntur exsiccantibus.

Vt indicantia licet sint centum ad quatuor solum reducuntur.

Causa erroris Empiricorum est, quia Galeni methodus hactenus ad illorum aures non peruenit: methodus est breuissima, indicantia enim, quamuis in vnico ægrotante essent centum, redigi debent ad quatuor: sed hoc ordine, vt prima, quibus attendamus oportet, sint vrgentia: secunda causæ: tertia impedimenta: & postrema sint morbi: si proponeretur vlcus curandum, cui omnes isti affectus essent associati, syncope, hæmorrhagia insignis, affluxus humorum ad partem vlceratam, intemperies, tumor, dolor, imbecillitas, sordes, cauitas, labra vlceris dura, sinus, caro fungosa, ossium fragmenta, caries ossis, pili, & alia, quæ tertij generis vocantur à Galeno, atque vlcus; dicimus, si adhuc essent mille alij affectus, quod omnes ex Galeno ad quatuor proposita indicantia debeant referri, hoc scilicet modo, vt syncope, & hęmorrhagia referantur ad vrgentia, affluxus humorum, intemperies, tumor, dolor ad causam, sordes, cauitas, labra dura, ossium fragmenta, os corruptum, & pili ad impedimenta; vlcus ad morbum, quod tunc solum curari poterit, quando omnes causæ, & impedimenta erunt ablata. A quo vero vrgente, à qua causa, & à quo impedimento dictorum cura sit incipienda, dicimus, quod à syncope non spretis aliis, quia syncope reducitur ad vrgentia primæ classis, dum scilicet vires statim exoluuntur: syncope amota, hæmorrhagia magis potest, quia reducitur ad vrgens secundæ classis, in qua collocantur affectus, qui hactenus non destruxerunt vires, sed solum minantur virium ruinam: amotis vrgentibus statim attendimus causis; causæ erant affluxus, intemperies partis, & dolor: dolori primo attendemus, quia à dolore potest nasci affluxus, & ab affluxu intemperies: lenito dolore vacabimus affluxui, corrigendo viscera, & sanguinem, vbi enim sanguis fluens est imperfectus, vlcus difficilè sanatur; hinc Galenus 3. aph. 31. habet, quod si vlcus adueniat senibus, difficile sanetur ob sanguinis defectum, præstat igitur, vt viscera, & sanguis corrigantur, ne amplius sint fluxionis origines: si verò transmitterentur ad vlceratam partem humores, non ob læsionem viscerum superiorum, sed ratione doloris, vel caloris excitati à putredine vlceratæ partis, vel à medicamentis perperam à Chirurgo administratis, tunc prius dolores essent demulcendi, & statim doloris causæ propositæ, ne iterum excitentur nouæ fluxiones.

A quo ex proposito affectibus sit incipienda cura.

Vt errant, qui in suppurandis apostematibus vtuntur duris emplastris.

Cap. VIII.

Ex omnibus, qui in artis medicæ opera insiliunt, nemo ægrotantes frequentius deludit, quam Empiricus Chirurgus, qui à circulatoribus, vel tonsoribus Medicinam adiscit. Hic simulatque

que se esse Doctorem somniat, vult sermone, vestitu ab omnibus talis existimari: nuper in foro similem, quem multo ante noueram, vi, nobilique toga laruatum, miratus vestitus nouitatem, sciscitabar ab illo, an celebrauerit nuptias; en tandem refert causam, quam nemo vnquam diuinasset, quæ erat medendi gratia. Væ illis, qui ab huiusmodi Empiricis tractantur. Hi, si velint medicari apostematibus, nec quot, nec qualia sint indicantia, nec cui primo, cui secundo, vel tertio sit attendendum, percipiunt: si velint suppurare, vtuntur emplastris duris, & tenacibus, sicuti est diachilon simplex, vel cum gummis, quæ emplastrorum genera solida, & dura cum tenacitate adhærescunt, nec vident quod emplastrorum durities, & tenacitates inflammationem augeant; quia impediunt, ne humores effundantur in spatia affectæ partis, dicimus in spatia, quia sanguis nunquam potest fieri pus, nisi postquam egressus est venis maioribus, & minoribus vniuersis; ratio verò, cur sanguis, dum manet in venis, nulla emplastica virtute potest conuerti in pus, est, quia locus (vt habet Aristot. 4. physicorum) est conseruatiuus locati, hinc ab omnibus accepta est sententia, quod venæ non apostementur, cuius ratio est; quia sanguis in proprio vase in aliam naturam non est transmutabilis. Quod verò sanguis non in venis conuertatur in pus; sed postquam est ab omnibus expulsus, patet apud Galenum libro de tremore præter naturam cap. 3. vbi referens quomodo fiat inflammatio, dicit, inania spatia sanguine repleri ex vasis per eorum tunicas resudante: idem 2. ad Glauc. & aliis in locis: nisi exsudet ex venis, non potest fieri pus, quia causa efficiens est concoctrix tunicarum, & membranarum, pus redditur album tunicis nimirum in colore simile, sicuti in mammillis sanguis, & in testibus semen: quæ cum ita sint, opus est, vt pus mouentia sint similia, augeantque caloris substantiam, sed non intendant qualitatem, vt dicit Galenus 5. simp. medic. facult. non conuenient ergo tenacia, & dura emplastra, quia sanguis liberè non conflueret ad spatia, & per consequens non fieret pus: denique est Galeni auctoritas 13. method. cap. 5. vbi clarissimè docet, cur ab emplastris duris in phlegmone sit abstinendum, habet, à duris emplastris in phlegmone est abstinendum, quia contrahunt reliquias phlegmonarum, & rursus phlegmonem in ægra parte excitant: dura emplastra debilitant partem, quia sua duritie eam lædunt; deinde excitant dolorem, dum euelluntur, quo excitato confluunt humores, & rursus inflammatio in ægra parte promouetur: insuper dura emplastra contrahunt reliquias, quia prohibent, ne egrediatur sanguis è tunicis capillarum venarum, quo non egresso alio tempore promouetur, & inflammationem efficit.

Cur emplastra dura inflammationē augent.

Cur sanguis in venis non potest fieri pus.

Vt fit inflammatio.

Detrimētum ob emplastra dura.

Si igitur rudiores præscirent, quod pars affecta sit puris auctor, eam duris, & tenacibus emplastris non vexarent: si scirent, quod in apostematibus magis potest causa, quam morbus, prius attenderent anodinis, quam emplastris tenacibus: dolor enim subit vicem causæ magis principalis, cui semper prius est attendendum: iis igitur

Causa errorū Empiricorū.

moti rationibus dicimus, quod omnia emplastra pus mouentia debeant esse mollia, anodina, & non dura, qualia fiunt ex farina triticea, pinguedine, & lacte, sicuti optimè nos docet Galenus 5. simp. cap. 9.

Illa errata reijciuntur, quæ fiunt dum rudiores prius causis, & morbis, quàm vrgentibus attendunt.

Cap. VII.

Errant qui lac hecticis vetant.

FALLVNTVR aliquando rudiores, dum hecticis primi, vel secundi gradus hypocondriorum minimis obstructionibus, vel leui putrida febri vexantur, lac omnino interdicunt; nec vident, quod hectici interim lacte non exhibito saltem in pauca quantitate ad tertium gradum properant, vnde mors: dicimus, & nos cum Hippocrate 5. aphorismorum 64. quod lac habentibus obstructionem, & putridam febrem exhibere malum sit, sed, quod longè maius malum sit permittere, vt æger certo pereat; habemus enim ex Galeno 7. method. cap. 12. quod vrgenti magis sit attendendum, quam causæ: & 10. method. cap. 10. satius esse nonnulla fiducia, & cum periculo aliquid facere, quam spe adempta certò perire; quare, si viderimus hecticum in dies magis tabescere, cur non licebit humectandi gratia ad lac confugere, illud prius exhibendo in minima quantitate, & deinde, si beneficium maius foret maleficio in maiori? Medicorum enim est præcipuum munus expendere in alteram lancem beneficium, & in alteram maleficium pharmacorum, & quod magis perpendit eligere; nulla est tam perfecta medicina, quæ non lædat: cassia omnium saluberrima stomachum lædit, missio sanguinis vires minuit, animum perturbat: verumtamen, quia speramus, quod inde maius emolumentum, quam detrimentum nascatur, ideo patimur, vt æger lædatur; reuertentes igitur in orbem propositi nostri dicimus, quod millies vidimus, Medicos aliquos potius permisisse, vt hectici perirent, quam eis habentibus leuem obstructionem, vel leuem febrem putridam lac dedisse vidimus tamen hecticos aliquibus obstructionibus & febre putrida: detentos vsu lactis fuisse liberatos, ratio huius est, quia hectica potest esse vrgens, febris putrida, & obstructio impedimenta: semper enim magis potest vrgens in indicando, quàm impedimenta in prohibendo: neque obiiciant ex Hippocrate 5. aphorismorum 64. dicente, lac habentibus tensa hypocondria, & febrem putridam non conuenire; quia respondemus, quod Hippocratis, Galeni, & omnium medicorum sententiæ considerari possint, vel nulla facta comparatione cum aliis indicantibus, vel cum comparatione; qua posita distinctione dicimus; quod si cum comparatione considerentur, varium quoque sensum habere possint: exempla: dicit Hippocrates, & Galenus 1. sectione aphorismorum 11. quod in paroxismis æger non sit cibandus: hæc sententia considerata ex se vera est: attamen, si consideretur in com-

Medicorum præcipuum munus quod sit.

Obiectio.

Sol.

comparatione aliorum indicantium, poteſt eſſe falſa: patet, quia Galenus 10. method. 30. picrocholos habentes diatriton nutrit in principio paroxiſmi, ne in hecticam labantur, ecce quod facta comparatione beneficij cum maleficio, cibus datur quoque in principio paroxiſmi, & ratio eſt, quia hectica eſt vrgens, & magis poteſt, quam diatriteon: ſimiliter aliquando magis poteſt hectica, quam putrida, quo tempore licebit lac exhibere; quamuis ſit putrida; qui igitur non ponderat præcepta Hippocratis, & Galeni facta cum aliis comparatione, & expenſo indicantium pondere, licet omnes eorum libros memoria tenerent, eorum ſcientia vt vana, & periculoſa debet explodi; magis enim poteſt hæc ſententia, quod primo vrgenti, ſecundo cauſæ, tertio impedimentis, & quarto morbis ſit attendendum, quam omnes aliæ ſententiæ arte propoſitæ.

Qui veſicantia omnino explodunt, quia ab illis dolores moueantur, vigiliæ verò, & febres intendantur, in ſimilem errorem labuntur, quoniam, ſi reuellerent in contrarium humores viroſos petentes cerebrum, & præcauerent phreneſim, & mortem, eſſent adminiſtranda, quamuis alia præterea innumerabilia mala minoris momenti efficerent: itaque non illi cum ratione reiicient in malignis febribus veſicantium vſum, qui dicunt, inde excitari vigilias, dolores, & dyſurias; ſed qui probabunt maius ex illis colligi beneficium, quàm maleficium: medici enim munus eſt perpendere detrimentum, & emolumentum, & deinde minus malum eligere, quod cum ita ſit non ſolum errabunt, qui in omnibus febriẽtibus reiiciunt phænigmata; verum etiam, qui in omni maligna febre hoc genus remedij proponunt: rudis admodum eſſet ille medicus, qui poſſet turgentes, & furioſos humores caput incurſantes frictionibus, balneis, ligaturis, ſanguinis miſſione reuellere, & vellet veſicantibus id efficere: ſtupidus tamen eſſet quoque ille, qui cum hæc remedia nihil poſſent, eſſetque turgens humor, ab his inuincibilis deſiſteret, & dum certò videat ægrotum perire, non conſcendat ad potentiſſima reuulſoria; qualia ſunt veſicantia.

Vt errant qui ſemper in febribus reiiciunt veſicantia.

Errant, qui veſicantia in omni maligna febre proponunt.

Errare videntur, quia omnem conuulſionem factam à repletione curant iis, quæ excitant febrem, vt eſt confectio anacardina, caſtoreum, ſaſafras, oleum de terebẽtina, nulla prius facta diſtinctione inter vrgens, & cauſam, quia ſic ſpernunt vrgens, & cauſæ attendunt; vrgens eſt virtus neruorum imbecillis, quæ à calidis non cuſtoditur, ſed aliquando reſoluitur, & eneruatur: quod verò ita ſit patet ex Galeno 5. ſect. aphoriſmorum com. 20. qui dicit, calida reddere neruos imbecilles, quia diſſoluunt eorum ſubſtantiam: ſimiliter 6. method. 2. dicens, quod neruea ſubſtantia eſt reſolubilis, habet hæc, ablutio aquæ calidæ eſt inimica vulneratis neruis, quia conditi ſunt ex frigida, & concreta humiditate; ſi igitur aquæ calidæ percuſſio neruis noceat, multo magis calidiora nocebunt. Secundo paralogizant, quia à particulari ad vniuerſale procedunt: non valet, quamuis Hippocrates, & Galenus 4. aphoriſmorum 70. dicant febrem quartanam ſuper-

Vt errant, qui conuulſionem curãt ijs, quæ excitant febrem.

Conuulsio ex inanitione lathalis.

uenientem conuulsis, eos sanare, ergo omnes conuulsos sanabit, quia par est prius, vt differentiæ conuulsionum in medium afferantur, & deinde ex specifica differétia affectus, & non generica remedia colligantur, dicimus igitur ex Galeno, quod alia conuulsio fit ex inanitione, & alia ex repletione: quæ fit ex inanitione faci'è cognoscitur; quia fieri solet, post ingentissimum calorem vigilias, fluxum alui, vel aliarum partium, & hæc est læthalis, & solo prognostico relinquitur; quoniam absumpta est substantia neruea, quæ non amplius resarcitur; adest tamen alia conuulsio ex inanitione, quæ non est læthalis, quia non absumitur natiua neruorum substantia; sed solum ros, vt accidit in hæcticis primi gradus, & hæc humiditas potest restitui; huiusmodi conuulsiones fieri solent à vaporibus malignis ortis ab æruginosis succis, vel à morsu venenati animalis: quod vapores expirati ab æruginosis succis aliquando conuulsiones efficiant, testis est Galenus 1. aphorismorum com. 5. 12. method. cap 8 & 5. de loc. affectis cap. 9. vbi de quodam iuuene habet hæc verba, ærugine per vomitum euacuata, febris, & conuulsio illicò cessauit: in hoc loco erratum quorundam notatur, qui conuulsionem à vaporibus æruginosis factum, auxiliis c[illegible]dis tractasse vidimus, quē miserū nisi natura ęruginoso vomitu iuuass[illegible]t, certò periisset. Quæ verò fit ex repletione facilè quoq; cognoscitur, quia nullo præcedente morbo tales conuelluntur, quod quoq; docet Galenus 2. aphoris. 29. vbi dicit, sanus conuellitur, est ex repetitione: hæc verò conuulsio modo est cū febre, modo sine febre; si cum febre, potest esse illa, quę ab apostemate fit; si sine febre, illa quæ refertur à Galeno 3. præsag. 39. vbi dicit, excitari conuulsionem sine febre à vehementi refrigeratione, & à copia crudorum, & crassorum humorum: quod postremum reuulsionis genus calore febrili expellitur, vel si habitus est carnosus, perfusione aquæ frigidæ curatur. Refert Galenus 5. aphorismorum 21. se iuuenem conuulsum curasse aquæ frigidæ perfusione; ratio curationis est, quia aquæ frigiditas reuocat ad internas partes calorem, qui deinde melius discutit frigidos humores in neruis insertos, quod remedium non solum fuit acceptum à Græcis, verum fuit maximè in vsu, & de illo Paulus vbi agit de spasmo nos docet aliqua pertinentia ad eius vsum, dicit enim aquam frigidam lædere conuulsum, vel quando non est opimi, & carnosi habitus, vel quando conuulsio pendet ab apostemate. Colligas ergo ex Galeno calida non conferre conuulsioni factæ ab apostemate, neque illi, quæ efficitur à duritie relicta in fine apostematis, quia calidorum vsu, crassi humores lapidescunt, neque illi conuulsioni, quæ ex àura calida, vel ex morsu fit, quia redderēt affectum incurabilem: relinquitur, vt conueniant conuulsioni factæ à frigidis, & pituitosis humoribus alimentalibus, & non crudis, & concoctioni ineptis; pituitosi enim humores sunt in duplci differentia, alij alimentales, alij crudi, vitrei, & inepti, vt conuertantur in nutrimentum, quos calida, & febrem excitantia duriores efficerent; hanc sententiam ad verbum explicat Galenus 2. aphorismorum 29. his verbis, febrem curare conuul-

Ex inanitione non læthalis.

Erratum illorum, qui curant conuulsionem.

Vt noscatur, & curetur conuulsio ex repletione.

Aqua frigida quàdo iuuat conuulsioni.

conuulſionem factam ab humoribus glutinoſis, & frigidis quibus nutriũtur; tales enim virtutecalidorũ liqueſcunt,& partim in ſudorem,& vaporẽ abeunt, partim verò in ſubſtantiam nutriti,crudi verò & vitrei,calorificis in tophos,& ſcyrrhos conuertuntur. Quod errent, qui vtuntur calidis in conuulſionibus factis à pituita non alimentali, ex dictis patet, patebit quoque; quod Empirici aliquãdo errent,dum in conuulſione facta à pituita alimentali vtuntur calidis,quia ſpreta, methodo non ponderant cauſam, & vrgens,ſæpè enim euenit, vt in huiuſmodi conuulſis virtus neruorum ſit adeò imbecillis, vt magis poſſit in indicando ſui cuſtodiam, quam poſſit cauſa pituitoſa ſui ablationem: hinc calida, quæ ſua natura poſſent pituitam alimentalem digerere, quia debile; neruos in deteriorem conditionem reducerent, Galenus reſpuit, dicit enim 5. aphoriſmorum com. 20. huiuſmodi calida reſoluere ſubſtantiam neruoſam: ſæpiſſimè experientia nos docuit conuulſos ex repletione frigidorum humorum vſu calidorum morte fuiſſe peremptos.

Vt errant, qui vtuntur calidis in conuulſionibus pituitoſis.

Falluntur, qui purgant ventriculi cruditates, dum ſtomachus morſum patitur, antequam corroboretur: erratum eſt illius generis, dum pluris faciunt cauſam, quam vrgens: cauſa eſt cruditas, oris morſus, eſt vrgens, cui prius eſt attendendum. Galenus 1. ad Glauc. cap. 14. habet hæc verba, ſi quis febricitet, & adſit ei plethorica diſpoſitio, & ex recentibus cruditatibus ſit, ſentiatque morſum, & afflictum os ventriculi, vel etiam euomuerit humorem malum, & in tranſitu eſſet læſum os ventriculi, vt anxiè, & grauiter ſe habeat, prius ſtomachum corroborare debemus, & deinde euacuare: addit, & aliquos periiſſe vidi, & in periculum fuiſſe perductos ob euacuationem non roborato prius ore ventriculi: ſæpè rudiores in febrientibus exiſtente plenitudine, nauſea, ſtomachi cruditate, vomitu æruginoſi mordentis os ventriculi confugiunt ad vomitoria, vel ad medicinas purgatorias, ſpreta vitali indicatione, quæ conſiſtit, vt roboretur os ventriculi: ὕστερον πρότερον medicinam faciunt magno cum ægrotantis diſcrimine; prius igitur intrinſecus, & deinde extrinſecus eſſet ſtomachus roborandus, intrinſecus id fiet maſtiche, pane igne toſto vinoque auſtero madefacto, vel granatorum: extrinſecus emplaſtro à Galeno 1. ad Glauc. cap. 14. propoſito, quod factum eſt palmulis, vino, farina hordei, croco, aloe, maſtiche, madefactumue ſit oleo maſtichino, nardino, enanthe, vino, & iis, quæ conſtant ex abſinthio.

Vt errant qui purgant ſtomachum dum morſum patitur.

Similiter, qui in ſpleneticis incipiunt ab aperiẽtibus, & non aſtringentibus aberrant, quia pluris faciunt indicationem præſeruatoriam, quam vitalem: quod nullomodo in partibus flaccidis, vt eſt lien, eſt faciendum: vtimur in iis aqua calibeata, tamariſco, ſcolopendrio, electuario ex calibe, quæ omnia virtutem aſtrictoriam habent: hæc roborant lienem, & roboratus redditur valentior in expellendis excrementis; deinde eadem virtus aſtrictoria defendit, ne fluentes humores à liene recipiantur: quam doctrinam apud Galenum legimus 2. method. cap. 16. vbi dicit, in lienis affectibus eſſe medicamentis ad-

Vt errant, qui in ſpleneticis incipiunt ab aperientibus & non aſtringentibus.

m scenda astringentia, ratio est, quia omnia aperientia destituta virtute astrictoria inflant lienem: comprobatur experientia; saccharum, mel, & dulcia omnia, quæ aperiẽtia sunt, tumidum ventrem, lienem, & quamlibet partem laxam lædere possunt: prima igitur indicatio in parte flaccida excrementis quoque imbuta est robur addere parti: secunda, est causam profligare; prima enim meritò desumitur à vita, secunda à causa: miscentur igitur cum aperientibus roborantia, vel eliguntur aperientia, quæ dissimilarem virtutem habent, vt tamariscus, citrach, & alia id genus.

Vt errant qui apparentibus papulis semper respuunt sanguinis euacuationem à cubito.

Aberrant, dum firmiter tenent apparentibus papulis in maligna febre nunquam esse mittendum sanguinem è cubito: quia quamuis materia putrida indicat esse eo, quo vergit educendum, attamen si adesset vrgens, quod indicaret per cubitum esse sanguinem extrahendum, ei prius attendere oporteret, & non materiæ putridæ, quo vsu in maximum prolaberentur errorem, qui vterentur cucurbitulis; Quod verò in malignis febribus, in quibus sint papulæ contingere possit hoc vrgens, patet; experientia enim sæpè vidimus, in ægrotante febres malignas, papulas, & anginam, quæ suffocationem minabatur, vniri, cui dubium, quod tunc angina est vrgens, cui prius attendamus oportet, & quod angina indicat, vt potius per cubitum sanguis copiosè extrahatur, & deinde per venam linguæ: similiter, si febri malignæ associetur pleuritis, vel iecoris inflammatio talis, quæ vicem vrgentis secundæ classis subiret, cui dubium, quod magis indicaret inflammatio, quam materia seu vapor putridus procliuis ad cutim efficiens papulas? & quod pótius cubitum secandum, quam cucurbitulæ applicandæ sint. Itidem si magna exsurgeret phrenesis à copia sanguinis prodiens, copia, cum sit prima radix, cui dubium, quod melius, citiusque per cubitum, quam per cucurbitulas tolli posset? Denique posset contingere, vt tota massa sanguinea ob copiam sanguinis inciperet putrescere, quod malum non potest arceri, nisi phlebotomia, quo casu, licet totum dorsum esset exanthematibus respersum, cucurbitulas sperneremus, & cubitum aperiremus, & meritò; quia nisi copia per venam cubiti minueretur, certo æger periret.

Vt errãt, qui congelatos pedes putant esse calefaciendos.

Errant, dum in iis, quorum pedes præ nimio frigore adeò torpidi, & congelati fiunt, vt sensum, & motum amittant, spernunt vrgens, id est indicationem vitalem, & attendunt causæ, id est congelationi: tales enim, qui curant semiuiuos pedes non cogitant vitale auxilium, quod prohibeat ne pedum vita extinguatur, sed solum auxilium calefaciens, scilicet hoc impetu incedentes in omni ægritudine, vt credant prius causis, quam vrgentibus vacandum: admittunt, vt illi igne calefiant; nec vident, quod calor externus statim dissoluit natiuum robur, & deinde moritur pars congelata, eaque mortua, nisi abscindatur pes, totum trahitur in consensum, & animal cito pereat oportet. Duo hic committuntur errata, alterum dum nesciunt, quę sint vrgentia, alterum dum primò causis, quàm vrgentibus attendunt: non sat est Medico, vt indicationes omnes colligat, sed oportet, vt in ordinem

Duo errata rudiorum.

nem eas redigat, & perfectè sciat, cui primò, cui secũdò, cui tertiò, & quartò sit attendendum, nullus enim est error magis insignis in arte medica, quàm ὕστερον πρότερον medicinam facere: vanissimi enim sunt, qui quotidie sine vllo indicãtium æquilibrio dicunt intemperies frigida indicat calefaciendum, materia crassa incidendũ, viscida detergendum, copiosa euacuandum petens partem principem auertendũ, pars viribus perdita roborandum, non perfectè scientes cui primò, & cui secundò loco sit vacandum: in præsenti casu pedes vt frigidi indicant esse calefaciendos, vt viribus destituti custodiendos iis, quæ possunt impedire, ne calor natiuus dissoluatur; cui dubium, quod in primis est attendendum vitæ parti, & deinde causæ, qui enim secus efficeret, incideret in illum sermonem à Galeno citatum 2. ad Glauc. 2. scilicet, morbus est sanatus, homo autem periit, qui igitur prius attendunt vrgenti, quique congelationem pedum sciunt sanare, curant, vt vita pedum conseruetur hoc modo, iubent, vt immergantur in aquã frigidam recenter à fonte haustam, detineanturq; horæ spacio, sic certò sanantur: quem curandi modum multoties in Vngaria vidimus, ratio sanationis est, quia aqua vnit calorem debilem, & ferè extinctum, & simul tollit siccitatem congelationis, qua amota promptè natiuus calor fouetur ab influente, & sic non extinguitur, sed potius augetur.

Sed occurrit quia, quæ congelantur à frigido, liquefiunt à calido, quare pedes vel aliæ partes à summo frigore congelatæ calidis, & non aqua frigida deberent sanari; antecedens auctoritate Aristot. & experientia videtur verum; glacies à frigido congelatur, & à calido dissoluitur; oleum incrassatur à frigido, & liquefit à calido, similiter pix, cera, metalla, & reliqua omnia, quæ à frigido den santur à calido liquefiunt: similiter dicunt, si pedes fuerint congelati à frigido, hæc congelatio debet à calido vinci, & superari. *Dub.*

Respondetur, dum dicunt, quæ congelantur à frigore à calido dissolui; at pedes congelantur à frigore, ergo à calido dissoluentur: argumentum esse verissimum, sed merè philosophicum, & non medicum, quia nullam habet relationem ad sanitatem, quia philosophi, dũ pars congelata à frigore, dissoluitur à calido, nihili existimãt, an inde morbus, & mors partis, vel sanitas sequatur: pertinet tamen hæc cõsideratio ad medicum, qui pro virili sanitatẽ, & vitam cõseruat: si calor externus non destrueret partem, longè melius esset congelatos illicò calefacere, vt statim omnia liquescerent, sed cum destruatur hoc modo pars viuens, medici officium erit id respuere. Quæ ab Arist. in lib. methe. habentur, dum dicit, crystallum, & adamantem ab ingenti calore dissolui: aurifices, qui volunt integros adamantes, & crystallos conseruare non reciperent: similiter medici à philosophis sunt omnino diuersi, quoniam fines sunt quoque diuersi; philosophi veritatem, medici sanitatem quærunt. *Sol.*

Insuper auctoritas Arist. si eam rectè interpretabimur, non aduersabitur nobis: dicimus, quę cõgelantur frigido & sicco, vel summè cõ- *Propositio: quæ congelantur à frigido,*

& sicco dissoluuntur à calido, vt ii. tolgatur.

gelari, vel remisse, si summè, dicimus, quod dissoluuntur solum à vehementissimo calore, vt crystallus, & adamas; si remissè congelantur, dissoluuntur, tum à calido humido actu, tum ab humido frigido, sed hoc discrimine, vt calidum humidum actu dissoluat, & consumet, humidum verò frigidum dissoluat, & non consumet: hinc fit, quod quibus congelantur pedes, aqua calida, vel calido igneo pars congelata consumitur, & perit; si verò in aquam frigidam imponuntur, ob aquæ humiditatem frigiditas dissoluitur, & non perit pars, & causa est, quia aqua frigida à fonte profundo hausta non habet vim absumendi calidum natiuum: patet experientia, quia dum iniicitur glacies in aquam frigidam dissoluitur, & non absumitur, si verò in aquã calidam, vel in ignem, nõ solum glacies dissoluitur, sed aliquãtulum absumitur, quia in vaporem aliquæ partes abeunt: neq; obiiciant, quod humidum non dissoluat frigidum, quia non est eius contrarium; quia respõdemus, quod humidum dissoluit frigidum congelatum, quatenus omnis congelatio sua siccitate lædit: torpor in partibus congelatis fit immediatè à sicco, & nõ à frigido: hinc Galenus 1. simpl. med. fac. dicit, quod congelari sit præ frigore durescere; at dura redduntur mollia sua contrario, humiditate scil. redditaq; parte congelata molliori, robur natiuum semiuiuæ partis ab influente potest refocillari, & nutriri, quod antea non poterat.

Obiect.

Casus in quibus Empirici pluris faciunt morbum, quàm impedimenta.

Cap. IX.

Vt errant dũ permittunt vt totum pus ex apostemate exeat.

OSTENSVM est superius, quod post vrgentia primo causis, deinde impedimentis, & tandem morbis attendendum: non desunt tamen casus in quibus rudiores, spreto hoc mirabili medendi ordine, pluris faciunt morbum, quam impedimenta. Hoc erratum præcipuè obseruatur, dum apostema cum copioso pure, & duritie secãt, & permittunt, vt statim (nullo expenso indicantium æquilibrio) totũ egrediatur; pluris faciunt magnitudinem auctam, quam subiectam duritiem: deberent doloris demulcendi gratia permittere, vt solum puris aliqua portio egrederetur; pus enim coctum, dum relinquitur, detergit, & secat materiam, quæ efficit duritiem, & eam dissoluit, & liquat: nullum medicamentum locale tanti est in duritie inflammationis auferenda, quanti est pus: quinimmo, dum pus totum euacuatur, materia, quæ relinquitur pori duritiem subit, & aliquando redditur incurabilis: reluctantur Galeno 13. meth. cap. 5. vbi apertè iis verbis reiicit, qui incidunt apostema, & totũ pus euacuant, si pus aliquod notabile
" in suppurante particula sit contentum, non expedit (quod non nulli
" faciunt) protinus incidere; sed digestionem molliri medicamentis ad
" id valentibus, quippe cum phlegmones naturæ, si quicquam in mẽ-
" bro adhuc restat, acria medicamenta magis irritant, quã digerant. Galeni quoq; tẽpore aderãt, qui totum pus egredi permittebant, adeoq; duros, & scyrrhosos tumores reddebãt, vt nec resoluẽtibus, nec emol-

lientibus poterant superare, resoluentia non superant duritiem; quia tenue absumunt, & quod relinquitur lapidescit. Emollientia nō possunt id efficere; quia humor durus debet secari, & attenuari ad minima, quod non ab emollientibus externis, sed à pure tangente rebellē humorē; pus enim est efficiens proximum, & eiusdem speciei, quod vnicè secare & attenuare potest. Insuper aduersantur methodo à Galeno propositæ 7.method.cap.12. vbi post vrgentia primò causis; secundo impedimentis, & demum morbis vult esse vacādum: qui prius tollunt totum pus, quam duritiem, pluris faciūt morbum, quam caussam sine qua non, seu impedimentum, quod in idem recidit: durities est causa sine qua non tollitur inflammatio, licet enim totū pus egrediatur, si durities aliqua relinquatur, iterum inflammabitur pars: magnitudo aucta ob puris copiam est morbus; non licet in methodo prius attendere magnitudini auctæ, quæ est morbus, quam duritiei, quæ esse potest causa.

Similiter, dum hæmorrhoidarum symptomata vrgentia ab humorēque sanguineo prouenientia curant applicando vnguenta, sanguisugas, & similia, spernunt causam, quæ est humor prodiens à supernis partibus; primò enim humori fluenti, & fluxuro est vacandum reuellentibus: accommodatissimum auxilium reuulsorium in arcenda passione hæmorrhoidum à fluxione humorum facta, est sanguinis euacuatio per saluatellam, si bis, terue tridui spacio tundatur. *Vt errāt dum symptomata hæmorrhoidū hirudinibus tollunt.*

Errata illorum, qui potius indicantibus, quam prohibentibus potentioribus attendunt.

Capvt X.

Qvi vtuntur diureticis in iis, qui abundant cruditatibus, vt plurimum ægros lædunt, quia sæpenumero magis potest cruditas in prohibendo, quàm possit in indicando; dicimus sæpè, & non semper; quia dum vrina in supernis partibus detinetur, & omninò supprimitur; tunc licet cruditas magna sit; nihilominus ad potentissima diuretica, qualia sunt cantarides, confugimus; quod cruditas magis prohibeat diuretica, quàm indicet, est Galeni 4. de tuenda sanitate, vbi habetur, quod diuretica non sint in habentibus cruditates exhibenda; quia sanguinem calefaciunt, & liquant; additque non conuenire humoribus, qui debēt coqui, tantam vexationem, & meritò, quia concoctio ex Hipp.4.de ratione vict.in acut.44.quiete fit. Insuper diuretica secum ferūt cruditates ad intra venas, vnde obstructiones, & putredines fiūt. Amplius diureticis secernūtur tenues, & relinquūtur crassiores humores. Gal.5.de simp.med.fac.c.12.interdicebat diuretica iis, qui expuūt pus, quia secretis ichorib. pus crassius & tenacius redditur; addit loco citato, diureticā nobis aduersari, quia sunt calefactoria, exsiccatoria, secretoria, & constrictoria; inde colligi potest in asthmaticis diuretica non habere locū: quinimmo, nec medicam.é.a, *Vt errant, qui vtuntur diureticis in habentib. cruditates.* *Coctio quietę fit.*

quæ ſeroſos humores euacuant, qualia ſunt mana, elaterium, ſcammonium, & alia id genus.

Vt errant, qui dant manam habentibus crudos ſuccos in pectore.

In hoc loco illorum opinio reiici poteſt, qui cum intellexerint, manam eſſe pectori amicam, eam porrigunt iis, qui pectus cruditatibus onuſtum habent; nec vident, crudos ſuccos craſſiores, & concoctioni magis rebelles fieri, dum ſecernitur ſerrum: ſæpiſſimè experientia cognouimus, ſimiles exhibitione manæ in deterrimum ſtatū fuiſſe prolapſos: natura vult craſſos ſuccos reddere fluidos: qui verò exhibent manam, ſcammonium ſecernūt ichores, & reliquias hnmorum craſſiores efficiunt, quod reluctatur Hippocrati, qui ſecunda ſectione aph. 9. dicit, quod corpora purganda ſint facienda fluida: ſicuti crudus humor non eſt medicamento euacuandus, quia ſolum cocti, ſeu fluidi humores apti ſunt euacuationi, ſimiliter crudus humor non erit diureticis mouendus; quoniam vſu diureticorum ſecernuntur ichores, & inde craſſiores, & tenaciores euadunt humores, ſicuti medicamenta non conueniunt, quia ſiccant, & calfaciunt; ſimiliter diuretica nonconuenient; ſicuti medicamenta commotionem, & vexatioēn faciendo coctioni ſunt impedimento, idem de diureticis dici poterit.

Vt errant, qui in principijs morborum dant lac ſemin. mellonū.

Hinc errant, qui in principiis morborum, quando corpora crudis ſuccis abundant exhibent lac ſeminum mellonum, petroſelinum, & alia id genus: ſimiliter errant, dum in nephriticis, & artritide catenatis refertis cruditatib. vtuntur terebintho cypri: itidem, qui vtuntur mouentibus menſes, dum corpus eſt cruditatibus onuſtum, lædunt, niſi euacuatio totius præcedat, quinimmò ſæpè mouentur menſes à ſecta baſilica, quia depleto venarum trunco, qui eſt tanquam omnium venarum fons, venulæ vteri vndequaque nimietate ſanguinis craſſioris, & tenacioris obturatæ ſtatim aperiuntur, & natura inde promptius ſuorum officiorum munera explet.

Si verò cruditas, non vt cauſa morbi, ſed vt vrgens, indicaret, tunc prohibentia ſuperius relata non haberent locum, quia ſemper magis poſſet vrgens, quam cauſa: ſunt quibus vrina ſupprimitur, quod ſymptoma ſubit vicem vrgentis, tunc ſpretis prohibentibus vtimur valentiſſimis diureticis: ſimiliter dum crudi humores habent impetum ad cor, vel ad cerebrum, tunc reuulſionis gratia vtimur catharticis, & diureticis; quia magis poteſt imminens periculum, ne ſcilicet virtus viſceris principalis cadat, quam poſſit cruditas, & reliqui affectus, qui non pertinent ad vrgentia primæ, vel ſecundæ claſſis.

Vt errāt dum in principiis morborum vtuntur frictionibus, balneis & cucurbitulis.

Similiter ſpernunt Rudiores prohibentia potentiora, & attēdunt indicantibus leuioribus, dum crudis exiſtentibus humoribus vtuntur frictionibus, balneis, exercitio, cucurbitulis, & inunctionibus foras cruda trahentibus, quod erratum à Galeno quarto de tuenda ſanitate capite ſexto reprehenditur, vbi habet ferè hæc verba, cauēdum eſt, ne crudi ſucci foras trahantur, & ne mordaces intrò reuocentur, quæ verò foras trahere poſſunt crudos humores ſunt exercitatio, & frictio, & balneum & fomenta calida, & vnctio calefaciens: quot ſunt Empirici, qui in principiis morborum vtuntur frictionib. balneis, fomentis

calidis,

calidis,& inunctionibus calidis ſpreta Galeni auctoritate,& ratione, quæ apertè ſuadet,ne cruda trahantur à maioribus ad minores venas ob inſignes obſtructiones,quas cruda efficerent.

Oſtenditur exemplò localium, quòd quælibet ſententia medicorum ſit methodi cenſura moderanda.

CAPVT XI.

VIDENTVR aberrare, qui ſeuerè ſuſtinent, localia nunquam applicari poſſe ſine totius purgatione; quod illos mouet eſt Galeni auctoritas, ratio, & experientia: quorum fundamenta cum ſine methodo ſint expenſa, erunt reiicienda: afferunt Galeni locum ſecundo de locis affectis tertio, vbi legitur, quod topica ſemper ſint adhibenda præmiſſa totius corporis euacuatione. Alius locus eſt ſecundo ad Glauc. capite ſecundo, vbi dicit, quod duo committuntur errata in inflammationibus, primum, dum non habetur prouidentia totius: ſecundum, dum laxantibus vtimur; addit Galenus, prius totum eſſe euacuandum; ſecundò eſſe repellendum; tertiò detergendum, quarto robur eſſe parti affectæ addendum. Demum quarto Methodi quarto dicit, totũ prius eſſe euacuãdum à ſuperuacuis, quod Empirici, Dogmatici, & omnes Philoſophi admittũt præter Theſalum. Hoc loco animaduerti poteſt differentia inter priſcos Empiricos, & noſtrates; illi enim ante localium appoſitionem ſemper purgabant: ij verò nunquam cogitant totius euacuationem; quod eſt longè maius erratum. Ratio, qua vtuntur, cur ante appoſitionem localium ſemper ſit corpus purgandum, eſt, quia ſi fiet morbus à cauſis internis purgando totum remouebimus morbum tollendo eius cauſas, ſi ab externis, purgando ab excrementis internis non fouebitur morbus. Experientia probatur, quia ocius ſanantur à Chirurgis, qui purgantur: colligunt itaque ante localium appoſitionem ſemper eſſe purgandum totum. *Errant dum nunquã applicant localia abſque purgatione.*

Nihilominus, dum medicus Dogmaticus animum conuertit ad indicantium potentiam, videbit quod aliquando quælibet auctoritas Galeni expenſa extra methodum poteſt lectorem fallere, & decipere, quia quælibet cauſa, & quodlibet impedimentum, dum vrgens ſupeꝛuenit, ſpernitur. Exempla in medicina ſunt innumerabilia. Hippocrates in principio Paroxiſmorum dicit, nullum eſſe dandum cibũ; attamen, ſi methodo conſiderabitur ſententia Hippocratis, inueniemus, quod aliquãdo non ſit vera; ſicuti in pichrocolis, & his, qui diatriton habent, de quibus loquens Galenus octauo Methodi ſecundo dicit, quod in principio acceſſionis, ne in maraſmum cadant, ſint nutriendi: ecce, quod medica præcepta, niſi methodo ponderentur, ſæpè nos fallere poſſint. Quinimmò quodlibet Galeni, & Hippocratis remedium vanum reddi poteſt non ſeruata ſententia propoſita 3. methodi 9. & 12. methodi 12. quæ eſt, primo vrgenti eſſe attendendum, *Vt omnes ſententia Hippocratis ſint methodi cenſura ſubiectæ.*

secundo causæ principali, tertiò causæ sine qua non, & quartò morbis: febris, vt febris nõ exposcit vinum, similiter bilis, quæ potest esse causa febris vino augeretur, nihilominus, si cum febri esset syncopè, vinum esset exhibendum propter vrgens: similiter in aneurismate abscindimus arterias; in morsu viperæ manus, quia vrgentia sic præcipiunt: ad eundem modum dicimus, quod totũm hac conditione ante localium appositionem est purgandũ, scilicet nisi aliquod vrgens impediat. Hinc Galenus 14. meth. 9. dicit, in cancro tam in purgationis tempore, quam ante esse repellendum; si igitur topicis repellentibus vti possimus in cancro, licet corpus non sit purgatum, sequitur, quod hæc sententia, quod localia non apponãtur nisi purgetur totum, non sit semper vera; ratio desumitur ab vrgente indicante, quod magis potest, quam causa: vrgens est imminens periculum, ne locus affectus ob concursum humoris atri moriatur, causa est humor ater, hinc est, quod prima die vtimur repellentibus in cancro gratia conseruationis partis: neque obiiciant, quod non conueniat repellere à parte ignobiliori ad nobiliorem, quia dum agitur de vita partis, agitur de vrgente, dum verò dicimus, quod nõ conueniat ab ignobiliori ad nobiliorem partem repellere sine consideratione vitæ partis, agitur de indicante: præterea repulsus humor, & receptus à sanis partibus longè melius, & expeditius poterit sufferri. Hinc Galen. 14. method. 17. loquens de herpete dicit, aliquando humoris pauxillum repelli ad interna sine damno, quia viscera interna, vt fortiora promptius superãt, & resoluunt noxia excrementa, hæc sunt Galeni verba: etiam si modicum repellatur in corpus, & ad partes principes, id damnum non infert, cum à visceribus resoluetur: dum igitur corpus non valdè abũdat biliosis succis, & herpes incipiat, pluris faciendum est, ne aliqua corporis particula exedatur, quam biliosi succi, qui tamẽ neque multi, neque valdè mordaces sint, quamuis impellantur ad viscera interna, quia ibi facilius superantur. Hinc, dum Phrænesis derepente adoritur ægrotantem, vtimur prima die repellentibus, videlicet oxyrodinis, & deinde statim incipimus corpus expurgare; & ratio est, quia quæ purgant totum respiciunt ad causam: quæ caput tutantur respiciunt ad vrgens, cui primo est attendendum. Hic quorundam error notatur, dum in phrænesi incipiente non audent prima die vti oxyrodiñis; errant, quia interim, dum totum purgant, vacant primò causæ, & deinde vrgenti; quæ præpostera medicina mortis causa in plurimis esse potest, quoniam, dum humor in caput est confluxus, & extra venas est expulsus, non potest amplius repercutientibus propelli, quinimmò ibi manente humore, plura exitiosa, & vrgentia symptomata exurgunt.

Cur in cãcro licet vti repellentibus in principio.

Obiect.

Sol.

Quando licet repellere ad partes principes.

Vt errãt, qui prima die in phrænesi non audent vti oxyrodino.

Insuper præter topica repellentia possunt aliquando administrari ante totius purgationẽ digerentia, quia vt plurimum pro sedãdis doloribus. vtimur omni tempore anodynis digerentibus, calidis scilicet in primo gradu, & tenuium partium: causa verò, cur ante totius purgationẽ liceat vti anodynis, est, quia dolor, si magnus sit, subit vicem vrgentis,

Ante purgationem totius digerentib. vti possumus.

gẽtis, si mediocris quoq; sit, subit vicem causæ magis principalis, cui prius est vacandum, quam impedimentis, in quorum cathalogo collocantur totius excrementa. Galenus tertio de morbis vulgarib. com. 3. text. 76. docet, quando fomentis, iisque humidis vti possimus ante totius purgationem; habetque hæc verba, nisi ex antecedẽti victus ratione nulla plenitudo in corpore appareat, vti licebit remediis localibus ad dolorem mitigandum, vt fomentis, humidisq; medicamentis, & facultate calidis, & si per hæc non sedetur, totum corpus euacuãdum: valebit ergo ex Gal. præcessit moderata viuẽdi ratio, ergo localia anodyna ante totius purgationem parti dolẽti possunt applicari, quod nõ dicimus de insigni dolore, quia subit vicem vrgentis, vehemens enim dolor, quãuis maxima sit corporis plenitudo prius trahit ad se curationem, quam corpus purgetur: quod Galenus, & Hippocrates vsi sint localib. ante euacuationem totius, plurima sunt exempla: in Anaxione sexta die Hippocrates vsus est fomentationibus, vt dolorem auferret, & deinde octaua die secuit cubitum: similiter in Larissa caluo apposuit fomenta coxis ante totius purgationem, vt illuc excrementa confluerent. Præterea Gal. 13. meth. cap. 5. dicit, si corpus non sit plethoricum, vel prauo succo redundet, calida, & humida super phlegmonem apponemus, vt lana calente oleo imbuta, & calidum cataplasma vlceri ex farina triticea, hordeacea cũ aqua, & oleo, idem quoq; cõuenit adenis, si inflammentur: at si corpus sit plethoricum, vel cachocimum, hæc laxantia excitant fluxionem ad locũ affectum, ecce quod sententia, quod localia nõ sint apponenda, nisi purgato corpore, non est perpetuæ veritatis: insuper primo de humorib: Com. 12. habentur hæc: si corpus non habeat plenitudinem, vel sit refertum malis humoribus in pleuritide statim confugimus ad localia, de qua re diximus etiam in casu Anaxionis.

Casus dum Hippocr. vtitur topicis ante purgationem.

Ad fundamenta illorum, qui semper ante localium vsum euacuãt totum, facilis est responsio, quia nos admittimus, Galeni auctoritates propositas solum esse intelligendas remotis vrgẽtibus, dum enim topica indicantur ab vrgentib. spernuntur morbi, causæ; & impedimenta, & illis primò attendimus. Concludi igitur potest quod facta comparatione inter morbum, & causam, si topica applicẽtur morbo, absque causæ ablatione, vanum reddi topicorum vsum: topicaq; applicari posse ante euacuationem totius, dum dolor est insignis, quia est vrgens: similiter, dum corpus non indiget purgatione, quia sit excrementorum expers, vt de Larissa caluo dictũ est. Insuper dicimus topica prima die applicari, quando dolor est præcipua causa fluxionis, vt de Anaxione dictum est.

Aduersariorum fundamenta destruuntur.

Hinc errant, qui in sæuissimis doloribus articularibus statim, quãuis non sit totum euacuatum, non vtuntur anodynis, errant inquam, quia insignis dolor subit vicem vrgentis; secundò errant, quia est causa principalis fluxionis, cui secundo loco est attendendum: errant similiter nonnulli, qui eadem seueritate detestãtur anodyna ante euacuationem totius in iis, qui dolore insigni cruciantur, æquè ac in iis, qui mediocri vexantur.

Errant qui prima die in dolorib. articularib anodyna non applicant.

An febribus cum alui fluxu conueniat pharmacum, vel phlebotomia.

Cap. XII.

Dvm in ægro multæ sæuiunt ægritudines, Medicus, nisi prænosceret quæ sint vrgentes,& inter illas,quæ magis vrgeat;quæ sint causæ aliorũ,& inter causas,quæ magis foueat,& inter impedimenta quod primò, & principaliter impedit,non Medici nomen, sed circulatoris breui spacio sibi compararet: hoc sanè conuenit studiosis,qui non expendunt, vel examinant methodi arcana, sed solum colligunt Galeni,& Hippocratis sententias,illisque mouentur,nulla facta affectuum comparatione,seu indicantium examine,exemplum, qui diatriton excolebant,in paroxismis cibum non dabant,hocque consentiebat aphorismo Hippocratis dicentis,in paroxismis esse abstinendũ à cibo, attamen Galenus docet, esse nutriendos diatriteos in principio accessionis, quod non reluctatur Hippocrati, qui in aphorismo proposito respicit ad causam præter naturam, quæ re vera non potest à natura vinci,dum est intẽta,& occupata expulsioni putrescẽtis humoris; Galenus verò nõ ad causas,sed ad vrgentia respexit, ne scilicet diatritei fiant tabidi,& certò pereant, quod quam maximè vrget.

Duplex medicorum secta proponitur. Hac distinctione admoniti decidere poterimus illam nostratum quæstionem,quæ est,an in febrientibus cum alui fluore liceat vti medicinis,& phlebotomia: nostrates enim sunt bipartiti: aliqui tenent, quod in febrientibus cum alui fluore nunquam sit sanguis mittẽdus, vel pharmacum exhibendum; quamuis euacuatio non sit præ multitudinis ratione. Aliqui,inter quos est Antonius ab Altomari,dicunt, quod si natura non integrè moueat,quamuis fluxus non sit præ multitudinis ratione, possit pharmaco,& phlebotomia curari.

Vtraque secta reprehenditur. Vtraque tamen Medicorum secta à præcipuis Galeni fundamentis deflectere videtur;quia moueat natura integrè,vel non integrè, accidit, vt modo lenientia, & phlebotomia conueniant, modo verò aduersentur, & ratio est,quia indicantia modo magis indicent; quã prohibent,& modo prohibentia magis prohibeant,quam indicent: exẽplum,sit aliquis febre correptus cum alui fluore; cum periculo ne ob nimiam euacuationem robur cadat,& inde non vincatur febris, tunc haud dubiè prius erit attendendum viribus, quia in indicando sui custodiam magis possunt, quam febris sui ablationem; quo casu neq; pharmacum, neque phlebotomia conuenient: si verò febris illa esset admodum maligna, & fluor non esset præ multitudinis ratione,tunc si immineret periculum, vt malignitas furiosè obreperet cor, seu cerebrum cum certo ferè mortis periculo, tunc haud dubiè magis vrgeret furiosa malignitas, quam timor, ne cadat virtus ob medicinam, vel phlebotomiam,quo casu,si vera sit sententia, quod ei, cui magis vrget sit attendendum,coacti medicinam, vel phlebotomiam laudabimus.

Exempla,

Exempla, quæ possunt confirmare hanc opinionem, plura habentur in medicina, sicuti est illud famosum, dum in febrientibus cum maximo sanguinis fluore vtimur phlebotomia; etenim in febrientibus cum maxima eruptione sanguinis è naribus nullum hactenus est inuentum remedium, quod magis iuuet, quam ex parte directè opposita sanguinem mittere: quod cum ita re vera fiat, cur non licebit in febriente cum diminuto alui fluore aliquam leuem medicinam exhibere? nemo est qui nesciat, fluorem sanguineum magis posse in frangendis viribus, quam alui fluor. Neque propterea dicimus, fluxum diminutum semper esse' lenientibus tractandum, sed solum, dum magis potest indicans, quam prohibens, quod expensis indicantium comparationibus superius declaratis optimè cognosci poterit: sat est in hoc capite, vt propositis exemplis destruamus hanc vniuersalem propositionem, in febriente cum alui fluore, quamuis fluor non sit præ multitudinis ratione, non esse euacuandum: destruitur virtute huius principij, scilicet vrgentiori semper esse prius vacandum; potest enim, vt diximus, accidere, quod indicans magis vrgeat, quam timor, ne vires ob fluxum pereant.

Exemplis probatur febri cũ alui fluxu cõuenire phlebotomiam.

Qui tenent pharmacum, & phlebotomiam habere locum in fluxu alui cum febre, colligunt ex Galeno 4. de rat. vict. in ac. 64. vbi dicit, quod si biliosa deorsum repant dandum sit scammonium, quia biliosa purgantur, insuper 1. aphor. 20. dicit Hippocrates, quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, non esse medicamentis nec aliis irritamentis mouendum, quare argumento ex oppositis sumpto dicimus, quod diminutus fluxus supponat non integrè iudicari, & per consequens naturam exposcere medicamenta, vel irritamenta per locum, quò expedit: est Galeni 6. de morb. vulg. Com. 2. text. 28. reuellendum esse, si non repant humores, quò expediat, viamque esse aperiendam, si repant, quò expedit: ex iis inferunt in fluxu, qui non sit prę multitudinis ratione, vias esse aperiendas medicamento, vel quouis alio ingenio.

Argumenta illorum qui vtuntur medicinis, & phlebotomia in alui fluxu.

Quæ fundamenta sunt omninò à principiis methodi aliena dum dicunt, dandum esse scãmonium, dum bilis habet raptum deorsum: respondemus; quod raptus valde differt à fluxu, fluxus enim est symptoma in exeunte mutato, raptus verò non est motus symptomaticus, sed motus naturæ, de quo Galenus primo ad Glauc. cap. 14. dum de alui fluxu loquitur, non intelligit: similiter dum dicunt, quod natura, dum integrè non mouet in alui fluxu, sit medicamentis adiuuanda: occurrimus, quod Galeni auctoritas primo ad Glauc. loco citato sit de fluxu, qui est morbi motus, aphorismus verò de motu naturæ.

Reijciuntur aduersariorũ argumenta.

Altimarus libro de morbis cap. 73. interpretatur Galenum primo ad Glauc. cap. 14. quod loquatur de fluxu critico, & non symptomatico, quæ interpretatio vera esse non potest, quia tempus euacuandi per phlebotomiam non est in declinatione, sed in principio, quo tempore motus critici nõ fiunt, quod verò in principio non fiant motus

Reijcitur interpretatio Altimari.

critici,patet ex Galeno quarto aphorismorum 22. vbi dicit,si quid excernitur in principio morbi, nihil ratione naturæ excerni, sed omnia esse symptomatica; quinimmò subdit, ante motum criticum præire coctionem, subsequi discretionem, & postea euacuationē, quo tempore non est cogitandū de phlebotomia; locutus igitur est Galenus de motu symptomatico,& non de critico: præterea in criticis motionibus non est timendum, quod ægri ob medicinas pereant,quoniam in critica euacuatione statim vires subleuantur,quare de motu symptomatico,& non critico intellexit: insuper Galenus prohibet phlebotomiam, & medicinas in fluxu, ne viribus factis debilioribus patiens multorum dierum spatio ob fluxum continuum pereat; quis diceret, quod fluxus, qui multorum dierum interuallo perderet, vocetur criticus? Demum fluxus criticus non est verendus,quia omnis crisis fit in declinatione,& in declinatione nemo moritur, ergo Galenus locis citatis locutus est de fluxu symptomatico, & non critico.

Vt errant qui tenent nunquā esse phlebotomandum in febri cum alui fluxu.

Similiter errant, qui seuerè sustinent, nunquam esse phlebotomandum,vel aluum mouendam,dum est fluor alui symptomaticus, & cum febre iunctus, quia si indicans pharmacum, vel phlebotomiam vrgeat, nos docet Galenus 9.methodi 9.cætera omnia indicantia,& pręcepta sperni. Qui Galeni,& Hippocratis auctoritates adiscunt, easque deinde non examinant in methodo medendi, quamuis ad verbum omnes referrent, nihil de arte medica intelligerent; amethodi enim sæpenumerò putant Galeni sententias sibi esse parum cohærentes,exempli causa quarto de rat.vict.in ac.legunt,quod corpora ægrorum quieti sint permittenda,prima sect.aphor.quod in principio,si materia turgeat, corpora ægrorum pharmaco sint tractanda,similiter in principio Paroxismorum quod nihil cibi sit dandum:8.methodi in principio Paroxismorum pichrocolos esse nutriendos; nisi methodi trutina omnia componant, nunquam hos nodos tollent: methodi examen præcipuum est. vt sibiipsis ante oculos hoc proponant, vt semper sit attendendum prius vrgenti, quam causis, impedimentis,& morbis,& inter vrgentia prius vrgētiori:cui dubium,quod corpora ægrorum semper quieti sint permittenda gratia concoctionis: cui dubium,quod si turgeat materia,quod sperni possit quies, vt prohibeamus ne turgidæ materiæ feriant cor, & vitam tollant: similiter nihil cibi dandum in accessione, attamen,si immineat hectica, spernitur quod minoris est momenti:itidem Galenus 2.Aphoris.24.dicit, quod si dysenteria incipiat ab atra bile,sit mortale; si verò quiescat atra bilis non nasci hæc mala:ecce quod quies modo habet locum,modo spernitur: habet locum, quia dum mouetur atra bilis potest intestina exædere,ideo hac ratione nō est medicamento mouenda spernitur aliquando,quia potest accidere,dum quiescit,vt paulò post magno cum impetu feriat cor,& mortem adferat:quis posset mederi,nisi perfectè expenderet, quodnam ex istis minetur certiorem mortem? sic igitur expenditur,si cordis symptoma magis vigeat, quam intestinorum; quod est dysenteria,pharmacū omninò dandum est, quamuis

Amethodi cur plures cōtradictiones inueniant.

uis intendatur dyſenteria; quia ſymptoma cordris minus poteſt præcaueri, quam dyſenteria, quæ loricantibus aliquomodo minuitur: ſemper prudens medicus potius dubiam ſalutem proſequi debet, quam certam mortem.

Poſtremò dicimus, quod Altimarus cum aliis perperam interpretatur Galeni ſentẽtiam primo ad Glauc. 14. dum dicit, ſi febris ſit cum profluuio ventris, alia non eſt opus euacuatione, quàmuis non ſit præ multitudinis ratione, quia ibi Galen. loquitur de læſione oris ventriculi, in quo caſu dicit, ſtomachum prius eſſe corroborandum, quam euacuandum, additque hæc verba: aliquos periiſſe vidi, & in periculum perductos ob euacuationem non roborato prius ore ventriculi, ſubditque, ſed neque ſi fuerit febris cum profluuio ventris alia eſt opus euacuatione, quamuis non ſit præ multitudinis ratione, nam ſi quis repletum hominem euacuabit per ventrem, vel ei ſanguinem mittet, in grauiora pericula duxerit; ecce quod Galen. ob aliam cauſam loco citato non vult in fluxu euacuare, vel ſanguinem mittere, niſi quia os ventriculi eſt læſum, ob quam læſionem immineret periculum, ne ob euacuationem in cardialgiam, vel alios deteriores affectus ægri inciderent: quæ Galeni ſententia methodo cum primis cohæret, quia vrgenti prius, quam cauſæ attendit. Non negat Gal. fluxum aliquando poſſe tolli euacuantibus, ſed ſolum facta comparatione inter vrgens, id eſt inter damnum dependens ab imminenti cardialgia, & beneficium euacuationis peccantis cauſæ, dicere videtur, quod magis ſit vacandum imminenti cardialgiæ, quam euacuationi, quia magis vrget: non negaret Galenus, quando quis eſſet robuſto ventre, humoreſque diminutè fluerent, materia eſſet maligna, & virulenta, inſtaret periculum ne aliquantulum retenta exederet inteſtina, caput peteret, & phrænesim excitaret, quod non poſſet tolli fluxus euacuantibus ventrem, vel phlebotomia, quæ ex omnium ſententia calorem viſcerum efferuescentem, qui eſſe poteſt cauſa fluxionis, compeſcit.

Malè ut reiicitur Altimarus.

Hinc Alexander Trallianus loquens de dyſenteria, ne æger in grauiora mala cadat, laudat modo purgationem, modo ſanguinis euacuationem ſi vires dyſenteria correptus habeat robuſtas: eodem ſpiritu Auicennas 4. primi cap. 3. dixit, fluxum fluxu tolli; quare omnes ſententiæ Galeni, & Hippocratis ſunt moderandæ facta comparatione indicantium, hac ſcilicet lege, vt vrgentiori prius ſit vacandum, ſecundo cauſæ magis principali, deinde impedimentis, & poſtremò morbis.

Vt Alex. Trall. phlebotomiã laudat in febri cum fluxu alui.

Ostenditur, vanam, & Medico indignam esse Archigenis opinionem, quod semper à leuioribus auxiliis sit exordienda morborum cura.

CAP. XIII.

QVÆRITVR tandem, an Archigenis sententia vera sit, quæ est, an in qualibet ægritudine curanda, auspicandum sit à leuioribus auxiliis. Archigeni reluctatur in primis Hippocrat. qui dicit in aph. quod extremis morbis extrema remedia sint adhibenda: Gal. quoque non semper à leuioribus exorditur, sed solum in morbis non periculosis; 5. n. method. cap. 15. hac verborum serie exprimit suam sententiam: sicuti medicorum nonnulli censent à paruis incipiendum auxiliis, & deinde ad maiora; in morbis enim vbi non impendet periculum, vera est opinio, vbi impendet, alienissimum est à ratione à minoribus auxiliis auspicari, ratio verò potissima, cur à leuioribus non sit inchoandum, hæc est, indicans præter naturam vnum indicat, quia vnum vni est contrarium; quare si indicans indicabit potentissimum remedium, leues quoque indicare non poterit; quia duo indicaret, quod reluctatur Galeno 9. meth. 12. & 2. method. 13. est necessarium, vt verum remedium sit vel leuius, vel potentius, ambo esse non possunt, quia de ratione remedij est, vt vincat, & superet ægritudinem, si igitur leue remedium sufficiet in victoria consequenda, magnum remedium partem affectam lædet, & nouam introducet ægritudinem. Dignum tamen est inquisitione, cur Galen. dixerit, in morbis vbi non imminet periculum mortis à leuioribus esse inchoandum, quia hoc videtur aduersari sibi ipsi, qui 14. meth. vlt. loquens de pterygio dixit, pterygij parui detegentibus magni chirurgicis auxiliis sunt tollendi, at sic est, quod pterygium magnum non minatur mortis periculum, ergo sententia Gal. dubia, & perplexa esse videtur: Gal. vindicari potest, quia 5. meth. vlt. non est locutus de remediis pertinentibus ad indicationem, sed ad experientiam, & analogismum, quæ duo instrumenta versantur circa coniecturam, quasi quod diceret, si non immineat periculum, & indicationes specificæ sint occultæ; varia poteris experiri, sed hac conditione, vt tutò procedas scilicet incipiendo à leuioribus, ne ægrum potentioribus remediis lædas: at si morbus per indicationem cognoscitur, tunc certò scimus, quale debeat esse remedium, quod vnicum esse debet, & non plura, quia indicans vnum indicat: si indicans indicaret remedium validum, vanissimus esset ille Medicus, qui leue exporrigeret, quia illud leue nihil faceret, & frustra tempus Medicus tereret: si in pterygio magno vteremur detergentib. centum annorum tractu, nihil omninò proficeremus, quia solum ferrorum, vel ignis sunt proportionata indicata, vel materiæ indicatorum; itaque, quia in methodo medendi solum per indicationem remedia perquirimus, & quodlibet indicans vnum indicat, vnicum erit

Dubitat.

Sol.

remedium:

remedium: si verò non cognoscatur morbus per indicationem, & non immineat mortis periculum, antequam ascendamus ad potentiora remedia, à leuioribus exordimur.

Conferentes omnia, quæ dicta sunt in hoc libro in Epilogum, dicimus, quod in primo docuimus tres methodos pro cognoscendis affectuum ideis; prima quarum transferebat nos ad cognoscendam symptomatum omnium coordinationem: secunda per signa propria: tertia per syndromem signorum communium in cognitionem omnium formarum ægritudinum nos ducebat: hæcque exemplis adeo manifestis est illustrata, vt quilibet rudis inde animaduertet errata, quæ in hac contemplatione contingere poterunt: in secundo traduntur normæ quibus cognoscere possumus, quando affectuum ideæ sunt per essentiam, & quando per consensum: in tertio agitur, quomodo specificæ formæ affectuum cognoscantur: in quarto vt metiri possimus recessum morborum à statu naturali, egimusque de consuetudine, vt profundius hæc materies de morborum ideis nosceretur. Peracta contemplatione pertinente ad ægritudinum formas, sequuntur sex libri de cognitione peccantium humorum: in quorum primo ostendimus, quæ sint signa propria peccantium humorum: in secundo, quæ sit artificiosa syndrome signorum communium pro cognoscendis absconditis humoribus in corporis latebris existentibus; in tertio de humorum misturis, & quot possint esse in viuentibus; in 4. de principiis reconditarum causarum: in 5. de quantitate, & in 6. de motu peccantium humorum. Peracta contemplatione causarum efficientium, sequuntur quinque libri in quibus egimus de solertia pro inueniendis ægritudinum remediis; in quorum primo agitur de principiis methodi medendi: in secundo quomodo remedia per analogismum, & experientiam perquirantur: in tertio qua arte administrare debeant remedia: in quarto de reuulsione, & deriuatione: & in postremo de indicantium æquilibrio, merito quorum librorum omnia errata, quæ ab Empiricis fieri poterunt quilibet studiosus facilè detegere poterit.

Epilogus vniuersalis.

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Albertus

Color

Errata quæ in primo libro reiiciuntur.

Errare

Errata quæ in secundo libro reiiciuntur.

Errata quæ in tertio libro reiiciuntur.

Errata quæ in quarto libro reiiciuntur.

Errare

Errata Galeno adscripta.

Errata quæ reiiciuntur in quinto libro.

Errata quæ reiiciuntur in sexto libro.

Errata quæ reiiciuntur in septimo libro.

Errata quæ reiiciuntur in octauo libro.

Fabulosa à Dioscoride relata.

Dum

Errata quæ reiiciuntur in nono & decimo libro.

Errata quæ reiiciuntur in vndecimo libro.

Errata quæ reiiciuntur in duodecimo libro.

Errata quæ reiiciuntur in decimotertio libro.

Errata quæ reiiciuntur in decimo quarto libro.

Errata quæ reiiciuntur in quintodecimo libro.

Indi-

Salse-

FINIS.

SANCTORII SANCTORII OLIM IN PATAVINO GYMNASIO MEDICINÆ THEORIcam ordinariam primo loco profitentis, DE *REMEDIORVM INVENTIONE* LIBER.

CAPVT PRIMVM.

Vnde fit quòd Medici raro inueniant verum & proprium remedium.

QVIA diximus, Hippocratem egiſſe in aphoriſmo 21.de inuentione medicamenti ſumpta indicatione à locis conferentibus, & ab humorum inclinatione. Plurimi in hac re tanti momenti rogarunt me, vt fuſius, & diſtinctius agerem de remediorum inuentione: quia reuera in arte medica nihil videtur eſſe magis expetendum: ſumpta igitur indicatione à ſpecificis affectuum differentiis à quibus ſolum remedia ex vſu artis deſumi poſſunt, breuem hunc tractatum aggredimur.

Cauſa, cur medici admodum raro verum & proprium remedium inueniant, eſt artis medicæ, Philoſophiæ, & Logicæ imperitia quod facilè oſtendi poteſt auctoritate, ratione, & experientia.

Galenus 1.ad Glauc.cap.1.oſtendit, medicos imperitos ob diuiſionis pra-

uitatem in tria errata labi posse: vnde fit, vt nunquam perueniant ad specificas affectuum differentias, ex quibus solum vera, & propria colliguntur remedia: habet enim hæc verba " Etenim quæ in aliis hæresib. contingunt errata, & quæ multi medici nunc in ægrotantium curatione delinquunt, hanc primam atque præcipuam causam habent, diuisionis scilicet prauitatem.

Deinceps statim proponit primum erratum, quod est, dum nulla facta diuisione persistunt in primis, & supremis generibus, à quibus certè nullum remedium ex vsu artis desumi potest.

Secundum erratum ex Galeno loco citato est dum colligunt remedium à genere subalterno relinquentes specificas, & vltimas affectuum differentias: ex quibus solum remedia collecta iuuant.

Tertium erratum ibidem proponit Galenus, dum medici parum periti vitiosis vtuntur diuisionibus, vel transcendendo suprema genera, seu faciédo transitum de genere in genus, vel de genere morborum in genus causarum.

Quo ad primum erratum, quod est dum persistunt in generalissimis remediis, maximè hoc damnatur à Galeno nõ solum loco citato, sed 3. meth. cap. 3. his verbis " Existimare communem quamdam esse omnium hominum curationem, vt stupidissimi methodici putant, extremæ est dementiæ: sicuti extrema est dementia medicorum vulgarium, qui persistunt in communissimis morborum generibus: sicuti dum dicunt, est intemperies: ergo per contraria auferenda: est angustia præter naturam: ergo per aperientia est tollenda: est soluta vnitas: ergo per συμφυσιν, id est coalitum sananda. Ex his supremis generibus omnia remedia, quæ colliguntur sunt omninò vana, & circulatorum propria: nisi diuidantur intemperies, angustiæ, & solutæ vnitates in subalternas differentias: deinde in specificas, quæ vlterius diuidi non possint.

Pari modo Galenus 1. meth. 3. damnat, qui non diuidunt vsque ad specificas differentias, his ferè verbis " si quis diuidet elementa vocis in vocales, & consonantes, & vlterius diuidendo non progrediatur, omnia elementa non intelliget: sic de morborum numero non debemus in prima statim differentia subsistere, sed diuidendo procedere: donec ad aliquam infimarum specierum, & quæ amplius in aliam distrahi non possit, perueniamus: Ecce quàm clarè Galenus nobis cõmendat, vt in diuisione non quiescamus in genericis: quia ex illis certè nullum remedium colligi potest. Sed dum infra agemus de specificis differentiis rem claram & dilucidam magis ante oculos obiiciemus.

Quod verò vnum indicet vnum patet ex Galeno 9. meth. 12. vbi inquit " Conferentis indicatum semper esse vnum: Idem confirmatur 11. meth. 13. vbi habet vnam semper dari ex quaque re indicationem.

Patet quoque ex Aristotele qui 1. de Cælo suffultus hoc principio, quod vnum vni aduersetur, inuenit quintam essentiam: eius fundamentum erat: quia motus rectus sursum conuenit per se igni: circularis verò igni per accidens, alioqui motui recto deorsum duo motus ignis aduersarentur, videlicet rectus sursum, & motus circularis ipsius ignis: quare circularis per se

conueniet Cælo: ergo si motus indicat naturam: motus circularis indicabit, Cælum habere naturam diuersam ab elementis: esseque quintam essentiam: ac non constare ex eminentiis elementorum, vt putabat Plato.

Rationi verò, & philosophiæ aduersantur, qui desumunt remedium: ab ipsis generibus pro demoliendo affectu specifico: quia in omni genere vno est vna prima contrarietas: sic in coloris genere, albedo aduersatur nigredini: neque inueniuntur alij colores, qui essent contrarij albedini, nisi ipsa nigredo: quia vnum vni est contrarium, & non plura. Idem dicendum est de omnibus aliis contrariis.

Præterea, si omne calidum, & omne frigidum lædit: quia est in 1. 2. vel 3. vel 4. gradu: ergo omnes intemperaturæ, quæ lædent operationes, erunt specificæ: ergo remedia non erunt desumenda à generico, sed à specifico.

Insuper omnia quæ lædunt operationes, lædunt vt specifica, & non vt generica: ergo qui persistunt in remediis genericis nunquam inuenient remedium, quod possit sanitatem restituere.

Demum qui à genericis desumunt remedium incidunt in errata ob logicæ inscitiam non ferendam quidem, nempè in paralogismum à positione consequentis ad positionem antecedentis: non enim valet consequentia, est calidum: ergo est calidum vt duo: valebit tamen vice versa, est calidum vt duo: ergo est calidum, quod est argumentum à positione antecedentis ad positionem consequentis.

Deinde, dum quiescunt in generica indicatione labuntur in erratum circa vniuersale: quia applicant inferiori, seu specifico, quod conuenit superiori. Exemplum, dum dicunt, tertianam indicare remedium refrigerans & humectans: hoc remedium certè non conueniet tertianæ, vt est tertiana, sed vt est intemperies calida & sicca valde generica: quia talis potest esse in latitudine neutralitatis, insalubritatis, & in latitudine ægritudinis: tertiana est species intemperiei calidæ & siccæ in latitudine ægritudinis: quæ intemperies adhuc subdiuidi potest, vt paulo infra ostendemus: ergo remedium pro tertiana debet esse refrigerans & humectans specificum, quod sub orbe lunæ est vnum solum, & non plura: quia vni vnum solum aduersatur.

Quó ad secundum erratum, quod indicans non possit esse subalternum, patet ex dictis: sed clarius, & in actu practico, & Galeni auctoritate patebit. In actu practico hoc modo: si quis desumeret à materia fluente remedium intercipiens, quod posset satisfacere omnibus fluentibus humoribus: certè esset illud intercipiens genericum, vel saltem subalternum, addimus: sed sic est, quod neque à Galeno, neque ab alio vnquam inuenta est materia istius auxilij intercipientis generici, quatenus scilicet est intercipiens, ergo si velint medici intercipere, prius debent illud genericum subdiuidere in intercipiens quod incrassando, & in illud quod astringendo sistit fluxionem. Primum indicatur à materia tenui. Secundum non à materia tenui, sed à meatibus reclusis: quare nisi diuidamus subalternum intercipiens, cuius materia generica occulta, nunquam remedium specificum inueniemus & per consequens nunquam sciemus an incrassantibus, vel astringentibus sit intercipiendum.

Pari modo si quis desumeret remedium à morbo in angustia vt est angu-

stia, illud certè sub Cælo non inueniet: quia angustia habet sex differentias specificas: illud enim remedium quod conueniet angustię propter obstructionem interimet illum, qui habet angustiam ob compressionem. O quam ridiculi sunt illi medici (vtinam nunc essent pauci) qui dum transitus vasorum vrinæ, vteri, vel aliarum partium est impeditus ob angustiam per compressionem, dant oxymel, iulapium acetosum, & similia: qui quantum ægros lacerent, & quantum hoc sit à Galeno vetitum, cap. de angustia paulo infra fusa oratione ostendemus.

Similiter si quis in affectu pleuritico non diuidet prius pleuritidem in suas differentias, ac velit venā secare, posset errare, & maximè lædere ipsum pleuriticum: hoc patet ex Galeno 6. aphoris. comm. 5. vbi habetur ¶ si dolor in pleuritide neque ad clauiculam, neque ad hypocondrium perueniat, nec venę sectionem, nec purgationem excogitabis: quia dolor ille erit in partibus carnosis, vbi nullum subest periculum: quia, ibi pleura membrana non est: pleura enim membrana vestit cor, & omnes partes internas thoracis, non externas: ideo inflammata ob sympathiam partium principum potest esse exitiosa: quod dici non potest de pleuritide, quæ in carne fit. Neque dicendum est, illam externam non esse vocandam pleuritidem: quia plura non significat propriè membranam, sed significat latus: sic latus etiam ipsius nauis vocatur pleura: pleuram in Aristotele Gaza vertit costas.

Demum ostendunt esse in logica parum versati, qui ab indicante generico desumūt remedium specificum: Aristoteles enim 2. Post. 12. maximè damnat illos, qui inferunt consequentiam à genere ad speciem: sicuti si quis diceret, iecur est calidum; ergo cichorea iuuabit: quia cichorea est refrigerans specificum, seu materia refrigerantis specifici: calor iecoris est quid genericum: quod sub se quamplurimas continet specificas differentias.

Insuper Galenus desumpsit hanc doctrinam de tribus erratis, in quæ labuntur medici imperiti in eligendis remediis ab altiori schola, quam aliqui fortasse putant, nempè à 1. Post. cap. 5. vbi Aristoteles animaduertit, tria remitti posse errata in cognitione ipsius quod quid est, & vniuersalis: nec non etiā à lib. priorum, sicuti nos ostendimus lib. 11. nostræ method. vitandorum errorum ex Aristotele, illam rationem seu medium terminum non esse admittendum, si communior sit quæsito: nec subiectum quod sit communius ratione. Ad quæ communissima errata tria Galeni, & tria Aristotelis reducuntur.

Itaque constituimus tamquam methodi principium, quod nullum remedium colligi possit, nisi à specificis indicantibus siue à specificis & vltimis differentiis morborum, & causarum, sicuti nos quoque docet Galenus 2. meth. 7. vbi vult in perquirendis remediis esse à generalissimis ad alias speciatim indicationes descendendum.

Similiter 1. ad Glauc. 1. asserit, quod ille solus qui sumit indicationes à specificis affectibus, quantum permittitur viribus medendo non erret. Ibidem extollit ad sydéra Mnesitheum Atheniēsem medicum percelebrem, quia à supremis generibus ad subalternas, & inde ad vltimas, & specificas indicantium & indicatorum differentias descendebat, atque in his quiescebat.

Quod verò omnes morbi, & omnes causæ antecedentes internæ, quæ curantur, & omnia remedia, quæ verè sanitatem restituunt sint specifica, patet ex Galeno,

Galeno,& exemplorum luce. Ex Galeno(præter alia loca citata) 3.meth.cap. 1. vbi dicit ❡ absurdum est aliud esse quod indicat, & aliud quod curatur: addimus: sed sic est quod illud quod curatur est specificum & non genericum.

Exemplorum luce sic confirmatur: sit tertianā in Socrate: quæ tolli possit rhabarbari drachma: id fiet, tum ratione illius specificæ virtutis rhabarbari: tum ratione illius determinati granus tertianæ Socratis, qui gradus est quid specificum: quia sub se continere potest innumerabilia indiuidua quæ possent eadem tertianæ specie, vel gradu conflictari, ac eadem rhabarbari virtute sanari.

Quod verò specifici affectus in particularibus contenti,& non ipsa particularia curentur, ostendimus tum lib.11. meth.nostræ vitandorum errorum, tum in hoc loco idem sic probamus: si particularia vt particularia curarentur, illorum indicationes non ostenderent ipsa remedia: ratio est: quia nó datur progressus à particulari ad particulare: sic humana ratiocinatio esset vanissima, quoniam nisi in ipsa fieret progressus à continente ad contentum, id est ab vniuersali ad particulare, nunquam concluderet.

Si inductio, quæ procedit à multis particularibus non valet: quia non est suffulta dicto de omni, quanto minus valebit si ab vno particulari ad aliud fiet progressus? ostensum est & receptum ab omnibus, indicationem habere vim illatiuam, quæ sine dicto de omni, vel de nullo dari non potest.

Quo ad tertium erratum, quod committitur à medicis, dum vitiosis vtuntur diuisionibus, Philosophi & medici omnes tenent sine recta diuisione, affectum, seu differentiam specificam dignosci non posse. Plato in Phædro ait, similem Deo, qui rectè diuidit: quia Deus est rerum omnium partitor: sic Aristoteles 2. Post.tex.19. docet, quod quid est non posse inueniri, nisi facta diuisione in eodem genere vsque ad specificam differentiam. Galenus 1. meth.5. habet hæc verba ❡ Fieri nequit, vt differentias vllius morbi inuenias, ipso quod diuiditur non planè explorato. Hinc 1.ad Glauc. citato illos solos medicos laudat, qui in diuisionum peritia sunt versati.

Diuisio perfecta facienda est in eodem genere: quia hæc sola ante oculos statim collocat quæ sunt pernoscenda: Ex se tamen diuisio, licet perfectissima sit, nihil sine virtute syllogistica concludit. Immò dum aliquid inferimus ex sola diuisione, turpiter labimur in paralogismos peccantes in forma & materia. In forma: quia dum sit transitus à genere ad membra diuisa sine probatione argumentum cadit in secundam figuram ex duabus affirmatiuis, vocaturque paralogismus à positione consequentis ad positionem antecedentis: quia medius terminus est communior quæsito. Hinc Aristoteles 1. Priorum,& in fine secundi dicit ex diuisione consequentias esse prauas: secundo verò periher. admonet à diuisis ad coniuncta ratione formæ nihil inferri posse. Hinc Aristoteles 2. Post. docet, per syllogismum diuisiuum nihil concludi, nisi illud quod est in maiori propositione. terminus

In materia peccat argumentum diuisiuum: quia concludendo illud solum quod est in maiori propositione, ex necessitate labimur in principij petitioné. Ex his ergo apparet, quod sola diuisio nihil concludat: Ex his apparet quod qui non diuidunt vsque ad specifica sint sophistæ & non medici: quia magis à veritatis scopo recedunt, quam homines priuati, qui secundum naturam lo-

quuntur, de quibus Galenus 8. methodus 6. loquens habet, *quemlibet priuatum*, qui secundum naturam loquitur, veriores opiniones habere quolibet sophista.

Vitiosam facimus diuisionem, vel dum fit transitus de genere morbi in genus alterius morbi, vel fit transitus de genere morbi in genus causatum, vel suprema genera transcendimus.

Quo ad transitum de genere morbi in genus alterius morbi, neque indicans, neque indicatum id est remedium vnquam inuenietur: non indicans, quia vt tale non est nisi in vnico genere: non indicatum: quia cōtrariū vnius generis non potest esse contrarium alterius: quoniam ex Aristotele prædicamenta, & eorum differentiæ, & proprietates sunt omninò impermiscibiles. Vt igitur inueniatur indicans, & indicantis remedium, debet fieri diuisio in eodem genere. Exempli causa nigrum non opponitur calido, nec album frigido, sed nigro: quia genera colorum, & primarum qualitatum inter se differunt: hac ratione Asclepiades reprehenditur à Galeno 6. de Vsu P. 13. & alibi, quia dixit, febres, & omnes morbos in intemperie esse reducendos ad malam conformationem corpusculorum; nec videbat intemperiem esse vnum genus, malam conformationem esse aliud omninò diuersum.

Vitiosa quoque est diuisio, dum fit transitus de genere morbi in genus causæ: quia morbus & causa genere differunt. Hinc Galenus 9. meth. 14. Idem proponit his verbis ❡ Affectus verò haudquaquā in causas deduci est aptus, sed in differentias: nam aut in similaribus consistit partibus, aut in instrumentariis: in similaribus est temperies. O quam sæpissimè rudiores in vitiosam hāc diuisionem incidunt! veluti dum diuidunt febres in biliosam, pituitosam, & melancholicam. Nec vident per hanc diuisionem fieri transitum de genere morbi in genus causæ: quia intemperies est morbus: humor peccans verò est causa efficiens: febris vt febris semper est intemperies calida: causa febris autem non semper est calida: quoniam pituita quæ efficit quotidianam est frigida, Quomodo igitur ex hac praua diuisione colligi poterit ipsum remedium? Cum igitur causæ efficientes, & morbi ipsi differant genere: certè contrarium vnius non reluctabitur alteri: quod verò reluctatur febri non necessariò reluctabitur bili, vel pituitæ.

Ratio vera, cur si quis perquirat remedium in alieno genere centum annorum tractu, illud nunquam inueniat, est, quia vni contrario vnica sola est cōtrarietas, quæ genere conuenit. Hinc intemperies calida & remedium frigidum sunt duæ species in eodem genere primarum qualitatum.

Hinc maximè decipiuntur illi (vt error quidam famosus proponatur) qui putant, magnitudinem morbi indicare pharmacum & venæ sectionem: quia vnico affectui vnica debet esse contrarietas, & non plures: ipsi tantum putant venæ sectionem & phamacum æquè aduersari morbo magno.

Præterea transeunt de genere in genus: quia morbus magnus est vnum genus, venæ sectio quæ respicit causam est aliud genus, vel materia alterius generis.

Insuper morbus magnus est differentia subalterna, in quibus non est quiescendum, vt iubet Galenus 1. ad Glauc. 1. Affectus verò præter naturam vehemens indicat remedium vehemens & magnum: at remedium magnum & vehemens

hemens est subalternum, quod diuiditur in pharmacum & venæ sectionem, & in alias auxiliorum differentias.

Porrò contrarium, quod reluctatur indicanti inuenitur in specificis, & non subalternis differentiis.

Postremò si remedium magnum est indicatum, quod ab affectu præter naturam vehementi & magno per se indicatur: ergo venæ sectio per accidens indicabitur à morbo magno.

Hactenus non est inuentus Philosophus ita rudis, qui communo illud principium reiiciat, quod vni per se, alteri per accidens conueniat: hoc igitur posito sequitur necessariò morbum magnum primo, & per se non indicare venæ sectioné: quia primo, & per se indicat remedium magnum. Quo pacto verò possit defendi Galenus, dum dixit, magnitudinem morbi indicare venæ sectionem. Nos satis superque declarauimus lib. 12. method. nostræ, & in arte parua in propria quæstione.

Insuper quod non possit admitti transitus de genere morborum in causas, colligi potest ex præcepto Aristotelis 1. Post. text. 20. vbi ostendit, conclusionem geometricam nullo pacto probari posse per principium arithmeticum: quia media & extrema debent esse eiusdem generis: quare si medius terminus, qui nos docet passionem propriam debet esse eiusdem generis, quantò magis in cognoscendis specificis indicantibus erit procedendum per ea, quæ sunt eiusdem generis?

Tandem, si non licet ex Aristotele in demonstrationibus vti principiis cómunibus pro cognitione passionis, sicuti ostensum est à Philosopho in famoso illo paralogismo Brisonis de quadratura circuli, quanto minus licebit transcendere, vt cognoscamus proprium indicans? sed melius, quantò minus licebit transcendere in cognoscenda non dicam passionem indicantis, sed naturam ipsiusmet indicantis, quæ est medius terminus docens nos ad cognitionem remediorum? Hæc itaque sunt principia, quibus potuit Galenus locis citatis firmiter sustinere, quod in diuisione indicantium nunquam sit transeundum de genere morborum in genus causarum.

Denique vitiosa est diuisio, dum imperiti transcendunt generalissima: tunc enim tantò minus proprium, & specificum indicans inuenient. Immo Hippocrates (vt refert Galenus) 1. præsag. comm. 4. nunquam morborum causas in Deum retulit: quia Deus est causa transcendens, & cæterarum causarum suprema.

Quo pacto verò cognoscantur specificæ morborum differentiæ: nos egimus lib. 3. meth. nostræ, ostendimusque specificos reddi affectus ab aliqua ex decem conditionibus partium affectarum. Ibidem exempla omnium morborum à capite vsque ad morbos extremarum partium speciatim proposuimus, vt quisque facilè intelligat, quomodo fiant affectus specifici, qui reuera sunt illi, qui indicant remedium ex vsu artis.

Neque audiendi sunt Empirici, qui spretis rationibus, & auctoritatibus dicunt plus valere experientiam, quam Hippocratis & Galeni Philosophiam. Nos verò experientiam esse concedendam putamus, sed sine ratione, & Galeni seu Hippocratis consilio, credimus experientiæ non esse fidendum. Hinc prudentissimè Galenus 3. aphorismorum comm. 10. protulit hæc verba ¶ nó

est experientiæ fidendum,quia quamuis idem sæpè vidimus , non possumus dicere,sic semper erit.Prætereà 1.epid.1.comm.1.Galenus reprehendit Quintum medicum,quia dicebat hoc experientia scitur, & non quærebat rationē. Idem Galenus 7.de comp.med.per genera cap.4.contra illos,qui solum adhibent fidem experientiæ,& non ratione confirmant.Hac eadem ratione percitus Gal.2.de officina medica 32.& 3.de officina medica 42. negat, medicinam vsu exempli docendam esse: requiritur enim cognitio physiologiæ, sine qua nihil certè in medicina haberi potest.Itaque iure merito à Galeno 4. aphorismorum comm. 1. statutum est:experientiam in arte medica esse crus sinistrum:rationem vero crus dextrum.

CAPVT II.

De remediorum inuentione desumpta à specificis differentijs affectuum omnium viscerum.

ACturi de affectibus specificis prius considerabimus,quomodo membra lædantur: deinde de ipsis affectibus exempla agemus. Modi , quibus membra lædi possunt, sunt tres: primus est dum pars similaris membrorum læditur:secundus dum pars instrumentalis:tertius dum vtraque pars.

Quo ad primum Galen.3. de symp.causis cap.4. sumens in exemplū ipsum cerebrum dicit , cerebrum , & per consequens quoduis aliud membrum lædi posse,vel vt similare,vel vt dissimilare:vel vtroque modo.

Quo ad exempla: Galenus dat exemplum de catarrho,qui potest fieri non solum à qualibet similarium intemperie,sed etiam à mala conformatione instrumentalis partis ipsius cerebri , quod non omnes admittunt : quamuis Galenus id clarissimè doceat 9. de Vsu P.cap.1. vbi inquit, si cerebrum sit obstructum , excrementa in capite retinentur & retenta corrumpunt cerebri alimentum, vnde statim sine alia intemperie fit catarrhus. Prætereca cerebrum potest esse læsum vtroque modo,id est ab intemperie, & mala compositione.

Hinc quoque remedia , quæ auferunt morbum patris similaris cerebri, debent esse omninò diuersa à remediis, quæ tollunt morbum partis instrumentalis,vel vtriusque. Ex hac Theorica statim proximè accedimus ad remediorum inuentionem procurando catarrho.

Id quod diximus de cerebro,quod modo lædatur vt similare : modo vt dissimilare,atque interdum vtroque modo , dicere quoque possumus de corde, hepate, splene, ventriculo, renibus, & omnibus aliis membris compositis ex pluribus similaribus.

His positis, quod omnia membra lædi possint vt instrumentalia(manentibus illæsis similaribus) Galenus hepatis exemplo id docet 5.de loc.aff. 7. vbi inquit,hepar pati posse tumorem sine intemperie. Idem dici potest de quolibet alio membro:nempe de cerebro,corde,pulmone & aliis visceribus, quod scilicet possint habere tumores , & obstructiones absque eo quod sint intemperata,& versa vice , quod videlicet possint esse intemperata sine obstructione , & aliis affectibus ad partem organicam pertinentibus.

Cæterum

Cæterum Galenus eandem doctrinam 7.method.cap.12.applicat ipsi ventriculo, dicens tres affectus præter naturam vexare posse ventriculum: quorum primus est intemperies tunicarum ventriculi: secundus est materia viscosa adhærens tunicis: tertius est materia peccans in ipsius cauitate: subdit interdum hos tres affectus simul ægrum vexare: interdum duos solum, & interdum vnum solum.

Hæc exemplis declarantur: veluti si esset intemperies frigida ventriculi cũ materia adhærente tunicis, ac materia peccans in eius cauo: potest etiam esse materia peccans in fundo ventriculi sine materia adhærente, & sine intemperie. A quolibet ex tribus his affectibus potest frustrari concoctio ventriculi, itaut quilibet ex istis tribus affectibus frigidis possit efficere symptoma aliquod frigidum.

Perpendamus exempli causa ructus acidos ex Galeno 6.aphorism. comm. 1.valet hæc consequentia, est intemperies frigida: ergo sunt ructus acidi: quamuis non valeat vice versa, sunt ructus acidi: ergo intemperies frigida: quia possent fieri acidi à coctione frustrata à materia peccante non ab intemperie.

Eandem doctrinam applicare possumus omnibus aliis membris, nempe hepati, cerebro, spleni, & omnibus aliis. Hepati, quia sæpè contingit in carne hepatis aliqua intemperies, quamuis humores non sint afflixi, nec in cauitate aliqua stabulentur excrementa præter naturam. Prætereà sæpè contingit, quod in hepate sint excrementa varia: quamuis adhuc non sit facta intemperies, quia intemperies ex sua natura non citò fit.

Cerebro eadem doctrina applicari potest: quia interdum est læsum ab intemperie, nulla existente mala affectione in parte instrumentali: interdum vice versa, læsio nimirum esse potest in parte instrumentali, nulla adhuc facta intemperie.

Spleni pari modo tres affectus declarati conuenire possunt, vel separatim vel simul omnes tres.

Denique Galenus 5.aphorism. 62. applicat eandem doctrinam vtero: ibi enim inquit, sterilitatem, vel prouenire à frigida, & quauis alia intemperie, vel à pituita adhærente, vel à sanguine valde humido confluente, vel ab angustia venarum vteri: vt igitur actio non sit læsa in quouis organo, requiritur non solum bona temperatura, sed debita conformatio, secus actio explicari non potest.

Cæterum, vt perfectè dignoscamus illum affectum specificum, qui dumtaxat indicat remedium, non sufficit, vt solum intelligamus affectum consistere in intemperie calida & sicca, vel in materia peccante adhærente, vel in cauo existente: sed adhuc est necessarium, vt vlterius progrediamur, subdiuidendo intemperiem calidam & siccam (quod non omnes intelligunt) in differentias, quæ specificis magis approximentur: quemadmodum Diuinus Galenus 8. de comp.med.per locos cap.7.distinctè id facit, dicens ¶ Iecur habere quatuor facultates, & quatuor actiones, quæ à facultatibus dependent: subdit, sæpè cõtingit, vnam lædi, sæpè duas, & tres, & omnes quatuor simul.

Expedit igitur, vt videamus, an hepatis coctio, vel potius expulsio, vel attractio, vel retentio læsa sit. Addimus cum Galeno & Auicenna quod actio-

nes vario modo lædantur, prout variæ sunt intemperies; expultrix, quæ ex Galeno 3.de facul.nat. 13. consistit in fibris transuersis, non læditur ab illa intemperie, quæ lædit retentricem, & alias actiones; attratrix iuuatur à calore & ob refrigerationem minus attrahit: Galenus enim 2.aphorismorum comm. 28.inquit, iecur minus attrahere ob refrigerationem. Retentrix verò per moderatam refrigerationem iuuatur: expultrix ex Galeno 3. de causis symp. cap. 2.& Auicennas doc.6. iuuatur & fit à calore: quia motus est causa caloris, & viceuersa: retentrix verò à frigore: quia oppositorum eadem est doctrina. Retentrix læditur ab humida intemperie: hinc ex Galeno 3. de symp. causis 3. retentrix propter humiditatem in pueris redditur imbecillis, obliquis enim fibris iuuatur, vt docet Galenus 3.de facul.naturalibus 13.

Sed Auicennas doct.6. declarat, quæ temperatura inseruiat omnibus his facultatibus: quare nisi præsciamus specificam intemperiem à qua actio læditur: iacta est alea de inuentione remediorum. Exempli causa Galenus sexto aphoris.comm.1.6.de loc.aff.2.& lib.de diff.symp.4. dicit, in lienteria euacuari cibum non mutatum, non quod alteratrix seu chylificatrix sit inualida: sed quia retentrix pylori est imbecillis: ideo Galenus lib.vt de diff. sympt.4. dicit de ratione bonæ retētricis est, exęquet coctioni, quare si cibus retineretur debito tempore, non fieret lienteria: si igitur in lienteria aliquis dirigeret curam in iuuandam chylificationem, quæ non est læsa, & non in retentricem, nunquam sanaret.

Quo pacto verò cognoscatur, an sit læsa hepatis concoctio, quæ princeps est, vt docet Galenus 8.de comp. med.per locos cap.7. nos ex tribus locis colligimus, quorum primus desumitur à necessariò consequentibus, nempè à calore. Secundus à ieiunio. Tertius à somno.

A colore: Galenus animaduertit (vt ipse refert 5. de loc. aff. 7.) Stesianum habuisse iecur illæsum. Omnes medici, qui visitabant Stesianum, dicebant, eius iecur pati abscessum: attamen Galenus vt primum ingressus est thalamum videns bonum & naturalem Stesiani colorem, dixit, iecur esse illæsum: abscessumque esse in musculis transuersalibus ascendentibus, & non in iecore: valet enim hæc: naturalis color cōseruatur immutatus: ergo iecur est illæsum. Non tamen valet: iecur est illæsum, ergo est bonus color. In eodem cap.refert Galenus in Seruo Imperatoris demorso à vipera factum fuisse faciem, & totum corpus viridis caloris: tamen iecur (ait) fuisse illæsum.

Secundus locus desumitur à ieiunio: quia Galenus 2.de ratione vic. 32. habet ❡ si ieiunium iuuat, affectum non esse calidum, sed vel temperatum, vel pituitosum: dum in massa sanguinea prædominatur caliditas præter naturam per ieiunium intenditur acrimonia. Similiter in 6.epid.28. Galenus dicit, in sanguineis & pituitosis cibi paucitate, sitim & lassitudinem auferri: in biliosis cibi paucitate sitim & lassitudinem intendi.

Tertius locus desumitur à somno proponiturque à Galeno 4.in 6.epid.23. vbi habentur hæc verba ❡ somnum auferre sitim: quia per somnum sanguis humectat internas partes, quas petit; dum verò post somnum sitis intenditur, signum est in sanguine prædominari calorem, vel bilem: dum enim per somnum retrahitur sanguis biliosus ad imas partes, quas petit, exsiccat, & sitim facit: Ex his signis colligentes affectum esse intemperiem calidam, vel frigidam

gidam hepatis disponimur ad inuenienda remedia.

Cæterum adhuc non peruehimus ad specificam differentiam intemperierum: quia scire expedit, à qua intemperie, & ratione cuius concoctio læsa sit: Galenus 8. de plac. Hippocratis & Plat. cap. 7. ex ipso Hippocrate asserit, calidum innatum esse omnium naturalium operationum auctorem: ac 3. de causis pulsuum cap. 9. dicit, quod calor natiuus est qui concoquit cibos: ergo cõcoctio à calido natiuo fit: per calidum natiuum intelligimus temperamentũ: quod sic probari potest: ex Galeno 2. de facul. nat. 9. temperatura est causa actionis: sed actiones fiunt à calido natiuo: ergo. Præterea illud est calidum natiuum per quod os est os, & caro est caro, & sic de aliis partibus: sed ex Galeno 1. de Viu. P. 9. temperamentum est huiusmodi: ergo calidum natiuum est temperamentum. Videndum igitur est quotuplex sit hoc temperamentum, vt res melius patescat.

Temperamentum triplex est, Primum est insitum siue innatum ab ortu naturæ quod vocatur à Galeno 1. aphoris. 15. vniuersa substantia, & initium omnium operationum.

Secundum est temperamentum influens à corde (addimus nos) & à cerebro, quia cor, & cerebrum transmittunt in totum corpus suas virtutes. Sciendum tamen quod hæc virtus influens non est tamquam forma partium, vt tenet Auerroes cum Aristotele 4. coll. cap. 2. sed est tamquam materia & pabulum calidi innati: de hac re disputauimus in aphorismo.

Tertium temperamentum est mixtum ex innato & influente: vnde resultat nouum esse, seu noua forma quæ dicitur forma totius partis viuentis: sic Aristoteles 7. metaphys. tex. 60. dicit quod syllaba est quid aliud præter B. & A. Similiter Aristoteles 4. Meteor. 2. in fine dicit ꝙ pars maris quæ separatur à toto citius fætet, quia priuatur natura seu forma totius maris, de ratione cuius formæ totius est conseruare totum, & partes ipsas. Pari modo hoc temperamentum mixtum immediatè, & completè edit omnes operationes: per hoc temperamentum ventriculus chylificat: iecur sanguificat: oculi vident: & quælibet pars efficit proprias operationes.

Posita dicta distinctione temperamenti, nos facilè remedia specifica adinuenimus: quia si per hypothesim ventriculus diminutè chylificat, statim intelligimus, an id eueniat ob læsum temperamentum innatum, an ob læsum influens: influens præcipuè lædi solet vel ob nimium coitum, vel ob nimias cogitationes, & animi mœrores: quod si accidat ob istas causas, certè non est confugiendum ad stillicidia supra ventriculum, vel ad oleum mastichinum, & similia, quæ respiciunt innatum ipsius ventriculi, & non influens. Sed est confugiendum, si læsio pendeat à nimio coitu, ad cibos, qui facilè augeant spiritus vitales, vel ad cordialia, sicuti ad diambram, ad diacinthum, & alia id genus.

Si verò læsio esset in ventriculo ratione spiritus animalis influentis consumpti ob nimia studia, seu ob nimias vigilias, confugiendum esset pro corroboratione ipsius ventriculi ad quietem animi, & corporis ad conciliandum somnum, qui in gignendis spiritibus vitalibus, & animalibus tenet primum locum.

Si verò ob potum frigidæ læsa esset chylificatio, tunc non influens cali-

dum esset læsum,sed innatum,vel eius qualitas:quo casu iuuarent olea calida, & stillicidia. Ecce quod nisi medicus sciat distinguere, ratione cuius temperamenti actiones læsæ sint,de remediorum inuentione iacta est alea.

Facto examine circa temperamentum, sequitur vt inueniamus locos indicantes excessus qualitatis temperamenti. Quod ex sex locis facilè colligi poterit,nempè ex substantialiter inhærentibus: ex his, quæ accidunt: ex necessariò consequentibus: ex operationibus: ex excrementis, & ex iuuantibus,& lædentibus.Hi loci desumuntur à Galeno tum in arte parua: tum 1. de Vsu P.9.

Primò notandum est, substantialiter inhærentia esse illa quæ tactu ipso percipiuntur, sicuti si tactui nostro caput apparuerit calidum, iudicabimus esse calidæ temperaturæ, nisi alij loci obstiterint: idem dicimus de aliis partibus.

Secundus locus continet illa,quæ necessariò accidunt temperaturæ, quæ pertinent ad compositionem,videlicet ad magnitudinem, figuram, situm, & cauitate:ssicuti si venæ appareant magnæ in summis manibus,in oculis,& in aliis partibus,statim colligimus,iecur,& caput esse calidius temperato.

Tertius locus continet necessariò consequentia, quæ sunt secundæ qualitates,cuiusmodi sunt,asperum,lene,crassum,tenue, durum molle, graue leue,hyspidum glabrum,lentum friabile,ratum densum,colores,odores, & sapores,turbidum clarum, diaphanum & opacum: satis est, vt ex his colligamus aliquod signum pro confirmatione eiusdem temperaturæ. Per hypothesim:si hypocondria sint hyspida,& ipsum pectus pariter tale sit,colligimus iecur,& cor esse iusto calidiora:indeque totum corpus esse calidæ temperaturę: valet enim consequentia ex Galeno in arte parua,iecur & cor sunt calida, ergo totus corporis habitus est calidus. Pari modo ex coloribus, nisi alij loci obstiterint,temperaturam colligimus:sic Galenus 5. de loc. aff. 7. ex bono & naturali colore Stefiani cognouit iecoris temperaturam non esse læsam:sic in arte parua ex capillis nigris,multis, & duris colligit temperaturam calidam: dicimus multos & duros indicare temperaturam calidam,quia si pilli sint nigri,sed tenues & pauci indicãt temperaturam frigidam, vt colligitur ex Hippocrate & Galeno 2.in 1. epid. 78. Similiter ex albis capillis, & ex glabritie frigidam dicunt colligi temperaturam.

Quartus locus continet operationes:Galenus in arte parua ex generatione multæ bilis, & multi sanguinis iecur esse temperaturæ calidæ ostendit: ex promptitudine verò propriæ actionis,non solum iecoris,sed cuiuslibet membri caliditatem dignoscit.

Quintus locus continet excreta & retenta plus iusto.Hinc biliosa excreta, vel retenta temperaturam calidiorem significant: pituita plus iusto excreta vel retenta temperaturam frigidiorem.

Sextus locus continet iuuantia & lædentia:etenim si iuuant calida, temperatura erit frigida,& sic de aliis.

Sed notandum est, quod iuuantia, & lædentia desumi possunt à quinque locis,quorum primus desumitur ab euacuatione: si enim euacuatio frigidorum iuuat,affectus est frigidus:si calidorum est calidus.

Secundus locus desumitur ab alteratione.Hinc si alterantia frigida iuuant,

affectus

affectus est calidus: si calida iuuant, affectus est frigidus, & sic de aliis.

Tertius locus desumitur à ieiunio, estque Galeni 2. de ratione vic. in ac. 32. vbi inquit, si ieiunium iuuet, affectum esse frigidum: si noceat calidum. Similiter 3. in 6. epid. 28. ait, ieiunium si tollat sitim & lassitudinem, affectum esse frigidum, pituitosum, vel sanguineum.

Quartus desumuntur à somno: nam Galenus 4. in 6. epid. comm. 23. pari modo asserit, si somnus tollat sitim, affectum esse frigidum, si illam augeat, esse calidum: ratio est, quia per somnum sanguis refugit ad partes internas: quare si sanguis fuerit calidus, post somnum sitis intendetur: si verò fuerit temperatus, vel frigidus, post somnum sitis remittetur: quare valet consequentia, somnus mitigat sitim: ergo sanguis est temperatus, ex quo satis signo vt plurimum in morbis, qui videntur acutissimi, prænunciamus salutem.

Quintus locus desumptus à iuuantibus desumitur à febre: Galenus loquens de hoc loco 6. aphorism. comm. 44. habet hæc verba ¶ Nouimus febrem illis affectibus præter naturam conferre, qui ex frigiditate sunt sola, vel ex causis frigidis, vel ex flatuosis spiritibus. Hinc Hippocrates 4. aphorism. habet hunc aphorismum ¶ Qui à conuulsione, aut distentione neruorum tenentur: febre superueniente liberantur. Idem Plato confirmat in Timæo, dicendo, febrem auferre morbos frigidos.

Cæterum singuli supradicti loci seorsum considerati nos interdum fallere possunt: Exempli causa in 5. loco diximus, febrem superuenientem conuulsioni sanare conuulsionem: tamen hic locus interdum nos fallit: sicuti in Numeni filio apoplexia correpto, vt refert Hippocrates 1. epid. qui licet superuenerit febris periit tamen: ideo cautius loquutus est Hippocrates 2. aphor. 26. ¶ melius est febrem conuulsioni, quam vice versa superuenire: dum dicit melius non tollit, quod interdum, licet superueniat febris non moriantur: idcirco contingentia signorũ per syndromen aliorum tolli potest: qua ablata certò dignoscitur temperatura, & certò in eligẽdis remediis non fallimur.

Cognito temperamento, & eius excessu per sex locos propositos, videndũ est in quo loco, seu in qua parte sit temperamenti excessus, seu mala temperatura, secus remedium non inuenietur. Si igitur agatur de hepatis intemperie, quæritur an sit in parenchymate; vel in humoribus existentibus in capillaribus venarum, vel arteriarum, vel in illarum spatiis. Hinc distinctionem intemperaturarum proponit Galenus 8. de comp. med. per locos cap. 7. vbi inquit, dari duas intemperaturas: vnam in parenchymate, aliam in materia contenta in arteriis, venis, & spatiis ipsius: quam distinctionem non animaduertunt nostratum plurimi. Quod dixit Galenus de duplici intemperie hepatis, intelligendum est de omnibus visceribus, qua distinctione non percepta, affectio specifica non intelligitur, & per consequens remedia non inueniuntur.

Hinc Galenus 2. de temperamentis 2. considerans duas esse temperaturas: alteram in partibus solidis, alteram in humoribus viscerum, dicit ¶ senes quo ad solida esse siccos: quo ad excrementa esse humidos. Hinc Hydropici quo ad excrementa sunt humidi, quo ad carnes & alias solidas partes sunt sicci.

Idem etiam confirmatur Galeni auctoritate in arte parua cap. 56. vbi probat, habitum esse siccum, si caro pauca, & dura sit: pauca quidem in hydropi-

cis,& dura est caro:ergo solidarum partium temperatura in ipsis sicca, & non humida est.

Nec valet in hydropicis iecur, & cætera viscera infra septum in aqua natant:ergo viscera sunt humida,quia exGaleno 5.aphoris.comm.13.aqua,neque intus, neque foras humectat,madefacit tamen,sed aliud est madefacere,& aliud humectare.

Idem aliquando obseruatur de catarrho sua natura humido, dum prouenit ab intemperie sicca, vt docet Galenus 2.de temperamentis vltimo: quod Sebastianus Paparella non animaduertit, qui tenet catarrhum ab intemperie sicca fieri non posse,deceptus à Galeni auctoritate perperam intellecta in arte parua, vbi agens Galenus de sicco cerebro habet,siccum cerebrum carere excrementis:neque animaduertit Galeni propositum esse in illo cap. agere de intemperie sicca adhuc existente in latitudine sanitatis: dum verò 2.de temp. vlt. asserit ab intemperie sicca fieri posse catarrhum, intellexit de intemperie sicca existente in latitudine ægritudinis. Similiter ob excessum siccitatis ventriculi in locum chyli suggeritur pituitæ copia. Hinc Galenus 7. meth.cap.4. loqués de ventriculo imbecilli,inquit, in similem errorem lapsos fuisse Pelopem præceptorem, & Quintum medicum,qui putabant, omnem ventriculi imbecillitatem à frigida intemperie prouenire,& per consequens ventriculum imbecillum indigere calidis adstringentibus, cuiusmodi sunt astringentia subamara,vinum austerum,cotonea, & absynthium, in externa vero parte indigere calidis perfusionibus, & ceratis ex aromatis calidis: neque animaduertebant,imbecillitatem ventriculi fieri quoque posse ab intemperie calida, quod probat Galenus in illis verbis cap.citato ¶ Vidistin' me vnica die, vel potius hora leuasse ventriculi imbecillitatem frigidæ potione?

Similiter imbecillitas ventriculi potest prouenire ab intemperie sicca. Gal.enim loco citato ait,octo esse curationes in ventriculo,& in quauis parte,qui octo sunt intemperaturæ,nimirum quatuor simplices, & quatuor cópositæ:potest igitur contingere, quod ventriculus sit refertus pituita prouenjente ab imbecillitate facta à sicca intemperie: quare non valet consequentia:humores excrementitij sunt humidi:ergo intemperies tunicarum ventriculi est humida.

Præterea sæpè ventriculus non fungitur suo officio,licet sit ex se benè sanus ob humores in ipsum transmissos: ideo Galenus 1. de loc. aff. 4. ait posse contingere ructus acidos,vel nidorosos oriri ab humoribus in ventriculo accumulatis in cauitate,vel in tunicis, optima adhuc existente solidarum tunicarum ventriculi temperatura.

Hinc non valet:sunt ructus acidi,ergo ventriculus est frigidæ temperaturę: valet tamen vice versa hoc modo, est frigida temperatura: ergo ex necessitate fiunt ructus acidi.

Quare vt redeamus vnde digressi sumus,concludimus, duas esse temperaturas:alteram in solidis,& alteram in humoribus:quæ duæ temperaturæ sæpè non solum sunt diuersæ,sed etiã contrariæ:nisi igitur medici distinguant, & intelligant,vbi sit intemperies,an in humoribus contentis in spatiis,vel in solidis partibus,vel in vtrisque,nunquam inuenient remedium: quia remedium quod tollit intemperiem humorum,non tollit intemperiem solidarum

partium.

partium. Immo vt plurimum mala ventriculi temperatura in excrementis, & non in solidis fit: quia illa, quæ fit in solidis partibus, exempli causa ipsius vētriculi, non ita facilè fit: quia tunicæ resistunt valde, antequam fiant intemperatæ, habentque magnam vim, quod ex eo cognoscitur: quia conuertunt in chylum illa, quæ coctu sunt difficillima. Hinc Alexander Aphrodisæus 1. proble. 30. quærit cur sinapi, allium, & alia acria applicata cuti exulcerant, deuorata vero minimè. Respondet quia in ventre tam robusta est eius virtus, vt antea concoquantur acria, quam agere incipiant.

Hoc præcognito, quod duplex sit temperatura, adhuc non peruenimus ad specificum indicans, quod indicat remedium ex vsu artis: quia adhuc sumus in subalternis indicantibus, quæ nihil indicant ex vsu, & sunt omninò vana. Quærendum igitur est vlterius, an in humoribus peccantibus, vel in parte solida viscerum mala temperatura sit protopathia, vel idiopathia, vel sit solum per sympathiam. Hanc distinctionem facit Galenus 1. de loc. aff. cap. 3. dum loquitur de inquisitione affectus, an sit διαθέσις, quæ est in facto esse, vel sit πάθημα quod est in fieri: ea enim, quæ sunt in fieri nihil indicant: quia sequuntur morbum, vt vmbra corpus.

Eandem ferè distinctionem desumptam ab humoribus, & à parte solida facit Galenus 13. meth. cap. 8. loquens de apostematis, & Eresypelatis indicatione: vbi inquit ¶ Pars apostemate affecta recedit à statu naturali duplici ratione: primo vt repleta: secundò vt calidior facta: subdit ¶ Indicatio euacuationis vincit indicationem refrigerationis: è contra in erysipelate, in qua indicatio refrigerationis magis vrget, quam euacuationis. Ecce quod plenitudo, & non calor partis in ipso apostemate est protopathia: in erisypelate verò calor & non plenitudo. Idem sed clarius explicat Galenus 3. de temp. cap. 3. vbi ait ¶ Cum apostema factum sit ex calida fluxione, eius propria curatio euacuatio superuacui est: euacuationi autem particulæ quæ per apostema excalefacta est, omninò succedit spontanea refrigeratio. Ecce quod calor apostematis, cuiusque partis non reliquit intemperiem, quæ indicet remedium refrigerans, & quæ possit vocari διάθεσις: immo est adeo in fieri, seu per sympathiam, vt nihil omninò indicet, quia tollitur ad ablationem causæ. In erysipelate non sic: quia protopathia est in calore: & hic calor primò indicat remedium refrigerans: secundariò verò euacuationem materiæ relictæ in parte erysipelate obsessa. Idem dici potest de febribus putridis, quod euacuatis humoribus putridis (nisi calor insignis fiat) non sint viscera refrigeranda: quia refrigeratio post euacuationem sine alio refrigerante statim succedit.

An verò protopathia in apostemate semper sit in humoribus, vel in parte solida: si de legitimo apostemate loquamur non solum in parte solida est protopathia, seu idiopathia, sed est affectus merè schæticus, qui cū pura sympathia confunditur: quoniam parte solida depleta, sponte succedit (vt dictum est) refrigeratio. Si verò loquamur de apostemate erysipelatode: si magis participat de bile, quam de sanguine est explicatu difficile, sicuti fuit explicatu difficile Galeno loquenti 4. de loc. aff. 4. de Athleta. Secundo, qui mouebat musculos intercostales sine intermissione ob septi imbecillitatem: an protopathia esset in septo, vel in neruis ceruicis, vel in vtraque parte: tamen si sanguinis signa essent efficaciora, quam bilis, maior esset affectio in sangui-

ne,quam in calore partis.

Si mala temperatura est in humoribus, & in parte solida solum sit in fieri, seu per consensum, ademptis humoribus statim sponte cessat affectus solidæ partis.

Similis affectus videtur esse epilepsia, sicuti animaduertit Galenus 2. de symp.causis cap.vlt.& 3.de loc.aff.7.vbi asserit:Epilepsiæ solutionem esse subitaneam:reddit rationem:quia fit à materia crassa & viscida replente ventriculos cerebri,sed cur solutio epilepsiæ est subitanea,cum facta sit à materia crassa,quæ ex se difficilè discutitur?Respondemus materiam, licet crassa sit, quãdo nulla est mala temperatura ab expultrice facilè expelli: dum vero est mala temperatura:sicuti mala temperatura non cito fit:sic non citò desinit: Epilepsiæ accessio non est facta ab intemperie,sed solum à materia crassa, ideo solutio subitanea est: nisi igitur hæc principia intelligamus, certè remedium inueniri minimè potest,quia aliud est remedium, quod tollit affectum ortum ab humoribus, & aliud quod dependet ab intemperie tamquam principali affectu.

Cæterum adhuc non peruenimus ad specificum affectum: non enim satis est,vt dignoscamus protopathiam, vel idiopathiam esse in humoribus, vel in parte solida, nisi intelligamus an affectus principalis agat altas radices, & sit cum multo recessu,vel pauco à statu naturali.

Præterea,si intemperies agat altas radices,videndum est, an intemperies sit hectica & æqualis,vel inæqualis:quia inæqualis non est ita mala,neque ita recedit à statu naturali,vt æqualis seu hectica. Exemplum æqualis est illud de phrenitide propositum à Galeno 1.in primum proret.comm.32. vbi loquens de intemperie æquali; & hectica cerebri habet ¶ Dum in vniuersa cerebri substantia est intemperies æqualis & hectica, ęgri non amplius delirant, sed manent quieti,quasi extincta ratiocinatione,quæ non amplius est deprauata, vnde moriuntur:nec vident medici plebei, hos phreneticos factos quietiores ob ratiocinatricem ablatam mortem prænunciare.

Insuper, an morbus agat altas radices, cognoscitur ex diuturna viscerum dispositione per causas externas introducta.

Dispositio introducta modò est facilè, modo est difficilè mobilis: alioque remedio tollitur dispositio facilis,& alio dispositio difficilis mutationis.

Galenus 1. ad Glauc. cap.2. & in historia Sileni ait, dum aliquis incidit in febrem ob erratum aliquod insigne in sex rebus non naturalibus, nisi antea sint viscera præparata ab aliis causis,illa febris est ephemera, vel alius breuissimus morbus.

Hinc Galenus in historia Sileni inquit ¶ Vtique Silenus non incidisset in morbum grauissimum,nisi antea fuissent præparata viscera: subdit, dum viscera non sunt præparata,ob errata in sex rebus non naturalibus in ephemeram incidunt.Idem dicunt Galenus 4. de ratione vic. in ac. comm.115. Ideo medici,antequam præbeant remedium,debent præscire an illius corporis dispositio agat altas radices, necne:quia in dispositionibus diuturnis remedia efficaciora & validiora requiruntur.

Quod verò necessaria sit cognitio dispositionis viscerum,patet:quia remedia,dum introducunt sanitatem,non agunt in morbum, sed in subiectũ morbi,quod

bi,quod non omnes animaduertunt. Hinc Aristoteles hoc principio suffultus composuit 1. lib. physicorum, & Galenus libros methodi: Aristoteles 1. physicorum text.67. habet hoc principium ❡ Contrarium non agit in contrarium,sed in subiectum contrarij,nempè in materiam primam. Quo principio non intellecto medici cœco,& inconsiderato impetu,& non methodicè medicinam faciunt.Hæc est causa, cur Spagirici vt plurimum lædant, & sæpè interimant:quia eorum remedia agunt generosè in contrarium, nempè in morbum,& agendo destruunt partem viuentem morbo affectam. Quod reluctatur philosophiæ,& medicinæ: quia medici officium est introducere dispositiones salubres, disponendo partes affectas, illasque transferendo ad bonam temperaturam & bonam confirmationem moderando, & attemperando,& non vincendo, quia dum volunt vincere morbum, destruunt subiectum: si enim morbus est calidus vt duo: remedium debet esse frigidum vt duo,& non vt tria, quia sic vinceret,& introduceret contrarium morbum.

Quod verò post diuturnas dispositiones oriantur morbi, Hippocrates his verbis testatum reliquit 4.de morbis ❡ morbos diu conceptos ἀθρόον ἐκλάμπειν id est statim erumpere: quare dum aliquis post erratum in sex rebus non naturalibus incidit in morbum: medici phlebei & mulieres illud trahunt in culpam ægritudinis,quod apud Hippocratem & Galenum est ridiculum:quia morbi diu concipiantur per assiduas dispositiones:quibus introductis, morbi ex tempore se manifestant.

Hac de causa Galenus lib.de causis morborũ cap.2. dicit ❡ nec ignis combureret,nec gladius incideret,nisi subiectum esset dispositum.

Aristoteles pari modo 8. Physicorum ex 23. asserit, non fieri motum, nisi præcedant dispositiones:ibi disputat contra Heraclitum,qui dicebat, omnia semper moueri:inquit in augmentatione,& aliis motibus semper præcedere quietem,in qua fiunt dispositiones.

In eodem text.Aristoteles proponit quatuor exempla ad propositum nostrum maximè inseruientia.

Primum est de guttis cadentibus,& excauantibus saxum:cadent.n.decem millia guttarum,quæ non excauant,vna tamen superueniens est illa, quæ dispositum saxum ab aliis præcedentibus guttis excauat.

Secundum exemplum est de arbore enascente ex aliquo lapide,quippè sensim crescens post multorum annorum spatium scindit lapidem. Ecce quantum valeat subiecti dispositio ad introducendas extemplo formas.

Tertium exemplum est de ægroto tendente ad sanitatem: vbi dicit Aristoteles,ægrum non semper sanari,sed prius disponi, & deinde sanari. Idem dicendum de corpore tendente ad ægritudinem: videlicet diu disponi à causis non naturalibus & præter naturam: tandem derepentè in ægritudinem prolabi non propter vltimum erratum, sed propter innumerabilia annorum spatio commissa: quantò igitur causæ præter naturam corpus disponentes fuerunt diuturniores, & peioris conditionis, tantò morbus sæuior & trutior fiet.

Quartum exemplum Aristotelis loco citato est de glacie,quæ fit post præcedentem dispositionem.

Quo ad viscerum dispositiones,an in corpore sint,& quales sint, & an pos-

sint facilè vel difficilè amoueri omni studio præcognoscendum : secus quale & quantum debeat esse remedium in occulto iacebit.

Præcognoscuntur igitur dispositiones ad morbum per antecedentia & consequentia signa.

Signa antecedentia ostendentia corpus ad morbum esse dispositum à sex locis desumuntur. Quorum primus continet errata quæ committuntur in sex rebus non naturalibus: sicuti in nimio cibo & potu: sed hic locus, nisi per syndromen aliorum confirmetur, erit admodum contingens: quià sæpè accidit, vt potus & cibus sit valde calidus, tamen morbus frigidus fiat: ideo non valet, cibus & potus fuit valde calidus: ergo corpus disponitur ad morbum calidū: sæpè enim vinum meracum parit morbum frigidum. Id quoque obseruatur ab Aristotel. 3. sec. probl. 1. vbi dicit vinosos non calere, licet vinum calidum sit: quia valde calida superant naturam suffocando calorem naturalem: ideo vinolenti morbis frigidis vexantur : quare in omni medica consideratione proponimus signorum syndromen, quæ tollat dubium: Ecce quod signa à cibo & potu non sufficiunt.

Præterea in erratis quæ fiunt in cibo & potu, prius videndum est, an error primæ concoctionis corrigatur à secunda: quia interdum corrigitur, si iecur sit benè sanum.

Ideo abiiciendum est illud erratum, quod medici vulgares & plebei semper in ore tenent, quod error primæ concoctionis non corrigatur in secunda: Galenus. n. lib. de cibis boni, & mali succi c. 3. his ferè verbis declarat quando error primæ concoctionis corrigitur in secunda ❡ si facultas hepatis valida sit, error primæ coctionis corrigitur: si verò non sit valida, non corrigitur. Hinc Galenus loquens de errore primæ coctionis, qui non corrigitur à secūda tertio in 6. epid. comm. 1. dicit, errorem primæ coctionis non corrigi in secunda, supple quando facultas hepatis languida & debilis est. Tūc cognoscemus errorem primæ coctionis non corrigi in secunda, si post errorem matutinis horis viderimus vrinam valde crudam, quæ si talis diu perseuerauerit, corpus disponetur ad morbos ex obstructione. Radices verò istius morbi maiores, vel minores fient prout erratū magis vel minus perseuerauerit: inde morbus curatu facilior, vel difficilior fiet, & remedia leuiora, vel efficaciora ad delendas introductas dispositiones excogitabimus.

Insuper Galenus 11. method. cap. 15. loquens de læsione primæ coctionis ob erratum in cibo & potu habet hanc sententiam ❡ ex læsa prima coctione duo mala sequuntur: primum ex cibo assumpto nulla vtilitas colligitur: secundum corrumpitur cibus, & ex corruptela cibi expellitur aliquid prioris cibi benè cocti. Si verò diu ex erratis ob cibi copiam sequatur corruptela, & ex corruptela debilitas, signum est corpus disponi ad morbum, & facto morbo eius cura est esse solum difficilem.

Secundus locus indicans confirmatam dispositionem desumitur à dispositione parentum: dispositiones enim hereditariæ non leui negotio auferri possunt: quia agunt altas radices, acquisitas videlicet in prima generatione: sic pater podagricus generat filium podagricum: quare nisi filius diu studeat in fluxione auferenda, & in corroborandis iuncturis, tandem cadet in affectum, quem præseruare, & auferre, neque gorgonei fontis defluuia sufficerent, neque chi-

que chironia manus.

Tertius locus desumitur à corporis habitu: sic obesi dispositi sunt ad frigidos morbos: macilenti ad calidos.

Quartus ab ætate: senes enim ad frigidos morbos: iuuenes verò ad calidos sunt procliues. Sed de ætatibus satis superque diximus in explicatione secundi aphorismi.

Quintus desumitur à suppressa euacuatione, quæ fieri solet per aluum, vel per hemorrhoidas, vel per nares, per vterum, per vrinam, vel per vomitum.

Sextus desumitur à virium debilitate. Hinc debiles sunt dispositi ad morbos frigidos: robusti verò ad morbos calidos.

Quo ad locos consequentes, qui indicant malas compositiones. Hi loci septem sunt. Primum continet substantialiter inhærentia; quæ sunt illa, quæ tactu ipso comprehenduntur, an scilicet temperatura sit calida, vel frigida.

Secundus continet ea, quæ accedunt temperaturæ, & hæc pertinent ad cõpositionem, sicuti ad magnitudinem, situm, & numerum. Hinc ex Galeno in arte med. venæ latæ indicant caliditatem. Pari modo thorax latus, & digiti longiores caliditatem, signa opposita frigiditatem.

Tertius locus continet necessariò consequentia, quę sunt qualitates secundę, vt asperum lene, glabrum hyspidum & cętcræ: glabrum frigiditatem, hyspidum caliditatem indicat.

Quartus continet operationes naturales, vitales, & animales.

Quintus immodicè retenta, & excreta: & præcipuè retenta cruda, de quibus Gal. lib. de cibis boni & mali succi his verbis nobis hoc diuinum præceptum reliquit ¶ nemo incidet vnquam in morbum si sedulo prauideat vt cruditate non laboret.

Sextus, iuuantia, & lædentia quæ desumuntur, vt superius ostendimus ab euacuatione, alteratione, à somno, à ieiunio & ab affectibus præter naturam: sic febris sanare solet conuulsos, & alios morbos frigidos.

Septimus est locus affectus, qui cognoscitur (vt docet Galenus 2. de loc. affect. 9.) per quinque locos, quorum primus est actio læsa, secundus sunt excrementa, tertius situs symptomatis, quartus doloris proprietas, quintus sunt propria accidentia.

Ex præcognito loco affectu colligere quoque possumus naturam morbi. Hinc si membranæ sint læsæ, affectus vel est biliosus, vel flatulentus: quia mẽbranæ non penetrantur nisi à bile, vel flatu. Si glandulæ sunt læsæ, morbus est pituitosus: si lien melancholicus, & sic de aliis. Præterea pars affecta præter quinque proposita signa ab ipso Galeno adiungitur sextus locus & est debilitas alicuius partis, antequam incidat in morbum. Hic locus est Hippocratis 4. aphoris. 33. vbi habet hunc aphorismum ¶ si qua pars ante morbum laborauerit, ibi mali sedes, causa est, quia si adueniente morbo pars aliqua inueniatur debilis, quę talis est ob aliquem morbum præcedentem, in illam tamquam in cloacam confluunt corporis excrementa: quibus confluxis, sit mali firma sedes.

Capvt III.

De remediorum inuentione desumpta à protopathia, idiopathia, & à varia distinctione sympathiæ.

PRo inuentione remediorum non satis est, vt intelligamus, quod intemperies primariò fit in parte solida, vel in humoribus. Neque satis est vt intelligamus à qua ex octo intemperiebus lædatur actio, nisi distinguamus, sicuti facit Galenus 1. de loc. aff. 3. & 3. de loc. aff. 5. affectum illum, qui est in facto esse, & in affectum in fieri: mox distinguamus affectus, qui sunt in facto esse, in protopathiam, & idiopathiam, & ipsum affectum in fieri, qui est per sympathiam, in omnes differentias: de his omnibus in hoc capite agemus.

Exemplum horum trium affectuum tale proponitur. Sit aliquis, qui incipiat laborare capitis intemperie frigida & humida: hæc generet catarrhum, qui descendens in ventriculum reddat illum intemperatum: ab hac frigida & humida ventriculi intemperie oriatur cæliaca passio vel colicus dolor. Hoc posito dicimus, quod si quis vellet auferre intemperiem frigidam & humidam ventriculi remediis calefacientibus, & exsiccantibus intus, & extra apponendis: ex alia parte perseueraret destillatio & capitis intemperies, certè frustra vexaret ipsum ventriculum, nisi prius & cerebri intemperiem, & ipsum catarrhum auferret. In hoc casu intemperies capitis est protopathia, id est affectio primaria: intemperies ventriculi est idiopathia, id est affectus proprius, non primarius: passio cæliaca, & dolores collici sunt affectus in fieri, qui dici possunt per sympathiam, siue per consensum, vel saltem in fieri: quia ablata ventriculi intemperie, inde cæliaca & dolores colici, nisi habeant aliquid in facto esse, cessare possunt. Ex his facillimè colligere possumus remedium. Notandum tamen est, quod interdum contingere potest, quod protopathia à medico, vel à natura superetur, & relinquatur idiopathia, quæ in hoc casu in protopathiam degenerat: sæpè enim contingit, vt capitis intemperies, & catarrhus cessent, intemperies verò ventriculi relinquatur.

Sed quia in ægrotantibus sæpè varij affectus obseruantur, nisi medicus in hac varietate distinguat affectum primarium ab affectu proprio, & ab illo qui est per sympathiam, certè nesciet mederi: quia nesciet cui primo, cui secundo, cui tertio loco sit attendendum: Galenus 1. meth. 4. dicit ¶ methodo inquirere est inuenire quod primum quod secundum, quod tertium & quod quartū in disquisitione sit. Quod præceptum est tamquam methodi medendi principium: quo ignorato medici ægros vexant & non sanant: sicuti exemplo dysenteriæ Galenus 4. de art. comm. 40. his verbis ostendit ¶ Plerique medici neglecto iecore solum medentur vlceri intestinorum, & ægrotantes præcipitant: quare in hoc casu primo loco iecori, in quo est affectus primarius, attēdendum: secundo loco vlceri, tertio vero his affectibus, qui ab vlcere dependent. Ecce quod sine affectuum distinctione in protopathiam, idiopathiam & sympathiam nullum remedium ex vsu proponi potest.

Quo ad locos indicantes protopathiam dicimus cognosci per hos tres locos. Primus est, quod protopathia sit affectus qui ante alios incipiat: hic locus

cus proponitur à Galeno 3.de loc.aff.5. vbi habet, quod illa sit primigenia affectio, quæ aliis affectibus non superuenit. Secundus locus est, quod protopathia sit diuturnior aliis affectibus: quia ab illa cæteri affectus dependent. Tertius locus est, quod protopathia seu primarius affectus semper sit in facto esse: hos tres locos colligimus ex primo de loc.aff.3.& 3.de loc.aff.5.

Quo ad idiopathiam, id est propriam affectionem, quæ à primaria dependet, cognoscitur per tres locos. Primus, quod idiopathia partim sit facta & partim fiat. Secundus quod habeat dependentiam à protopathia. Tertius quod nullo modo auferri possit, nisi primaria affectio, à qua pendet, auferatur.

Quo ad sympathiam: hæc est affectio per consensum, quæ semper est in fieri: ideo ex Galeno 1. de loc. aff. 3. non est διάθεσις sed πάθος vel πάθη vel πάθημα quæ solum sunt in fieri.

Hæc affectio per sympathiam duplex est, alia est per sympathiam partium, alia per sympathiam humorum, vel vaporum, qui trahunt in consensum alias partes alioqui sanas.

Quo ad sympathiam partium Galenus lib. aduersus Lycum asserit, triplicē esse: aliam esse sympathiam generis, aliam operis familiaritatis, aliam vicinitatis. Galenus arguit Lycum dicentēm, tremorem manus prouenire ab affectu oris ventriculi: quia si tremor manus fieret per sympathiam ab ore ventriculi, vel fieret per sympathiam generis, vel operis familiaritatis, vel vicinitatis: non per sympathiam generis: quia à ventriculo neque nerui, neque musculi, neque alia vasa eiusdem generis ad manus excurrunt: non per sympathiā vicinitatis: quia summa manus valde distat à ventriculo: neque per sympathiā operis familiaritatis: quia manus nihil habet cum ventriculi operatione: operis familiaritas obseruatur inter vterum & mammas: inter testes & vocis instrumenta, & inter alias partes, si quæ aliæ sint.

De sympathia generis, vt exemplorum luce procedamus, proponemus nōnulla præcipua exempla à Galeno obseruata, ex quibus præcognitis remedia specifica facilè inueniri poterunt.

Primum exemplum dignum obseruatione est illud Pausaniæ propositum à Galeno 2.de loc.aff.cap.6. in quo obseruauit sympathiam inter digitos, & ceruicem. Hic vir veniēs Romam cecidit è vehiculo, & ex illo casu percussus circa ceruicem amisit sensum trium digitorum manus: affectio digitorum erat per consensum: ideo appositis remediis ceruici, vnde nerui qui dant sensum digitis oriuntur, statim sensus digitis fuit restitutus: quia erant læsi propter sympathiam neruosi generis.

Secundum exemplum est illius, qui ambulauit sub vento & pluuia, de quo Galenus 4.de loc.aff.4. ait, quod pallio illius circa ceruicem madefacto, sensus pericranei factus fuit stupidus per generis sympathiam: quia nerui pericranei proueniunt à ceruice: illis igitur refrigeratis à vento & pluuia, vix facultas animalis ad pericraneum excurrere poterat. Medici ignari conabantur reuocare sensum calefaciendo ipsum pericraneum, quod reuera non erat læsum per se: Galenus verò statim ceruicem, vnde nerui prodeunt, calefaci., quo peracto, statim ferè pericraneo sensum restituit.

Tertium exemplum obseruari potest in Athleta secundo, de quo mentio-

nem faciti Galenus 4.de loc. aff.4. in hoc obſeruatur ſympathia generis inter ceruicem & ſeptum. Hic vir ſine intermiſſione mouebat muſculos intercoſtales ob ſepti imbecillitatem:poterat eſſe protopathia,vel idiopathia in neruis ceruicis:quia neruus,qui dat motum ſepto,oritur à ceruice: poterat etiam eſſe affectus primarius,ſeu protopathia in ſepto:ſubdit Galenus hęc verba,an imbecillitas ſepti,ob quam mouentur muſculi intercoſtales, ſit in ſepto, vel in neruis ceruicis, vel in vtraque parte,eſt explicatu difficile: ecce quomodo non ſit ita facile inuenire primarium affectum, & per conſequens remedium ſpecificum,quod vt inueniatur, requiritur examen faciendum per ſignorum ſyndromen,quam nos ſuperius propoſuimus.

Quartum exemplum de ſympathia generis proponitur à Galeno 4. de loc. aff.cap.4.citato,vbi hæc habet ¶ In quodam homine vtrunque crus erat paululum reſolutum: adaptatis tamen remediis lumbis, vnde veniunt illi nerui, qui inſeruiunt cruribus,ſtatim ſanatur.

Quintum exemplum eiuſdem ſympathiæ obſeruatur inter brachium & femur ob neruos lumborum.Hinc ſæpè contingit, vt brachium non poſſit ſine difficultate deorſum extendi,& femur ſurſum trahi cæterorum muſculorũ illæſis officiis. Horum ſymptomatum protopathia ſine anatomiæ ſtudio, eſt omnino impenetrabilis:Ex anatomia enim quartus muſculus brachij, cuius officium eſt brachium deorſum trahere,oritur à vertebris lumborum, & oſſis ſacri:ab iiſdem vertebris oriuntur nerui, qui dant motum huic quarto muſculo brachij, & ſexto femoris muſculo: quare ſi ſolum iſti duo muſculi lædantur, dicendum eſt, affectionem primariam eſſe in origine neruorum prodeuntium à vertebris lumborum.

Sextum exemplum ſympathiæ generis obſeruatur inter calcaneos,& quartam vertebram lumborum: quia ſæpè contingit, vt calcaneus non poſſit attolli cauſa exiſtente circa quartam vertebram lumborum.Officium attollendi calcaneum pertinet ad tertium muſculum pedis,ad primum, ad ſecundum & quartum: iſti enim tres muſculi recipiunt virtutem motricem à ſurculis quarti paris neruorum pedum:quãdo igitur obſeruabimus, quod omnes muſculi,qui ſuſcipiunt virtutem motricem ab eodem trunco,deficiant in ſuis officiis,nẽpè muſculus primus,tertius,quartus,& quintus tibiæ:ſimiliter quintus femoris,& illi muſculi qui flectunt digitos dicere poterimus,protopathiã eſſe in muſculis lumborum:ex hac ſympathia cognoſcimus, quam imperiti ſint medici,qui in anatomia non ſunt verſati, quia neſciunt mente concipere,quod ſymptoma in calcaneo proueniat à morbo exiſtẽte in lumbis, in quibus non ſunt quærellæ,nec vllum ægritudinis ſignum:Dogmatici tamen, & in anatomia periti ſtatim cognoſcent morbum ſpecificum, quo cognito, remedio ex vſu artis & ſpecifico ſanitatem reſtituent ægrotanti applicando illud lumbis.

De exacta partium corporis noſtri proportione, hoc anno in publico venetorum Theatro Ioan.Baptiſta Dolconius ſenatus decreto electus ab Almo medicorum collegio ad legendam anatomen tam accuratè,& tam particulatim egit, vt mea ſententia longè aliis qui de hac partium analogia publicis monumentis conſignarunt,excelleret, vt meritò in hac publica oſtenſione in anta auditorum frequentia ſummos applauſus meritus ſit.

Septimum exemplum est de sympathia inter spatia intercostalia, cubitum, & digitos manus. Galenus 4. de loc. aff. citato proponit casum cuiusdam laborantis peripneumonia vehementi. In hoc ægrotante (ait) cubitum, & digitos manus habuisse difficultatem in sensu, & interdum in motu: aitque, has læsiones prodire à læsis neruis, qui sunt inter primum & secundum intercostale spatium: illi enim nerui oriuntur à spina, sed prius irrigant spatia intercostalia: deinde ad cubitos, & digitos descendunt: quorum aliqui per cutim excurrentes dant sensum: aliqui verò irrigantes ipsum musculum desinunt in tendinem, & præbent motum. Qui applicant topica remedia digitis & cubito, existente primaria dispositione in origine, vel in spatiis intercostalibus, nihil boni agunt, & frustra vexant ægrotum: si verò applicant remedia, vbi est dispositio primaria, seu protopathia, tunc statim iuuant & languentem ad sanitatem perducunt.

Alia plura obseruari possunt exempla de sympathia generis, sicuti inter penem & neruos prodeuntes ab osse sacro: inter cerebrum & omnia viscera per neruos sexti paris, qui dant sensum cordi, pulmoni, stomacho, hepati, renibus: lieni, vesicæ, & vtero.

Pari modo eadem generis sympathia obseruatur per arterias, per venas, & alias partes: per arterias obseruatur inter lienem, & renes: sicuti in casu Bionis obseruata est ab Hippocrate 2. in sextum epid. tex. 27. Bion enim habens lienem tumidum multum minxit & statim liberatur, quod factum est per arteriarum surculos, qui emulgentibus arteriis inseruntur.

Obseruatur quoque eadem sympathia per musculos inter laryngem, & sternum: quia à summo sterno oritur musculus, qui inseritur in latera scutiformis. Hinc Hippocrates in prognosticis, & coacis prænot. de angina dicit ꝙ si rubet sternum esse salutare: ratio est, quia descendit per eundem musculum aliqua pars illius humoris qui suffocabat patientem.

Similiter per consensum aliarum partium, cuiusmodi est ille, qui inter renes & collum intestinum: quia per peritoneum renes, & collum vnà adnectuntur: ideo Galenus 1. in 6. epid. comm. 5. habet ꝙ collum, & renes per peritoneum committuntur.

Quo ad sympathiam vicinitatis: omnia membra, & omnes aliæ partes participant partis vicinæ offensam: sicuti inter renes & diaphragma obseruatur: dum enim renes valde sunt læsi, aliqua obseruatur difficilis respiratio: quo casu sunt irridendi, qui vtuntur remediis pectoralibus, siue expectorantibus: quia tunc pectus, pulmo & diaphragma ex se sani sunt.

Similiter inter hepar, & renem dextrum, quæ partes se tangunt: si abscessus fiat in rene dextro, vel in ipso rene sit aliquis lapis, facilæ læditur iecur, & ex iecore læso febres suboriuntur.

Pari modo inter concauum hepatis & intestinum ieiunum, quæ partes se tangunt: si aliqua læsio fit in hoc intestino, statim per sympathiam vicinitatis læditur ipsum iecur. Hinc Galenus 5. de loc. aff. 7. ait, iecur facilè affici posse per consensum ieiunij: causa est, quia ieiunum intestinum non solum est hepati valde vicinum, sed habet tunicam prætenuem: vnde vtriusque passiones facilè se mutuo excipiunt.

Alias quamplurimas sympathias partium declarauimus in commenta-

riis nostris artis med.quæst.60.& lib.2.meth.nostræ vitandorum errorũ, quas legere quisque poterit.Ecce quomodo sit omninò impossibile medicinam facere,remediaque specifica inuenire, nisi nos perueniamus ad specificam differentiam affectuum,quæ certè non potest haberi,nisi ex Galeno, Hippocrate,Auicenna,& ex Anatomia.

Insuper præter consensus,qui obseruantur inter partes viuentes, quos declarauimus,dantur quatuor consensus pertinentes ad causas antecedentes.

Primus consensus fit per partes continuas.

Secundus fit per vapores.

Tertius fit per humorum transumptionem factam per meatus insensibiles.

Quartus per humores excurrentes per meatus sensibiles vasorum ab vna ad aliam partem.

Quo ad consensum,qui fit per partes continuas, non per vapores, vel humores, sed per simplicem qualitatem. Galenus loquens de qualitate calida, quæ variis partibus sine corpore communicatur 3. de loc. aff. 7. his verbis illam declarat ¶ neruosis partibus inflammatis promptius, quam reliquis delirium superuenire solet, idque ascendente ad caput interdum per continuas partes solo calore:interdum verò spiritu vaporoso, vel fumoso, aut fuliginoso.

Ecce quod præter consensum factum inter vnam & aliam partem per vapores ipsos,datur quoque consensus per calorem sine vllo vapore:qui diffunditur per continuas partes:sicuti,si nerui stomachi incalescerent, vel refrigerarentur,cerebrum quoque calefieret,vel refrigeraretur per continuas partes, qui nerui stomachi sunt surculi sextæ coniugationis cerebri, qui sunt continui cum ipso cerebro.

Exemplum istius consensus,vel sympathiæ factæ per qualitates, quæ sine corpore communicantur per continuas partes, habemus in casu illius Iuuenis grammatici,qui,(vt refert Galenus 1.de loc.aff.6.)ob læsionem oris ventriculi incidebat in epilepsiam,vel dum vehementer cogitaret,vel dum irasceretur,vel dum inediã sustineret. Protopathia in illo Iuuene erat in iecore, quia erat picrocholus:Idiopathia in ore ventriculi imbecillo: sympathia in cerebro,quia vsu panis cum vino albo modicè adstringente illicò, ne incideret, vetabat. Hoc exemplum potest reduci ad consensum factum per continuas partes,vel ad consensum factum per vapores.

Aliud exemplum de consensu per vapores proponitur à Galeno primo in sextum epid.comm.1.vbi dicit ¶ Ex vtero, vapores ascendere per vteri arterias per collum ab vna parte infundibuli sursum recta ascendentes, & dolorem efficientes in syncipite.Ecce quomodo caput lædi potest per consensum ab vtero per vapores.

Demum consensus cum omnibus corporis partibus fieri potest non solũ per continuas partes,& per vapores, sed per transumptionem humorum omnium generum per meatus insensibiles:quæ transumptio sæpissimè fit summa cum medicorum admiratione:vnde meritò Galenus 1.de facul.nat. cap.13. erupit in hanc sententiam ¶ In corporibus esse conspiratum vnum, confluxumque vnum,ac omnia inter se mutuo affici.

Hinc

Hinc Hippocrates considerans sympathiam, quæ est inter iuncturas, & collum intestinum quarto in sextum epid.comm.3.ait ¶ Dolente collo intestino, superueniente artritide melius habent: quia hæ duæ inflammationes mutuo se excipiunt.

Similiter hic consensus frequenter obseruatur inter iunçturas,& renes,de quo Hippocrates 4.aphorismorum 74. habet hunc aphorismum ¶ Quibus ad articulos factus est abscessus,si vrina fiat multa & crassa liberantur. Certè ex collo intestino ad iuncturas, & à iuncturis ad vasa vrinæ humores non possunt transmitti, nisi per transumptionem,quæ fit per meatus insensibiles, nullus enim in dictis partibus obseruatur meatus sensibilis,per quem humores excurrere possint à iuncturis ad vasa vrinæ.

Medici plebei incapaces huius mirabilis operationis naturæ, quæ per trãsumptionem fit, sæpè frustra vexant ægrum, sicuti euenit elapsis mẽsibus cuidam insigni viro apostemate affecto circa primum musculum femoris propè meatum vrinarium,quo compresso vrina suppressa est: contigit, quod post paucos dies pus egrederetur per vrinam ob transumptionem puris. Medici & chirurgi nostrates vnanimes dicebant, pus lacerasse, & fregisse meatum vrinarium,licet patiens nullum persenserit dolorem, immo ex puris exitu maximum leuamen:concordes tamen dixerunt,vt apostema ferro aperiretur,eo fine,ne pus maiorem plagam in meatũ vrinarium inferret: quo peracto miserum, qui interuallo quinque vel sex dierum sine vllo alio remedio fuisset sanitati restitutus, per quinque menses multis aliis incisionibus, & medicamentis lacerarunt: Ecce quot mala perpetrentur non cognita transumptione.

De transumptione Galenus multis in locis mentionem facit:sicuti 5.meth. cap.8.dum dicit,pus & sanguinem contentum inter thoracem, & pulmonẽ per transumptionem penetrare membranam obuoluentem pulmonem,&per tussim reiici:quod probat Galenus hoc experimento,dùm quærunt chirurgi, an vulnera thoracis penetrent vsque ad cauitatem,infundunt mulsam in vulnus, obseruantque an mulsæ dulcedo ad os patientis perueniat: quod si accidat,signum est,vulnus ad cauitatem thoracis penetrasse:mulsam verò per trãsumptionem pulmonem,& eius membranam tranasse.

Insuper Galenus 7.aphoris.comm.15.ait, per transumptionem adipes partium corporis à calore colliquatos paulatim ferri in renes, & ad vrinæ vasa: subdit hæc verba ¶ Adipes verò circa renes colliquati, transumptio ad vrinas celerrima est.

Præterea comm.54.eiusdem sect. habet hæc ferè verba ¶ Hippocrates opinatur, naturam validam per angusta foramina materias maximè crassas per transsumptionem euacuare:abscessumque fieri quoque in ossibus, quæ fracta occalluerunt,quorum meatus insensibiles sunt angustiores omnibus aliis reliquarum partium corporis. De eadem transumptione verba facit Galenus 6. de loc.aff.4.

Sed obseruatur hæc transumptio quotidiè in praxi:sicuti in pleuritide, dũ supputatur:tunc exudat pus:licet nulla fiat pleuræ soluta vnitas:deinde in cauitate thoracis colligitur:mox per aliam transumptionem penetrat membranam pulmonis,& per tussim reiicitur.

Pari modo catarrhus, qui certè fit extra venas: tamen per transumptionem colligitur interdum in venis: inde excurrere potest per vniuersum corpus. Casus Clozomenij ab Hippocrate propositus est notatu dignus. In ipso erant duæ parotides, quæ retrocesserunt, & inde per vrinam euacuabatur illa eadem materia puris, quæ faciebat parotides & liberatur. Ecce quam mirabiles transumptiones natura inuenit per vias omninò nobis occultas, per quas nos quotidie fieri transumptionem obseruamus.

Quo ad sympathiam, & cōsensum humorum, qui per affluxum sensibilem fiunt, animaduertere oportet illud, quod admodum Auicennas prima primi cap. de temperamentis, an videlicet affectus conueniat alicui membro per essentiam, vel per affluxum per quem affluxum obseruantur consensus & sympathiæ: In primis igitur videndum est, an affectus conueniat alicui membro per essentiam.

Cognoscemus, affectum præter naturam conuenire per essentiam alicui parti per quatuor locos. Quorum primus est temporis diuturnitas.

Secundus est imbecillitas membri ante morbum: hic locus est Hippocratis 4. aphoris. 33. vbi dicit ¶ si ante morbum aliqua pars laborauerit, ibi mali sedes. Similiter aphorism. 39. eiusdem sec. habet, qua parte corporis inest calor, aut frigus, ibi morbus, supple per essentiam. Itidem aphoris. 38. quartæ sectionis habet ¶ Ex parte, quæ facilè sudorem patitur, adueniente morbo, illa fit mali sedes.

Tertius locus est, quod ante illum morbum non præcesserit alius morbus alterius partis: quia in parte, quæ prius passa est morbum, vt plurimum est protopathia, & affectus per essentiam.

Quartus locus, quo cognoscimus morbum per essentiam, est, quod membrū intemperatum non habeat consensum cum alio membro magis intemperato. Quando igitur isti quatuor loci deficiunt, tunc ideæ morbi erunt in illo membro per affluxum, non per essentiam.

Quo pacto verò cognoscantur morbi per affluxum, sex sunt loci: quorum primus est, quod affluxus fiat à copia grauante, quod cognoscitur ex corporis plenitudine.

Secundus, quod fiat à qualitate irritante ipsam expultricem: de his duobus locis mentionem facit Galenus 3. de symp. causis 2. & alibi.

Tertius locus fit à frigido condensante exprimente ipsa excrementa extra suum locum: de quo loco Galenus 3. aphoris. comm. 12. inquit ¶ Frigus externum exprimit cerebri excrementa eo modo, quo manus spongiam aqua imbutam exprimere solet.

Quartus locus fit à calido liquefaciente, quod accidere solet, dum fluunt humores, qui ob magnum calorem liquescunt.

Quintus locus indicans affluxum est ab imbecillitate retentricis partis mandãtis: dum enim retentrix est abolita, vel diminuta, sponte fluunt excrementa in partem debiliorem. Hinc lienteria, diabete, & catarrhus lientericus ob hanc causam fieri solent. De hac Galenus 4. aphoris. 2. ait, ¶ euacuatio spōtanea fit vel à natura, vel ab irritamento, vel quia vasa continere non possunt ob retentricem debilem partis mandantis: lib. verò de symp. differentiis sexto dicit, vteri profluuium fieri vel ob diæresim, vel ab irritata expultrice, vel

quia

quia sanguis sit serosus, quem vasa continere non possunt.

Sextus locus indicans humorum affluxum desumitur ab imbecillitate expultricis partis recipientis, quæ non possit ob imbecillitatem expellere aliarum partium excrementa: habet enim Galenus 3. de facul. nat. 13. hanc sententiam ¶ Pars robustior expellit excrementa in partem imbecilliorem, donec omnium imbecillimam inueniat.

Prædicti sex modi euacuationis possunt reduci ad tres à Galeno propositos eodem 4. aphoris. 2. vbi ait ¶ Euacuationem spontaneam fieri ab aliqua ex tribus causis, nempè, vel à natura, vel ab irritamento, vel quia vasa humores continere non possunt. Ad irritamentum reducitur euacuatio facta à copia, vel qualitate irritante. Ad vasa, quæ non possunt continere, reducuntur quatuor alij propositi loci: quorum primus est à frigido condensante. Secundus à calido liquefaciente. Tertius ab imbecillitate retentricis partis mandantis. Quartus ab imbecillitate expultricis partis recipientis.

Ex his colligi potest, quomodo sympathiæ seu consensus efficiant affectus specificos per continuas partes, seu per vapores, seu per transumptionem, quę fit per meatus nobis occultos, & quomodo morbi fiant per essentiam, & per affluxum humorum excurrentium per meatus apertos, quæ omnia nisi distinctè præcognoscantur actum erit de remediorum inuentione.

Capvt IV.

De inuentiona remediorum auferentium illos morbos specificos, qui reddunt sanguinem impurum.

HActenus egimus de affectibus specificis ipsorum: viscerum deinde de protopathia, idiopathia, & sympathia. Restat vt in hoc cap. antequam agamus de humoribus, vt hæc duo consideremus: primum quomodo affectus in facto esse cognoscantur per symptomata. Secundum, quomodo cognoscãtur illi specifici affectus, qui reddunt sanguinem impurum. In sequentibus capitibus verò agemus de cognitione locorum affectorum: de morbis in cõformatione, & præcipuè in cauitate; & tandem de morborum more, magnitudine, & de motu.

Quo ad primum, quomodo videlicet morbi per symptomata cognoscantur. Sciendum quod per symptomata primi ordinis, quæ sunt actiones læsæ: immediatè cognoscuntur morbi: actiones verò læsæ cognoscuntur per symptomata secundi ordinis, quæ sunt exeuntia mutata, retenta immodicè, & qualitates mutatæ. Actiones tamen læsæ solæ, & immediatè indicant remedium ex vsu artis, exempli causa videmus exeuntia, quæ excernuntur per aluum, esse mutata à naturali suo statu: tunc statim dicimus hæc exeuntia esse symptomata secundi ordinis: dicimus esse secundi ordinis, quia procedunt ab aliqua actione læsa, quæ pertinet ad symptomata primi ordinis: dicuntur enim symptomata primi ordinis, quia indicãt immediatè morbum: ideo morbus definitur per actionem læsam. Valent igitur hæ consequentiæ, sunt exeũtia mutata, ergo retentrix, vel est diminuta, vel ablata: quia si retentrix retine-

ret,non apparerent hæc mutata exeuntia. Deinde videndum est, an retentrix sit læsa per se, vel per accidens: vel vt dicit Galenus 3.de symp.causis in principio,quod actio lædi possit vel ob læsam facultatem, vel ob errorem externum: sed facultas non læditur: quia si senex haberet oculum iuuenis, videret, vt iuuenis: sed læditur instrumentum facultatis, quod est constitutio: exempli gratia,si fieret diarrhœa ob læsam cōstitutionem, à qua pendet retentrix,hæc constitutio esset vel intemperies valde humida, vel esset aliqua lenitas,ob quam fibrę retentrici destinatæ suo officio fungi non possent,vel esset aliquod vlcus, quod retentricem per se læderet:Galenus enim 4.aphorismorum 12.vult, lienteriam ab aliqua ex tribus causis prouenire posse, nempę vel ab intemperie intestinorum,vel ab vlcere,vel à retentrice ablata. Cum igitur alui fluxus non proueniat ab istis causis,à quibus lienteria producitur, sequitur quod retentrix sit læsa ob errorem externum,nempe ob bilem velicantem expultricem.

Hoc cognito,pari modo videndum est,an expultrix sit læsa per se,id est ob læsam constitutionem, vel ob errorem externum siue obiectum externum. Cum igitur appareat bilis in excretis,dicendum est, non expultricem per sę esse læsam,sed per accidens,nempè ratione bilis genitæ in hepate ob alteratricem deprauatam:vel ab intemperie calida & sicca hepatis, vel ab humoribus adhærentibus parenchymati,sicuti dictum est superius. Ex hac Theoria colligimus in diarrhœa conuenire serum lactis, cassiam,succum cichoreæ, & alia id genus, quæ iecur,& humores feruentes moderantur.

Hæc quæ dicta sunt de alui fluxu applicari possunt gonorrhœæ, catarrho iisque per vomitum excernuntur, vrinæ profluuio, sudoribus, & cæteris exeuntibus.

Si actiones sunt abolitæ resultant morbi valde frigidi: hinc Galenus 1. de symp.causis cap.1.habet ¶ si ventriculus ob imbecillitatem nihil concoquat, vel fit lienteria,vel tympanites: si iecur nihil vel parum concoquat ob imbecillitatem fit ascites:si tertia coctio est abolita fit anasarca.

Quanti momenti sit hæc actionum læsarum cognitio, Galenus in praxi passim ostendit,per actiones videlicet morbos ipsos distingui.Exempla à Galeno plurima desumuntur,secundo enim aphoris.comm.45. loquens de differentia inter apoplexiam, & epilepsiam dicit per ipsas læsas actiones distingui:hæc sunt verba ¶ Epilepsiæ, & apoplexiæ idem est locus affectus, & idem humor:differentia est, quia epilepsia est motus deprauatus,apoplexia est ablatus.

Dubitatio occurrit: quia non videtur, quod omnes morbi distinguantur per actiones læsas,vt dictum est:quia Galenus 3. epid.3. comm. 45. dicit phrenitidem non differre ab insania, nisi per febrem: quia phrenitis est cum febre, insania verò sine febre: ergo phrenitis non distinguitur ab insania per actionem læsam.

Respondemus distingui insaniam à phrenitide per actionem læsam: licet in vtroque affectu sit vitiatus discursus. Resolutio difficultatis accipienda est ab Aristotele 3.de anima tex.57.vbi habet, quod duplex sit imaginatio: alia est sensitiua, & alia deliberatiua, quæ est illa, quæ format conceptum boni vel mali prosequendi vel fugiendi: hæc deliberatiua imaginatio in Theophilo erat

lo erat vitiata: imaginabatur enim in angulo cubiculi esse tibicines, qui non aderant: quando igitur læsa est hæc imaginatio deliberatiua ex necessitate aliqua ex parte læditur discursus: hac ratione nulla est phrenitis, quæ primario, vel secundario non habeat læsum discursum. Pari modo in insania, dum læditur imaginatio deliberatiua est quoque læsus discursus: quare omnes morbi distinguuntur per actiones læsas, quatenus istæ læsæ actiones vario modo læduntur.

Si verò esset symptoma immodicè retentum, id reduci potest ad expultricem diminutam, vel ablatam. Simili modo dicendo, illam lædi, vel ob læsam constitutionem, vel ob errorem externum. Hinc Galenus 6. de loc. aff. 6. inquit ❡ retentricem in ægris fieri ob debilitatem expultricis, & expultricem ob debilitatem retentricis, & ob aliam dispositionem, quæ habet vim mouendi.

Tria enim sunt symptomata in actione. Primum vel est actio abolita, vel actio diminuta, vel actio deprauata: itaut nulla sit actio in corpore viuente, quæ non lædi possit aliqua ex his tribus læsionibus: & quamuis Galenus 6. de loc. aff. 4. & 3. de symp. causis 2. loquens de symptomatis vrinæ dixerit, dari solum strenguriam, & ishuriam, & nihil dicat de dysuria, nó propterea est diminutus: quia dysuria ex Galeno 7. aphorismorum 48. duo significat, videlicet ardorem, & difficultatem: quando significat ardorem reducitur ad stranguriam: quando verò significat difficultatem reducitur ad ishuriam, videlicet ad ablatam, vel suppressam meiendi facultatem integrè, vel imperfectè læsam: itaut ablata actio meiendi, & diminuta reducantur ad ishuriam, deprauata verò ad stranguriam. Ex hac methodo desumpta à symptomatis propositis quisque colligere poterit specifica indicantia, quæ sunt illa, quæ indicant remedia ex vsu.

Quo ad secundum, quomodo videlicet & propter quos morbos fiat sanguinis impuritas: sciendum, sanguinem ab ipso iecore statim genitum esse valde impurum: ideo à natura fabricata sunt tria organa iuxta iecur, quæ sanguinem expurgant, illumque reddunt puriorem. Hæc tria organa sunt vesica fellea, renes, & lien: sicuti Galenus lib. de atra bile cap. 8. animaduertit, vbi inquit ❡ Vesicam vtramque factam esse à natura, vt sanguinem expurget: altera quæ est vesica fellea expurgat sanguinem à bilioso humore: altera verò renum ministerio à seroso humore: deinde lien sanguinem expurgat à melancholia. Hinc Galenus 4. de Vsu Par. 15. dicit lienem esse instrumentum, quod purgat limosos, crassos, & melancholicos succos, qui sunt in sanguine.

Dum igitur sanguis relinquitur impurus, vel quia vesica fellea, vel renes, vel lien in suo officio obeundo deficiant, nunquam inueniemus remedium, nisi ante oculos obiiciamus omnes affectus dictorum organorum, illósque eo vsque diuidamus, donec ad specificum descendamus: sicuti fecit Galenus 5. de loc. aff. 7. vbi docet, sanguinem relinqui impurum ob quatuor morbos vesicæ felleæ. Quorum primum dicit esse vesiculæ obstructionem. Secundum esse nimiam vesiculæ plenitudinem, ob quam expultrix nec bilem expellere, nec attrahere potest. Tertium affectum esse dum vesicula ob imbecillitatem non attrahit. Quartum quia ob imbecillitatem bilem non expellat. Notand-

dum est per imbecillitatem Galenum intelligere omnem intemperiem. Addimus iecur (vt dicit Auicennas doctrina quarta) demandare bilem, seu expellere in vesiculam, itaut possit contingere, quod fiat icteritia ob defectum expultricis iecoris, quia non sufficit vt attrahatur, nisi quoque demandetur. Hæc igitur indicantia specifica sunt illa, quę indicant remedia expurgantia ipsum sanguinem, si ratione affectus ipsius vesiculæ factus sit impurus.

Intemperies ergo, ob quam vesicula fellea non attrahat, est in fibris rectis: quia attractio semper fit per fibras rectas. Hæc attractio augetur vi caloris. Dú igitur est diminuta, vel ablata attractrix, id fieri potest ob intemperiem frigidum. Hac ratione Galenus 2. aphoris. comm. 20. dicit, hepar minus attrahere ob refrigerationem, sicuti enim retentrix per moderatam refrigerationem roboratur, sic attrattrix, vel expultrix diminuitur.

Intemperies verò ob quam vesica fellea non expellat continetur in fibris transuersis, atque est frigida intemperies: expultrix enim fit ratione caloris irritantis. Expultrix facultas ex Galeno 2. de symp. causis quarto & quinto cap. expellit particulis ipsis sese contrahentibus, ac cōstringentibus, fugientibúsque acrimoniam ad instar hirudinis, quæ sale perfusa se contrahit, & contrahendo sanguinem euomit.

Similiter de splene dicendum est, quod ob quatuor affectus non fungatur suo officio, vnde sanguinis impuritas fit. Primus est, dum splen non expellit: quia fit valde plenus. Secundus quia sit obstructus. Tertius quia ob frigidam intemperiem non attrahat melancholiam: qua non attracta transmittitur per vniuersum corpus: hūc splenis morbum cognoscimus: dicit Galenus 6. de loc. aff. 1. ex eo, quia cutis fiat nigrior. Quartus affectus splenis est, dum non expellit ob refrigerationem comparatam ab esu frigidorum: quo casu splen durus conseruatur.

Quod verò attractrix in splene diminuatur, & internum destruatur ob frigiditatem, Galenus nos docet 2. aphorism. comm. 20. vbi inquit, iecur minus attrahere ob frigiditatem, idem dicere possumus de liene: qui videlicet ob frigiditatem minus adhuc attrahat: nulla sanè est potentior causa, quod lien ægrotet, quam vsus rerum frigidarum, ob quem vsum nec virtus expultrix, nec attractrix suum exercent officium, vnde ab hac præcipua causa oritur sanguinis impuritas.

Pari modo renes ob quatuor affectus non exercent suum officium attrahendi ipsum serum. Primus est, quia renes sint repleti arenulis, vel lapillis. Secundus, quia sint obstructi. Tertius, quia sint imbecilles, id est, facti frigidiores. Quartus ob eandem frigiditatem in expellendo deficiunt.

Hinc Galenus 3. de causis symp. cap. 2. loquens de renum imbecillitate inquit: dum renes sunt adeo imbecilles, vt non attrahant, derepentè fit hydrōps: ideo cautè incedendum est in refrigerandis renibus, quia renes ex Galeno & Auicenna prima primi sunt propè frigidorum seriem. Vnde fit vt Galenus 13. meth. 16. dicat facilè incidere in aliquam scirrhosam dispositionem. Ecce quam incautè medici vulgares in his qui habeat renes sua natura frigidiores, & qui nephriticis passionibus corripiuntur, vtantur aquis frigidis sponte nascentibus, vel destillatis, vel copioso sero lactis: dicimus, incautè: quia adeo renes

renes refrigerantur, vt deinde in lithiasim, & alios prauos affectus facillimè labantur.

Capvt V.

De remediorum inuentione desumpta à locis affectis.

HActenus declarauimus, quomodo specificæ omnium partium intemperaturæ dignosci possint, & quomodo remedia specifica inde colligantur. Restat antequam agamus de magnitudine, more, & motu, & de morbis in mala conformatione, vt agamus de locis affectis: quia illis cognitis, & remedia, & ipsorum rectum vsum facilius dignoscemus.

Hæc duo in hoc cap. considerabimus. Primum proponemus locos indicātes partem aliquam esse læsam. Secundum quomodo sanitas partium corporis sit conseruanda.

Quo ad primum: Galenus 1. de loc. aff. 5. & 2. de loc. aff. 9. proponit quinque locos indicantes partem aliquam corporis esse læsam, quorum primum desumit ab actione læsa, secundum ab excrementis, tertium à situ læsionis: quartum à doloris proprietate: quintum à propriis accidentibus.

Insuper præter quinque locos iudicantes partes affectas, tres alios colligere possumus ex Hippocrate quorum primus proponitur aphorismo 33. quartæ sect. dum dicit ❡ Si qua ante morbum pars laborauerit, ibi mali sedes. Secundus proponitur aphorismo 38. eiusdem sect. dum dicit, ❡ qua corporis parte sudor, ibi morbus. Tertius locus desumitur ab aphorismo 39. eiusdem sect. qui est ❡ Et qua parte corporis inest calor, aut frigus, ibi morbus: ita vt loci indicantes partes læsas sint nouem, videlicet actio læsa, excrementa mutata, situs læsionis, proprietas doloris, propria accidentia, labor alicuius partis antequam morbus adueniat, sudor alicuius partis, calor & frigus insolitus alicuius partis.

Quo ad primum locum indicantem partem aliquam corporis esse læsam desumptum ab actione læsa: hoc vnum est considerandum, quod actio læsa indicet affectum præter naturam, vel esse in aliqua parte, vel in aliquo principio, vnde pendet virtus illius partis. Vel dicimus actionem læsam indicare affectum primarium illius partis, vel affectum primarium extra partem.

Galenus próponit duos casus, ex quibus colligere possumus, an actio læsa indicet affectum esse in vna parte, vel in principio extra partem.

Primus casus legitur 1. de loc. aff. 6. vbi Galenus inquit, ob aquam frigidam in piscatore ablatum esse officium musculi sphincteris ani, & vesicæ, nulla existente alia læsione extra istum musculum: in tali casu solum calorificis musculi affectio tollitur: dum verò læsus est musculus sphincter: quia non in ipso, sed extra ipsum fit primaria affectio, in spina videlicet: tunc ad spinam confugiendum est. Cognoscimus læsionem prouenire à spina, si multi musculi in suo obeundo officio deficiant: quia à spina multi nerui oriuntur, qui dant sensum, & motum variis musculis: quare si viderimus quod plura officia musculorum deficiant, dicemus à spina affectum prouenire: si verò videri-

mus solum officium musculi sphincteris deficere, dicemus, non à spina oriri affectum, sed solum à sphinctere refrigerato, vel alio modo læso.

Secundus casus proponitur à Galeno 4. de loc. aff. 2. de læsione linguæ, vbi inquit, si vna pars linguæ sit læsa, alia manente illæsa, primaria affectio est in neruo linguæ & non extra linguam: si verò vtraque linguæ pars sit læsa, tunc cerebrum, à quo pendent nerui, potest esse primariò affectum: quare pro cognoscenda parte affecta non sufficit, vt obiectuemus actionem lęsam: sed videre oportet, an affectio primariò sit lęsa in principio, à quo pendet virtus, quæ illi parti communicatur, vel solum sit in parte affecta.

Idem obseruauit Galenus 2. de loc. aff. 6. in casu Pausanię, in quo actio læsa apparebat in tribus digitis manus, qui sensum amiserant: tamen locus primariò affectus erat in ceruice, à qua pendent nerui, qui dant sensum digitis: ideo adhibitis remediis ceruici statim à Galeno fuit sanitati restitutus.

Similiter Galeno 4 de loc. aff. 4. proponit duos casus, in quibus actio lęsa apparebat in vna parte: morbus verò in alia longè diuersa. Primus est de homine ambulante sub pluuia, & vento impetuoso, qui amisit sensum pericranei ob refrigerationem introductam ceruici à pallio madefacto circa ipsam ceruicem. Medici parum versati in anatome calefacientibus frustra tractabant pericraneum, vt sensum reuocarent: Galenus verò, applicitis calefacientibus ceruici, à qua oriuntur nerui prębentes sensum pericraneo, statim restituit sensum pericraneo. Ecce quomodo labantur in errata medici, qui non intelligunt anatomen.

Secundus casus, quem proponit Galenus, est de quodam homine, in quo vtrumque crus erat resolutum: vidit Galenus primariam affectionem esse in lumbis, à quorum vertebris oriuntur nerui, qui dant motum ipsis cruribus: ideo adaptatis remediis lumbis, illum celeriter sanauit.

Præterea non solum in facultate animali pars primariò affecta sæpè distat à parte, cuius actio læsa est: sed etiam id euenire potest in facultate naturali: sufficiat illud exemplum de delirio, quod proponit Galenus 3. de loc. aff. 7. vbi inquit, delirium fieri: vel quia à ventriculo ad caput ascendat vapor vaporosus, vel fumosus: vel quia à ventriculo ad caput non per vapores, sed solum per continuitatem partium solus calor sine vllo spiritu corporeo excurrat: dum igitur lęsus est neruus oris ventriculi, qui pertinet ad sextum par neruorum cerebri: lęsio illius nerui absque eo quod ascendat vapor propter nerui continuitatem interdum communicatur sexto pari, & ipsi cerebro, vnde delirium.

Insuper accidere potest, quod lęso neruo oris ventriculi eadem lęsio communicetur trunco sexti paris, & à trunco eadem communicetur omnibus suis propaginibus, quę prębent sensum cordi, pulmoni, hepati, spleni, renibus, vtero, & vesicæ nullo existente in prędictis visceribus, morbo in facto esse, sed solum in fieri: Ecce quomodo ablata stomachi ægritudine auferri possit statim mala viscerum dispositio, dum solum est in fieri, pendetque ab alia, vt vmbra à corpore.

Neque est mirum, quod idem neruus, in variis partibus insertus edat varia & aliquando contraria officia: quia de ratione nerui est solum facultatem deferre, qua demandata, varia resultant officia, prout partes ad varia munera sunt destinata:

destinata: dicimus neruum aliquando edere contraria officia: sicuti apparet in neruo colli vesicæ & neruo corporis vesicæ, qui nerui ab eadem propagine oriuntur, neruus colli vesicę inseruit pro expellenda vrina: nerui verò corporis vesicæ pro ipsa retinenda. Hinc Galenus 6. de loc. aff. 4. habet hanc sententiam ❡ resolutis neruis musculi colli vesicæ fit vrinæ incontinentia: resolutis neruis corporis vesicæ fit vrinæ suppressio.

Idem quod diximus de facultate animali dici potest de vitali: quæ pariter in instanti transmittitur per vniuersum corpus: itaut affectus possit esse primariò in corde, & actio læsa in parte longè diuersa.

Notandum tamen est, quod actio læsa potest primariò indicare humores peccantes, secundariò partes solidas: id colligitur ex Galeno 7. meth. 12. vbi loquens de ventriculo dicit tripliciter lædi, vel dum solida pars ventriculi intemperie laborat, vel dum mali succi ventriculo sunt affixi, vel dum in interno sinu mali humores continentur. Ecce quod non semper actio læsa primariò indicat solidas partes esse læsas. Hæc distinctio de ventriculo potest applicari omnibus partibus læsis, quod scilicet actio læsa proueniat vel ab intemperie solidarum partium, vel ab humoribus affixis, vel ab humoribus in cauitate existentibus.

Distinguimus actionem læsam indicantem temperaturam solidæ partis ab actione læsa indicante humores peccantes per locos propositos in cap. superiori, quibus distinguimus protopathiam, idiopathiam, & sympathiam.

Hinc sæpè contingit, quod in ventriculi cauitatem confluant humores praui sano ventriculo existente, vel à liene, vel ab ipso hepate, vel à capite. Pari modo accidere solet, quod alimenta praui succi non digerantur: atque sic indigesta lædant ventriculum sua natura sanum.

Similiter dicimus de ipso hepate, quod licet sanum sit, malè habeat propter errata primæ concoctionis.

Præterea dum aliqua pars apostemate est obsessa, læsio non est in ipsa parte, sed in ipsis humoribus efficientibus ipsum apostema: ideo Galenus 3. de temperamentis cap. 5. & 13. meth. cap. 8. habet, dum pars aliqua est inflammata, dum euacuatur, vel per pus, vel alio modo ipsa materia: tunc sine vllo remedio statim succedit refrigeratio partis, quę erat apostemate obsessa: quare actio læsa partis apostemate affectæ nō indicat partem solidam esse læsam, sed humores ipsos qui faciunt apostema. Valeant igitur medici Plebei qui in parte inflammata hauriunt indicationem refrigerandi partem læsam, cum dicat Galenus locis citatis, quod statim euacuata parte excrementis succedat partis refrigeratio, absque eo quod remedium refrigerans debeat applicari.

Denique colligimus ex Galeno aliis in locis, actionem lædi modò ab humoribus, modo à parte solida. Hinc 2. de temp. cap. 2. loquens de senum temperatura ait, senes quo ad solida esse siccos, quo ad excrementa humidos. Pari modo hydropici quo ad solida sunt sicci, quo ad excrementa sunt humidi. Hinc est quod Galenus 2. de temperamentis vlt. dicat catarrhum fieri quoque posse ab intemperie sicca solidæ partis ipsius cerebri, itaut actio modò lædatur ab intemperie excrementorum: modò ab intemperie solidæ partis: modò ab vtraque. Simili modo Galenus octauo de comp. med. per locos septimo loquens de hepate dicit dari duas intemperaturas: vnam in paren-

chymate,aliam in materia contenta in venis & arteriis,& ſpatiis. Hæc omnia poſſunt applicari omnibus partibus,quare dum ex actione læſa volumus colligere affectum & locum affectum , debent præcedere omnes ſupradictæ præmeditationes.

Accedit præter ea quæ dicta ſunt de actione læſa,quod diligenter videndum ſit an actio læſa indicet totum membrum eſſe læſum,vel ſolum aliquam partem:quia ſi totum membrum vniformiter & æqualiter ſit læſum , actum eſt de curatione & de vita:ratio eſt,quia quilibet affectus præter naturam alicuius membri ſi debeat tolli , tollitur à parte magis ſana illius membri : quia pars ſana ſola(non ſpreto medici auxilio)eſt opifex ſanitatis. Id colligitur ex Galeno 4.meth.cap.1.& in arte parua cap.90. Præterea eſt D.Thomas Philoſophus præſtantiſſimus,qui ſecundo de anima comm.58.inquit, quod ſanitas redditur alicui parti à parte ſana : quia ſanitas eſt opifex ſanitatis : neque ſatis eſt, quod cor ſanum ſit, niſi caro membri ſana ſit ſecundum aliquam partem: quia ex Galeno 4.de Vſu P.cap.12. caro propria iecoris, cordis, vel aliorum viſcerũ eſt auctor actionis:idcirco credimus nos ſi de iecore loquamur,quod ſi totum iecur æqualiter ſit intemperatum,actum ſit de vita:quia deficit ſanitatis,& actionis opifex,qui reſidet in propria carne. Hinc membra læſa,quæ ſanari poſſunt, non ſunt læſa ſecundum totum, ſeu ſecundum omnes partes, ſed ſecundum aliquas tantum.

Hinc factum eſt quod Galenus 2.de loc.aff.7. dicat ꝗ ſimam partem iecoris refrigerati per conſenſum ventriculi,inteſtinorum, & maximè cauſa ieiunij,& meſentericarum venarum : gibbam verò per conſenſum pulmonis, ſepti,aut renum : quare dum vna pars eſt læſa , altera , ſi debet ſanari , debet eſſe illæſa.

Quo pacto verò cognoſcatur actio læſa gibbæ,vel cauæ partis iecoris,Galenus in caſu mulieris decumbentis apud Pantimidem docet hoc modo ꝗ ſi vrina eſt vitiata, affectus præter naturam eſt in gibba : ſi alui excrementa ſint vitioſa , affectus eſt in ſima , ſeu in cauſa parte ipſius hepatis. Sic Galenus ſibi conſentiens 13. meth.15. dicit concauam iecoris partem per aluum : gibbam verò per ea quæ modicæ mouent vrinas,ſanari.

Pari modo actio cerebri læſa modò oſtendit cerebrum primariò eſſe læſum:modò per conſenſum,vt docet Galenus 2.de diff.feb. vltimo dum dicit, caput lædi, vel per ſe , vel ſanguine vitiato. Idem omnibus membris applicari poteſt, quod membrum quodlibet poſſit eſſe læſum vel per ſe,vel ſanguine vitiato , ſed hęc omnia facile poſſunt dignoſci per methodum ſuperius traditam.

Demum obſeruandum eſt,an actio læſa ſit valde abolita : quia in quauis actione omninò abolita actio nullo remedio amplius reſtitui poteſt:ideo ſi illa pars læſa ad vitam ſit neceſſaria,procul dubio ægri moriuntur:ſicut obſeruauit Hippocrates & ipſe Galenus 9.epid.8. tex. comm. vltimo in Phętuſa & Nemiſia,in quibus menſes adeo erant ſuppreſſi,vt hęc vteri actio eſſet omninò abolita:itaut Hippocrates tentando illos promouere,Phętuſam & Nemiſiam interfecerit.

Quo ad ſitum,per quem pars affecta dignoſcitur:ſi pars affecta fuerit interna, certè ſine cognitione anatomes non percipietur. Ipſeque Galenus qui in bruto-

brutorum anatome fuit versatissimus, non semel in pręcognoscendis locis affectis internis deceptus est: causa fortasse est, quia ei non licuit secare humana cadauera, vnde fit, quod vbi internę partes humani corporis sunt situ seu positione diuersæ à brutorum partibus, aliquando fuerit hallucinatus: sicuti dum putabat, emulgentem dextram, & renem dextrum esse altiorem sinistro, quod interdum in brutis conceditur, sed non in hominibus. Pari modo de situ ventriculi fallitur Galenus, dum dicit 4. de Vsu P. 7. ventriculum magis esse in dextro, quam in sinistro latere.

Ex situ seu positione partium internarum non percepta, multa mala ægris inferuntur, præcipuè in topicorum vel vnguentorum applicatione, & in remediis per os assumptis: exempli causa sub mucronata cartilagine medici vulgares existimant statim esse os ventriculi, tamen ibi est iecoris lobus: Dũ igitur volunt os ventriculi calefacientibus corroborare, ipsis non aduertentibus calefaciunt iecur, quod & febrem intendere & mortem inferre potest. Ecce quanti momenti est consideratio ipsius situs, quo ignorato medicamentum alioquin saluberrimum hominem interimere valet.

Pręterea ex situ dignoscimus, quomodo corpora sint euacuanda: exempli causa, si materia peccans sit in parte caua iecoris, vel in intestinis, solum conueniunt euacuantia per aluum, non per vomitum: si in ventriculo, vomitoria, & lenientia. Hinc Galenus 7. meth. vlt. ait, ventriculus deiectione & vomitu, intestina verò & caua iecoris solum deiectione euacuantur. Similiter Galenus 4. aphoris. 2. inquit materiam contentam in intestinis per vomitum non esse expurgandam. Valeant igitur illi, qui dum materia est in intestinis, vomitoriis tentant illam euacuare.

Accedit, quod Galenus & Hippocrates 4. aphorismorum 8. non admittunt obnoxios phthisi per vomitum esse expurgandos. Pręterea digna consideratione est illa Hippocratis & Galeni animaduersio 4. acutorum 104. quod si i ipso ventriculo sit bilis arida non per vomitum esse euacuandam, sed per inferiora, ne os ventriculi ob bilis morsum incidat in syncopem.

Si verò excrementa sint in iecoris gibba, vel in renibus euacuanda sunt per vrinam, vt docet Galenus 2. ad Glauc. 2. sed hac distinctione proposita ab ipso Galeno 7. meth. cap. vlt. quod si renes multo vitioso succo abundent per cathartica purgandum: si mediocri per vrinam: quare si renes & gibba iecoris multo vitioso succo abundent, nullo pacto per vrinam euacuãdum: quia pulsa materia in vasa per exigua renum, fieret ibi infarctus, qui esset causa lithiasis, & aliorum symptomatum: ideo tunc per cathartica est purgandum: deinde facta purgatione per aluum, & per vrinam est euacuandum.

Demum si affectus est in thorace, per sputa, & non per vrinam, vel per aluũ iudicatur morbus, vt in Pythione, qui liberatur morbo thoracis per sputa cocta, licet tunc vrinæ in ipso essent tenues, & crudæ. Immo si affectibus thoracis superueniat alui fluxus, semper est malum signum, si credendum est Hippocrati 6. aphorismorum 16. vbi inquit ¶ Alui fluxus superueniens pleuritidi, malum.

Galenus in comm. reddit hanc rationem cur sit malum: quia ostendit iecur quoque esse læsum. Concedimus tamen, si corpus sit valde plenum, semper prius esse euacuandum: quia nullus morbus particularis sanari potest, nisi ple-

nitudo diminuatur, qua diminuta, ad particularia remedia est confugiēdum. Cauendum tamen est in euacuatione excrementorum, quæ stabulantur in thorace, quia hæc per pharmaca vel sanguinis missionem, vel per diuretica nō possunt auferri: Galenus enim 5. simpl. c. 13. loquens de phtisi maximè damnat diuretica: quia (vt ait) aduersantur expuitioni puris: aduersantur, quia per diuretica cogitur materia quæ solum per tussim potest excerni: ratio est, quia materia quæ est in thorace per diuretica destituitur parte ichorosa, quæ reddit materiam minus crassam: quare si diuretica non cōueniunt in affectibus thoracis, tanto minus conuenient purgantia, & illa præcipuè, quæ adimunt serositates: sic phlebotomia non existente plenitudine, quæ & serositates, & vires exhaurire solet, damnanda est. Sed quamplurima alia exempla pręter hæc à nobis proposita, & ab ipso Galeno 2. ad Glauc. cap. 2. & in methodo medendi, vbi agit de euacuatione, colligenda ex partium situ inueniri possunt.

Ab excrementis mutatis, vel retentis locus affectus innotescet, prçcipuè si actio læsa, & situs lęsionis non obstiterint. Si loquamur de bile, quę excernitur per aluum vel per vomitum, bilis indicat iecur esse lęsum: si de melancholia lienem, si pituita plus iusto excernitur, ventriculus, vel cerebrum lęditur. Si verò sanguis per aluum sit euacuatus, & fęcibus permixtus, signum est intestina tenuia, vel iecur esse lęsum: si sanguis non sit permixtus, indicatur intestinum rectum, vel hęmorrhoides pati hęmorrhagiam. Prętereà sanguis si cum tussi excernatur, & neque concretus, neque spumosus sit, indicat caput esse læsum: indeque effluere in pectus. Si verò est concretus, & spumosus indicat læsionem pulmonis: Galenus 5. meth. cap. 8. proponit signa sanguinis fluentis à capite, & à pulmone.

Quo ad pus, dicimus, si per vrinam euacuetur, & fœtidum sit, signum esse vesicam, seu partes vicinas esse læsas: si vero careat fœtore renes, vel alias partes superiores esse læsas.

Denique excrementa, quæ efficiunt morbum, indicant locum affectum: Hippocrates 6. aphorismorum 21. ait ¶ si hæmorrhoides insaniæ superueniāt fit insaniæ solutio. Galenus in comm. explicat aphorismum esse verum de insania facta ab humore melancholico: quare si per hæmorrhoides nigra non deiiciantur certi insania non tolletur: quia indicant esse insaniæ superadditum alium morbum.

A doloris proprietate desumitur locus affectus: sic pūngitiuus dolor indicat læsam esse membranam, eamque læsionem effici à bile vel flatu, ratio est quia sola bilis & flatus possunt penetrare membranas, & penetrando puncturas efficere. Hinc est quod dolores pungitiui fieri non possunt à sanguine, pituita, vel melancholia: quia membranæ sunt adeo densæ, vt solum à bile, vel flatu penetrari possint. Hinc Hippocrates 6. aphorismorum 33. proponit hunc aphorismum ¶ Qui acidum eructant rarò fiunt pleuritici: quia qui acidum eructant sunt pituitosi, & pituita est crassa, & vt talis rarò penetrat membranam: & per consequens non pungit.

Dixit rarò fiunt pleuritici: quia cum pituita potest coniungi bilis, vel flatus, qui efficiant puncturas, & pleuritidem.

Similiter laceratiuus dolor propriè conuenit carni: quia caro habet fibras, & neruos subtiles non ita vnitos, vt membranas: ideò facilè à causa soluente

continuum

continuum in carne lacerantur, vnde fit laceratiuus dolor.

Itidem dolor conuulsiuus conuenit neruis, & tendinibus: quia in his filamenta neruea sunt adeo vnita, vt non lacerentur: sed contrahantur ad suum principium, quod loco dimouetur, vel extra situm pellitur: vnde si conuulsio perueniat ad cerebrum, sequitur mors, dicimus ad cerebrum, quia nerui oriũtur à cerebro, & non à corde, vt putat Aristoteles: Erasistratus enim referente Galeno 7. de plac. longo temporis cursu secutus est in hac re Aristotelem, tamen senior factus mutauit opinionem, & à cerebro, & non à corde neruos exordiri asserebat.

Dolor verò pulsatiuus fit, vbi sunt arteriæ: vbi enim non sunt arteriæ dolor pulsatiuus fieri non potest. Hinc Galenus 2. de loc. aff. 3. admonet in pleuræ, & pulmonis inflammatione non fieri dolorem pulsatiuum: in pulmone non fieri dolorem, quia caret arteriis. Similiter in pleura non fit dolor pulsatiuus, quia caret arteriis.

Grauatiuus dolor conuenit partibus sensu destitutis, cuiusmodi sunt caro cerebri, cordis, pulmonis, iecoris, splenis & renum: horum enim viscerum caro est omninò sensu priuata.

Dolor contusiuus præsentitur in ossibus ratione periostij, non ratione ossium: quia ossa non sentiunt.

Dolor perforatiuus aliquantulum differt à pungitiuo. Pungitiuus conuenit membranæ tenui: perforatiuus crassæ, cuiusmodi sunt membranæ colli intestini, in qua fiunt dolores vehementes, qui in tenuiori membrana neutiquam fieri possunt.

Ratio proponitur à Galeno 6. de loc. aff. 2. vbi dicit dolores vehementes non fieri in tenuibus intestinis, quia ob tenuitatem tunicæ causa doloris facilè egreditur, & euanescit. Idem repetit Galenus 2. de loc. aff. 5. ibi enim, inquit, in tenuibus intestinis non fieri dolores vehementes.

Eadem ratione motus Galenus ob tenuitatem tunicæ asperæ arteriæ, ait, inflammationem asperæ arteriæ strangulationem facere non posse, nõ solum quia meatus maximus est, sed ob tenuitaté tunicæ œsophagi, quæ secundum partem internam occludit asperam arteriam.

A propriis accidentibus desumitur locus affectus: sic propria accidentia, quæ indicant vterum esse læsum, ex Galeno sunt hystericæ passiones, quæ solum in mulieribus, & non in viris obseruantur. Sic Galenus 1. ad Glauc. cap. 14. inquit, vteri suffocationi præcedere lipothymiam: lipothymia igitur, quæ præcedere solet strangulationi inter propria accidentia connumeratur.

Sic dum circa oculos est aliquis dolor, si oleum, quod reuera est anodinũ in omnibus aliis partibus, oculis noceat, non erit mirandum, quia oculorum dolor factus ab oleo inter propria oculorum accidentia numeratur: Galenus enim lib. de opt. sect. cap. 9. dicit oleum oculis nocere, aliis verò partibus inflammatis esse vtile, & sedans dolorem.

Sic quælibet corporis pars in variis indiuiduis varia fert accidentia. Alij enim sunt qui maximè læduntur ab odore rosarum, alij ab esu casei, alij à brassica, alij ab aliis rebus.

Quare obseruandæ sunt, & partium & indiuiduorum proprietates, vt locus affectus dignoscatur. Sic propria accidentia neruorum vesicæ læsæ, &

neruorum colli vesicæ varia sunt. Galenus enim vt ostendat hanc differentiam 6. de loc. aff. 4. inquit, resolutis neruis corporis vesicæ sequi vrinæ suppressionem, resolutis verò neruis colli vesicæ sequi vrinæ incontinentiam, & non suppressionem, quæ accidentia non solum sunt diuersa, sed contraria.

Pari modo resolutis neruis abdominis fit alui suppressio. Resolutis verò neruis sphincteris fit fæcum incontinentia: sicuti Galenus 4. de loc. aff. 4. obseruauit in famoso illo casu piscatoris, qui ob morã in aqua frigida resolutis neruis vtriusque sphincteris, videlicet vesicæ, & ani, inde incontinentia, & fęcum, & vrinæ secuta est.

Similiter in pleuritide accidentia propria obseruantur, quæ sunt dolor, qui peruenit ad clauiculam, vel ad hypocondrium: quæ accidentia, nisi adsint, legitima pleuritis esse non potest: Galenus enim 6. aphorismorum comm. 5. reliquit nobis de pleuritide præceptum pulcherrimum, obseruandum in cognitione & curatione pleuritidis: his ferè verbis ❡ Si dolor in pleuritide, neque ad clauiculam, neque ad hypocondrium perueniat, nec purgationem, nec venę sectionem excogitabis: reddit rationem: quia dolor ille erit in partibus carnosis, vbi nullum subest periculum. Valeant ergo qui in omni pleuritide sanguinem, vel medicamentum ægris præscribunt.

Pari modo si de neruis loquamur in eorum punctura obseruantur propria accidentia, veluti dum medicus aliquis Plebeus, quorum numerus his temporibus est maximus, vtatur emplastro ex farina, lacte, & similibus, tunc enim fiunt conuulsiones, quæ adeo nocent, vt interimant: Galenus enim 6. meth. cap. 2. refert quosdam medicos tractasse ægrotum punctura nerui affectum cum emplastro ex farina, & similibus, & hoc remedio patientem in septem diebus iugulasse: punctura enim non est occludenda: ideo emplastica interimunt: proponit tamen in punctura Galenus terebenthinam, & casu quo habitus ægrorum sit densus & firmus terebenthinæ, pauxillum euphorbij permiscet, vt conseruetur punctura aperta.

Præcognita parte affecta ex actione læsa, ex situ, ex recrementis, ex doloris proprietate, & ex propriis accidentibus, statim se offert quomodo pars affecta sit conseruanda, ac tuenda, quia ab alia causa affectus præter naturam non tollitur, quàm à salubritate partis affectæ. Ostensum est à Galeno naturam partis esse sanitatis opificem. Hinc 4 meth. cap. 1. ait ❡ nisi caro subiecta sana sit, nec vlcus, nec vulnus sanari potest. Idem confirmat in arte parua, cap. 90. Hinc Galenus 5. simp. 9. & 3. meth. 5. loquens de remediis, quæ conueniunt parti affectæ, vt citò superetur eius affectus præter naturam, ait ❡ pus mouẽtia debere conuenire cum temperatura partis læsæ, quia remedium quod pus mouet in vna parte non mouet pus in alia: sic oleum relatum in carne lęsa reprimit: in cerebro vero læso non reprimit, sed potius concoquit & suppurat.

Pars affecta tribus modis conseruari potest. Primò non trahendo excrementa ad ipsam partem, sed potius reuellẽdo: hoc admonet Galenus 13. meth. cap. 11. vbi ait ad partem excrementa non esse trahenda: subdit si renes & vesica laborent, diuretica sunt fugienda: si (ait) si vterus laborat, menses nõ sunt mouendi: quia longissimè a parte affecta est reuellendum. O quoties in vtero inflammato medici vulgares interimunt mulieres iis quæ mouent menses,

quia

quia maximè augendo inflammationem, ipsas occidunt.

Præterea valde lædunt, dum trahunt excrementa ad partem affectam vsu balnei. Hinc Galenus 12. meth. 3. de balneo habet hæc ¶ balneum calidum aquæ dulcis colliquat humores, illosque reddit procliues ad locum affectum.

Collige quantum errent, qui in propensis ad nimij sanguinis fluxionem per hęmorrhoidas, vtuntur pedum lotionibus. Nos quoque damnamus illos medicos qui immergunt in oleum voluulo affectos, laxant enim multo magis intestinum, & partes vicinas, vnde partes ob laxitatem multo magis inflammantur.

Damnamus quoque, qui vtuntur emplastro ex oleo & farina in parte dolente, in quam excrementa fluant. Aduersantur enim Galeno 2. ad Glauc. 2. vbi dicit ¶ si in partem dolentem fluat materia, nec oleum, nec farina triticea conueniunt. Addit Galenus conuenire rosaceum cum cera & passo, quæ leniunt, sed non laxant: prohibet enim omnia laxantia in parte dolente.

Secundus modus, quo pars affecta conseruetur & salubris reddi possit, est per remedia temperaturæ partis affectæ simillima: Sic Galenus 5. meth. cap. vlt. ait, vocatum fuisse pro sananda carie relicta tamquam incurabilis à Thesalico medico, Galenus remediis similibus temperaturæ penis illum hominem carie affectum restituit sanitati: similia sunt proposita à Galeno in eodem cap. suntque anetum vstum, aloe, litargirus, & cadmia: methodicus medicus humidis remediis procedebat. Videns Thesalicus hanc mirabilem, & celerrimam Galeni curam, erupit in hæc verba ¶ non tantum lætatus sum de salute hominis, quam tristatus, quod in mala secta fuerim educatus.

Hinc Galenus 3. meth. 3. vult, quod suppurantia sint similia & non contraria, proponit exemplum de thure, quod scilicet thus in pueris & habitibus mollioribus habeat vim exsiccandi; in nauta, & in habitu robusto vim suppurandi: sic thus in natura humida efficiet carnem, in sicca verò efficiet pus.

Demum Galenus 5. meth. 7. loquens de vulnere arteriarum & venarum concludit, non eadem medicamenta exsiccantia arteriis & venis conuenire: habet enim hæc verba ¶ tanto siccioribus medicamentis eget arteria, quam vena, quanto arteria est natura siccioris temperamenti quam vena.

Medici igitur, qui sine methodo incedunt in sanandis vlceribus, qui in omnì homine & in omnibus corporis partibus vtuntur iisdem remediis, à Galeno his verbis reprehenduntur 5. meth. cap. vltimo in fine ¶ nec horum quicquam nec per somnium norunt, qui sunt sectæ à methodo alienæ, cum omne vlcus in quacunque animantis parte eandem postulare curationem opinentur. Nostratum plurimi chirurgorum hanc sectam à Galeno damnatam colunt maxima cum ægrotantium iactura, & pernicie.

Tertius modus, quo pars affecta conseruatur est, ipsam partem roborare, & humores confluentes repercutere. Quem modum obseruauit Galenus 3. de fract. comm. 21. vbi dicit se curasse vulnera panis madefactis vino albo austero, & cum spongia die noctuque vinum perfundens, quod vinum ait, est frigidum, & terrestre, nec mittit vapores in alias partes. Ecce quod hoc vinum habet vim refrigerandi, roborandi & repellendi, ne fluant humores, quod nostrates vix obseruant. Pari modo Galenus 2. ad Glauc. 2. laudat in parte dolente,

quæ recipit ipsam fluxionem, lanam succidam eodem vino austero madefactam. Proponit lanam, quia vt docet Galenus 1. de articulis 24. lana vt succida habet duas virtutes, vnam astringendi, aliam verò modicè calefaciendi, hancque applicat partibus inflammatis, eo quia sua virtute astrictoria humores repellit, sed si vino austero albo sit imbuta, tunc & repellit, & roborat.

Videmus tamen nostrarum nonnullos non admittere lanam succidam habere virtutem aliquam adstrictoriam: quia illa vtuntur ad emolliendas partes duras, qui omninò reluctantur Galeno & veritati. Quod vero ita sit, patet de Oesipo, de quo loquens Galenus 3. de art. 24. dicit Oesipum esse præditum cōtrariis qualitatibus, videlicet adstringente, & modicè calefaciente. Oesipum colligitur, vt omnes sciunt ex ipsis lanis succidis.

Hinc qui relinquunt lanam succidam quæ mollis & lenis est, & vtuntur ceratis, lædunt: quia sæpè numero partes læsæ ceratorum onere magis laborant: ideo Galenus 2. de officina medica 32. dat hoc præceptum quod his temporibus à chirurgis vix animaduertitur ❡ Fugiendum est ne onere partes affectæ inflammentur. O quoties in vulneribus nostri chirurgi ponunt tot linamenta, vt pro nimio onere partes maximè inflammentur! Hinc Galenus 3. de officina medica 30. ait ❡ inflammationes nec modicum pressum ferre posse: ideo vt dura, & onerosa relinquenda.

Demum ne pars affecta recipiat excrementa, Galenus 2. ad Glauc. cap. 5. laudat alumen, & sal in edemate, habet hæc verba ❡ si multum aluminis in edemate adhibueris, nihil nocebis. Laudat quoque pro splene indurato vesicam plenam salis extrinsecus appositam, vt adstringatur pars, & fluxio ad illam prohibeatur.

Quod varia sint remedia, prout variæ sunt partium conditiones nos ostendimus 3. meth. nostræ vitandorum errorum, exemplis omnium morborum, ostendimus vanissimum esse illum medendi modum, dum putant, non solum vlcus, sed apostemata, erysipelata, & humores, sicuti sunt pituita, melancholia, bilis, & flatus eandem curationem postulare: quia hæc omnia variantur pro varietate partium.

Hinc erysipelas in pleura facit pleuritidem, in membranis cerebri phrenitidem: quorum affectuum curatio varia est. Idem dicendum est de causis antecedentibus.

Galenus 3. de symp. causis 2. dicit quod bilis atra dum peccat in toto facit elephantiasim: dum in parte cancrum.

Catarrhus in cerebri ventriculis epilepsiam: idem catarrhus in trachea arteria tussim facit.

Succus mordax in cerebro maniam facit, in cute scabiem; melancholia in cerebro mœstitiam, in stomacho famem.

Denique flatus in corde palpitationem in ventriculo ructum: in recto intestino crepitum.

Galenus 13. meth. cap. 20. tanti facit indicationem à partibus corporis, vt his verbis illam declaret. In summa si quis eam quæ à partibus ipsis indicationē adimat, nihil obstat, quo minus medicinam non sex mensibus, sed sex diebus perdiscat: ratio, cur indicatio à partibus sit tanti momenti, est: quia remedia solum desumuntur à specificis indicantibus, & specifica indicantia solum à

partibus

partibus ipsis colliguntur. Id declarat Galenus 5. meth. vlt. dum sanauit penis vlcus exsiccantibus, quod vlcus Thessalici tractabant humectantibus, quem casum superius retulimus. Similiter Galenus 6. meth. 2. loquens de punctura nerui in quodam iuuene, quem quidam Thessalicus spatio septem dierum cataplasmate ex farina & lacte iugulauit, ostendit non omne vlcus eadem remedia indicare, remedium enim puncturæ carnis non conuenit etiam in punctura nerui: de quo casu superius diximus.

Galenus non vult quod suppurantia conueniant in omni vulnere, & præcipuè in punctura tendinum, vel neruorum: immo animaduertit in vulnere, nisi pars vlcerata sit contusa, non conuenire suppurantia: habet enim, hæc verba 4. meth. 5. membrum cæsim, vel acuto telo diuisum medicamentum quod suppurat non conuenire, nisi pars sit contusa: collige contra chirurgos illos, qui in omni vulnere olea seu emplastra suppurantia applicant, quod quantum noceant iudiciosi chirurgi animaduertant.

Præterea non solum partis temperatura, sed aliæ conditiones partium variant curationem: Galenus 6. aphorismorum 38. loquens de cancro, ait: si cancer sit in summitate cutis, curabilis est: quia radices possunt euelli: qui vero habent radices penitiores, vt in ano, palato, & mamillis, sunt incurabiles: quia radices sunt penitiores, & vt tales euelli non possunt, & tales citius moriuntur curati, quam non curati.

Pari modo ratione motus, & raritatis pulmonis, si in ipso fiat vlcus dicit Galenus 5. meth. 8. sanari non posse, nisi in principio auferatur fluxio: ibidem habet hæc verba ❡ nisi cito sanetur vlcus pulmonis actum est de sanatione: in curatione est auspicanda cura à fluxione, quæ (ait) si cesset sanari potest.

Insuper partes corporis habent etiam antipathiam cũ nonnullis remediis, quę ratione morbi sunt præstantissima: exempli causa in omnibus doloribus oleum est anodinum præstantissimum, tamen in doloribus oculorum oleum nullo modò iuuare potest: Hinc Galenus lib. de opt. sect. ad Trasyb. cap. 9. dicit, oleum esse oculis inimicum. Nos quoque expresè cognouimus oleum esse inimicum vesicæ, & (vt puto) omnibus membranis. Hinc fortasse nullum est venenum extrinsecus appositum magis felibus deleterium, quam, si oleo inficiantur: spatio enim 14. dierum moriuntur, tota enim eius cutis est adeo membranosa, vt non sit dissimilis ab oculorum membranis.

Pari modo omnia amara sunt inimica ventriculo: sententia est Galeni 6. simp. cap. 2. vbi ait: omne amarum stomacho inimicum: hac ratione Galenus 11. meth. 16. damnat absynthium commune pro vẽtriculi corroboratione: quia in ipso prædominatur amaricies, non virtus adstringendi, & corroborandi, vt in pontico: hæc sunt verba, in communi absynthio non sentitur vis adstringendi, ideo vtere pontico: addit, fuge cætera absynthia. Commune absynthiũ, & cętera alia iuuant iecur: illa enim amarities, quæ est in illo absynthio inseruit pro vehiculo deferente vim astrictoriam ad iecur: ideo iuuat: loquens igitur Galenus 13. meth. 17. de absynthio habet hæc verba ❡ Quale medicamentum iecori est absynthium, tale lieni est cortex caparorum, quale iecori est eupatorium, tale lieni est scolopendrium, per absynthium (vt puto) intelligit commune.

Ecce quam necessaria est indicatio desumenda à proportione partium: sed

innumera possunt afferri exempla, sed hoc non est omittendum, quod à Galeno proponitur 4. meth. 15. pro obesis, vbi laudat sal ex viperis combustis, ponit casum cuiusdam iuuenis, quem extenuarat.

Demum lib. de internis affectibus Hippocrates circa finem damnat in coxendico dolore vstiones per ferramenta in parte ossea. Ecce quomodo & nos damnare debemus cauterium in commissura coronali per ferrum valde ignitum, vel per causticum, per quod facile potest fieri inflammatio, dicimus valde ignitum: quia si solum cuticula leniter aduratur, & deinde sensim fiat cauterium, non solum iuuat, sed inter ea, quæ amouent oculorum fluxionem videtur tenere primas.

Quod verò non solum in quolibet membro, sed in qualibet particula mẽbri variæ & diuersæ debeant esse remediorum materiæ, Galeni exemplum cap. vlt. quinti lib. meth. de vlceribus penis, non est obliuioni tradendum: ibi clarissimè ostendit, quod in ipso pene eadem exsiccantia, quæ cicatricem inducunt, non conueniant in omnibus penis particulis: quia maiora exsiccãtia requiruntur in vlceribus glandis, quam in vlceribus præputij, & adhuc minora in vlceribus cutis, quæ totum penem inuestit. Valeant nostrates chirurgi (loquor de plebeis) dum vlceribus omnium partium penis applicant præcipitatum, & alia id genus nulla facta partium differentia.

Demum requiritur pro locorum affectorum dignotione, vt perfectè intelligatur temperatura singularum partium, vt dictum est superius: quia solum illa cognita animaduertimus in omnibus affectibus, quæ remedia conueniãt, & quæ partem lædunt: exempli causa, calor insignis persentitur in regione renum, qui prouenit à magna arteria, & magna vena circa dorsum: medici vulgares attribuentes illum calorem renibus præbent potionem frigidæ, nec vident renes esse liene frigidiores, vt Auicennas & Galenus putant: inde ex frigidæ potione valde lædunt renes. Hanc doctrinam desumpsimus à Galeno 9. meth. 5. vbi dicit à frigidæ potione lædi renes: mitto abusum applicandi renibus frigida, vt rosatum, seu infrigidans Galeni, quæ nisi patiens sit calidissimæ temperaturæ & iuuenis, certè non sine aliquo damno applicantur.

Collige igitur ex dictis, quod solum ex specifica indicantium cognitione & ex distincta & exacta locorum affectorum theoria remedia inueniri possunt. An verò nostrates ad affectuum differentias specificas, & ad remedia deueniant specifica omnes animaduertent, si intellexerint huius mirabilis medicinæ principia à Galeno ipso desumpta.

CAPVT VI.

De remediorum inuentione desumpta à morbi magnitudine, more, & motu.

COgnitis locis affectis sequitur, antequam agamus de morbis in mala cõformatione, vt de morbi magnitudine, de more, & de motu aliquid dicamus.

Quo ad morbi magnitudinem Galenus 4. meth. 6. tres magnitudines proponit

ponit,quarum prima est magnitudo ratione propriæ essentiæ. Secunda ratione cacoethiæ. Tertia ratione partis præstantis. Quo ad magnitudinem ratione propriæ essentiæ exemplis facilè declaratur: si igitur sit aliquod magnum apostema, quod neque sit malignum, quod dicitur cacoethe: neque sit magnum, quia sit in aliqua parte præstanti, dicitur magnum ratione propriæ essentiæ.

Magnitudo verò ratione partis præstantis est, si in iecore, vel corde sit aliquod apostema exiguum, vel aliqua parua pustula,quæ ratione sui nihil mali minari possit: ratione tamen partis præstantis leuiter vlceratæ mortem minetur. Sic dicimus nos,flatum existentem in ventriculo posse affectum nullius momenti efficere, cuiusmodi est ructus: si verò idem flatus esset inclusus in ventriculis cordis posset palpitationem exitiosam producere: ideo hic morbus dicitur magnus non ratione causæ,sed ratione partis præstantis.

Magnitudo verò morbi, quæ est ratione cacoethiæ,id est malignitatis,erit veluti aliqua febris maligna,licet parua esse videatur: vel aliquod vlcus cacoethe:vel vulnus ab armis venenatis,quod ex se sit exiguum, ratione tamen veneni maximum & lethale.

Magnitudo morbi ratione dignitatis differt à tribus propositis: de hac mentionem facit Galenus 6.de loc.aff.5.vbi agit de passionibus hystericis: ibi enim asserit passiones hystericas, quæ dependent à semine corrupto esse maiores, quam sint,quæ à mensibus suppressis fiunt: morbus enim magnus ratione dignitatis prouenire solet ab humore magis amico: dum enim humor magis amicus corrumpitur,redditur longè magis hostilis, quam alij humores corrupti.

Similiter Galenus 3.de tuen. sani. cap.9. loquens de magnitudine ratione dignitatis,illam exemplo apostematis partis contusæ declarat,his ferè verbis ❡ si pars contusa apostemetur fiunt duo affectus,primus est contusio: secundus est apostema:subdit Galenus ❡ si pari interuallo pars contusa & apostema recedant à statu naturali, curatio exordienda est ab apostemate, & non à contusione: quia apostema est affectus maior ratione dignitatis, quam ipsa contusio.

Præterea datur morbus magnus ratione imbecillitatis virtutis, licet ex se non sit magnus:de hac magnitudine loquitur Gal.lib.de totius morbi temporibus cap.5.

Quo ad magnitudinem ratione cacoethiæ,id est malignitatis, hæc malignitas obseruatur in febribus,in vlceribus,& aliis affectibus.

Si de febre maligna loquamur,inuenio octo opiniones,& nostra est nona.

Prima est Montani Veronensis,qui putat malignitatem febrium prouenire ab humoribus putrefactis in corde.

Secunda est Fernelij,Saxoniæ,& multorum dicentium à venenata qualitate occulta prodire.

Tertia est Capiuaccei: quod malignitas in febre proueniat ab humoribus alimentalibus putrefactis in corde.

Quarta est Fracastorij qui tenet oriri ex profunda,& sordida putredine.

Quinta est Horatij Eugenij mei præcessoris, qui putabat prouenire à putredine cum corruptione.

Sexta est Eustachij Rudij, qui asserit à vehementi putredine oriri, quæ vehemens putredo non differat a veneno.

Septima est Ioannis Iouberti Galli, qui putabat in malignis, & pestilẽtibus febribus sanguinem putrescere: in omnibus aliis febribus putridis putabat sanguinem non putrescere, sed tantum accendi & inflammari.

Octaua est nonnullorum, qui arbitrantur, malignas febres fieri ab aliqua gangręna interna. Nona est nostra opinio, quod à qualibet ex istis causis maligna febris interdum fiat: quod sic declaramus.

Prima opinio, quæ est Montani potest defendi: quia ipse Galenus tenet 1. de diff. feb. 4. quod febres pestilentes, & malignæ fiant ex humoribus putrefactis in corde: aliæ verò febres ex fuliginibus putridis extra cor, sed petentibus ipsum cor.

Secunda opinio, quæ est Fernelij potest defendi, ex Galeno enim tertio in tertium epid. in historia quarti ægroti, qui ita citò mortuus est phreneticus, ac si ipse sumpsisset mortiferum, seu venenatum medicamentum: ab eadem causa possunt fieri malignæ febres.

Accedit quod Hippocrates & Galenus 3. de ratione vic. 14. dum dicunt deiectiones biliosas, si non extinguant ardorem, esse signum malignæ febris, & præcipuè, si calor vehementior reddatur, supponunt causam malignæ febris esse venenatam qualitatem, quia si esset qualitas aliqua manifesta, procul dubio quanto deiectio biliosa esset maior, tanto calor mitior fieret. Præterea dicunt dari pestilentiam sine febre, ergo malignitas non semper oritur à putredine, quia conditio putredinis est quod quanto maior fit putredo, tanto intentior sit calor.

Tertia opinio, quæ est Capiuaccei, quod scilicet ex putrefactis humoribus alimẽtalibus fiat maligna febris, potest defendi, quia per ipsam confertim cadunt vires, quod significat alimentum mutare formam: quæ mutatio per ipsam putredinem fieri solet.

Quarta, quinta, & sexta opinio quod scilicet fiat à putredine, vel sordida & profunda cum Fracastorio, vel à putredine cum corruptione cum Eugenio, vel à vehementi putredine cum Rudio, defendi possunt cum Galeno multis in locis, sed præcipuè tertio in tertium epid. 23. & 1. de diff. feb. cap. 5. vbi dicit malignas febres fieri à putredine.

Septima, quæ fuit Iouberti, quod scilicet fiat à putredine sanguinis ad differentiam aliarum febrium, quæ omnes non à putredine, sed ab ardore, & sanguinis accensione: potest & hæc defendi, quia etiam sanguine putrefacto cadunt derepentè vires, at sic est quod in malignis febribus hoc accidere potest: immo febris malignæ character, vt docet Galenus 3. de præsag. expul. 4. est virium casus.

Quod vero fieri possint febres ex humoribus accensis & non putrefactis colligi potest ex Galeno 10. meth. 6. vbi ait de picrocholo febricitante, non hectica, non ephimera, sed ex humoribus sine phlegmone & sine putredine. Quare ex humoribus biliosis accensis potest fieri febris sine putredine, quæ neque hectica, neque ephimera sit.

Octaua, quæ est quod ab aliqua gangræna febris maligna fieri possit, nos non semel apertis cadaueribus à febre maligna interemptis, inuenimus in hepate

pate exiguam gangrænam omninò nigricantem. In his ægrotantibus obseruantur illa tria signa malignæ febris proposita à Galeno 3. de præsag. ex pul. 4. quorum primum est vt pulsus à naturali statu non videatur differre, sed pulsui sanorum sit similis. Secundum quod reddant vrinam similem vrinæ sanorum. Tertium quod ægroti dicant febrem nullam sentire: accidat tamen in his aliquod graue symptoma, non quotidie, sed in principio, vel propè obitum, sicuti animi deliquium, pulsus ad summum exiles celerrimi, & extremarum frigiditas: aliis tamen diebus quiescant, perinde ac febre carerent.

Præterea istæ febres malignæ ex gangræna non sunt vehementes per calorem: ideo non sunt tales per putredinem: quia omnes febres vehementes per putredinem sunt quoque vehementes per calorem: de his malignis febribus locutus est Galenus 9. de simp. med. cap. de terra Samia, vbi ait, febres pestilentes non esse vehementes per calorem: ergo non ob putredinem: quia magna putredo excitat magnum calorem: quare variæ sunt differentiæ malignarum febrium. Neque possumus determinare à qua causa fiant, nisi distinguamus differentias malignarum febrium: deinde sigillatim inquiramus remedia. Valeant igitur medici, qui conantur afferre vnam causam harum febrium, cum tot sint causæ quot sunt malignitatis differentiæ. Medicus igitur vt inueniat remedium, causas specificas prius debet inuenire, & ex illis specificum remedium.

Quo ad morbi motum, ex quo similiter remedia colliguntur: notandum est, quod alius est vniuersalis, & alius particularis: vniuersalis est præscire, an morbus sit in principio, augmento, statu, vel declinatione. Particularis est paroxysmi motus.

Quo ad motum vniuersalem, si de principio loquamur, ex Galeno morbi principium habet duas conditiones. Prima vt symptomata sint leuiora, quæ conditio est Hippocratis 2. aphorismorum 30. ¶ In principio & fine omnia leuiora. Secunda conditio est, vt in vrinis nullum appareat signum coctionis.

Si de augmento morbi loquamur, augmentum habet duas conditiones. Prima vt symptomata incipiant notabiliter ægrum vexare. Secunda, vt in vrinis appareat signum coctionis.

Cæterum de augmento duo sunt notatu digna, quorum primum est, quod si symptomata incipiant notabiliter vexare, & ex alia parte nullum appareat signum coctionis, vt plurimum mors succedat. Secundum notandum est, quod in augmento nec purgatio, nec venæ sectio conueniat, quod præceptum est Galeni 2. aphorismorum 29. dicentis: dum coquitur morbus, nec venæ sectio, nec purgatio conuenit: sed sic est quod dum coquitur morbus tunc est morbi augmentum. Valeant igitur nostrates illi qui spreta hac diuina Hippocratis & Galeni doctrina in augmento venam secant & purgant.

Si de morbi statu loquamur, status habet duas conditiones. Prima vt symptomata sint ad summum aucta. Secunda vt appareant signa perfectæ coctionis. Notandum tamen est, quod si non appareant signa perfectæ coctionis, quando sypromata ad summum aucta sunt, signum est, quod victoria ex parte morbi se teneat, & per consequens ægrum non amplius conualiturum.

Si de declinatione loquamur: hæc habet quoque duas conditiones. Prima vt symptomata sint facta mitiora. Secunda vt natura incipiat expellere: quod nisi accidat, impendet periculum recidiuæ: quod signum nunquam nos decipit.

Quo ad tempora particularia morbi: ex Galeno lib. de morborum temporibus capit. 3. sex sunt, videlicet principium paroxysmi, inæqualitas, augmentum, status, declinatio, & interuallum, quod dicitur integritas, seu infebricitatio. Principium paroxysmi est donec rigor, vel externarum partium frigus perdurat, quo tempore, vt docet Galenus 4. de ratione vic. 39. calor recurrit ad cor.

Inæqualitas paroxysmi est statim post rigorem, sed antequam augeatur caliditas, perseuerat, quod est inter finem rigoris & principium accessionis.

Augmentum paroxysmi est dum calor effunditur ad partes extremas: quo tempore partes extremæ non sunt amplius frigidæ: tunc enim incipiunt incalescere.

Status est quando caliditas extremarum partium est æqualis caliditati thoracis.

Declinatio est dum calor incipit relinquere cor, vt admonet Galenus loco citato.

Interuallum seu integritas est omnimodo quies, seu infebricitatio, quod tempus continuis febribus non conuenit.

Cæterum quatuor sunt de morbi motu sciēda. Primum, quod motus morbi vniuersalis vel particularis non conueniat morbis, qui sunt immateriales, id est qui non fiunt ab humoribus, cuiusmodi sunt febres hecticæ, immo neque morbis materialibus, si ita facti sunt, vt non amplius fiant: quia eatenus conueniunt tempora ipsis morbis, quatenus adhuc fiunt.

Secundò sciendum, motum morbi esse velocem, vel tardum, prout principium morbi est velox, vel tardum: Galenus enim in Philisco dicit ❡ Vbi tertius vel quartus dies habet grauia symptomata iudicium breui expectandum: cur? quia principium velox est. Hinc in Anaxione principium fuit tardum, ideo morbus longus, & per consequens iudicium tardum.

Tertiò si morbus inuadat partem imbecillem, vel hominem imbecillum, morbus protrahitur; si partem robustam, & virum robustum, morbus & paroxysmus fit breuior: idque colligitur ex Galeno 2. de diff. feb. vlt. vbi proponit quinque causas longitudinis morborum, & paroxysmorum, videlicet copiam, viscositatem, crassitiem, angustiam meatuum, & imbecillitatem. Ab istis causis longitudinem, ab oppositis verò morbi breuitatem desumimus.

Quartò ex Galeno 11. meth. cap. vlt. notandum est ex somno profundo in principio paroxysmi excitato, colligi, & paroxysmum & morbum fore longum. Sed exactius de hac re egimus in explicatione 12. aphoris. 1. sectionis.

Ex hac Theorica de magnitudine, more & motu, quæ diuidit vsque ad specificas differentias, magnitudinem, mores & motum morbi facile colligemus remedia specifica, quæ sola sunt ex vsu.

Capvt VII.

De inuentione remediorum desumpta à morbis in mala conformatione, & præcipuè in cauitate.

Acturi de remediorum inuentione post specificas intemperaturas, sequitur, vt diuidamus morbos in angustia vsque ad specificas differentias: omissis aliis morbis in conformatione tamquam omnibus notis & manifestis: in re enim clara tempus non est conterendum: considerabimus igitur morbos in angustia, quibus cognitis facilè cognoscemus affectus in nimia apertione, oppositorum enim, eadem est disciplina.

Quo ad angustiam, alia est naturalis, alia verò est morbosa: angustia naturalis potest esse in causa multorum morborum. Vnicum naturalis angustiæ exemplum sufficit, vt angustiæ naturalis mala præcognoscantur: loquens igitur Galenus de hac angustia 3. de humoribus comm. 4. dicit ¶ calculos gigni in renibus illorum, in quibus transitus, & viæ renum sunt angustæ, videlicet versus vesicam: hæc angustia est naturalis.

Quo ad morbosam angustiam, inuenio sex esse specificas angustiæ differẽtias, quæ indicant remedia omninò diuersa, & interdum contraria. Quare illi certè sunt alogiatri, & in medicina non versati, qui putant dari aperientia cõmunia, quę omnibus morbis in angustia aduersentur, illa enim aperientia, quę tollunt obstructionem, nullomodo tollunt angustiam factam per compressionem: neque tollunt illam, quæ facta est per coalescentiam, vel per constipationem, vel per occlusionem.

Pæterea morbi in angustia maximè differunt à morbis in intemperie: quia morbi in angustia citò fieri possunt: in intemperie non citò. Exemplum pro declaratione huius differentiæ est epilepsia, quæ proponitur à Galeno 3. de loc. aff. cap. 7. & 2. de symp. causis cap. vlt. vbi inquit epilepsiæ solutionem esse subitaneam, quia fit à pituitosi succi multitudine replente ventriculos cerebri, sed cur est subitanea? non-ne materia pituitosa, & multa est solutu difficilis? Dixit esse subitaneam: quia affectus præter naturam licet fiant à pituita: nisi adsit aliqua intemperies, semper est subitanea paroxysmus epilepticus, si mediatè fieret ab intemperie non esset subitaneus: sed cum fiat à multa pituita, & non ab intemperie, illa in vno paroxysmo facilè dimouetur, & discutitur.

Sex igitur sunt differentiæ morborum in angustia. Prima est obstructio. Secunda compressio. Tertia constipatio. Quarta occlusio. Quinta subsidentia. Sexta est coalescentia.

Quo ad obstructionem, Galenus 8. meth. cap. 4. vult, obstructionem fieri à tribus causis: quarum prima fit ab humore viscoso, tenaci & lento. Secunda fit ab humore crasso. Tertia ab humore copia peccante.

Neque datur quarta causa obstructionis, quamuis Altimarus quartam proponat, dicens obstructionem fieri quoque posse à spiritu, seu flatu in aliqua parte concluso: subdit Altimarus, Galenum hãc quartam causam obstructio-

nis proposuisse 5. de loc. aff. 7. in principio cap. dicentem, spiritum conclusum efficere obstructionem: nec vidit, dixisse spiritum conclusum efficere distensionem, & non obstructionem.

Praeterea obstructio solum fieri potest (vt docet Galenus lib. de const. art. med. cap. cap. 17.) in vasis sensibilibus ad differentiam constipationis, quae solum fit in meatibus insensibilibus, vt paulo infra declarabitur ex Galeno 2. in epid. 7. & aliis in locis.

Hinc vanissima est illorum disputatio proposita quoque à Mercuriali, an caro hepatis pati possit obstructionem: in qua probat in carne hepatis fieri posse obstructionem hoc argumento. Obstructio fieri potest in cute, quae est durior, & densior carne hepatis: ergo tanto magis fiet in carne hepatis. Neque vidit Mercurialis in cute fieri solum constipationem, & non obstructionem, quia obstructio solum fit, ex Galeno loco citato, in meatibus sensibilibus, obstructio verò in meatibus insensibilibus, cutis non habet meatus sensibiles, Galenus 2. in 1. epid. ait ¶ Causae frigidae constipantes cutim prohibent, ne halitus humorum digerantur, & 11. meth. 4. ait, à vehementi aeris refrigeratione fieri constipationem: quare constipatio pertinet ad meatus insensibiles.

Praeterea vagatur per scholas dictum quoddam commune reprehensione dignum, dum loquuntur de putredine, dicunt, ipsam fieri à prohibita perspiratione: hactenus rectè: sed inferunt: ergo ab obstructione: quasi quod obstructio esset quoddam genus prohibitae perspirationis, & prohibita perspiratio esset species, quasi quod prohibita perspiratio non possit pendere à constipatione, compressione, coalescentia, subsidentia, vel occlusione, etenim de omnibus istis differentiis prohibita perspiratio praedicari potest, quia à sex propositis angustiis, fieri potest.

Quo ad compressionem, haec à tumoribus praeter naturam, à nimia pinguedine, & à quacumque alia causa comprimente meatus sensibiles, vel insensibiles fieri potest. Hanc compressionem tetigit Galenus 2. aphoris. comm. 42. dum dixit, apoplexiam fieri propter dispositionem similem inflammationi, quae in cerebro sit constituta: haec igitur inflammatio comprimit meatus, & facit apoplexiam.

Galenus quoque 7. aphoris. 17. tangit hanc compressionem dicens ¶ Iecur inflammatum comprimendo os ventriculi singultum efficere. Idem repetit Galenus lib. de pulsibus ad tyrones circa finem.

Angustia per compressionem fieri quoque potest ab osse luxato, quod cōprimendo neruum, paralysim faciat. De hoc casu mentionem facit Galenus 4. de loc. aff. 3. dum dicit, paralysim fieri à vertebra luxata, quae comprimendo neruum impediat transitum facultatis animalis.

Fernelius refert casum, in quo vidit ex incuruata costa comprimente os ventriculi secutum fuisse singultum: costa tamen eleuata statim cessasse.

Demum angustia quoque fit à parte percusa humoribus imbuta comprimente neruos, licet facta non sit luxatio, sicuti contigit Pausaniae, qui (vt refert Galenus 2. de loc. aff. 6.) veniens Romam è vehiculo cecidit, & percussus circa ceruicem amisit sensum trium digitorum summae manus: Galenus applicatis remediis ceruici, statim digitis restituit sensum: ratio tamen citae curationis

tationis fuit,quia nerui,qui prębent sensum digitis oriuntur à ceruice:in qua ob humores confluxos facta erat neruorum compressio. Valeant illi qui neruorum anatomia orbati medicinam faciunt.

Demum Galenus 13.meth.11. damnat aperientia, dum angustia fit ob cõpressionem:dat exemplum de renibus,vesica,& vtero:inquit, Cum renes, & vesica aliqua inflammatione tentari incipiunt, diuretica maiorem excitare inflammationem:sed cur maiorem?quia secum ferrent excrementa, quæ maiorem inflammationem, & angustiores meatus efficerent, subdit Galenus de vtero inflammato, quod aperientia, quæ solent menses mouere, maximè augeant vteri inflammationem quia menses moti maiorem faciunt compressionem.

Conueniunt tamen menses mouentia seu diuretica facta prius purgatione in obstructione,constipatione,& in subsidentia, sed in compressione facta ab aliquo tumore,vel à nimia pinguedine,vel ab aliqua inflammatione,tantum abest,quod conueniant, vt per aperientia longe magis meatus occludantur: medici igitur qui non diuidunt vsque ad specifica,casu, & fortuitò incedunt: inde ægros vexant,& sæpè ad necem vsque deuerberant.

Pari modo Galenus 5. aphorismorum 46. dicit, si os vteri comprimatur à tumore,non sunt mouendi menses,quia aperientia augent tumorem.

Quo ad constipationem, quæ est angustiæ differentia, hæc certè non potest vocari obstructio:quia obstructio ex Galeno lib.de const.art. med.cap.17. solum fit in meatibus sensibilibus: constipatio verò in meatibus insensibilibus,quod quidem confirmatur Galeni auctoritate: Galenus enim 2.in primũ epid:comm.7. dicit, causas frigidas externas constipare cutim, & vetare ne halitus humorum digerantur.lib.verò 11.meth.c.4. dicit stipationem fieri ab extrinseca frigiditate densante fines vasorum exiguorum,vel densante totam cutem.Hæc densatio certè non est obstructio,quia obstructio,non fit ab alia causa,quàm à materia crassa,vel viscida,vel copiosa, vt dictum est ex Galeno 8.meth.4.Immo 11.meth.cap.4.citato vult,quod constipatio sit densitas meatuum insensibilium:stipatio dicitur ἀπὸ τοῦ στύφειν quod significat densare. Itidem Galenus lib.10.meth.cap.2. loquens de constipatione, ait, fieri à frigore febrium:ab aqua aluminosa,quæ claudit meatus insensibiles ipsius cutis: addit,vel ab aqua calcantina, vel ab vstione, quæ non minus constipat meatus insensibiles,quam aeris vehemens frigiditas.

Demum quod vehemens frigiditas tum aeris,tũ aquæ ita constipet, vt interdũ paralysim faciat Gal. 4. de loc. aff.7. proponit duos casus pulcherrimos Alter est de illo,qui ambulabat sub pluuia,& vento,qui ob pallium madefactum,& refrigeratum circa ceruicem fuerunt constipati nerui ceruicis, qui prębent sensum pericraneo,vnde amisit sensum pericranei. Alij medici,vt sensum reuocarent calefaciebant, atque exulcerabant pericraneum:Galenus verò applicando ceruici calefaciẽtia illum hominem statim sanauit.Alter casus est de Piscatore qui ob moram in aqua frigida amisit retentricem sphincteris ani,& vesicæ,vnde fæces,& vrinã retinere nõ poterat, nõ propter obstructionẽ,sed propter constipationem ab aquæ frigiditate factam, facultas animalis ad musculos illos non excurrebat, quare maximè differt constipatio ab obstructione & compressione,quod vulgares medici, vel non animaduertunt,

vel nunquam facti sunt capaces differentiarum ipsius angustiæ.

Quo ad occlusionem,quæ similiter efficit angustiam omninò diuersam ab aliis differentiis,fit,dum meatus sensibiles occluduntur, nō ab humorum copia,à lentore,vel crassitie,quæ tres causæ efficiunt obstructiones:sed fit occlusio à re solida: sicuti quando meatus vrinarius, vel vreteres occluduntur à lapillo,vel à caruncula.Similiter in auribus,si caruncula,vel os cerasëorum,vel aliquid aliud solidum occludat aurium meatum,dicitur occlusio: quæ certè non potest dici obstructio:quia obstructio non fit à re solida:neque debet dici constipatio:quia ex Galeno locis citatis constipatio nil aliud est, quam dēsitas meatuum insensibilium: neque debet dici compressio, quia hæc à tumore,vel ab alia parte comprimente ipsum meatum fit.

Quo ad subsidentiam,quæ est angustiæ species, de qua Hippocrates aphoris.3.1.sect.loquens dicit, in habitu plethorico non esse euacuandum vsque ad subsidentiam: ratio est, quia propter subsidentiam impediretur transitus alimenti ad cor:vnde syncopes,& mortes repentinæ sequerentur.In expositione Leoniceni in dicto aphorismo hæc verba leguntur ¶ Neque compressiones ad extremum ducendæ,sed verba Græca hæc sunt μηδὲ τὰς ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν. i. neque subsidentias ad extremum ducendas, quia symptosia venit à verbo συμπίπτω i. quod significat deo,vel subsideo, & non comprimo: compressio enim valde differt à subsidentia.

Galenus 5. de symp. causis cap.2. docet quomodo fiat subsidentia,dicens, fieri dum contrahuntur ora venarum:subdit deinde ora venarum ob tres causas contrahi,nempè,vel ob atrophiam,vel ob frigiditatem,vel ob mollitiem: addimus nos, vel ob maximam virium imbecillitatem. Dum fit in moribundis ægris stertor à nulla alia causa fit, quam propter subsidentiam vasorum pulmonis, per quæ vasa aer inspiratus cum difficultate transiens efficit stertorem.

Hæc angustia per subsidentiam differt ab obstructione,stipatione, occlusione,& compressione,vt ex dictis quisque facilè intelligit, quare qui has differentias non intelliget,fieri non potest, vt inueniat remedia, quoniam quælibet angustiæ species requirit propria,& specifica remedia.

Quo ad coalescentiam hæc fit à callis, qui post vulnera antiqua, vel post vlcerum sanationem,vel ob alias causas facti,efficiunt angustiam. Hinc fistulæ,quæ non sanantur hoc fine secantur, vt facta cicatrice non amplius recipiant excrementa,quamuis sint callosæ,illarum callus non sufficit, ad prohibendam fluxionem,nisi perfectionem introducatur cicatrix. Hinc Galenus 13.meth.vlt. videns callos impedire humorum confluxum habet hæc verba:si cerebri fluxus fiat ob debilitatem venarum, vel arteriarum, illas excidimus: quia facta cicatrice & callo non amplius fluunt humores in ipsum cerebrū. Ecce quod calli seu cicatrices impediunt fluxiones, si fixi, duri, & firmi sint, quia tunc nullus relinquitur locus recipiendi excrementorum confluxum, quod chirurgi non omnes intelligunt.

Collige igitur ex dictis quod aperientia,cuiusmodi sunt diuretica, menses mouentia, & aperientia meatus mesenterij in meatibus angustis interdum iuuare,& interdum ita nocere,vt ægros interrimant,vt ostensum est.

Collige quoque, quod aperientia in ipsa obstructione sint admodum diuersa,

uersa,& varia:quam varietatem nisi vsque ad specifica distinguamus actum erit de remediorum inuentione: quia si obstructio fiat ab humore crasso, certè non conuenient aperientia, quæ tollunt humorem viscosum, neque illa, quæ tollunt humorem copia peccantem: nihil enim magis auget obstructionem factam à copia, quam aperientia, quæ auferunt crassitiem, & viscositatem: quia hæc obstructio, quæ fit à copia indicat euacuantia, & nullo modo aperientia: immo si quis vellet ante euacuationem vti aperientibus, incidentibus, vel detergentibus maximè læderet, quia magis impingeret. Hinc Galenus 8.meth.4. habet hæc verba ¶ si prius tolleremus obstructiones ante sanguinis euacuationem magis impingeremus obstructiones: hanc sententiam repetit Galenus 11.meth.4.& aliis in locis.

Compressio verò nullo modo aperientibus, sed reuellentibus tolli potest, vt ostendit Galenus 13.meth.11.

Occlusio similiter est omninò diuersa, quia hæc fit à re solida, & non ab humoribus: sicuti dum à lapillo occluduntur meatus vrinarij, vel vreteres, vel ab arenulis, seu lapillis occluduntur renum papillæ, sicuti meatus aurium occluduntur à caruncula, vel ab alia re solida, & sic de aliis meatibus qui à re solida claudi possunt. Qui igitur vellet in hac angustia indiscriminatim vti aperientibus, sæpè læderet ægros & interdum interimeret.

Subsidentia tolli potest aperientibus, nutrientibus, & non euacuantibus: nutrientia sunt, vt iuscula parui pulli, & alia id genus, quæ similiter in varias remediorum differentias diuiduntur, quia variæ sunt subsidentiæ differentiæ: quare sicuti ex Galeno 3.de symp.causis 2.subsidentia fit, vel ob atrophiam, vel ob frigiditatem vel ob mollitiem: sic tria sunt remedia diuersa: pro atrophia remedium est alimentum, pro subsidentia à frigiditate, remedia sunt calefacientia: pro subsidentia à mollitie sunt roborantia. Qui igitur non distingunt subsidentiam in suas differentias, iacta est alea de remediorum inuentione: Ex specificis igitur tantummodo præcognitis quisque facilè remedia ex vsu artis colligere poterit.

Coalescentia verò, neque aperientibus, neque euacuantibus tolli potest, sed callos auferentibus. Videas ergo quantum à medendi scopo deflectant, qui sic inferunt: meatus sunt clausi: ergo aperientibus vtendum, credentes dari vnum remedium aperiens, quod tollat omnem angustiam, quod quam sit falsum non solum ex dictis facilè apparet, sed etiam ex ipso medendi abusu colligi potest.

Exemplum afferatur de tussi, cuius curatione medici plebei sæpè abutuntur: tussis nonne ex Galeno 2. de symp.causis 4.2.simp.17. & 4. de loc. aff.8. est vehemens efflatio impellens inæqualitatem? nonne inæqualitas fit ab aliqua asperæ arteriæ angustia? pro tollenda tussi, certè non dabitur vnum remedium aperiens: quia vnum aperiens iuuabit, & aliud nocebit: quare oportet prius diuidere angustiam, quæ facit inæqualitatem in suas differentias specificas: & ex illis differentiis specificis colligere remedia: quæ differentiæ prout variæ sunt, varia quoque requiruntur remedia: non enim valet hæc consequentia (vt medici plebei putant) est tussis, ergo saccharum candidum violatum iuuabit.

Dicimus igitur inæqualitatem asperæ arteriæ fieri, vel ab obstructione fa-

cta in bronchis pulmonis, vel facta à tumore comprimente, vel à constipatione, vel ab occlusione, vel à subsidentia, vel à coalescentia: si fiet ab obstructione, remedia, quæ tollunt tumores, non iuuabunt: iuuabunt pro obstructione oxymel, saccharum candidum, iuiubæ, liquiritia, & alia id genus.

Si fiet tussis à tumore comprimente, hæc remedia, quæ sunt pro tollenda obstructione certè non iuuabunt, sed illa, quæ tumorem diminuunt, cuiusmodi sunt venæ sectio, purgatio, & aliqua reuulsio.

Si fiet tussis à constipatione facta à potione valde frigida, cuiusmodi est vinum niue refrigeratum, quo plurimi tempore æstiuo vtuntur, tunc solum iuuat iusculum parui pulli valde calidum, quod multoties fuimus experti. Si fiet tussis ab occlusione, quæ fit à re solida, cuiusmodi est mica panis, vel quid simile ex ore in asperam arteriam excidens, tunc bechechia iuuabunt, si fiet inæqualitas & tussis à subsidentia, quæ in atrophia, vel in refrigeratis, vel relaxatis nimium, fieri solet, iuuabunt alimenta calida roborantia, & facilis concoctionis: expectorantia verò maximè nocebunt: quia magis laxant: si fiet inæqualitas & tussis à coalescentia orta à præcedenti vlcere, vel vulnere, nisi auferatur, vel diminuatur callus, tussis erit insanabilis. Ecce quod nisi in omni re ad specificas differentias deueniamus, nec præsagire, nec remedia inuenire valeamus.

Capvt VIII.

De remediorum inuentione desumpta à causis specificis.

SEquitur tractatus de causis. Causarum igitur aliæ sunt externæ, aliæ internæ: internarum aliæ sunt contentiuæ, aliæ materiales, aliæ fouentes, & aliæ antecedentes, de quibus in sequenti cap.

Quo ad externas, quæ vocantur procatarcticæ: hæ reuera vocãtur occasiones, & non causæ: & meritò: quia si essent causæ, vel essent proximæ, vel remotæ: non sunt proximæ, vt omnes concedunt: quia sunt externæ: non sunt remotæ: quia de ratione causarum remotarum est, vt dent ipsum quod (vt docet Aristoteles 1. Post.) Hinc demonstratio ex causa remota est demõstratio quia, & non propter quid: patet etiam exemplo: sol est causa remota hominis, quia necessariò concurrit ad generationem hominis: neque dat propter quid passionis ipsius hominis: causæ verò externæ non necessariò, & per se concurrunt ad effectuum productionem: exempli causa, vinum maluaticum est occasio, cur aliquis incidat in febrem ardentem: nõ tamen est causa remota: quia non prædicatur per se de effectu, vt sol prædicatur de hominis generatione: maluaticum enim potest efficere non solum morbos calidos, sed etiam morbos frigidos, cuiusmodi est hydrops: est enim Aristotelis 3. sec. prob. 1. vbi dicit ¶ Vinolentos non calere, licet vinum calidum sit: quia valde calida superant naturam, & superando suffocant calorem naturalem: inde infert Aristoteles, vinolentos morbis frigidis vexari. Hinc colligimus errata externa, siue occasiones externas non esse dicendas causas remotas, sed morborum occasiones: sicuti Hippocrates animaduertit. Quas occasiones si vis distinctè intelligere

telligere quæ ſint, & quot, & quomodo ſint morborum occaſiones, videas mea commentaria in primam fen. in expoſitione tex. 6. doc. 2. cap. 1. vbi plurima de his diximus.

Quo ad cauſas contentiuas (omiſſis altercationibus) cauſa contentiua eſt illa, qua poſita ponitur, & qua ablata aufertur: eſtque veluti rei forma, ſeu vt melius dicā, cauſa efficiens quæ ab Auerroe vocatur non vera. Sic dicimus interpoſitionem terræ inter Solem, & Lunam eſſe cauſam Eclypſis: de ratione enim cauſæ efficientis non veræ, eſt, vt ſine motu efficiat effectum. Sic in medicina humores, qui efficiunt tumores ſunt cauſæ contentiuæ tumorum.

Similiter humores tenaces, & craſſi efficientes obſtructionem ſunt cauſæ contentiuæ obſtructionum. Sanguis eſt cauſa efficiens contentiua apoſtematis, quia ſanguine ablato illico ceſſat apoſtema: dicimus illicò quia Galenus 13. meth. cap. 8. & 3. de temp. cap. 5. loquens de apoſtemate correptam recedere à ſtatu naturali, vt repletam, & vt calidam: addit vt repleta indicat euacuationem: vt calida verò nihil indicat: quia facta euacuatione ſponte ſuccedit refrigeratio: ideo ſanguis dicitur cauſa contentiua apoſtematis, quia depleta parte ceſſat tumor, & omne malum. Quod diximus de apoſtemate, de aliis quoque tumoribus dici poteſt.

Plurima alia exempla cauſæ contẽtiuæ afferri poſſunt: quia nullus eſt morbus, qui non habeat propriam cauſam contentiuam: quamuis interdum non innoteſcat, & ſit innominata. Sed non pigeat alia exempla afferre: ſicuti cauſa contentiua melancholiæ, vt notat Galenus 3. de loc. aff. 7. eſt phantaſma tenebricoſum. Cauſa contentiua febris putridæ eſt humorum putredo. Cauſa contẽtiua conuulſionis, vt notat Galenus in meth. 8. & 3. de loc. aff. 7. eſt qualitas mordens, & irritans ipſos neruos: qua ablata cauſa ceſſat conuulſio, & ſic de aliis morbis.

Quo ad cauſas materiales: hæ cauſæ ſunt ipſi loci affecti, de quibus ſatis ſuperque in proprio cap. diximus: præcognoſcuntur loci affecti ex quinque locis propoſitis à Galeno 1. de loc. aff. 5. & 2. de loc. aff. 9. nempe, ex actione læſa, ex ſitu læſionis, ex recrementis, ex propriis accidentibus, & ex doloris proprietate: interdum vnus locus ſufficit: ſæpè ex ſyndrome duorum vel trium locorum reddimur certiores.

Quo ad cauſas fouentes: iſtarum aliquæ ſunt fouentes per ſe, vt caliditas iecoris eſt cauſa fouens maniæ, vel phrenitidis. Vel cauſæ fouentes ſunt accidẽtales, vt obſtructiones, quæ ex accidenti fouent ipſas febres: quia eſto quod obſtructio à pituita frigidiſſima fiat, tamen ex accidenti valde calefacere poteſt, & calefaciendo fouet ipſam febrem: valde calefacere poteſt, quia prohibet perſpirationem, illamque retinet: qua retenta humores putreſcunt, & à putredine ſuſcitatur calor.

Dum in ægris deſunt cauſæ fouentes, facilè ſanari poſſunt. Multa afferemus exempla, in quibus verſabimur, vt ſtudioſi hanc rem perfectè intelligāt: quia nullus error hoc tempore eſt magis communis, quam curare morbum, & relinquere cauſam fouentem.

Cauſa igitur fouens morbos, modò eſt in humoribus, modò in parte ſolida correpta intemperie, vel mala compoſitione, vel ſoluta vnitate: modò in vtriſque, modò in abuſu ſex rerum non naturalium, & in remediis importunè

exhibitis. Si causa fouens est in contentis, siue in humoribus, sufficit humorum euacuatio: si est in parte solida, partis solidæ morbus est auferendus.

Præstat vtramque causam fouentem exemplorum luce declarare.

Si de causa fouente, quæ est in contentis, loquamur, se offert consideranda plenitudo, in iis, qui patiuntur oculorum fluxionem: quæ nunquam tolli potest, nisi auferatur plenitudo, quæ est causa fouens. De hoc casu audiendi sunt Galenus, Aristoteles, & Plato: Galenus 13. meth. cap. 19. vbi ait ℥ cucurbita in occipitio ad oculorum fluxiones optima est, si totum corpus prius purgetur, secus totum caput magis implebitur. Hinc medici parum periti, dum in oculorum fluxione ad occipitium reuellunt quando causa fauens est in toto corpore maximè lædunt oculos: Galenus: vt omninò tolleret oculorum fluxionem in quodam ophtalmico, (vt refert lib. de curandi ratione per san. mis. cap. 11.) detraxit sex libras sanguinis, & statim illum sanauit. Ecce quod prima indicatio est auferre causam fouentem, quæ est in toto, deinde illam, quæ est in parte.

Pari modo Galenus in oculorum inflammatione 13. meth. cap. 11. citato, prius causam fouentem totius abstulit, dum dixit ℥ vnica die substulisse oculorum inflammationem medicamento purgante efficacissimo, dummodo febris non adsit: deinde 14. meth. cap. 8. docet quodnam sit hoc medicamentum efficacissimum pro oculorum inflammatione, inquit esse medicamentum cōpositum ex aloe, scāmonio, & coloquintide. Nos si non adsit febris, vel temperamentum præcalidum, vtimur quotidie per sex dies pillula composita ex aloe, scāmonio, & trociscis alhandal. ann. gr. iij. quod auferendo oculorum dolorem, & inflammationem est efficacissimum.

Hinc Galenus 4. meth. c. citat Platonem in carmide, & Aristotelem primo Ethicorum vltimo dicentes oculos non sanari, nisi corpus, in quo sit causa fouens, sanetur. Addit corpus non sanari, nisi animus sanetur: animo enim languente, corpus sanum esse non potest.

Plato in carmide clarius ait ℥ non posse mederi oculis, nisi capiti medeamur, nec capiti nisi totum corpus purgemus: neque totum sanabimus, nisi animi passiones deleamus: quia anima malè affecta corpus sanum esse non potest.

Præterea in oculorum affectibus, & in quouis morbo particulari non solū est auferenda causa fouens, quæ est in toto: sed etiam, quæ est in parte, quod nisi obseruetur, remedia valde nocent, sicuti si caput non esset purgatum, & oculi ad ægritudinem essent valde propensi: valde nocent præcipuè stillicidia in affectibus oculorum, quibus nostratum plurimi abutuntur, vt notat Galenus 13. meth. 22. his verbis ℥ stillicidia oculis nocent, his qui non sunt purgati, & iis qui habent oculos ad ægritudines propensos. Ecce quod causa fouens in toto est auferenda: deinde ea quæ est in parte, qua non ablata vanissima sunt remedia. Exemplum proposuimus de oculis: quia eadem doctrina inseruire poterit affectibus omnium partium.

Si verò accidat, quod in toto nulla sit causa fouens morbum partis, tunc neque totum esset purgandum, neque phlebotomandum: quod vulgares medici non intelligunt, quia nesciunt mederi sine medicinis, & sanguinis missione. Hoc erratum tangitur ab ipso Galeno 3. aphorismorum comm. 15. vbi agens

agens de angina habet hanc sententiam: si natura deposuerit totam superfluitatem in fauces, nec purgatio, nec venæ sec. conueniet: signum verò, quod tota sit deposita, est, si excrementa per vrinam, & per aluum simillima sanis excernantur. Ecce quod deficiente causa fouente, morbi sine remediis celeriter sanantur. Dum verò in simili casu medici venam secant, vel purgant, maximè lædunt ægros.

Dum vero Hippocrates 6. aphorismorum 37. asserit ¶ ab angina si tumor fiat in collo est bonum signum: foras enim morbus deducitur. Hæc sententia indiget expositione, quia videtur interdum experientiæ, & ipsi Hippocrati reluctari: Hippocrates enim 2. epid. proponit casum cuiusdam mulieris anginosæ, quæ cum tumore, & rubore externo quarta die mortua est: dicendum est cum Galeno loco citato, & alibi, quod tumor in collo ex morbi permutatione sit salutis: si verò factus sit ille tumor ex morbi propagatione, nihil boni indicare potest, sicuti in dicta anginosa obseruatum est: in qua causa fouens non erat angina: sed viscerum maxima dyscrasia.

Causa fouens, si stabuletur in venis nullo existente morbo in visceribus, illa euacuata, illicò cessat affectus: Exempli causam in Insania aperiuntur hæmorrhoides, sanguis egreditur floridus, tunc certè non tollitur causa fouens: si causa insaniæ sit humor melancholicus. Hinc dum Hippocrates 6. aphorismorum 21. dicit ¶ si hæmorrhoides insaniæ superueniant, fit insanię solutio: Galenus in comm. inquit aphorismum esse verum de insania facta ab humore melancholico, hac lege, vt sanguis euacuatus sit melancholicus, non biliosus, vel floridus.

Pari modo Galenus dum Hippocrates 6. aphorismorum 10. dicit ¶ hæmorrhoides superuenientes renum passionibus, bonum, in comm. dicit bonũ esse, quia per hæmorrhoides euacuatur sanguis crassus, qui nephritim facit: quare si sanguis esset tenuis, & floridus, certè non esset causa fouens: ideo in nephritica passione, & in mania à melancholia orta si exiret ita floridus, statim esset supprimendus: quia crassus est causa fouens passionem nephriticam, & non tenuis, & floridus.

Si verò loquamur de causa fouente, quæ consistat in partis solidæ dyscrasia nullus error in praxi est isto perniciosior: quia curando morbum, & relinquendo causam fouentem, ægrum præcipitamus: Galenus similem tangit errorem non vno in loco, sed præcipuè quarto de articulis comm. 40. vbi his verbis erratum hoc reprehendit ¶ Plerique medici medentur vlceri intestinorum neglecto iecore, & ægrum præcipitant: causa verò cur ægrum præcipitant, proponitur ab ipso Galeno 6. aphorismorum comm. 3. vbi habet ¶ Ab hepate ichores, qui habent naturam amaræ bilis fluunt ad intestina, & abradunt, & cibi fastidium faciunt. Collige obiter ichores biliosos, & non bilem ipsam, vt plurimum fluere ad intestina, & vlcus in ipsis efficere.

Similiter loquendo de vlcere pulmonis, cura incipienda est à fluxione, tãquam à causa fouente auferendo fluxionis causam, quæ vt plurimum consistit in capitis intemperie. Hinc Galen. 5. meth. 8. ait his ferè verbis: dum fit vlcus pulmonis à fluxione incipienda est cura à fluxione, secus actum esset de sanatione phthisis.

Si verò causa fouens consistat in humoribus, & nõ in partis solidæ dyscra-

sia tunc facilè vinci potest, sed quando est in parte solida, euacuatio per aluũ, vel per alias partes ad demendam fouentem causam est insufficiens, quod colligitur ex Hippocrate sexta, aphoris. 16. vbi habetur ¶ A pleuritide, vel peripneumonia alui profluuium malum: Galenus in comm. dicit esse malum: quia indicat etiam iecur esse inflammatum: in iecore est causa fouens, quæ fouet pleuritidem, & peripneumoniam: ideo in his affectibus cura dirigenda est præcipuè in ipsum iecur, sanguinem euacuando & alterando, vt eius inflammatio diminuatur: quia vnica spes est in sanitate comparanda, vt causa, quæ fouet morbum, adimatur: illa enim relicta, remedia vanissima redduntur.

Si causa fouens est in iecoris tumore: non ablato tumore, alij affectus dependentes fiunt inuincibiles. Hinc Hippocrates 7. aphoris. 17. dicit ¶ si iecore inflammato fit singultus, malum: Galenus in comm. inquit, quia tumor inflammatorius hepatis premit os ventriculi, & facit singultum. Hic singultus nec tolli nec mitigari potest, nisi causa fouens diminuatur.

Fernelius loquens de singultu refert, vidisse ex incuruata costa compressum fuisse os, ventriculi, & inde singultum subortum esse, solumque cessasse post costam eleuatam. Ecce quam ridiculi sunt illi medici, qui putant auferri hunc singultum, causa fouente in ipso hepate relicta: quare nisi adimatur, vel diminuatur causa fouens, quæ est in hepate, vanissima & pernitiosa erunt remedia, quæ respiciunt os ventriculi, sicuti sunt sternutatoria, oleum amygd. dul. narcotica ipsa, quia inflammationem iecoris magis adaugent.

Si causa fouens esset in vtrisque, id est in contentis, siue in humoribus, & in partis solidæ viscerum discrasia: vtraque ante morbum esset amouenda: si esset in contentis, humorum euacuatio sufficeret: si in parte solida euacuatio non sufficeret, sed indigeremus alteratione in contrarium, vt malæ temperaturæ possent auferri.

Galenus loquens de causis cancrum fouentibus 2. ad Glauc. cap. 10. dicit cancrum fieri vel quando lien ob imbecillitatem non attrahit melancholiã, vel fieri ob menses, vel hæmorrhoidas suppressas: si igitur causa fouens cancrum est lienis imbecillitas, id est intemperies, curatio est difficilior, quam si esset in excrementis: in excrementis enim amouendis sufficit euacuatio, quæ certè non sufficit si causa fouens sit in lienis frigida temperatura: dum enim lien non attrahit, intemperies eius frigida est, à calida enim intemperie attractio fit robustior.

Si denique causa, quæ fouet morbum, consistat in abusu sex rerum non naturalium, & præcipuè ex errore facto in prima concoctione, facilè auferri potest: illa tamen non ablata, morbus quotidie magis fouetur, & corpus quotidie in peius labitur. Ex errato facto in prima concoctione duo mala sequuntur, vt docet Galenus 11. meth. capite decimo quinto. Primum ex assumpto cibo nulla vtilitas colligitur. Secundum corrumpitur cibus, & ex corruptela expellitur aliquid prioris cibi benè cocti. Hic detegitur erratum plurimorum medicorum, qui permittunt ægros plus iusto repleri, vnde ab hac causa fouente morbum sæpissimè succedit mors. Quanti momenti sit hoc erratum, quod consistit in replendis ægris Galenus his verbis declarat 2. de ratione vic. comm. 40. ¶ Minus malum est euacuare illos, qui indigent repletione, quam replere illos, qui indigent euacuatione: malum

certè maximum est euacuare vacuatos, & exinanitos:sed longè maius malum est replere ægros,qui indigent euacuatione.

Præterea inter causas fouentes interdum est nimia inedia:interdum cibus improportionatus morbis,quos curare intendimus.

Si de nimia inedia loquamur,Galenus lib.aduersus Erasistratum inquit:ieiunium indebitum ita caput replere, vt in brachijs ipsis efficiat tensionem. Ratio huius est,quia ob nimiam inediam venter repletur cruditatibus, & inde caput,vt docet Galenus 2.de ratione vic.44. & præcipuè in biliosis hoc euenire solet. Similiter Galenus in eodem comm. inquit morbum crudescere ob intempestiuum ieiunium, habetque hæc verba ¶ Morbus manet crudus non solum ob intempestiuam cibi oblationem, sed etiam ob intempestiuam inediam.Ecce quomodo ipsum ieiunium in biliosis præcipuè, si caput sit læsum,possit esse causa fouens morborum ipsius capitis.

Si de cibo & potu improportionato loquamur: pari modo ab hoc fouentur morbi,si de cibis:dignum animaduersione est,quod dixit Galenus 8.meth. 2.his ferè verbis ¶ nec panem,nec carnem, nec oua febribus conuenire: quia neque pars vtilis horum ciborum, neque inutilis iuuare possunt febricitantes.Loco istorum ciborum laudat ptissanam,& pisces saxatiles:quia ptissana, & pisces isti quo ad partem nutrientem, & quo ad excrementosam iuuant: quia refrigerant,& humectant: ideo Galenus 1.de ratione vic.in ac.18. proponit quatuor ptissanæ proprietates: quarum prima est,quod lenit,& leniendo tollit asperitatem,quæ à calore febrili fit.Secunda detergit. Tertia est facilis distributionis,quarta (ait) non subuertit stomachum,vt alica,& oua. Ecce quantum à Galeni & Hippocratis doctrina nostrates cum ouis, carnibus, & pane cocto deflectunt,lædunt,& hac via miseros ægros ad necem sensim perducunt: nec vident causam fouentem ipsas febres præcipuam consistere in hoc cibandi abusu.

Hinc Galenus 1.de ratione vic.comm. 27. loquens de cibo proportionato acutarum febrium,dicit esse pisces saxatiles ex oleo,aqua,aceto, & porro paratos:si hæc est Galeni doctrina,qua ratione ducti salis pauxillum non admittunt in febricitantium obsonijs.

Similiter si de potu loquamur proportionato febribus putridis factis ab obstructione crassi humoris,aqua, ex Galeno 10. meth. 14. nec cocta,nec cruda conuenire potest,quia aqua est causa fouens ipsas obstructiones, & ipsas febres:si verò febris esset ardens sine obstructione, aquæ potus præcipuè tempore æstiuo est maximè proportionatus: immo Galenus 6.epid. 4. comm. 10. in his inquit,aquam coctam,vel niue,vel in puteo esse refrigerandam.

Si verò febris non est ardens,vinum oligoforum est proportionatum in omni alia febre:hæc enim sunt Galeni verba 3. de rat. vict. in ac. 8. ¶ vinum aquosum est maximè idoneum febricitantibus: quia hoc vinum neque habet aliquam insignem qualitatem: neque austeritatem vel dulcedinem, vel acrimoniam, neque est odorum,taleque est imbecillius Sabinum. Similia vina apud nos passim inueniuntur: quod verò hoc vinum descriptum ab Hippocrate & Galeno habeat vim refrigerandi febricitantes & dolorem capitis auferendi, Galenus id declarat lib. de cibis boni & mali succi cap. 11. vbi inquit,hoc vinum oligoforum absolutè refrigerate, & dolorẽ capitis sedare,&

dolorem capitis sedare, immo tollere obstructiones, quæ est febrium causa fouens.

Demum Hippocrates & Galenus 3. de rat. vic. 41. nunquam prohibent vinum aquosum, neque in desipientia: neque in graui capitis dolore: immo Galenus & Hippocrates addunt in dicto comm. si vinum in desipientia, & grauibus capitis affectibus forte exhibeatur, ait, aquam esse superbibendam, vt vini potio retundatur. Subdit Galenus ob duas causas esse prohibendum vinum fortè in grauissimis capitis affectibus. Prima quia vinum propter caliditatem celeriter ad caput fertur. Secunda causa quia tale vinum est vehiculum ferens calidos, & feruẽtes humores ad caput. Collige quod vinum aquosum in nullo casu prohibendum sit, quod probatur hoc argumento à minori efficacissimo: si in desipientia, & grauibus capitis doloribus vinum aquosum non est prohibendum, tanto minus in aliis febribus.

Quo ad vinum forte, & generosum, Rasis illud laudat in podagra frigida, dicens esse tum pro curatione, tum pro podagræ præseruatione bonum: addit eligendum tamen (vt tutius procedamus) Hippocratis consilium 3. de rat. victus tex. 71. quod post vini generosi potum aqua sit superbibenda, vt vini potentia retundatur.

Si verò sint obstructiones (vt dictum est) aqua non est præbenda: quia detinetur in ventriculo, & redditur summè biliosa.

De aqua Hippocrates & Galenus 3. de rat. vic. 40. dicunt ¶ Aquam ingestam in vacuum ventriculum amarescere, & reddi summè biliosam, subdit ¶ non ducit aluum, non mouet vrinam, vires maximè prosternit, & noxia est, quia stercoris est expers. Hæc omnia mala ex aqua habentur, si adsint obstructiones, quæ eius transitum impediant: Addit, aquam quoque augere inflammationem iecoris, & lienis, vires prosternere, tum quia laxat: tum quia non nutrit: Addit intestina non corroborare, sed maximè laxare ob hanc rationẽ, quia stercoris est expers, nihil enim magis roborat intestina, quam coctæ fæces, in quarum finem à materia fabricata sunt.

Si de aere, somno, & vigilia, si de exercitio, & quiete, & animi passionibus loquamur, quomodo in his causa fouens morbum contineatur: nos satis superque declarauimus in commentariis nostris in primam primi cap. 2. in expositione tex. 6.

Balneum quoque redditur causa fouens morbos capitis, si statim à cibo fiat. Galenus 3. de ratione victus comm. 54. habet hæc verba ¶ nullus lauari debet nec sanus nec æger post cibum vel potum, quia repletur caput, & cibus attrahitur à toto corpore, antequam sit concoctus.

Pari modo 3. de rat. vic. 55. habet ¶ melius est edere, aut bibere balnei turbatione sedata, & ea quam affert exercitium: quia statim sumere cibum ab exercitio, & balneo caput repletur, ac interdum facit, quod sumpseris supernatet.

Balnei vero beneficia proponunt 3. de rat. vic. 57. Hippocrates & Galenus vbi hæc habentur ¶ Confert balneum magis pleuritidi, quam febri ardenti, quia mitigat dolorem, sputum maturat, educit, & spiritum facilem reddit. Valeat medicus quidam non infimæ conditionis, qui irrisit dum in pleuritide gratia mitigandi dolorem pungitiuum à nobis propositum fuit balneum.

Ecce igitur quomodo causa fouens ipsos morbos non solum esse potest in humoribus,& in partibus solidis,verum etiam in sex rebus non naturalibus,si ipsis abutamur.

Reliquum est,vt aliquid dicamus, dum causa fouens morbos est in medicorum imperitorum erratis:dicimus de hac re admodum parcè,quia aliquod magnum volumen non esset capax erratorum medicorum. Nos tamen egimus in methodis nostris vitandorum errorum de hac re. Hic verò solum exéplorum luce aliquid tetigimus, hoc fine, vt in tractatu isto de remediorum inuentione nullum caput omittatur.

Postremo causa fouens ipsos morbos sæpissimè deprehenditur in remediis importunè à medicis imperitis exhibitis: sciendum enim est, quod omnia remedia aliqua ex parte nos lædunt: dicimus omnia, quia & illa, quæ sanant comprehendimus: vtimur tamen illis, quando maius ex illis nascitur beneficium,quam maleficium, sed quod saluberrima quoque remedia lædant, testantur omnes Auctores. Galenus lib.de opt. secta ad Trasyb. circa finem inquit ¶ remedia impunè non posse administrari, cum omnia sint præter naturam.Immo 11.meth.cap.11.dicens,remedia omnia officere:recitat detrimenta,quæ ab oxymellite inferuntur ægrotantibus,quamuis oxymel sit omnium auxiliorum mitissimum, habet hæc verba ¶ Difficile est inuenire auxilium, quod citra noxam prosit. Oxymel licet pro obstructionibus optimum sit,& suaue,& mitissimum omnium:attamen dicit Galenus tussim excitare, radere intestina,& lædere partes neruosas.

Præterea 3. de rat. vic. 38. Galenus dicit: acetum melancholicis aduersari: exhibetur tamen, quia maius affert beneficium, quam maleficium: maleficium efficit exsiccando: beneficium efficit deobstruendo: sic Galenus 9. de comp. med. per locos cap.2. laudat acetum ipsum in melancholicis ratione obstructionis.

Insuper sunt remedia importunè exhibita, tum interna, tum externa,quæ sunt causæ fouentes ipsos morbos, qui deinde sanantur à natura morbos superante, & errores medicorum corrigente. Hinc væ medicis, si natura eorum errores non corrigeret. Externa remedia sunt importunè exhibita,dum ignorant causam fouentem, à qua solum remedium verum desumitur:exempli causa,si in pectus,vel pulmonem confluant excrementa,quæ pendeant ab aliis corporis partibus.& non à capite,certè remedia capiti applicata, cuiusmodi sunt stillicidia,synapismi,irrhina, & masticatoria,maximè lædũt ipsum caput,quod erratum vtinam non esset ita peruulgatum.

Quod verò fluxio excrementorum non semper à capite pendeat, vt communiter putant parum versati medici,docet Galenus primo in primum epid. comm. 17. vbi testatur, fluxionem in pulmonem non semper à cap.sed interdum ab aliis quoque corporis partibus,capite tunc existente illæso.

Si de aliis remediis internis loquamur toties errant medici Plebei, quoties non inueniunt specificum affectum internum, qui consistit non solum in solidis,sed etiam in maiori,vel minori vitiosi succi abundantia.

Exempli causa Galenus 7.meth.cap.vlt.determinat, quando in vitiatis renibus diuretica habeant locum his verbis ¶ Dum renes multo vitioso succo abundant per cathartica purgandum: si mediocri succo vitioso per vrinam,

Ecce quomodo maior,vel minor quantitas vitiosi succi variant remedium.

Si de remedijs externis sermo fiat,medici sæpissimè ex horum abusu fouent morbum,sicuti dum parti dolenti applicant laxantia: quod erratum maximè damnatur à Galeno 2.ad Glauc. cap. 2. vbi habet hæc verba ¶ In partem dolentem,si fluat materia nec oleum, nec farina triticea conueniunt: sed solum cum passo, oleo rosaceo, & cera fit molle vnguentum, quod sedat dolorem, & non laxat.O quoties nostrates cum oleis laxantibus, & farina augent malum in partibus dolentibus! Dixit, nec oleum,nec farinam conuenire: quia hæc obstruendo perspirationem insensibilem prohibent,quæ dum retinetur, fit ita acris & mordax,vt dolores valde augeantur.

Quod oleum obstruat Galenus 7. meth. cap. 6. testatur: ibi enim loquens de hecticis in primo gradu dicit post primam & secundam lotionem, & post frictionem oleo inungendum, vt pori cutis constipentur, ne humiditas attracta resoluatur. Ex hoc loco colligimus, quod multi medici decipiantur, qui vt aperiantur pori oleo inungunt, nec vident porros oleo constipari & non aperiri.

Pari modo magno cum ægrotantium detrimento applicantur fomenta in corpore non purgato:quia nisi auferatur causa fouens, quæ consistit in excrementis,affectus externus magis exacerbatur: ideo Galenus 2.in sextum epid. comm. 29. loquens de Simone concludit fomenta in non purgato corpore plus attrahere, quam resoluere: carpitque communem medendi vsum dum spreta totius purgatione applicantur fomenta, quæ longè magis nocent, quam iuuant.

Hinc Glenus 11.meth.15.videns localia sæpè, & notabiliter lædere patientes,habet hæc verba ¶ Perfusiones,& cataplasmata conuenire ijs,quibus nullum in ventre est excrementum: cæteris sunt pernicies. An verò hoc Galeni diuinum præceptum obseruetur ab omnibus medicis nostri temporis,cæteri iudicent,quia certè nullus error est in arte medica magis communis:omnes enim in ventris dolore,vel obstructione,maxima quoque existente plenitudine,statim confugiunt ad perfusiones,& cataplasmata, quæ vocantur à Gal. ægri pernicies.

Itidem Galenus 12. meth. 8. loquens de colica habet hanc sententiam ¶ si frigidus humor est interclusus in spatio duarum tunicarum intestinorum, vti non debemus perfusionibus, & cataplasmatis calidis: reddit rationem Galenus:quia crassi humores liquantur, & in flatus vertuntur: vnde dolores ita intenduntur, vt intestina inflammentur: quare oportet prius coquere medicamento moderatè calido,secus perfusiones erunt causæ fouentes propositos affectus.

Galenus eodem cap. refert quomodo quidam rusticus dolore colico correptus se liberauerit sine perfusionibus, & cataplasmatis calidis, ait se cinxisse,& comedisse panem,& allium,non dimittens consuetum opus,neque tota die bibisse, sed solum vesperi meracius, & inde dormiuit tota nocte, & vt refert,liberatur.Subdit allium discutere flatus,& non excitare sitim.Quare dum nostrates in dolore colico ex flatu vtuntur perfusionibus seu mappulis calidissimis excitant flatus copiosissimos & augent quammaximè morbos, itaut causa fouens doloris colici sint ipsa remedia importunè applicata.

Ecce quod causa fouens morbos modò est in contentis, modò in partis solidæ affectu, modò in vtrisque, modò in abusu sex rerum non naturalium & in remedijs importunè administratis à medicis, qui Hippocratis & Galeni doctrinam nunquam perceperunt.

CAPVT IX.

De remediorum inuentione desumpta à specificis affectibus ipsius sanguinis.

HActenus explicauimus causas fouentes, & affectus specificos à quibus desumi possunt remedia. Restat, vt de causis antecedentibus id est, de humoribus agamus.

Causarum igitur antecedentium, vel sunt humores, vel ichores: Galenus 2. in 6. comm. 37. dicit tot esse ichores, quot humores. Addimus ex Galeno quod morbi, qui fiunt ab ichoribus differant ab ijs qui fiunt ab humoribus, vt paulo infra ex Galeno ostendemus.

Quo ad humores: sanguis tenet primum locum, illum igitur prius diuidemus vt illas specificas differentias intelligamus à quibus remedia desumi possunt. Itaque sanguis vel est naturalis: vel nonnaturalis. Naturalis solum quantitate peccare potest: peccatum verò in quantitate vel est ob quantitatem debito copiosiorem, vel pauciorem: sanguis copia peccans dicitur polyæmia, id est copiosus sanguis.

Sanguis verò nonnaturalis ex Auicenna prima primi doc. 4. fit non naturalis vel per alterationem, vel per admistionem alienæ substantiæ. Dum igitur sanguis factus est nonnaturalis, alio remedio corrigitur, dum factus est nonnaturalis per alterationem, & alio longè diuerso, dum factus est nonnaturalis per admistionem alienę substantię: sed quomodo fiant in sanguine alterationes, & quomodo fiant admistiones, paulo infra.

Si de plenitudine loquamur potius considerabimus sanguinis plenitudinem quod ad vasa, quam illam, quæ dicitur quo ad vires: hæc distinctio est Galeni 2. de natura humana comm. 1. vbi diuidit plenitudinem in illam, quæ dicitur quo ad vasa, & in illam, quæ dicitur quo ad vires, quæ est quando humores corrumpuntur, dicitur quo ad vires, non quod sint multi, & copiosi humores, sed quia ob eorum corruptelam vires ita grauentur, vt ab ipsis sentiantur perinde ac sentitur magna humorum bonorum plenitudo.

Præterea alia est plenitudo totius, & alia partis: hanc distinctionem tangit Galenus lib. de cur. ro. per s. m. cap. 11. loquens de suppressis mensibus: quia dū supprimuntur menses ob plenitudinem totius, quæ in venis magnis fit: tunc secta vena cubiti menses deinde mouentur: si verò supprimantur ob plenitudinem partis, idest venarum ad vterum pertinentium, tunc non secatur vena cubiti, sed ipsa saphena.

Quo ad polyæmiam id est quo ad sanguinem quantitate nimia peccantem: Ex hac fieri possunt praua & lethalia accidentia: Galen. enim 4. de ratione vict. comm. 23. 26. & 27. proponit quatuor mala exitiosa, in quæ cadere solent qui nimiam sanguinis quantitatem habent.

Quorum primum est vasorum interceptio: quia ob sanguinis multitudinẽ interdum adeo repletæ sunt venæ, vt impedito spiritus, & sanguinis transitu, derepente sequatur sanguinis corruptela, & mors.

Inde Galenus proponit secundum malum, nempè quod à sanguinis multitudine nimia oriatur calidi natiui suffocatio, & extinctio, vnde sequuntur (ait) epilepsiæ, apoplexiæ, sincopes cardiacæ, apneæ, aphoniæ, & mortes repentinæ.

Tertium malum ob nimietatem sanguinis colligitur ex 4. de ratione vic. com. 27. quod est totius massæ sanguineæ putrefactio: quia prohibita perspiratione ob sanguinis nimietatem, illicò suboritur putredo.

Quartum malum est venarum ruptura vt animaduertit Galenus loco citato & lib. de bono corporis habitu.

Si verò ob nimietatem sanguinis non oriantur quatuor mala exitiosa proposita, fient saltem melancholici: Galenus enim 3. epid. 3. comm. 71. ait ¶ Qui habent multum sanguinis fiunt melancholici: ratio est: quia vbi est multus sanguis, ibi est multa fæx: bonus consumitur, fæx verò relinquitur: vnde melancholia.

Quo pacto verò cognoscatur, quando sanguis copia peccat: id certè non ex vnico signo, sed ex multorum syndrome colligitur: syndrome desumitur à sex signorum fontibus, nempe à substantialiter inhærentibus, id est à quatuor primis qualitatibus, quæ tactu dignoscuntur. Ab his quæ necessariò accidunt. A necessario consequentibus. A iuuantibus, & lædentibus, & ab exeuntibus.

A substantialiter inhærentibus: sicuti Hippocrates 4. de ratione vic. 26. dicit, frigus partium extremarum indicare polyæmiam.

Ab his quæ necessariò accidunt: hæc signa, quæ vocantur necessariò accidentia pertinent ad compositionem, videlicet ad magnitudinem, situm, numerum, & figuram: si de magnitudine loquamur, Galenus 1. de humoribus comm. 1. & 3. in 6. epid. 29. dicit venas elatas, & eminentes inter alia signa indicare polyæmiam: subdit Galenus eodem comm. de muliere emaciata, quæ collegerat multum sanguinis ob menses multo ante suppressos, cui detraxit multum sanguinis, licet fuerit emaciata: venas tamen elatas habebat: eius extenuatio non ab inanitione, sed à repletione facta fuit: Ecce quod etiam in corpore emaciato venæ latæ, & eminentes indicant sanguinis copiam.

Ab his quæ necessariò consequuntur Hippocrates & Galenus 4. de ratione vict. in ac. 26. idem colligunt: quia dicunt faciei rubores indicare sanguinis copiam. Similiter Galenus 2. de temperamentis 4. inquit, habitum carnosum, seu carnis abundantiam indicare sanguinis copiam. Præterea lib. aduersus Erasistratum ait: sanguinis copiam caput replere, & tensionem in brachiis efficere: ruboris, habitus carnosus, & tensio facta in brachiis à capitis repletione sunt signa necessariò consequentia illam temperaturam, quæ polyæmiam facit.

Ab operationibus læsis cognoscitur polyæmia: ex Hippocrate & Galeno 4. de ratione vic. 26. oculorum immobilitas, & dentium stridor idem indicant. Præterea 1. de natura humana 39. & 2. de humoribus 30. dicit Galenus simplicitatem,

citatem,& stoliditatem oriri à sanguine & polyæmiam indicare, sicuti animi acies,& intelligentia indicant bilem,ac firmitas, & prudẽtia melancholiam. Denique esse ad risum profusos,incontinentes, & impudentes, colligimus ex Galeno indicare polyæmiam.

Ab exeuntibus,habemus lac,& semen copiosum, ex Galeno 15. de Vsu. P. cap.10.indicare polyæmiam.

A iuuantibus & lædentibus quinque loci desumuntur idem indicantes, quorum primus est ab euacuatione:veluti si è naribus summo cum beneficio multus sanguis effluat:vel ab hæmorrhoidibus,vel ab vtero, indicatur polyæmia. Secundus locus est ab alteratione: quia ea quæ exsiccant, & refrigerant diminuunt sanguinem: ea verò quæ moderatè calefaciunt,& humectant accumulant.Tertius locus à ieiunio desumitur:nam ex Galeno 3. in 6. epid. 28. si ieiunium tollit sitim & lassitudinem, indicatur polyæmia. Quartus locus est à somno desumptus: quia si per somnum tollitur sitis & lassitudo: indicatur sanguinis copia:quia ex Galeno 3.in 6. epid. 23. somnus tollit sitim: quia sanguis humectat partes internas, quas petit. Quintus locus desũptus est à morbis,qui fiunt à copia sanguinis,de quibus Hippocrates & Galenus agunt.4 de ratione vic.in ac.26.qui sunt oculorum immobilitas:manuum porrectiones: spirituum interceptiones:asphixia.

Addimus nos maximas hæmorrhagias: venarum rupturas, suffocationem calidi innati,putrefactionem totius massæ sanguinis,& apostemata exquisita indicare sanguinis copiam.

Præterea quæ ab Hippocrate proponuntur tex.27. eiusdem libri sunt accidentia ob sanguinis putrefactionem,vertigines,aphoniæ, conuulsiones, epilepsiæ,& paraplexiæ, quæ est vnius partis non principalis paralysis: vnde ob interceptiones sanguis priuatur calore, & vt dicit Galenus tanquam in cadauere concrescit. Ex his morbis animaduertimus sanguinem in venis copia peccantem,quo animaduerso statim remedium specificum intelligimus esse phlebotomiam.

Præterea sanguis quoque peccat quantitate,quando est debito paucior,nẽpe,vt vix sufficiat pro totius corporis nutritione. Superius proposuimus sex fontes signorum indicãtium sanguinem copia peccantem. In hoc loco verò, cum oppositorum eadem sit disciplina, facile ex signis oppositis colligemus quando sanguis erit iusto paucior.

Cæterum non est omittendum signum indicans paucitatem sanguinis propositum ab Auicenna doc. 4. cap. 2. primæ fen.quod his verbis exprimitur ¶ Minorari sanguinis generationem,& aliorum bonorum humorum ob venarum meseraicarum obstructionem. Per bonos humores Auicennas intelligit bilem,& melancholiam naturalem:si de bile naturali loquamur, hæc per obstructionem meseraicarum fit mordacior, & facile putrescit.Si de melancholia naturali per obstructionem fit acidior,& acerbior.

Quo ad sanguinem nonnaturalem Auicennas doct.4.cap.2.in 1.fen.docet, quomodo fiat: inquit enim in generatione sanguinis resultare quinque excrementa, duo naturalia,& tria nonnaturalia. Duorum naturalium. Primum excrementum est bilis,quæ mittitur ad vesicam felleam.

Secundum est melancholia, quæ aliene attrahitur. Trium verò nonnatu-

ralium resultant dum sanguificatio redditur deprauata, vel diminuta: dum est deprauata, pars tenuior sanguinis vertitur in bilem flauam, sed vitiosam: crassior verò in melancholiam vitiosam, quæ fit ex sanguine crasso adusto. Si verò sanguificatio est diminuta, resultat tertium excrementum videlicet pituita ipsa.

Deinde Auicennas loco citato diuidit sanguinem nonnaturalem, in nonnaturalem factum per alterationem, & in nonnaturalem factum per admistionem alienæ substantiæ: ita vt in hoc secundo nonnaturali per admixtionem sanguis ex se sit bonus, optimus, & naturalis: sed redditur malus per admistionem mali humoris. Nonnaturalis per alterationem fit, quando redditur iusto calidior, vel frigidior, vel humidior, vel siccior.

Causas verò calefacientes ipsum sanguinem, vult Galenus, lib. de causis morborum cap. 2. esse has quinque, videlicet alimenta calida, adhæsum rei calidæ, motum, prohibitam perspirationem, & putredinem.

Causę vero refrigerantes eodem lib. de causis morborum cap. 3. sunt sex, népe niminus motus, qui resoluendo calorem refrigerat, nimia quies, alimentum frigidum, adhæsus rei frigidæ, nimia obstructio, & nimia rarefactio. Passiuæ vero qualitates reddere possunt sanguinem humidiorem, aut sicciorem, ob hepatis varia temperamenta: sanguis tamen non potest per alterationem conuerti in atram bilem excedentem: quod patet: quia Galenus sexto in sextum epid. 21. habet hæc verba ¶ sanguis est adeo naturæ amicus, vt nunquam ita putrescat, vt fiat atra bilis, intelligendo per atram bilem illam factam ex adustione flauæ: quia certum est partem crassiorem sanguinis (vt dictum est) posse conuerti in melencholiam adustam. Dum vero Auicennas doctrina quarta loco citato dicit, partem tenuiorem sanguinis conuerti in bilem: addit, dupliciter posse conuerti, videlicet per putredinem, vel per adustionem. Quod vero putredo conuertat partem tenuiorem sanguinis in bilem & partem crassiorem sanguinis in illam atram bilem, quę carbunculos valde rubros rubros efficere possit, Galenus quoque confirmat 2. de crisibus cap. 12. Quod vero non solum putredo, sed etiam adustio sine putredine conuertere possit partem tenuiorem sanguinis in bilem, & crassiorem in illam atram bilem, quæ possit efficere carbunculos propositos, docet Galenus 2. de diff. feb. cap. 9.

Præterea sanguis duobus modis putrescere potest, nempe vel sub aliena forma, vel sub propria: sub aliena, veluti quando pars tenuior per putredinem conuertitur in bilem: sub propria, veluti quanda sanguis, vel in pus conuertitur, vel putrescit sine alia conuersione, cuius finis tunc non est bilis, vel atra bilis, sed cinis.

Ex hac Theorica colligimus dari duplicem febrem synocham, vnam esse periodicam, aliam continuam non periodicam. Periodica fit dum putrescit sub aliena forma: dum vero pars tenuior vertitur in bilem, fit synocha, quæ habet quandam periodum de tertio in tertium: dum pars crassior vertitur per putredinem in melancholiam, eius periodus est de quarto in quartum. Continua vero non periodica est alteratio sanguinis sine conuersione in alios humores: hæc tollitur solum per phlebotomiam, & vocatur ephemera re, & non nomine. Ecce quomodo ex specificis affectibus sanguinis colligi possint

possint specifica remedia.

Si vero sanguis reddatur iusto frigidior & humidior, corpus statim tendit ad cachexiam, vel hydropem, vel œdemate aliquo opprimitur in quauis parte, præterquam in iecore, quod colligitur ex ipso Galeno 4. de præsag. expul. cap. 4. vbi ait, iecur non esse œdematis capax, quod multi non animaduertunt.

Subdit Auicennas cap. citato de sanguine facto nonnaturali per admistionem alienæ substantiæ, quod commistio duplex sit, alia ex sanguine alioqui bono, & ex humore prauo aliunde veniente: alia sit mixtio intus facta in massa sanguinea: veluti si per adustionem, vel putredinem pars tenuior versa sit in bilem, fit mixtio ex sanguine, & bile intus facta, id est in ipsa massa sanguinea.

Ex hac Theorica practici hæc duo considerant. Primum an sanguis à prauis succis aliunde venientibus ipsi sanguini commixtis sit vitiatus, vel sine vitio conseruetur: secundum, an praui succi qui sunt in sanguine sint facti praui in ipsa massa, vel ita praui aliunde preuenerint ad ipsum sanguinem. Vtraque consideratio est necessaria, quia vtraque remedia specifica colliguntur.

Denique sanguis miscetur vel cum pituita, vel bile, vel melancholia. Dum miscetur cum bile solet efficere erysipelas, quia transit per venas exiles. Si cum pituita per venas maiores. Hinc Galenus 4. aphorismorum 34. loquens de angina dicit, sanguinem biliosum facilius efficere inflammationem laryngis, quam inflammationem faucium. Sanguinem vero pituitosum viceuersa, facilius videlicet efficere inflamationem faucium, quam laryngis: ratio est, quia venæ laryngis sunt tenues, & exiles: venæ vero faucium sunt maiores. Valeant qui anatomiam non vident, quia neque intelligunt specificas differentias affectuum, vt ostendimus 3. meth. vitandorum errorum: neque remedia specifica inuenire vnquam possunt.

Capvt X.

De remediorum inuentione desumpta à specificis affectibus pituitæ.

AFfectus specifici, qui obseruantur ob pituitam, sunt illi, qui nobis inseruiunt pro inueniendis remedijs: sed tales specifici haberi non possunt, nisi pituitam diuidamus in specificas differentias, sicuti Auicennas cap. de humoribus in prima fen. vbi post sanguinem statim diuidit pituitam in naturalem, & nonnaturalem.

Naturalis pituita dicitur semisanguis: de hac loquens Galenus 2. de ratione vic. comm. 30. ait: pituita naturalis cum chylo cōuertitur in sanguinem. Idem confirmat lib. de atra bile cap. 8. Hæc pituita in quolibet sanissimo & robustissimo ex cibis generatur, quod patet experientia, quia in robustis, qui sponte vomunt, illa obseruatur. Hæc est æquè vtilis, ac chylus. Hæc æquè citò conuertitur in sanguinem, vt chylus. Hæc pituita ex eodem Galeno 2. de ratione vic. 30. non solum ex cibis pituitosis, sed ex optimis, & saluberrimis

fieri potest.

De hac pituita naturali loquens Galenus lib. de plenit. cap. 11. ait ¶ si hæc pituita naturalis copia peccat, efficit homines somnolentos, & pigros: quemadmodum nimia sanguinis naturalis copia efficit lassitudinem tensiuam, corporis pigritiam, & reddit homines similiter somnolentos. Alia vero signa indicantia copiam naturalis sanguinis proposuimus, tùm in commentarijs nostris artis medicinalis, tùm in Auicennæ commentarijs.

Quo ad pituitam nonnaturalem, ex Auicenna cap. de humoribus doctrina quarta octo sunt species: quatuor sunt ex parte substantiæ: quatuor vero ex parte saporum.

Ex parte substantiæ sunt pituita aquosa, mucosa, vitrea, & gypsea.

Ex parte saporum sunt acida, salsa, pontica, & dulcis.

Quo ad pituitam aquosam notandum, quod nisi euacuetur, fit mucosa, & mucosa: deinde fit vitrea, & vitrea tandem degenerat in gypseam. Deinde notandum est, pituitam aquosam valde differre ab aqua hydropicorum: quia pituita aquosa est capax coctionis: aqua vero hydropicorum est omninò coctioni rebellis, quia aqua hydropicorum non est pituita, sed vocatur crudus succus.

Differentia inter pituitam & crudum succum maxima est: quia omnis pituita nonnaturalis est recessus à naturali, & omnis nonnaturalis pituita in sua origine fuit capax coctionis: crudus vero succus neque in sua origine, neque post fuit vnquam coctioni capax: sic aqua hydropicorum neque in sua origine, neque post fuit capax coctionis: ideo nullo modo dici potest pituita: pituita gypsea in sua origine fuit capax coctionis: ideo dicitur pituita: illa enim facta est immediate ex vitrea, vitrea ex mucosa, mucosa, ex aquosa, quæ in sua origine conuerti poterat in alimentum, quod de crudo succo dici non potest. sed quomodo fiat crudus succus, infra declarabimus.

Quo ad pituitam mucosam, inter cætera incommoda Galenus 5. aphorismorum comm. 62. loquens de causis sterilitatis, inter illas proponit mucosam pituitam: ibi enim proponit has quatuor sterilitatis causas: quarum prima est venarum angustia: secunda, pituita mucosa adhærens: tertia est vteri frigiditas, quamuis addat Galenus loco citato, quamlibet vteri intemperiem sterilitatem efficere posse: quarta est sanguis valde humidus.

Pari modo Galenus in casu vxoris Oæcetai in comm. proponit sex causas abortus, inter quas proponit pituitam mucosam sub nomine cruditatis, hoc modo. Prima est saltus. Secũda horrenda videns. Tertia dolores magni. Quarta medicamentum electiuum. Quinta fluxus sanguineus, & sexta pituita illa mucosa, de qua agimus.

Hæc mucosa pituita ex Galeno 5. de simp. med. cap. 9. efficit quoque scirrhos: ibidem tradit tres scyrrhi differentias dicens, alios fieri ex melancholia, alios ex pituita mucosa, & alios ab vtroque humore.

Præterea vbicumque reperitur pituita mucosa laxat, & diminuit valde retentricem facultatem: Hippocrates 6. aphorismorum 59. dicit ¶ quibuscumque à coxendici dolore excidit coxa, & rursus incidit in ijs mucosa pituita superuenit, Galenus in comm. habet hæc ferè verba ¶ Ab hac pituita mucosa ligamenta reddi laxiora: ideo à cauitate articulum facilè excidi, quamuis rursus

rursus non cum difficultate incidat.

Insuper Galenus loquens de hac pituita quæ est illa, quæ solet efficere œdemata quarto de præsag. expul. cap. 4. dicit hanc non penetrare iecur, ideo iecur non esse œdematis capax: comprobat hanc suam opinionem: quia læso iecore nunquam fiunt pulsus molles: si penetraret iecoris substantiam, procul dubiò pulsus fierent molles: subdit Galenus: antequam hæc pituita mucosa penetret minutissimas venas meseraicas, ita alteratur, & superatur, vt in sanguinem conuertatur, hanc Galeni doctrinã video paucos animaduertere cum sæpissimè dicant plurimi, iecoris substantiam pituitosa, & mucosa materia esse infarctam, quod fieri non potest.

Quo ad pituitam vitream: hæc excitare solet dolores vehementissimos: Galenus 2. de causis febrium 6. habet hæc verba ❡ si pituita vitrea in loco calido mouetur excitat vehementissimos dolores: hinc dum in collo intestino moratur, dolores colici vehementissimi excitantur. Idem confirmat Galenus 2. de loc. aff. 5. vbi loquens de doloribus colicis vehementissimis inquit ❡ Iniecto per clysterem rutaceo oleo excreta fuit pituita vitrea, quæ est frigidissima, & talis sensu tactus percipitur. Pari modo Galenus 1. de symp. causis 7. in fine concludit pituitam vitream esse valdè frigidam.

Auicennas doct. 4. cap. 1. loquens de pituita vitrea ait, vitream interdum esse acetosam, interdum insipidam. Si fiat comparatio inter insipidam pituitam, & acetosam. Insipida est frigidior acetosa: quia acetosum non fit sine ebullitione, ac ebullitio non fit sine aliquo externo calore.

Dolores colici, qui à pituita vitrea fiunt supponunt aliquem calorem: quia illa vitrea, quæ facit illos sæuos dolores colicos, qui reuera non sunt pungitiui, vel extensiui, seu perforatiui, non est insipida, sed acida, ex qua in ipsa ebullitione ab aliquo calore eleuantur flatus, qui penetrant tunicas colli intestini: illasque tanto cum cruciatu diuellunt, vt interdum interimant patientes: Ecce quod nisi adsit aliquis calor, flatus non fiunt: ideo Galenus 6. epid. 3. comm. 14. habet hæc ❡ Res valde frigida non generat flatus, sed solum illa, quæ est particeps caloris, flatus generare post. Hinc ob vsum immoderatũ vini glacie refrigerati cessant flatus, licet ad maiora mala illud frigus corpora disponat.

Non tamen laudantur illi, qui in doloribus à flatu prodeuntibus sunt adeo soliciti in calefaciendo intus, & extra: dolores enim ob calorem promptius excitantur: ratio proponitur ab ipso Galeno 12. meth. cap. 8. vbi inquit, calidas perfusiones liquare humores, atque illos conuertere in flatus.

Senes decrepiti abundant hac pituita vitrea: quia pituita alimentalis, quæ in alijs ætatibus conuertitur in alimentum, in senibus decrepitis conuertitur in pituitam vitream, quæ illos nutrire non potest. De his senibus Oribasius loquens inquit, dum febricitant ex necessitate debent in accessionibus cibari: quia illorum pituita est vitrea, quæ in ipsis non conuertitur in alimentum, ideo sæpè & importunè cum ferè certo mortis periculo debent cibari, quod quam sit perniciosum docet etiam Hippocrates 11. aphorismo primæ sectionis.

Quo ad pituitam gypseam: hæc est veluti lapis, quæ in articulis colligitur, podagram incurabilem facit: si in renibus, & vesica facit calculos. Hæc solũ

generatur ex vitrea, vbicumque diu moratur. Galenus 1. de loc. aff. 5. refert, in collo intestino in lapidem conuerti posse nempè gypseum, ob pituitæ vitreæ moram. Parimodo in bronchijs pulmonis à viscosa pituita facta vitrea ob moram facessit in gypseam.

Dum igitur vitrea seu mucosa pituita est in iuncturis, iuncturæ nullo pacto sunt calefaciendæ, quia, vt optimè sentit Hugo Tenensis, eadem viscosa pituita, resoluta parte eius tenuiori, in gypseam facessit: ideo maximè damnat balnea sulphurea in ijs, qui iuncturas omninò liberas non habent, quoniam etiam aquosa pituita in iuncturis per hæc balnea crascescit, & abire potest in gypseam & nodosam podagram, quam soluere est impossibile.

Ecce quomodo nostratum plurimi maximè lædunt patientes podagricos: tùm quia calefaciunt iuncturas oleis, & alijs topicis calidis: tùm quia mittunt ad balnea ista miseros patientes, qui horum medicorum incuria properant ad nodosam podagram. Ecce quod remediorum inuentio dependet quoque ex distinctione humorum in specificas differentias.

Quo ad quatuor pituitas ex parte saporum ab Auicenna doc. 4. cap. 1. istæ proponuntur: salsa, acida, dulcis, & pontica.

Quo ad salsam pituitam: salsedo ex Aristotele 4. sec. problem. 13. fit à causa calida absumente partem dulcem: sic sudor fit salsus, quia à calore excitante sudorem resoluitur in halitum insensibilem pars dulcis: Galenus loquens de sale 11 de simp. medicina dicit fieri ex parte terrestri adusta: quamuis Galenus 2. de facul. nat. 8. dicat, quod quæ immodicè coquuntur prius fiant salsiora: deinde amariora. Idem confirmat Auicennas doc. 4. vbi agit de pituita salsa.

Dum vero Galenus, & Auicennas proponunt duas causas salsedinis, nempe putredinem, & ichorem salsum, dicimus considerasse salsedinem, vt medicos, non vt Philosophos: quia Philosophi semper dixerunt portionem terream adustam esse veram & immediatam causam salsadinis: dicimus vt medicos: quia medici pro scopo habent remedia, alia enim remedia conueniunt salsedini factæ à putredine, & alia à salsedine facta ab humore salso producto à re adusta, quæ sit vel cinis, fuligo, vel alia res adusta: quoniam res adusta est causa interna salsedinis: putredo vero est causa efficiens externa. Centum enim possunt esse causæ externæ salsedinis ipsius pituitæ, sicuti putredo, cibi salsi, mora pituitæ: quia per moram resoluitur tenue & interim terræ portio aduritur, quæ si permisceatur pituitæ aquosæ illicò salsa fit. Itidem vicinitas rei calidæ, motus nimius, obstructio, & quælibet alia angustiæ species, quæ prohibet perspirationem potest esse causa salsedinis, sed externa: omnes enim istæ causæ sub vnica calefaciente & adurente terreas portiones continentur, quæ proxima & immediata est.

Dum Auicennas dixit pituitam salsam fieri, vel à putredine, vel à re adusta, voluit tangere duas misturas, vnam, quæ est intus facta, quæ fit à putredine in ipsamet pituita; & aliam, quæ dicitur extra facta, quæ fit à serosa humiditate salsa, quæ deforis aduenit, vt permisceatur pituitæ: hæ misturæ variant curationem: quia alio modo tollenda est salsedo in pituita, si facta sit à putredine: & alio longè diuerso, dum pituitæ permiscetur portio terrea adusta. Ecce quod remediorum inuentio solum colligitur ex distincta & specifica affe-

ctione,

ctione,& non à generica

Hinc Auicennas doc.4. cap. de humoribus dicit ſalſam pituitam fieri,vel per alterationem,vel per admiſtionem portionis rei aduſtæ. Per alterationem fit pituita ſalſa, vel dum putreſcit, vel dum diu in aliqua corporis parte moratur,per quam moram reſoluitur tenue, & dulce & relinquitur terreum excalfactum, quod conſtituit ſalſedinem. Hinc fit, quod ſi pituita in capite per moram,vel per putredinem,vel per alias cauſas (quæ centum eſſe poſſunt)fit ſalſa, & ſtillet in pulmonem, poteſt corrodendo efficere phthiſſim: ſi in venas maiores, febres ardentes, vel ſyncopem minutam, ſi in vniuerſum corpus confluat, & ad cutim expellatur facit pruritus externis remedijs inexpugnabiles.

Quo ad pituitam acidam,hæc quoque fit vel per alterationem, ideſt per ebullitionem,vel per miſtionem alienæ ſubſtantiæ acidæ: fit acida per ebullitionem, dum portiones terreæ excalefactæ miſcentur aquoſæ pituitæ. Hinc pituita dulcis,& omnes ſucci dulces in loco calido detenti, niſi in ſummitate vaſorum ponatur olei pauxillum, egreditur aqua vitæ, & ſtatim ebulliunt, & mox aceſcunt:hoc certè bene ſciunt, qui à vino ſeparant aquam vitæ: quia dum aliqua portio per deſtillationem ſeparatur,vinum quod remanet ſtatim acidum fit. Fit quoque acida pituita per admiſtionem ichoris melancholici: melancholia enim ex Galeno 3. de loc. aff. 7. in tota maſſa reſpondet tartaro, quod acidum eſt.

Præterea ſciendum,tres eſſe differentias acetoſitatis:vnam ante maturationem,qualis eſt in agreſta,in multis fructibus immaturis, & in ipſo ventriculo,dum cibus manet crudus,& incoctus: alia acetoſitas fit per maturationem vel coctionem ſicuti eſt acetoſitas limonum,& acetoſitas melancholiæ. Tertia acetoſitas fit poſt maturationem, vt eſt acetum vini,vel acetum ſuccorum dulcium. Quod verò melancholia naturalis habeat acetoſitatem per coctionem,patet ex Galeno 3.de ratione vic.38. & 5. de Vſu.P.4.vbi vult eſſe acidam, & aliqua ex parte acerbam.

Similiter Auicennas cap.de humoribus vult, quod melancholia habeat ſaporem medium inter acidum, & acerbum: Ergo talem aciditatem habet per maturationem,quia illa aciditas, quæ eſt ante maturationem eſt verè acerba ſeu pontica,illa verò quæ eſt poſt maturationem eſt valde acida, & hæc aciditas eſt illa quæ pertinet ad melancholiam aduſtam, & aſſimillatur aceto acerrimo:de hac enim Galenus 3.de loc. aff.7. loquens ait ¶ In terram coniectam excitare bullas,& eſſe ſimilem aceto acerrimo.

Cauſæ acetoſitatis referendæ ſunt in has duas, nempe in materialem, quæ eſt humor aquoſus:vbi enim talis aquoſitas non eſt,non fit aciditas,vt in oliuis & corimbis lauri,& iuniperi:vel vbi aquoſitas igne,vel inſolatu abſumpta eſt,acetoſitas non fit. Cauſa verò efficiens acetoſitatis eſt calor imbecillis vel vel extrinſecus,qui talis eſt,dum ſpiritus exhalant.

Ex hac Theorica tres ſcopos ad prohibendam acetoſitatem colligimus, quorum primus eſt amouere illa, quæ reddunt ventriculum imbecillum, cuiuſmodi ſunt nimius coitus,& nimiæ vigiliæ: nihil enim magis conſeruat calorem ventris, quam ſomnus moderatus. Præterea animi paſſiones reddunt ventriculum imbecillum, tùm quia diſtrahunt calorem vitalem influentem

adventriculum, tùm quia ipsum spiritum corrumpunt, qui cum innato ad faciendam concoctionem conspirat. Secundus scopus est conseruare calorem proprium, ne exhalet, applicando ventriculo omentum suile, vel castrati: tertius est euacuare aquosam pituitam, sine qua in ventriculo neque ebullitio, neque acetositas fieri potest, euacuatur pillula de nitro, vel salapa.

Cuius vero temperaturæ sit acetositas quatenus acetositas est: in commentarijs nostris primæ fen. quæst. 73. satis superque declarauimus, & cui subiecto primò, & per se conueniat: quam quæstionem quisque legerè poterit. Ecce quomodo ex distincta causarum diuisione vsque ad specificas differentias remedia specifica colligi possint.

Demum colligendum est, quæ symptomata fiant à pituita acida: Galenus igitur 2. de diff. feb. cap. 6. loquens de acida pituita habet hanc sententiam, si feratur pituita acida per corporis partes sensu præditas, ait, pituitam acidam efficere rigores sine febre. Præterea iste rigor sine febre obseruatus est ab Hippocrate in Vxore Epicratis, de quo casu mentionem facit in Epidemicis, & Galenus in comm. ait, rigorem superuenientem vxori Epicratis sine successione caloris factum esse à pituita acida.

Accedit quod si pituita acida parum putrescat fit Epiala: si multo magis putrescat, fit febris syncopalis humorosa, & præcipuè si acida, & vitrea simul mixta sint.

Si verò pituita fiat acida non per putredinem, sed per mixtionem ichoris melancholiæ adustæ, inde nascitur rigor cum febre: si per mixtionem ichoris melancholiæ naturalis quæ est frigida & sicca, fient rigores sine successione caloris: si verò putresceret, efficeret hemitriteum. Demum hæc acida pituita ex Galeno lib. de plenit. 11. est quoque illa quæ efficit homines famelicos

Quo ad pituitam dulcem: hæc similiter fit dulcis, vel per alterationem, vel per admixtionem alienæ substantiæ. Per alterationem fit à frigido immoderato, quod impedit ebullitionem, vnde fit dulcis insipida.

Fit dulcis per admistionem alienæ substantiæ id est ichoris sanguinei, hæcque est pituita dulcis manifestæ dulcedinis: quia solus sanguis, & eius ichor efficiunt manifestam dulcedinem.

Sed notandum, manifestam dulcedinem, (quæ solum in ore reuera animaduertitur) duplicem esse, videlicet moderatã, vel immoderatam: moderata fit ab ichore sanguineo naturali: hæcque ex Galeno lib. de plenit. 11. facit homines somnolentos: immoderata verò dulcedo fit ab ichore sanguineo putrefacto, & hæc dulcedo immoderata est similis dulcedini liquiritiæ, quæ est adeo nauseabunda, vt patientes non nutriantur, sed in atrophiam tendant, nisi prestò præbeamus ter vel quater in die spiritum olei calcanthini in iusculo parui pulli, qui spiritus tollit putredinem, & inde statim mitescit insignis, & nauseabunda dulcedo.

Quo ad pituitam ponticam id est acerbam, hæc fit talis vel per alterationem, vel admixtionem melancholiæ fæcalis.

Fit acerba per alterationem, dum pituita naturalis ita frigefiat, vt pars aquosa ipsius acquirat qualitatem terream.

Fit acerba per admixtionem melancholiæ fæcalis, quæ melancholia ex sua natura maximè est acerba. Hæcque pituita pontica per admistionem excitat

tat vomitum tam acerbi saporis, vt dentibus stuporem inducat. Praeterea ob eius frigiditatem: valde impedit coctionem: hocque colligitur ex Galeno 2. de humoribus comm. 30.

Notandum, acerbum duplex esse, vel intensum quod ex Galeno 4. simp. 7. est terreum frigidum: talis sapor obseruatur in pituita gypsea, vel est acerbum remissum quod vocatur austerum.

Praeterea Galenus loco citato ait, acerba interdum à calido efficiente reddi dulcia, vt in castaneis, quae coctione, seu elixatione dulcescunt.

Interdum acerba ab humido subtili, & à calore concoquente redduntur acida, vt dum maturescunt limones, citri, mala punica, & mala medica, ideo acerbum esse frigidius austero, & austerum acido, credendum est.

Capvt XI.

De remediorum inuentione desumpta à specificis crudorum humorum affectibus.

Galenus 1. de alimentis. cap. 2. ponit differentiam inter pituitam, & succum crudum: habet haec verba ¶ vrinae sedimentum propriè vocatur crudus succus, qui est puri similis: sed neque est graueolens, neque lentum, vt pus. Primo verò praesag. vlt. dicit sedimentum esse corpus medium per negationem extremorum inter humorem & pus: ergo nulla pituita propriè dici potest crudus succus.

Praeterea 2. de facul. nat. cap. vl. dicit mucum, qui à cerebro stillat, non esse propriè pituitam, sed crudum succum: illa enim dicitur pituita, quae in sua origine fuit pituita naturalis: hac ratione gypsea dicitur pituita, quia in origine fuit pituita naturalis & nutritioni apta, itaut crudus succus dicatur ille, qui in origine effugit primam concoctionem, quae in ventriculo fit.

Hinc Galenus 4. de tuen. sanit. cap. 4. & 3. de alimentis 33. dicit, crudum succum propriè generari ex vsu piscium crustaceorum: causa est, quia tales pisces in ventriculo magna ex parte effugiunt primam concoctionem.

Galenus 1. de ratione vic. comm. 18. loquens de crudo succo dicit, humores aliquos admittere coctionem, alios, sicuti sunt crudi succi non admittere, qui vero non admittunt, dicit, esse euacuandos, quia eorum non est expectanda concoctio, sicuti est aqua hydropicorum, & similes.

Praeterea notandum de generatione crudi succi, quod crudus succus fieri potest vel defectu, vel excessu caloris prohibentis concoctionem: sic ventriculus, iecur, & cerebrum generare possunt crudum succum defectu, vel excessu caloris.

Ventriculus defectu caloris generat crudum succum ex prauo alimento, quod magna ex parte neque in chylum, neque in pituitam naturalem conuerti potest, sicuti sunt pisces crustacei, qui ex Gal. 3. de alimẽtis 33. neque in chylum, neque in pituitam, & tanto minus in sanguinem conuertuntur, sed effugientes coctionem in vrinae sedimentum cedunt, sicuti colligitur ex Galeno 1. praesag. si verò haec cruditas in corpore retineatur, corpus disponi-

tur ad cachexiam.

Ventriculus quoque caloris excessu efficit crudum succum: nimirum quando cibi præcalidi, vel putridi conuertuntur, & in liquidas deiectiones facessunt, antequam chylus fiat, vnde Galenus 11. meth. 15. ait: ex errore primæ coctionis duo mala oriri: quorum primum est, quod ex cibo nulla vtilitas colligi possit secundum quod cibus corrumpatur, & cum corruptella expellatur aliquid prioris cibi bene cocti.

Iecur similiter defectu & excessu caloris efficit crudos succos. Defectu, veluti quando ex intemperie frigida iecoris fit fluxus hepaticus, vel aliqua hydropis species. Pari modo excessu caloris iecur efficit crudum succum, quãdo fiunt deiectiones biliosissimæ, quæ sunt crudæ.

Cerebrum defectu caloris efficit crudum mucum, qui ex Galeno 2. de facul. nat. vlt. non propriè vocatur pituita. Excessu caloris efficit crudum succum ob intemperiem calidam cerebri, vt obseruauit Galenus in Matrona Romana 5. meth. 13. in qua catarrhus acris descendebat in pectus cum magno phthisis periculo.

Sed certè non omnes animaduertunt, quando catarrhus fit à crudo succo: & quando à pituita, quod pro remediorum inuentione est obseruandum, quia curatio varia quoque fit. Quare sciendum est, quod quinque causis fieri potest catarrhus.

Primò fit catarrhus, vt dicit Aristoteles 2. de part. animalium 7. eo modo quo fiunt imbres in magno mundo, nempe per vapores, qui in parte superiori condensantur, vt in pluuiam cedant. Dicimus catarrhum factum à vaporibus esse crudum succum, & non pituitam, quia omnis pituita in prima origine fit in ventriculo: sic Galenus lib. de atra bile 8. dicit pituitam fieri in ventriculo: alios tres humores in hepate.

Secundo loco fit catarrhus ex Galeno 2. de diff. feb. vlt. dum caput per se est læsum, quo casu licet sanguis excurrens ad ipsum cerebrum nutritionis gratia sit saluberrimus: tamen ratione intemperiei ipsius capitis ipse sanguis aliqua ex parte in crudum succum facessit.

Tertio modo fit catarrhus, dum sanguis est vitiatus, quo casu potest contingere, quod caput ex se sit bene sanum, nihilominus sanguis ad nutritionem capitis destinatus sit ita vitiatus, vt in capite aliqua ex parte in nutrimentum, & aliqua in crudum succum degeneret. Hinc Galenus loco proximè citato de diff. feb. vlt. ait catarrhum fieri vel capite læso, vel sanguine vitiato, Quod verò sanguis vitiatus non sit excrementum pituitosum patet, quia sanguis non potest conuerti in pituitam: quoniam non datur hic retrocessus, vt sanguis rursus fiat pituita: hoc enim repugnat actioni caloris.

Quarto loco fit catarrhus dum per fibras œsophagi ascendunt excrementa ventriculi: quæ deinde colliguntur super os maxillæ superioris quod palatum componit, illisque vacuis repletis sensim excurrunt per latissima oculorum foramina ad ipsum cerebrum. Nos dicimus, quod si iste catarrhus fit à pituita, non fit crudus succus: si fit ex piscibus crustaceis, esse crudum succum omninò incapacem coctionis.

Quintò fit catarrhus ex Galeno 9. de vsu. p. c. 1. dum meatus cerebri sunt obstructi: vnde detentum cerebri alimentum in catarrhum conuertatur, licet nulla

nulla intemperie cerebrum vexetur. Cognoſcitur hic catarrhus, ſi nares ſic impedit,& ore aperto dormiant.

Ex hac Theorica de catarrho colligimus ſpecifica remedia,quia ſi fiat à crudo ſucco purgantia in principio ſine vlla præparatione dari poſſunt: quia hic catarrhus, neque præparationis, neque coctionis eſt capax: ſi verò fiat catarrhus ex pituita,vtimur præparantibus,donec appareant ſigna coctionis. Dum Hippocrates aphoriſmo 22. primæ ſec. dicit concocta medicari, non intellexit de crudo ſucco,cuiuſmodi eſt ſeroſitas hydropicorum,vel catarrhus factus ex vaporibus,qui ſemper liquidus eſt,ſed intellexit de humoribus qui poſſunt concoqui: ſic dum in febribus bilioſis vtimur ante pharmacum præparantibus,illis vtimur pro pituita obſtruente ipſos meatus,quæ eſt capax coctionis, dum enim bilis eſt liquida,& nulla ſit obſtructio,poſſumus in principio quoque electiuè purgare,ſicuti natura ipſa interdum ſua ſponte id efficere ſolet.

Multi ſcripſerunt de crudo ſucco, ſed inter cæteros Valerius Martinius in ſuo doctiſſimo libro de medicinæ prǽcticæ collectionibus,in lib.de cruditatibus,opus profectò lucubratum, & diuinis refertum præceptis à Theſauris Hippocratis & Galeni,quicquid de cruditatibus dici poſſit in diuitias ſuas congeſſit,quem librum quiſque adire poterit.

CAPVT XII.

De Remediorum inuentione deſumpta à conditionibus ſpecificis ipſius bilis

GAlenus lib. de atra bile cap. 2.dicit,dari ſeptem biles, nempè pallidam, flauam,vitellinam,rubram,porraceam,æruginoſam, & iſatidem, quam cæruleam vocamus.

Pallida & flaua ex Galeno 2. in ſextum epid. 8. in ſanis & bene valentibus inueniuntur,abſque eo,quod ſymptomata præter naturam efficiant. Deinde Galenus 2.de facul.nat.cap.vlt.dicit,vitellinam eſſe præter naturam, non flauam,& pallidam.

Præterea ex Galeno 1. de natura humana comm. 25. dicit, pallidam bilem eſſe humidiorem,& ſeroſiorem flaua, & flauam ſeroſiorem vitellina. Similiter quinto in ſextum epid.comm.14. ait,vitellinam fieri ex flaua craſceſcéte à calore,& dum flaua aqueam ſubſtantiam abſumit fieri pallidam. Ex his colligimus has biles non differre ſpecie ſe,ſed ſecundum magis & minus. Pari modo Galenus 2.præſag.comm. 47. loquens de bile flaua, & atra bile habet hæc verba ❡ Flauus color videlicet ipſius bilis fit humore ſeroſo torrefacto,pallidus verò fit ſeroſo commixto flauo colori:æruginoſus fit ſeroſo valde torrefacto:niger verò eodem ſupra modum torrefacto: qui nunc atra bilis peſſima, aut exedens efficitur. Ecce quod omnes iſtæ biles differunt ſecundum magis & minus, & quod in quolibet humore ſit propria ſeroſitas, qua ablata humores fiant veluti cineres.

Quod vero in quolibet humore ſit proprium ſerum docet Glenus 2. in ſextum epid. 37. his verbis ❡ In omnibus humoribus ſeroſam quandam,tenuemque humiditatem reperiri,differreque has ſeroſitates pro natura humorum,quorũ eſſe ſerum dicentur: eiuſque infeſtiſſimum eſſe atræ bilis ſerũ mi-

nus infestum flauę:hocque minus pituitę : omnium mitissimum esse sanguinis serum. Ex his Galeni verbis colligimus, quod tot sint ichores seu serositates, quot humores.

Pretetea colligimus, serositates iunctas cum suis humoribus efficere morbos longè deuersos ab illis, qui fiunt ab humoribus, sine suis ichoribus seu serositatibus. Hinc Galenus lib. de tumoribus pręter naturam cap. 9. docet bilem cum suo ichore efficere erisypelas, bilem verò ichore suo spoliatam efficere herpetem: quia sine ichore exulcerat: cum ichore suo est temperatior, & nullam habet exedendi vim.

Ecce quod remedia quoque debent esse varia: illa enim quę purgant bilem ichore suo imbutam debent esse purgantia humoris aquosi: illa verò quę purgant bilem spoliatam ichore debent purgare bilem crassam, & non serosam.

Neque Auicennas potest defendi, dum doct. 4. cap. de humoribus tenet, bilem flauam constare ex bile & pituita aquosa, vitellinam verò ex bile & pituita crassa: neque iniuria reprehenditur ab Auerroe 3. col. cap. 3. dicente, dari vitellinam, quę non sit mixta ex bile & crasso phlegmate, & rectè quidem, quia illa serositas, quę est in bile pallida, in flaua, aut vitellina non est pituita, sed est propria serositas: Immo Galenus lib. de atra bile cap. 2. asserit, bilem flauam admixtione serosę humiditatis fieri pallidam: 2. de facul. nat. cap. vlt. ait, vitellinam fieri diminutione ipsius serositatis: neque dixit pallidam flauam & vitellinam esse mixturas ex bile, & pituita: immò 5. in 6. epid. comm. 14. Galenus tenet de ratione pallidę esse plurimum serositatis.

Neque in praxi, dum volumus euacuare bilem pallidam vtimur medicamento euacuante ipsam pituitam: satis enim nobis inseruit rhabarbarum, vel aliquod simile medicamentum purgans ipsam bilem. Quod verò singuli humores habeant proprium ichorem, sine quo humores non essent humores, Galenus testatur 2. in 6. epid. 37.

Auicennas potest defendi, dum dixit bilem flauam, & vitellinam esse mixtam ex bile, & pituita, quia ex ipso quoque Galeno 2. de facul. nat. cap. vlt. colligitur duplicem esse bilem flauam, aliam simplicem, & aliam mixtam ex bile, & pituita, & duplicem vitellinam, aliam simplicem, & aliam mixtam ex flaua & pituita crassa. Auicennas cap. de humoribus dixit dari duplicem vitellinā, vnam factam per alterationem sine alterius humoris mixtura, quę fit à calore absumente aliquam portionem serositatis flauę, aliam esse mixtam ex flaua, & pituita crassa. Sed de hac re fusè egimus quęst. 79. in commentarijs nostris supra Auicennam.

Quo ad bilem mixtam cum melancholia, hęc ex Auicenna cap. de humoribus duplex est: alia dicitur intus facta per alterationem, dum videlicet vna portio bilis in ipsamet bile aduritur, & fit melancholia: alia dicitur extra facta, id est ex bile, & melancholia aliunde venientibus, quę ex Auicenna loco citato est minus mala, quam sit mixtura ex bile & melancholia intus facta per alterationem in ipsa bile, quę fit, vt dictum est, dum vna bilis portio solum aduritur & conuertitur in cinerem, maior verò portio conseruetur illibata & intacta: hęc mixtura ex bile flaua & cinere dicitur mixtura intus facta. Hęc mixtura ex bile & melancholia intus facta in ipsa videlicet bile ex Galeno 14. meth. 17. est illa, quę efficit phagędenam: ibi enim dicit, hunc

humo-

humorem efficentem phagendenam esse medium inter humorem facientem herpetem, & canchrum: humor verò faciens herpetem est bilis sine ichore, humor verò faciens canchrum est quando tota bilis conuersa est in cinerem, id est quando tota bilis est adusta, nó illo modo, quo igne res aduruntur, quia in corporibus viuentibus non est calor qui adurat, vt ignis, sed vocantur adusti, dum calore resoluitur humiditas, & relinquitur veluti cinis siue humor proprio ichore destitutus.

Differt herpes à phagædena: quia herpes, vt docet Galenus 6. aphoris. 45. excedit solam cutim: phagædena verò & cutim & carnem, quod non animaduertit Fernelius, qui collocauit phagædenas inter morbos cutaneos.

Quo ad mixturam ex bile & melancholia aliunde venientibus, quæ est minus mala, hæc (vt dicit Auicennas) est rubri coloris turbulenti referentis adhuc aliquam sanguinis imaginem: quia hæc melancholia est fęx sanguinis aliquantulum excalefacti. Ex hac mixtura fieri solent quartanæ biliosæ. Cognoscimus in corpore hanc bilem mixtam cum melancholia fæcali per excũtia, quæ ad rubrum colorem accedunt. Multi decipiuntur, qui videntes fæces tendentes aliqua ex parte ad rubrum putant esse sanguinem fæcibus mixtum. Distinguitur hæc mixtura à sanguine, quia sanguis non est ita obscurus, sicuti est hæc rubedo huius mixturæ.

Quo ad bilem porraceam, & æruginosam, notandum quod alia fit in venis, vt docet Galenus 2. præsag. 9. & lib. de atra bile: alia fit ex olerum cruditate: De hac Galenus 3. de alimentis cap. de melle habet hæc verba ¶ Nobis sanis existentibus contingit porraceam gigni, quare nisi distinctè dignoscamus specificas bilium differentias, actum est de remedij inuentione.

Præterea alia porracea fit ex corruptela: sicuti lac, dum corrumpitur in ventriculo infantium, virescit: hæc porracea per corruptelam in omnibus corporis partibus fieri potest. Hinc gonorrhea interdum est viridis: quia illa materia corrumpitur: hinc sanguis è vena extractus sæpè viridis apparet: pari modo mucus, & fæces virides ob corruptelam fiunt.

Alia demum porracea, vel æruginosa fit per adustionem factam in venis: hæc est ita pernitiosa, sicuti est venenum. De hac loquens Galenus 5. aphoris. comm. 1. & 12. meth. vltimo refert, quemdam iuuenem hác per vomitum reiicientem illicò factum fuisse conuulsum: addit nisi totam reiecisset eadem die à viuis decessisset.

Conciliator loquens de hac venefica porracea seu æruginosa differentia 91. proponit opinionem cuiusdam Isach, qui putabat hanc æruginosam, & porraceam per adustionem factam esse adeo pernitiosam, vt neque excitet febrem: quia illicò, antequam febris excitetur, interrimat, nisi derepentè eadem hora euacuetur. Galenus 3. in 3. epid. loquens de phrenetico dicit, illum ab hoc virulento humore tertio die interemptum fuisse.

Sed de bile hæc sunt adhuc consideranda. Primò an bilis quæ facit febrem ardentem sit semper putrida. Secundò de omnibus bilium differentijs. Tertiò an color viridis porracæ, vel æruginosæ fiat, vt dicit Auicennas ex colore nigro, & citrino. Quartò à qua bile febres biliosæ continuæ, & intermitentes fiant. Quintò an sitis febris ardentis fiat à bile, vel à bilis ichore. Sextò an febris biliosa fiat à bile aucta, & non à putrida, vt tenet Paulus Ægineta.

Septimò an tertiana febris intermittens fiat à bile existente in venis, vel extra venas. Octauò an à bile adusta non putrida possit fieri febris periodica.

Quo ad primum: an bilis, quæ facit febrem ardentem, sit semper putrida. Auerroes 3. coll. cap. 4. reprehendit Galenum dicentem omnem calorem extraneum agentem in ipsos humores, illos efficere putridos : quia Aristoteles 4. meteororum, asserit à calore extraneo interdum fieri putredinem, interdum assationem: Infert Auerroes, ergo potest contingere quod calor extraneus efficiat assationem in ipsis humoribus, & non putredinem : ergo, infert Auerroes poterit fieri febris ardens à bile adusta & assata non putrida.

Hæc Auerrois opinio non potest defendi, quia hæc assatio in humoribus fluidis & liquidis dari non potest: vel dicimus quod semper ante liquidorum assationem præcedat ipsa putredo.

Quo ad differentias bilium, illas quoque proposuimus in commentarijs nostris supra Auicennam, quarum prima est bilis pallida, quæ vocatur bilis ochrea, quæ indicat naturã frigidiusculã: primus enim gradus coloris pallidi vocatur à Platone in Timæo ὠχρόν, de hac loquitur Galenus 2. prognost. 38.

Secunda species bilium est subrufa, hæc est intensioris coloris, quam pallida, & remessioris quam rufa id est ignea.

Tertia est rufa, cuius color ex Galeno 2. de crisibus 12. est remissior flauo. Inde errant plurimi qui putant, colorem rufum significare rubrum.

Quarta est subflaua, quæ assimilatur cortici citri.

Quinta est flaua, quæ vt docet Galenus 4. aphoris. 49. si in venis ebullit cum sanguine facit ardentem, eadem bilis, si in totum corpus mouetur, facit tertianam.

Sexta sunt tres vitellinæ biles, prima est mixta ex pituita & flaua. Secunda est vitellina simplex. Tertia est vitellina, quæ assimilatur vitello oui vetusti, quæ talis est per maiorem resolutionem ichoris.

Deinde sunt quinque biles rubrę: quarum prima est, quam Galenus 5. in sextum epidemior. 14. vocat serositatem sanguineam.

Secunda prouenit ab efferuescentia sanguinis tenuis, quæ concrescit ad differentiam serositatis sanguineæ : ex hac fiunt febres synochæ & erysipelata, de hac Gal. 1. de natura humana comm. 4. loquitur. Similiter de hoc erysipelate, quod fit ab hac bile 1. dę comp. med. per genera cap. 4. inquit, frigida actu, quæ applicantur erysipelati, sæpè esse immutanda; quia dum applicita incalescunt, nocent: subdit, dum ardor erysipelatis cessat, abstinendum esse à refrigerantibus actu, & potentia.

Tertia bilis rubra facta est ex bile & melencholia fæcali, quæ adhuc conseruat aliquem colorem sanguineum. De hac agit Auicennas doct. 4.

Quarta bilis rubra est illa quæ crocea dicitur: hæc facit morbos lethales, & sitim inexpugnabilem. De hac Rasis 2. continentis, & Actuarius lib. de iudicijs vrinarum mentionem faciunt.

Quinta est bilis alimentalis, quæ ex Auicenna est rubri coloris : nonnulli ponunt inter biles rubras etiam bilem rufam : sed reuera rufa inter pallidas collocatur.

Deinde sunt tres biles porraceæ & tres æruginosæ, de quibus superius egimus.

Tres

Tres quoque sunt isatodes biles, quæ sunt similes glasto, quarum prima fit ex adustione, sed adhuc non est conuersa in atram bilem: de hac Galenus lib. de atra bile. cap. 2. mentionem facit.

Secunda isatodes est, quæ generatur, ex olerum esu.

Tertia ex corruptella: de quibus Galenus agit lib. 10. de simp. medicina cap. de felle.

Præterea datur bilis cærulea, quæ est diuersa ab isatode, de qua Galenus 10. de simp. med. cap. de felle.

Insuper datur bilis rubiginosa, quæ fit ex bile naturali, & atra bile adusta: de hac Auicennas mentionem facit doct. 4.

Postremo datur bilis cærulea facta per congelationem, de qua Auicennas loco citato; sed fusius de bilium numero egimus nos quæst. 82. in comment. nostris in Auicennam. Ecce quod nisi omnes istæ specificæ bilium differentiæ dignoscantur, eorum quoque remedia specifica delitescunt, quia remediorum inuentio solum dependet à specificis affectuum differentijs, & non à genericis.

Quo ad tertium, quod considerandum proposuimus, an scilicet color viridis porraceæ & æruginosæ fiat ex colore nigro & cittrino, vt putat Auicenna, nos satis superque probauimus in comm. nostris in ipsum Auicennam, experimentis certissimis, quod color viridis fiat ex cæruleo & citrino contra ipsum Auicennam per ipsa vitra.

Stat enim hoc experimentum, quod si vitro cæruleo iungatur vitrum flauum statim oriatur color viridis pulcherrimus, si verò iungatur vitro cæruleo vitrum nigrum, color viridis non fit. Pari modo ostendimus colorem violaceum fieri ex cæruleo & rubro: sic ex terra cærulea, & citrina pictores componunt viridem colorem, ex cærulea & rubra violaceum.

Ex hac Theorica in praxi dignoscimus causam, cur peticulæ violaceæ minentur mortem, & cur ex bile cærulea & flaua fiat porracea, quæ à medico, vt est medicus non cognoscuntur, sed solum vt in optica versatus: peticulæ violaceæ prænunciant mortem: quia indicant sanguinis à veni egressi corruptelam: quia omnis color violaceus fit à rubro & cæruleo, & in corpore solus sanguis efficere potest colorem rubrum: sic partes extremæ liuidæ seu violacei coloris indicant iecoris apostema & mortem.

Hinc Hippocrates in adolenscente decumbente in foro mendacij videns in ipso liuida extrema, mortem prænunciauit.

Similiter color viridis à quibus principijs proueniat medicus vt medicus non intelligit, sed vt opticus, qui cognoscit viridem fieri à flauo & cæruleo: deinde intelliget remedia: quia si virides humores reiciuntur, medicamentum euacuans bilem iuuabit: si violacei: remedium euacuans sanguinem erit proportionatum: Ecce quod remedia non possunt inueniri, nisi ex differentijs affectuum specificis præcognitis.

Quo ad quartum, quod erat à qua bile tertianæ intermittentes, & continuæ ardentes fiant: Galenus 2. de crisib. 3. & aliis in locis vult, febrem tertianam, & ardentem fieri à bile flaua putrescente, de alijs bilium differentijs nihil dicit.

Auerroes 3. coll. inquit, febres biliosas non fieri à bile, sed à sanguine,

in quo dominatur bilis: quia si fieret à bile nunquam reciperet digestionem: hæc quæ dicuntur ab Auerroe sunt vera de bile in putrefacto esse, non de bile putrescente id est in fieri.

Saxonia & plurimi alij tenent omnes febres biliosas fieri à bile flaua, & nõ ab alijs bilibus. Mercatus tenet febrem tertianam & alias biliosas febres fieri posse ab omni bile. Nos tenemus febres istas biliosas fieri posse ab omni bile putrida præter quam ab æruginosa adusta, quæ ab Auicenna inter venena collocatur.

Excipimus quoque bilem existentem in vesica fellea, quæ cum ibi sit in proprio loco non tutrescit. Quod verò non putrescat probatur, quia dum est obstructa, vt in ictericis, tunc ob prohibitam perspirationem maximè putresceret, sed sic est quod vt plurimum ícterici sunt sine febre, quare fallitur Fernelius, qui putat febrem tertianam fieri quoque posse à bile putrescente in vesica fellea.

Quo ad quintum, an sitis in febre ardente fiat à bile, vel ab ichore bilis. Respondemus, si Hippocrati, & experientię est credendum, sitim & ardorem potius ab ichore, quam à bile proficisci: Hippocrates enim 4. de ratione vic. tex. 1. asserit sitim, & ardorem febris ardentis fieri ab ipso ichore. Prætereà patet experientia de ipsa siti: quia in siti intensa lingua non est flaui coloris: si ex humore bilioso immediatè fieret esset certè aliqua flauicie infecta.

Quo ad sextum an tertiana febris, quæ fit ex omnium consensu à bile: quæritur an in tertiana intermittente bilis sit in venis, vel extra venas: Galeno 2. de crisib. 6. & 4. aphoris. 63. dicit humorem peccantem in tertiana intermittente esse in ambitu corporis.

Fernelius putat, bilem peccantem esse circa viscera.

Iulius Alexandrinus & Caprilus dicunt, bilem in tertiana intermittente semper esse extra venas.

Saxonia modo in venis paruis, modo extra venas.

Nos verò dicimus semper in venis paruis reperiri, quod sic probatur: Galenus 5. de loc. aff. 7. loquens de quodam iuuene, qui febre ardente liberatur, dicit fuisse liberatum, quia transmissa fuit materia ad cutim: ergo per ambitum non intelligit extra venas, quia quando est extra venas cessat febris.

Quo ad septimum, an scilicet febris biliosa fiat à bile aucta, & commota per corpus, & non à putrida, vt tenet Paulus Æginetta lib. 2. cap. 19.

Certè hęc opinio reluctatur Galeno 2. de diff. 5. vbi vult febres biliosas fieri à bile putrida. Accedit quod in ictericis bilis est aucta & commota per corpus, tamen vt icterici non febricitant. Pręterea bilis putrida est illa quę maximè excitat expultricem ad expellenda excrementa: quia hęc non ita firmatur, vt non putrida: modò enim petit caput, modò cor, modò inuadit vnam partem, modò aliam, quod à bile non putrida non fit.

Hinc rectè Alexander aphorismo lib. 2. probl. 22. loquens de bile putrida dicit, hanc bilem efficere febrem, & tollere ipsam febrem: quia (ait) foras propellit se, & alia excrementa.

Quo ad octauum, an detur bilis aliqua adusta non putrida quę possit efficere febrem periodicam.

Nicolaus Florentinus, & Valesius 5. contro. 19. dicunt dari posse synochum

non putridam ex bile adusta, quæ efficiat periodum de tertio in tertium: colligunt hanc suam opinionem ex Galeno 10. meth. 6. vbi facit mentionem de Picrocholo, qui febricitabat ob bilem adustam non putridam: ibi enim clarissimè inquit illam tertianam picrocholi neque esse cum phlegmone, neque esse cum putredine.

Auerroes similiter in coll. vbi loquitur de synochis, asserit dari hanc periodum de tertio in tertium factam à bile non putrida, quare parum tuta est sententia communis medicorum, quod non possit fieri febris periodica sine putredine: nos in hac re sequimur Nicolaum Florentinum, Valesium, & ipsum Auerroem.

Caput XIII.

De remediorum inuentione desumpta à specificis melancholicorum succorum differentijs.

MElancholia naturalis, est fex sanguinis, quam Galenus 6. aphorismor. 53. vocat melancholicum succum, & non atram bilem, sed non video esse differentiam inter melancholicum succum, & atram bilem quia melancholia significat atram bilem, siquidem melam apud græcos significat nigrũ, & choli significat bilem: ergo melancholia est nigra, seu atra bilis. Laudo tamen quod fæx sanguinis sit humor niger (vt Galenus admonet loco citato) sed non atra bilis, vel melancholia, quæ duo verba in idem recidunt.

Quod fæx sanguinis naturalis non debeat vocari melancholia, vel atra bilis: patet: quia ex Galeno 2. de facul. nat. vlt. fæx sanguinis naturalis, quam vulgares vocant melancholiam, est (vt dicit Galenus) pars chyli crassa & terrea, quæ in hepate subterfugit coctionem, illamque attrahit lien in alium vsum. Ecce quod melancholia ex Galeno non fit ab hepate, (quod non omnes animaduertunt,) quia subterfugit hepatis coctionem, separatur tamen in hepate ab alijs humoribus.

Hæc melancholia naturalis, quæ est fæx sanguinis, dum aduritur valde differt à melancholia facta ex adustione crassi sanguinis, quod negabat Cardanus: sed facilè conuincitur: quia fæx omnium rerum differt ab ipsis rebus: sic amurcha, quæ est fæx olei differt à crassitie olei: tartarum quod est fæx vini differt à crassitie vini: fæx vrinæ siue sedimentum vrinæ differt à crassitie vrinę, ac meritò: quia crassities, & tenuitas pertinent ad substantiam, fæx verò ad contenta.

Hęc melancholia naturalis, quę est fęx probi sanguinis, vt docet Auicennas doct. 4. primę fen. si excurrat cum sanguine propter suam crassitiem, & vim adstrictoriam, quam possidet dat robur sanguini, & spiritibus animalibus, ne ita facile resoluantur: vnde phantasmata, quę recipiuntur in ipsis spiritibus animalibus redduntur minus fugacia, quo fit, vt melancholici sint prudentes, & sapientes: quia nihil aliud est prudentia & sapientia, nisi dum citò, & ictu oculi plura offeruntur intellectui, quod euenit quando phantasmata conseruantur stabilia, & non fugacia.

Praeterea Auicennas doct.4. primæ fen.docet,hanc melancholiam naturalem transire ad lienem duplici de causa:prima vt massa sanguinea expurgetur hac melancholica.Secunda vt ab ipso liene ad ventriculum demandetur,tum vt virtute huius fæcis cibus in ventriculo diu retineatur, & inde concoquatur,tum vt virtute sua adstringendi,& corrugandi os ventriculi excitet appetitum.Gal.5.de Vsu.P.4. tradit hunc vsum, vt virtute melancholiæ colligatur venter in seipsum gratia detinēdi ipsum cibum,&gratia excitandi appetitum: quia Galenus 4. aphorismorm 21. inquit, lienem eructare humorem melancholicum non longè ab ore ventriculi,gratia excitandi appetitum.

Hinc factum est, quod dum hæc melancholia naturalis ad ventriculum non transmittitur,inde facilè oriatur cæliacus, vel lienteria:quia isti duo affectus fiunt ob læsam retentricem,& non ob læsam concoctricem,vt multis in locis animaduertit Galenus.

Hæc melancholia naturalis distinguitur ab alijs succis melancholicis per quinque locos, nempè per substantialiter inhærentia, per necessariò consequentia,per motum,& operationes,& per iuuantia & lædentia.

Per substantialiter inhærentia melancholia naturalis differt à succis mecholicis præter naturam: quia ex Galeno 2. præsag. 47. & 2.de temp. vltimò, melancholia naturalis est frigida & sicca,aliæ omnes melancholiæ sunt calidæ. Cardanus tenet melancholiam naturalem esse calidæ temperaturæ, & non frigidæ contra ipsum Galenum,sed satis superque quæst.90.in comm.nostris primæ fen.Cardanum reiecimus.

Per necessario consequentia distinguitur melancholia naturalis ab alijs succis melancholicis:quia hęc fęx est crassa & turbida:habetque saporem medium inter dulcem & acerbum, vt animaduertit Auicennas:hic sapor medius est acidus,vt colligitur ex Galeno 5.de V.P.4.

Galenus 3.de loc.aff.7. dicit hanc melancholiam naturalem assimilari fæci vini:sed fex est acida,quamuis 4. aphor. 21. dicat Galenus : esse acidam quidem,sed non valde acidam.

Per motum distimguitur fæx melancholica naturalis ab alijs:quia hæc naturalis,dum in corpore prædominatur,mouetur vespertinis,& nocturnis horis,sed sine læsione: melancholiæ verò præter naturam iisdem horis cum læsione euidenti mouentur.

Per operationes distinguitur: quia Galenus lib. de plenitud. cap. 11. inquit hanc melancholiam naturalem efficere homines sine siti, saliua abundantes, & famelicos,aliæ verò melancholiæ non naturales efficiunt homines siticulos,& inappetentes.

Per iuuantia & lædentia distinguitur melancholia naturalis ab alijs: quia hæc iuuat ad sapientiam & prudentiam, redditque homines firmos in opinione: neque sunt ita facilè mutabiles: idem docet Galenus 2. de natura humana 39.& Aristoteles sec.30.probl.1. alię verò melancholię nonnaturales efficiunt homines insipientes,& imprudentes.

Quo ad melancholias nonnaturales, Auicennas proponit quatuor species, quarum prima est atra bilis facta ex adustione flauę, quę similiter per quinque locos ab alijs succis melancholicis nonnaturalibus distinguitur, videlicet per substantialiter inhęrentia, quia tactui nostro se ostendit calidissimam.

mam. Per necessario consequentia: quia ex Galeno 4. aphoris. 23. est splendida, & ita tenuis, vt nunquam concrescat, & est maximè aquosa. Galenus loquens de plendore huius atræ bilis lib. de atra bile cap. 3. & 3. de loc. aff. 7. dicit splendorem atræ bilis à tribus causis prodire posse, nempè vel à iecoris intemperie calidissima, vel à putredine, vel ab hepatis inflammatione.

Per motum distinguitur ab alijs quia hæc inordinatè mouetur, potiusque meridie furit, quam vesperi insequens adhuc naturam bilis.

Per operationes distinguitur: quia hæc atra bilis furiosa est, illaque reddit homines adeo mærentes, & audaces simul, vt ab audacia occultetur timor, immo adeo furiosi euadunt, vt ex Galeno 3. de loc. aff. 7. sibi mortem consciscant, vel se in puteum proiicientes, vel se strangulantes, vel aliquo alio modo se interficientes.

Per iuuantia & lædentia distinguitur atra bilis furiosa ab alijs succis melancholicis: quia in principio suæ generationis copiosſimo sero asinino frænari potest. Per lædentia verò distinguitur: quia ex Hippocrate 4. aphoris. 22. si per vomitum, vel per aluum moueatur facillimè interimit, quod ab alijs succis non fit. Sed fusius in commentariis nostris in Auicennā de ista egimus.

Secunda species atræ bilis est illa, quæ fit ex adustione pituitæ, quod vero persuadet dari hanc melancholiam, est non solum ratio, sed etiam experientia: ratio est quoque auctoritate suffulta: quia Galenus 7. aphorismorum com. 42. tenet pituitam putridam posse conuerti in bilem: addimus nos, sed sic est, quod bilis ex omnium consensu potest conuerti in melancholia ex adustione pituitæ: sicuti vult Auicennas. Præterea patet experientia: quia diuturnæ quotidiatæ interdum degenerant in quartanam: sed sic est quod non potest degenerare in quartanam, nisi prius pituita conuertatur in melancholiam.

Hæc melancholia ex pituita adusta distinguitur ab alijs differentijs melancholicorum succorum per tres locos, videlicet per necessariò antecedentia, per necessariò consequentia, & per iuuantia, & lædentia. Per necessariò antecedentia, id est per habitum pituitosum antecedentem & per diuturnam quotidianam. Per necessariò consequentia: quia in habitu pituitoso succedere solet affectus hypocōdriacus, vel quartana. Per iuuantia, veluti si in pituitoso melancholico iuuaret remedium euacuans ipsam melancholiam: sicuti sunt pillulę de hermodactilis, quæ simul tollunt pituitam, & melancholiam.

Tertia species melancholiæ nonnaturalis est facta ex adustione crassi sanguinis: de hac Galenus videtur aliquam mentionem facere 3. aphorismorum 22. & 2. de facul. nat. vlt.

Hæc melancholia ex adustione crassi sanguinis per tres locos distinguitur ab alijs quorum primus desumitur à proprijs accidentibus: duo enim obseruantur accidentia, alterum, si in melancholico affectu accidat risus: illa melancholia est ex adustione crassi sanguinis: Galenus enim 6. aphorismorum 53. dicit risum in desipientia indicare sanguinem. Alterum accidens, quod obseruatur in hac melancholia, est quod si sanguis euacuetur, cum sanguine ipso concrescat quoque hæc melancholia.

Secundus locus indicans melancholiam ex adustione crassi sanguinis col-

ligitur ex præcedenti aliqua euacuatione suppressa, veluti ex suppressis mensibus, vel hæmorroidibus, vel ex suppressa narium hæmorrhagia. De suppressis mensibus habemus duos casus in Hippocrate famosos, quorum primus est mulieris Cicici, quæ ob suppressos menses incidit in delirium melancholicum factum à crasso sanguine adusto supresso. Secundus est casus mulieris morantis apud frigidam aquam, quæ ob retenta puerperia post partum decessit è viuis. De suppressis hæmorrhoidibus est casus Lucij Marcij, de quo Galenus 3. de humoribus comm. 26. habet ¶ Lucium Martium melancholicum fuisse liberatum his tribus remedijs, videlicet apertione hæmorrhoidum, venæ sectione, & pharmaco melancholiam purgante.

Tertius locus indicans melancholiam ex adustione sanguinis desumitur à iuuantibus, & lædentibus, veluti si in melancholico maximè iuuaret euacuatio sanguinis antea suppressi.

Quarta species melancholiæ est fæx sanguinis adusta, distinguitur per tres locos: quorum primus desumitur à necessariò consequentibus, inter quæ crassities humoris, & acerbitas necessariò consequuntur hanc fæcem melancholicam adustam.

Secundus locus desumitur ab operationibus, quas proponit Galenus 3. de loc. aff. in persona cuiusdam, qui fæce melancholica adusta vexabatur: de hoc homine hæc verba habet ¶ Iste timebat ne Athlas, qui mundum sustinet põdere grauatus mundum à se excuteret, & ipse cum illo periret. Præterea hæc melancholia efficit homines adeo taciturnos, vt non loquantur: hanc melancholiam obseruauit Galenus in vxore Dealcis, quæ correpta delirio melancholico semper tacebat.

Tertius locus est à iuuantibus: remedia enim quæ auferunt hanc melancholiam sunt pillulæ de lapide lazuli, & decoctum Epitimi Mesues. Quæ verò sint illa, quæ nocent ichori seu parti subtili huius fæcalis melancholiæ est acetum, vt admonet Galenus 3. de ratione vic. in ac. comp. med. 5. locos cap. 2. dum in affectu hypocondriaco laudat acetum, quia tunc iuuat solum (vt ait Galenus) quatenus tollit obstructiones.

Auicennas doct. 4. diuidit fæcem melancholicam adustam in partem crassam, & subtilem: deinde ait, partem subtilem habere tres proprietates, & alias tres partem crassam. De subtili loquẽs dicit eius cinerem esse acrem, sicuti est acetum accerrimum. Secunda proprietas est quod ob maximam aciditatem hæc serositas in terram proiecta, illam radat, attollat, feruecat, & ampullas faciat. Tertia habet odorem ita acrem, vt ab ipso muscæ effugiant. Hanc doctrinam desumpsit Auicennas à Galeno 3. de loc.. aff. 7. 2. de facul. nat. vlt. & lib. de atra bile cap.

Deinde Auicennas loco citato proponit tres alias proprietates partis crassæ huius melancholiæ fæcalis adustæ: quarum prima est quod sit minus acris, quam eius serositas. Secunda quod sit amara: omne enim adustum est amarum.

Pars crassa melancholiæ fæcalis adustæ (vt docet Galenus 14. meth. cap. 9.) facit cancrum. Si verò cum parte crassa iuncta sit ichorosa facit cancrum vlceratum. Hinc Galenus de tumoribus pręter naturã cap. 7. dicit cancros sine

vlcere

vlcere fieri à melancholia sine feruore, feruorem verò ab ichore melancholiæ,& non à parte crassa.

Dum Galen.lid.de rumorib.præter naturam 7.& 2. de crisib. 12. dicit cancrum fieri à bile nigra. Tagaultius per bilem nigram intelligit melancholiam naturalem:sed errat,quia à melancholia naturali fiunt scyrrhi, & non cancri. Præterea ab illa melancholia fit cancer à qua fit elephantiasis, sed elephantiasis fit à melancholia adusta, & non à naturali. Galenus enim 3. de sym. causis 2. ait si melancholia peccat in toto facit elephantiasim: si à parte cancrum.

Sed de causis melancholiæ nonnaturalis hæc pauca subnectimus. Auicennas doc.4. dicit dari quinque causas, quæ efficiunt melancholias nonnaturales,quarum prima est calor immoderatus hepatis.

Secunda causa melancholiæ nonnaturalis est lienis imbecillitas:idem Galenus 6.de loc.aff.1.his verbis idem docet: si facultas splenis attrahendi ipsam melancholiam est imbecillis:sanguis statim incipit fieri impurus. Facultas attrahendi redditur imbecillis ob intemperiem frigidam: Galenus enim 2. aphoris. comm. 20. dicit hepar minus attrahere ob vsum frigidæ,vel aliorum frigidorum sanguis facilè redditur impurus: ratio est, quia splen refrigeratus non attrahit melancholiam, vt par est,vnde morbi melancholici sequuntur.

Sciendum igitur,quod splen non attrahit melancholiam ob quatuor morbos:primus est ob refrigerationem. Secundus ob obstructionem. Tertius quia splen sit nimis plenus. Quartus quia melancholiam attractam non possit expellere,quæ deinde retẽta per morã aduritur, & facit morbos melancholicos.

Simili modo Gal.de loc. aff.7. ait, ob quatuor morbos vesicæ felleæ oriri morbos biliosos. Primo quia vesicula non attrahat ob imbecillitatem,id est ob intemperiem frigidam. Secundus quia sit nimis plena. Tertius quia sit obstructa. Quartus quia non expellat:similiter ob intemperiem frigidam:lien enim & vesica fellea facta sunt gratia expurgandi sanguinem, lien attrahendo melancholiam naturalem,qua delectatur, & voluptuosè nutritur, qua saturatus illam melius præparatam transmittit ad ventriculum gratia retinendi cibum,vt dicit Galenus 5. de Vsu. P. 4. & excitandi appetitum, quare si lien in hoc obeundo munere deficiat, homines ex necessitate fiunt melancholici, quia relicta melancholia in sanguine,aduritur.

Pari modo cistis fellea à natura facta est,vt attrahat bilem gratia expurgandi sanguinem,atque vt illa bile voluptuosè nutriatur: mox illam transmittat per vasa cholidocha ad pyloron ad irritandas expultrices pro fæcum crassarum euacuatione.

Tertia causa cur fiant melancholiæ nonnaturales ex Auicenna est frigus congelans,quæ causa tunc habet locum, quando frigus externum maximè prohibet perspirationem, qua vetita calor præter naturam consurgit & per accidens ita calefacit,vt fiant melancholiæ præter naturam.

Quarta causa melancholiæ ex Auicenna loco citato est assidua mesenterij obstructio.

Quinta sunt morbi diuturni,ob quos aduruntur humores,& fiunt melancholiæ nonnaturales:istæ sunt quinque causę melancholiæ nõnaturalis pro-

5 sententie [?] obstructio morbi diuturni calor hepatis immoderatus lienis [illegible] -bilitas. 3 frigus congelans [illegible] calor praeter naturam aduro melancholiam vnde fit melancholia non naturalis.

positæ ab ipso Auicenna loco citato. Ecce quod nisi in melancholicis intelligamus, quæ nam fuerit causa ex istis quinque de remediorum inuentione iacta est alea: quia causæ diuersæ, vt plurimum indicant diuersa remedia.

Capvt XIV.

De remediorum inuentione desumpta ab humorum motu.

Evacuatio humorum peccãtium copia, qualitate, vel motu est adeo necessaria, vt Galenus in tractandis ægris illam præferat nutritioni. Secundo enim de ratione vic. in ac. comm. 40. reliquit hoc præceptum ¶ Minus malũ est euacuare illos, qui indigent repletione, quam replere illos, qui indigent euacuatione: itaut ex Galeni sententia, ipsa euacuatio videatur esse magis necessaria, quam ipsa nutritio.

Omnis euacuatio humoris peccantis iuuat, solum illa euacuatio, quæ est merè symptomatica non iuuat, sed nocet: quia non est humoris peccantis: ideo euacuatio symptomatica duplex est, vna est symptomatica ratione excrementis, quæ est dum in morbo bilioso euacuatur pituita, vel melancholia, hæc semper est mala: alia est euacuatio symptomatica ratione temporis, sicuti si in morbo bilioso euacuetur bilis in principio, quando bilis non est concocta hæc aliqua ex parte iuuat, & non nocet: sic in Metone Hippocrates lauit caput, vt sanguis egrederetur per nares, vrina existente cruda. Idem euenit Pericli, & mulieri trimestri fætu grauidæ, quippe morbo existente crudo per sudorem symptomaticum ratione temporis sanantur.

Hippocrates 4. aphoris. 62. de icteritia dicit: si ante septimum superueniat, malum, habet 4. de ratione vic. 81. in febre biliosa si ante septimum icteritia cum rigore superueniat morbum soluit, si sine rigore perniciem denunciat. Cur cum rigore est salutaris, & morbum soluit? quia rigor est quędam euacuatio bilis: omnis enim rigor à bile fit. Auerroes 4. coll. 43. iniustè quidem damnat Hippocratem dicentem icteritiam ante septimum, malum quia solum est malum, quando ante septimum sine rigore superuenit: omnis igitur euacuatio licet sit symptomatica solum ratione temporis nunquam nocet: quid multa? humore ipsi turgentes qui sunt valde crudi, si euacuentur, ægri sanantur.

Humores qui mouentur, vel sunt turgentes, vel non turgentes: turgentes habẽt duas conditiones, vna quod sint tenues valde calidi, & non crassi. Secũda quod à seipsis habeant principium motus, & non à natura, id nos probauimus in explicatione 22. aphorismi 1. sec.

De turgentibus loquens Galenus 4. de ratione vic. 63. ait ¶ modò efficiebant in ęgrotantibus tumores circa pedes, modò ascendebant, & strangulabant, aliaque symptomata varia efficiebant: quia de ratione turgentis humoris est habere impetum in varias corporis partes.

Si verò humores non sint turgentes ait Galenus 2. de diff. feb. vlt. & 3. de facul. nat. 13. istos non fluere à se, & proprio impetu, sed vel expelli, vel attrahi, secus omnis fluxio ad inferiora fieret, quod rarò, & ferè nunquam contingit,

git,quod massa sanguinea relinquat partes superiores,& inferiores repleat.

Quo pacto verò fluant humores per corpus mira breuitate docet Galenus 4. aphoris.2. vbi habet,quod euacuatio spontanea fiat,vel à natura,vel ab irritamento, vel quia vasa non possint continere, & hic est primus modus euacuationis. Hæc diuisio nunc proposita est communis euacuationibus naturalibus,& ijs quæ sunt præter naturam:quia euacuatio secundum leges naturæ non fit ab irritamento:sed fit quando natura saturata amplius illis humoribus non indigeant,vel quia vasa habeant læsam retentricem.

Euacuationem verò,quæ solum est præter naturam, tangit Galenus lib. de differentijs symp.cap.6. vbi loquens de vteri profluuio, dicit fieri vel ob diæresim,vel ob irritamentum,vel quia sanguis sit serosus: Ecce quod tangit solum duos modos præter naturam:quia diæresis reducitur ad irritamentum,& serosus ad vasa quæ non possunt continere.

Secundus modus euacuationis proponitur à Gal.13.meth.cap.3. vbi ait humorum fluxum fieri vel à parte mittente, vel à parte læsa trahente : pars trahens læsa attrahit tribus modis,nempe vel ratione doloris,caloris, vel imbecillitatis,vt infra.

Tertius modus euacuationis humorum traditur à Galeno 3. aphoris. cōm. 30.exemplo fluoris alui,quæ conuenit euacuationi morbosæ,dicens alui profluuium fieri vel coctione,vel distributione vitiatis,vel ob bilis acrimoniam. Medici igitur debent in tractandis ægris diuidere vsque ad specifica,quia solū à specificis colligi possunt remedia ex vsu: alio enim remedio tollimus euacuationem morbosam, si fiat à coctione vitiata, atque alio longè diuerso, si si fiat ab acrimonia,vel à distributione deprauata.

Quartus modus euacuationis colligi quoque potest ex Gal. 7. in 6. epid. comm. 1. dum considerat qua ratione trahantur excrementa modo in vnam, modo in aliam partem, dicens tractum humorum, seu excrementorum fieri tribus modis, nempè, vel dolore,vel calore, vel ob partium imbecillitatem: ob calorem & dolorem à causa frigida trahuntur excrementa ex accidenti, quatenus & calor, vel dolor rarefaciunt partem dolentem, vel calore affectam, mox in partem rarefactam expulluntur excrementa : quælibet enim pars expellit excrementa in partem vacuam, seu raram : deinde pars imbecillis recipit excrementa, quia non habet vim resistendi,seu expellendi in alias partes.

Neque statuendum est, vt nonnulli putant, fluxiones semper fieri à supernis ad infernas partes:quia experientia patet,sæpè ab infernis ad supernas cōfluere excrementa,si pars superna debilis sit. Hinc Galenus 1.epid.1.comm.17. loquens de phthisi ait, non solum à fluxione capitis, sed interdum ab alijs partibus inferioribus confluere excremēta in pulmonem,quare non est ferenda illorum inscitia,qui putant excrementa quæ sunt in pulmone à capite tantummodo prodire:potest enim contingere, quod fiat phthisis ab humore trāsmisso in pulmonem ab alijs corporis partibus,cerebro alioqui sano : quo casu,an conueniant stillicidia in commissura coronali, vel sinapismi,irrhina,& masticatoria,alij iudicent.

Nos omnes euacuationis modos reducimus ad sex, quorum primus est: quod euacuatio fiat à copia grauante ipsam expultricem.

Secundus è qualitate irritante: de his duobus modis mentionem facit Galenus 3. de symp. causis cap. 4.

Tertius modus est à frigido condensante: de quo Galenus 3. aphoris. com. 12. dicit ꝙ frigus externum condensando exprimere, & comprimere ipsum cerebrum, perinde ac manus externa comprimeret spongiam aqua imbutam. Neque in hoc loco omittendum est Langij erratum, dum irridet medicos nostri temporis, quod credant frigus externum posse cerebrum comprimere: neque animaduertit hoc esse Galeni præceptum colo citato.

Quartus modus euacuationis est à calido liquefaciente, qui obseruatur in causone, & in hecticis febribus dum liquescunt pinguedines, & dum per nares liquidus catarrhus stillat.

Quintus modus est ab imbecillitate retentricis partis mandantis, qui obseruatur in lienteria, in cæliaco, in catarrho lienterico, in fistulis, & alijs affectibus.

Sextus modus est ab imbecillitate expultricis partis recipientis: de quo modo mentionem facit Galenus 3. de facul. nat. 13. vbi dicit ꝙ quamlibet corporis partem transmittere excrementa in partem imbecilliorem, & illam in aliam imbecilliorem, donec omnium imbecillimam inueniat, imbecillima esse veluti cloaca, si expultrix in suo obeundo munere deficiat.

Quæ autem humorum peccantium euacuatio nos iuuet, & quæ non: Galenus plurima præcepta nobis reliquit: sed præcipuum est, quod illa euacuatio iuuet, & sanitatem restituat, quæ est totius & solius humoris peccantis, sit facta à natura, vel à medico.

Præceptum traditur 2. aphoris. comm. 15. vbi anginæ exemplo docet, quod quando expellitur tota materia peccans in fauces, non solum sanetur anginosus, sed præcipit, quod tunc nec venæ sectio, nec purgatio conueniant: subdit, signum, quod tota materia peccans sit in fauces expulsa, est, si patiens sit sine febre & vrinam bonam habeat.

Idem potest dici de quacumque alia totali transmissione humoris peccantis in alias corporis partes, quod tunc nec purgatio, nec venæ sectio conueniant, si febris deficiat, & vrinæ bonæ sint. An verò nostrates obseruent dictum præceptum, alij iudicent. Ego certè video non obseruari: quia in anginoso sine febre cum bona vrina vt plurimum sanguinem mittunt, purgant, & alijs remedijs superfluis illum lacerant.

Quod verò de ratione salubris euacuationis requirantur duæ conditiones: vna quod euacuatio sit solius humoris peccantis. Secunda quod non sit alterius non peccantis sine alia probatione, quisque attestabitur. Galenus lib. de purgantium med. facul. loquens de euacuatione humoris non peccantis habet hanc sententiam ꝙ medicamenta, quæ bilem euacuant in hydropicis, sunt importuna: quia bilis in hydropico desideratur. Auicennas similiter vbi agit de hydrope vult, quod medicamenta euacuantia bilem in hydropico sint venenosa, valeant medici qui rhabarbarum præbent hydropicis gratia euacuandi ipsam aquam.

Antequam fiat euacuatio seruandæ sunt tres conditiones Galeno propositæ 4. aphoris. 22. ibi loquitur de optima crisi.

Prima condicio est quod præcedat concoctio humoris peccantis.

Secun-

Secunda quod facta sit separatio humorum peccantium à non peccantib'.

Tertia quod solum fiat euacuatio humorum peccantium.

Quod verò euacuatio debeat esse solius & totius humoris peccantis patet ex Hippocratis aphoris. 12. secundæ sectionis, qui est ¶ quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere consueuerunt.

Si verò cum humoribus malis euacuentur spiritus, vel euacuentur boni & saluberrimi humores, euacuatio redditur perniciosa: sicuti dum in hydropico euacuamus totam aquam: vel in magno abscessu totum pus, quod animaduertit Hippocrates 6. aphoris. 27. his verbis ¶ quicũq; suppurati, aut hydropici vruntur, aut secantur, si pus, aut aqua tota euacuetur, moriuntur. Plurimi non intelligunt qua de causa ob euacuationem puris, & aquæ, quæ sunt toto genere præter naturam, succumbant ægri, & moriantur. Galenus tamen qui omnia docet in comm. reddit hanc rationem: quia in euacuatione puris, vel aquæ ora arteriarum aperiuntur, per quæ virtus vitalis exhalat, qua abeunte moriuntur.

Tradit etiam aliam mortis hydropicorum causam, quæ est quod depleto ventre cadat iecur, quod sustentabatur à tumido ventre, & ob casum septum quoque iecori alligatum deorsum cadat, vnde suffocentur, & moriantur.

Similiter Galenus considerans quam periculosa sit euacuatio, si cum prauis misceantur optimi, & saluberrimi humores, loquens de hæmorrhoidibus 2. aphorismorum 25. habet hanc sententiam ¶ Formidat vtramque immoderationem, siue ex toto supprimantur euacuationes, siue multum euacuentur, cur formidat? quia cum malis humoribus boni & salubres euacuantur.

Euacuatio humorum minimè peccantium, & euacuatio spirituum solent parere hydropem, apoplexiam, & innumeros alios affectus præter naturam. De hydrope habemus in Galeno 2. de facul. nat. vltimo, & in Hippocrate 4. in 6. epid. 11. vbi dicunt post fluxum diuturnum sequi hydropem: cur? quia cum malis humoribus euacuantur boni. De apoplexia habemus Galenum 9. meth. 10. vbi habet ¶ Ex nimia euacuatione interdum oriri apoplexiam, eo modo quo erit aqua inter cutem: cur? quia euacuantur cum malis humoribus boni, & saluberrimi, qui debent conuerti in bonos spiritus, quibus deficientibus sequi potest apoplexia, vel epilepsia.

Extat illud pulcherrimum Galeni dictum 6. aphorismorum 28. de epilepsia ¶ in articulorum affectu requiritur debilitas articulorum, sicuti in comitiali debilitas cerebri: quare cum euacuatio bonorum humorum reddere possit caput debile, inde fit quod transitus in epilepsiam vel apoplexiam reddatur facilis.

Diximus euacuationem debere esse solius, & totius humoris peccantis: quia interdum, si à morbo aliqua pars mali, seu praui humoris relinquatur, id quod relinquitur potest quoque interimere: sicuti obseruauit Galenus in casu vxoris Philini, quæ pepererat: fluxeruntque puerperia solum quatuordecim diebus, & non vltra, nihilominus ex sententia Hippocratis & Galeni mortua est ab puerperiorum suppressionem. Ecce quam necessaria sit euacuatio continua puerperiorum, non solum per quatuordecim dies, sed per alios plures: Ecce quod relictis humoribus malis, secundum aliquam partem, illi mali, & praui humores interimere possunt.

Galenus conſiderans cauſam cur excrementa non poſſint expurgari lib. 2. de humoribus comm. 27. illas refert ad tria capita, dicens, non expurgari poſſe, vel ob imbecillitatem partium expurgantium, vel ob viarum anguſtiam, vel ob vitium excrementi. Idem docet 2. præſag. comm. 60. vbi loquitur de purulentis.

Præterea loquens Galenus 2. de humoribus 15. de vitio excrementi, ob quod non ſequitur purgatio, habet hæc verba ¶ Incocti humores ſunt infixi, & admodum ſtabiles in corpore, vt à medicamento dimoueri non poſſint, niſi coquantur: quare licet natura eſſet robuſtiſſima, medicamentis efficaciſſimis non eſt fidendum: quia dum humores ſunt crudi, & omninò incocti per medicamenta euacuantur humores ſalubres: deinde inſalubres in corpore ſtabulantur. Sed quod peius eſt, dum crudá euacuantur, in euacuatione fiunt tormina, & obſtruuntur meatus per quos euacuantur cruda. Audite Galen. 4. de tuenda ſanitate 5. vbi habet hanc ſententiam ¶ deiectio crudorum facit tormina, & obſtruunt anguſtas vias, quod in medendi officio nullum malum ſimile eſſe poteſt.

Si vero propoſitos modos euacuationis in ſtilum practicum contulerimus, illos inueniemus mirificè à Galeno explicatos. Loquens enim de vteri profluuio lib. de diff. ſympt. cap. 6. ait, vteri profluuium fieri vel ob diæreſim, vel ab irritamento, vel quia ſanguis ſit ſeroſus.

Addit, ob tres cauſas ſanguinem fieri ſeroſum. Prima cauſa eſt, quia renes illud non attrahant, quod retentum in venis vteri, vel narium, vel hæmorrhoidum profluuium, vel vt ipſe dicit 3. de ſymp. cauſis 2. ſubitaneam hydropem facit.

Secunda cauſa, cur fiat ſanguis ſeroſus eſt diminuta ſanguificatio.

Tertia, quia vaſa ſint denſa, & ob denſitatem non exudet: ſed in ſanguine relinquatur ſerum: Ecce quod iſti modi fluxionis reſpondent ſuperioribus, nempè ijſdem quibus dixit 4. aph. 2. quod ſcilicet euacuatio ſpontanea fiat vel ab irritamento, vel quia vaſa non poſſint continere.

Præterea Galenus fuſius agit de vteri profluuio 3. de ſymp. cauſis 4. dicẽs, menſes nimium fluere aut propter nimiam deſidiam, aut propter victum liberaliorem, aut propter vteri rheumata, dum ſcilicet totum corpus per vterum expurgatur, & dicitur fluxus muliebris, aut propter morbos vteri.

Hanc doctrinam poſſumus applicare hæmorrhoidibus, vel patientibus gonorrheam; & demum omnibus locis, per quæ expurgantur excrementa: ſic dicimus hæmorrhoides nimium fluere, aut propter nimiam deſidiam, aut propter victum liberaliorem, aut propter hæmorrhoidum rheumata, dum per ipſas totum corpus expurgatur: aut propter morbos hæmorrhoidum. Idem dicimus de alijs: profluuium verò ſanguinis per hæmorrhoidas, vt dicit Hipp. & Gal. 4. aphoriſmorum 25. eſt remedium curatorium, & præſeruatorium melancholiæ, ſi nigra deijciantur, aliter non eſt aſſuefacienda natura huic euacuationi. Ecce quod profluuium ſanguinis floridi coloris in melancholia, nec curatorium, nec præſeruatorium remedium eſſe poteſt: quia illa euacuatio ſola eſt ſalutaris, quæ eſt ſolius humoris peccantis.

O quoties parum verſati in medicina euacuant ſanguinem per hæmorrhoidas verè floridum in ijs, qui ſucco melancholico vexantur: quæ euacuatio

tio quam sit perniciosa, quisque ex proposita Hippocratis & Galeni doctrina colligere potest.

Per hanc doctrinam propositam nos adinuenimus differentias specificas affectuum, quæ differentiæ solum indicant remedium ex vsu artis: secus remedia insalubria, & symptomatica vocari possunt.

Si verò de menstruis suppressis loquamur: si oppositorum eadem est doctrina, à causis oppositis supprimentur. Dictum est ex Galeno ob nimiam desidiam, ob victum liberaliorem, ob vteri rheumata, & ob morbos vteri, fieri vteri profluuium, ergo ex oppositis causis supprimentur menses. Hinc Gal. eodem cap. 4. 3. lib. de symp. causis, dicit menstrua occultari, vel ob nimium exercitium, quod absumat superfluum: vel ob victum tenuem, vel vt dicit Galenus 5. aph. 57. ob robur vteri, quod robur nō admittat illud quod influit: quippe opponitur vtero rheumatico: quia vterus rheumaticus est debilis, & excrementorum cloaca.

Demum dantur morbi vteri, qui reddunt venas illas apertas, quę omnia excrementa admittunt, qui deinde lunares purgationes impediant.

Hinc Galenus 5. aphoris. 57. ait, menstrua fieri pauciora, aut quia venæ obstruantur, aut quia comprimantur: dum enim comprimuntur ab aliquo tumore, medici tunc menstrua nullomodo debent promouere, sicuti Galenus 5. aphoris. 46. affirmat: his ferè verbis ¶ si os vteri comprimatur à tumore non sunt mouendi menses: ratio est, quia tumores increscerent, & affectus fierent sæuiores: ideo tunc neque sanguis per venas inferiores est euacuandus, neque per os illa, quæ mouent menses sunt sumenda. Diximus non esse mouendum sanguinem per venas inferiores, quia dum Hippocrates 4. aphoris. 25. ait, si sanguis per superiores partes exeat, malum; Galenus in comm. excipit sanguinem è naribus, & meritò, quia Hippocrates 5. aphoris. 33. habent hunc aphorismum ¶ menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens, bonum. Proposuimus hos aphorismos propter illos qui, dum, vel à tumore, vel à nimia pinguedine comprimuntur, vteri vasa, secant saphenam: nec vident tumores increscere: basilica igitur est secanda: vel si natura per nares sanguinem sufficienter moueret, relinquenda esset phlebotomia.

Similiter si loquamur de alui profluuio, variæ differentiæ ante oculos obiiciendæ sunt, videlicet diarrhea dysenteria, & lienteria: istę sunt tres differentiæ genericæ: ideo debent diuidi in affectus magis specificos, si velimus remedium inuenire. Valeant igitur, qui in supremo genere profluuij persistentes adstringentibus procedunt.

Quo ad diarrheam: hæc fit à qualitate mordaci irritante expultricem Galenus 3. de symp. causis cap. 2. tradit quatuor differentias mordacis qualitatis, his ferè verbis ¶ Quæ mordent intestina quatuor sunt, scilicet medicamentum, ciborum corruptella, excrementa mordacia, & humores geniti in vlcere cacoethe. Ecce quod præsidium, quod inseruit fluxui facto per corruptelam, valde differt ab illo, quod auferre potest excrementa mordacia à iecore genita, & ab illo quod auferre potest humores mordaces in vlcere genitos. Ecce quam vana sit illorum medicina, quæ potius damnum infert, quam aliquod beneficium.

Quo ad dysenteriam ab vlcere intestinorum factam: hæc sub se habet suas

differentias: quia alia est dysenteria, cuius protopathia, est in iecore, alia, quæ non amplius à iecore fouetur: sine hac distinctione in auferenda dysenteria, medici cæco, & inconsiderato impetu incedunt: hac distinctione Galenus loquens de dysenteria 4. de articulis comm. 40. dysenteriam proponit, quæ ab intemperie iecoris fouetur: habetque hæc verba ¶ Plerique medici neglecto iecore solum medentur vlceri intestinorum, & ægrum tandem præcipitant. O quam inconsideratè nostratum plurimi procedunt, dum in omni dysenteria impetu communis opinionis abrepti eligunt clysteres loricantes, qui vix ad principium colli intestini ascendunt, vlcus tamen, vel in tenuibus, vel in medio colli, vel in confinio cum cœco erit. Similiter spreto iecore vtuntur per superiora loricantibus, quæ efficiunt obstructiones: vnde iecur magis incenditur.

Si de Lienteria loquamur Galenus 4. aphoris. 12. & alibi ait, lienteriam fieri vel ob debilitatem retentricis ventriculi, vel intestinorum, vel ab vlcere occupante summas intestinorum partes, sicuti sunt aphtæ: quare non concoctrix in lienteria est læsa, sed retentrix: excernitur enim per aluum cibus non mutatus: quia non retinetur in ipso ventriculo, vt par est: de ratione bonæ retentricis ex Galeno lib. de symp. diff. 4. est vt exæquet concoctrici: in lienteria non exæquat. Quare quot sunt affectus, qui efficiunt lienteriam, tot sunt remedia: neque vnum pro omnibus sufficit: remedium enim retentricem ventriculi firmans, vel auferens causam læsionis retentricis, differt à remedio auferente intestinorum imbecillitatem, vel intestinorum aphtas.

humores ad articulos fluentes comprimunt, extendunt vel replent.

Amplius obseruandi sunt humores confluentes ad articulos, qui constituunt varios affectus specificos, quod medici plebei non distinguunt. Humores igitur confluxi tres affectus specie differentes efficere possunt; quorum primus est extendere ligamenta. Secundus est comprimere, vt fit in nodosa podagra. Tertius est replere. Galenus loquens de hac distinctione 6. aphorismorum 49. ait: ¶ Podagrici non laborant conuulsione: quia materia confluxa non replet tendines, vel ligamenta, sed illa extendit vel comprimit: sed sic est quod remedia, quæ auferunt humores comprimentes, diuersa sunt ab illis quæ tollunt humorem replentem, vel extendentem, seu laxantem: oportet igitur firmiter tenere in arte medica, quod medici non sint medici, sed circulatores, ne dicam carnifices, nisi à præcognito specifico affectu colligant remedia specifica, quæ solum sunt vtilia, ac sola sunt ex vsu artis.

Caput XV.

De Remediorum Inuentione desumpta à conditionibus indicationis.

Conditiones, quæ reddunt indicationem specificam, quæ est ex vsu artis, sunt tres: quarum prima est, vt remedium desumatur à præsentia indicantis: secunda vt in remediorũ administratione indicantium ordo obseruetur: tertia vt in quolibet affectu perpendatur an magis possit indicans, vel prohibens:

prohibens: ſemper enim potentiori eſt attendendum.

Quo ad præſentiam indicantis, certum eſt, quod niſi ſit præſens, nullum remedium inueniri poſſit: eatenus præcauemus futuros morbos, quatenus auferimus ſemina præſentia, quæ temporis curſu pariunt futura mala. Neq; ab affectibus pręteritis vlla prorſus indicatio, vel remedium deſumitur.

Medici igitur, qui in lithiaſi vtuntur refrigerantibus, quia lapillus non eſt conglobatus in renibus, ſine præcedenti calore, ferunt argumentum deſumptum ab Ariſtotele, quod nõ facit ad propoſitum, dum dicunt. Ariſtoteles 4. meteororum inquit ¶ quæ indurantur à calido, reſoluuntur à frigido: ſed calculus induratus eſt à calido, ergo refrigerandi ſunt renes: non ſequitur: quia ille calor, qui exſiccauit, & conglobauit calculum, non eſt amplius præſens: neq; licet colligere concluſionem rei præſentis ex medio pręterito, Ariſtoteles enim 2. Poſt. vult quod tres termini in bona ratiocinatione ſint congeniti, ipſe enim proponit exemplum tale, eſt eclypſis, ergo fuit interpoſitio terræ, non valet, quia præſens non colligitur ex præterito.

Præterea ſæpè à rebus frigidis læduntur renes: deinde in valde ſenibus, qui patiuntur lithiaſim renes ſunt frigidi.

Demum obſeruandum eſt pręceptum Galeni 9. meth. 5. vbi inquit renes facilè lędi ex frigidæ potione: temperatura enim illorũ ad frigidum vergit.

Quo ad ordinem indicantium: in omnibus ægrotantibus prius incipiendum eſt ab indicante vrgente. Secundo loco à cauſis. Tertiò à morbo, & inter morbos à potentiori: hæc in quintodecimo lib. meth. noſtræ, vbi de indicantium æquilibrio egimus, ſatis ſuperque declarauimus.

Hinc dum vires labuntur, vel propter nimias euacuationes, vel propter ſæuos dolores, vel propter alia ſymptomata, tunc ſpernimus non ſolum morbum, & cauſam morbi: ſed etiam partem aliquam viuentem, quæ ad vitam non ſit ſimpliciter neceſſaria. Spernimus morbum, & cauſam morbi, ſicuti in cardialgia, de qua Gal. 9. meth. 5. ait ¶ Aquam frigidam cardialgiam momẽto temporis ſanare intus, vel extra applicatam: certè, aqua frigida auget, & cardialgiam, & eius cauſam; ſed quia vt frigida vnit calorem naturalem, & vnitus alacrius cardialgiæ, ac mordacibus humoribus aduerſatur, meritò ſpernitur morbus, & eius cauſa, vt affectus vires auferens ſuperetur.

Pari modo Hippocrates & Galen. 5. aphoriſ. 25. volunt, quod in ſęuiſſimis doloribus articulorum aqua largè effuſa ſoluat dolorem: cui dubium, quod aqua lædit articulos, & impedit inſenſibilem reſolutionem humorum confluxorum in iuncturas? alio enim modo non tollitur podagra, quam per reſolutionem inſenſibilem: attamen magis iuuat aqua frigida tollendo dolorem, quam nocendo articulis, & humoribus confluxis: quia ablato dolorę ſtatim ceſſat fluxio, & ſequitur ſomnus, & ex ſomno concoctio.

Demum ſpernimus propter vrgens partem aliquam viuentem; ſicuti in morſu viperæ, refert Galenus de ruſtico, qui falce, vt à vitæ periculo ſe liberaret, digitũ amputaret. Sic in parte affecta gangræna, ipſa pars confoditur, vel tota comburitur. In aneuriſmate abſcindimus arteriam, vt mortis periculum effugiamus. Litothomi, vt extrahant veſicę calculum, vulnus in perineo magnum faciunt non ſine vitæ periculo dilatando veſicæ orificium

forcipe: vna ratio est, quia potentiori, & vrgentiori indicanti, prius est attendendum.

Præterea, vbi quoque nullum est vrgens, seruatur ordo, sicuti inter impedimenta, causas, & morbos, prius amouebimus impedimenta, secundo loco causas: tertio ipsos morbos. Sic Hipp. & Galenus 1. in sextum epid. comm. 5. loquentes de calculo renum iubent, hunc ordinem esse seruandum nempè, vt prius corpus moueatur: deinde quod cibis non repleatur: mox vt veratro purgetur facta prius humorum præparatione: deinde vt vena poplitis secetur, & demum, vt vasa vrinaria mundentur. Ecce quod prius est euacuandum, & purgandum corpus, deinde renes mundandi. Qui enim renes vellet ante sanguinis euacuationem, & veratri exhibitionem mundare, is pelleret excrementa ad renes, & nephriticam passionem sæuiorem efficeret.

Similiter ordo obseruatur in vsu sex rerum non naturalium, de quo ordine Hipp. in epid. loquens tradit hoc ordine hanc sententiam ¶ exercitium, cibus & potus, somnus, & venus, id est corpus prius exercitandum: deinde sedato calore, ab exercitio acquisito, cibandum: post somnum, venus. Prius est exercitium: quia facta concoctione cibi præcedentis, fit per exercitium bona alimenti attractio, & prompta excrementorum expulsio: Gal. 2. de tuen. sanit. cap. 2. proponit tria munia exercitij: quorum primum est quod ex musculorum attritu, musculi per motum fiant duriores, & aptiores ad mouendum. Secundum per motum augetur calor genuinus. Tertium quod spiritus fiant velociores. Qui igitur præposterè vterentur sex rebus nonnaturalibus, maximè læderentur: veluti si post exercitium exercerent venerem, vel post cibum exercitium, non leuem noxam sibi ipsis inferrent.

Cæterum præcipua condicio indicationis est, quod potentiori indicanti semper sit attendendum: & si magis posset prohibens, quam indicans, vel è contra: spernendum aliqua ex parte quod minus potest. Possumus exemplis desumptis à sex rebus nonnaturalibus id ostendere.

Quare si de aëre frigido loquamur, licet in putridis febribus fugiendus sit, ne aëris frigiditate fiat cutis constipatio, quia ex prohibita perspiratione augetur putredo: tamen Galenus 10. meth. 8. videns maius colligi beneficium ex aere frigido, quam maleficium, erupit in hanc sententiam ¶ In febribus putridis eligendus est aer frigidus: quia ex frigida inspiratione maius oritur cōmodum, quam ex cute densanda incommodum: sententia est pulcherrima, dummodo totum corpus sit bene coopertum. Valeant igitur illi medici, qui febricitantes in cubiculis calidis tempore æstiuo claudunt: quod certè non sine magna ægrotantium pernicie fit.

De aere quoque calido Gal. loquens 3. de humoribus comm. 33. ait non esse secādam venam in tempore valde calido, licet indicans venæ sectionis sit præsens, cui certè non est attendendum, si prohibens magis possit.

Loco enim hoc citato Gal. proponit tres casus in quibus non est secanda vena.

Primus est in tempore valde calido.

Secundus non est secanda vena in pluritide; dum sanguis expuitur: quia per venæ sectionem impeditur euacuatio per tussim. Hic casus ab imperitis medicis non animaduertitur.

Ter-

Tertius casus quod in homine biliosо,seu picrocholo non conueniat sanguinis missio. Præterea lib.10.meth.cap.14.prohibet quoque in æstate, & regione æstuosa sanguinem mittendum,ratio est, quia vires languidæ ita prohibent,vt magis possint ad prohibendum,quam febres ad illum indicandum.

Si de cibo & potu loquamur, inedia in febricitantibus solet maius afferre commodum,quam incommodum. Id ex Gal.1.aphor.comm.4.colligitur,vbi hæc verba habentur ❡ In morbis satis est, vt æger seruetur debilis vsque ad finem vigoris,quo tempore potest cibis refocillari,& æger amplius non potest periclitari. Galen. ibidem addit, si vellemus vires conseruare,quales accepimus in principio,fieret additio ad morbum. Ecce quod abstinentia à cibo,licet æger sit debilis,magis affert commodum, quam incommodum, quæ doctrina à medicis plebeis non obseruatur & à mulieribus percipi non potest.

Si de pane loquamur,qui adeo est in vsu in acutis febribus,à Gal.1. de ratione victus 25.ponitur inter cibos perniciosos: inquit enim Galenus ❡ in acutis ex sententia Hippocratis panis non datur,nisi facto iudicio,sed vsque ad iudicium vult solam ptissanam conuenire: panis enim est cibus plenus,& vt talis diuertit naturam à certamine cum morbo, & inde maius sequitur incómodum,quam commodum.

Præterea nulla qualitas est in pane, quæ febricitantibus conferre possit: Galen. enim 1.de ratione victus in acutis comm. 27. de pane habet, quod neque humectet,neque secet: in acutis febribus verò cibus debet esse humidus, & habens vim detergendi,cuiusmodi est ptissana.

Insuper 8.meth.2.loquens de pane inquit, ❡ neque pars vtilis, neque pars excrementosa panis,oui, carnis, & alicæ febricitantes iuuat: non pars vtilis, quia hæc valde nutrit, & naturam diuertit: non pars inutilis excrementosa, quia est fumosa,& calida: quare nescio, quomodo nostrates possint defendi, dum in acutis oua,& carnes præbent,cum ab Hippocrate & Galeno ita damnentur.

Nec valet dum dicunt, quod vitium debilitas magis possit ad indicandum cibum plenum, quam possit febris ad prohibendum, quia obseruanda est Hipp.& Galeni sententia 1.de ratione victus 48.de distinctione debilium,his verbis prolata. ❡ Qui sunt debiles ob inanitionẽ vasorũ egent alimento. Qui verò sunt debiles ob dolores prægressos & morbi vehementiam non egent alimento: sed potius euacuatione: quare in omni debili non conuenit cibus: quia debiles ob morbi vehementiam cibus interimit.

Eandem doctrinam proponit Galen.1.aphorismorum comm.17. his verbis ❡ si vires sint debiles ob morbum,non ob cibi defectum, parum, & rarò cibandum: si ob alimenti defectum,parum,& sæpè. Ecce quod in debilibus ob morbum,cibus non conuenit. Ecce quod in debilibus ob cibi defectum,inedia similiter non conuenit.

Non minus nocet inedia, quando non oportet, quam cibus vbi non conuenit: quia virtus neque permittit cibum plenum,neque intempestiuam inediam. Ideo Galenus 2. de ratione victus 44. erupit in hanc sententiam, diuinam quidem ❡ morbus manet crudus, non solum ob intempestiuam cibi oblationem,sed etiam ob intempestiuam inediam: quare nisi omnes distinctiones perfectè proponamus, & vsque ad specificas differentias diuidamus,

actum est de inuentione remediorum pertinentium tam ad modum diætandi, quam medendi.

Si vero comparetur inedia cum exercitio, licet inedia sanis, & ægris conferat, tamen exercitium magis potest in prohibendo inediam, quam corporis dispositio in indicando: hæc doctrina est Galeni 2. aphorismorum 16. vbi inquit ❡ sanis non est præcipienda inedia cum exercitio, neque ægris sanguinis missio, purgatio, vomitus, frictio, nec vlla corporis motio cum cibi abstinentia bona est, intelligendo de omnimoda abstinentia: immo dum multa remedia administrantur, non inconuenit eodem die paulò pleniori cibo vtendum esse.

Si de cibo cum exercitio fiat comparatio, dum post motum incalescit corpus, cibus affert maius damnum, quam iuuamentum: Gal. enim lib. de salubri diæta 14. loquens de anhelitu difficili dicit ❡ anhelantes cibum non sumant, inde enim maius damnum ex cibo, quam vtilitatem colligunt: addimus; nisi valde paucum sit alimentum, Galenus 3. in sextum epid. 2. reddit rationem his verbis ❡ post exercitium non statim edendum, quia corpus per exercitium incalescit; ideo prius expectare oportet, vt corpus refrigeretur.

Si de cibo, & potu dulci in biliosis loquamur, modò maius commodum, modò maius incommodum ipsi recipiunt: maius incommodum, quia, vt docet Galenus 3. de ratione victus 9. loquens de mulsa, vbi est bilis abundantia, dicit illam verti in bilem, & inde maius incommodum ex dulcibus, quam commodum. Si vero dulcia transeant per aluum, vel vrinam (ait) maximè iuuare, quia vnà excrementa biliosa secum ferunt: Si vero adsint obstructiones, vel tumores, dulcia non pertranseunt, sed vertuntur in bilem maximo cum maleficio. ex hac Galeni doctrina debent colligere medici, quando syrupi seu conseruæ dulces non pertranseunt, & quando vertuntur in bilem.

Si de somno loquamur, videndum est, an magis noceat, vel iuuet: *Galenus* in omni re sapientissimus 4. aphorismorum comm. 67. habet hanc sententiam ❡ somnus semper nocet, quia per somnum ad profundum, seu ad ipsa viscera confluunt humores & boni, & mali: addit: sed ratione concoctionis, quæ fit per somnum, maius resultat beneficium, quam maleficium.

Addimus tamen nos, quod si tempore somni humores excrementosi sint agitati, sicuti in principio, & augmento paroxysmi: dicimus tunc maius resultare maleficium, quam beneficium, & præcipuè in ipso cerebro, ad quod vapores tendunt.

Vt igitur res distinctius intelligatur, sciendum est, vapores esse duum generum: quidam eleuantur ex materia cocta, & isti semper sunt pauci, & vtiles: quidam eleuantur ex materia cruda, qui semper sunt multi, & perniciosi: quod confirmatur à Gal. in eod. comm. vbi dicit ❡ in somno magis euaporare humores crudos, quam coctos.

Addimus tamen, quod si æger multas noctes insomnes duxisset, somnus superueniens quoque in augmento accessionis esset admittendus: quia maius afferret beneficium, quam maleficium.

Ecce quod in facienda medicina, nisi medici quotidiè perpẽdant commodum, & incommodum, tutò non possunt mederi: quia oportet firmiter sustinere

nere cum Galeno lib. de optima secta, quod nullum remedium possit impunè administrari, illudque esse optimum affert maius beneficium, quam maleficium.

Si de balneo verba facimus, similiter & damnum, & beneficium afferre potest. Galenus 8. meth. cap. 3. ait: in cruda destillatione si corpus sit plenum crudis humoribus balneum mulò magis nocere, quam iuuare: vbi verò corpus non est plenum, vt in muliere Romana, de qua 5. meth. 13. balneum pro reuulsione, quo vsus est Galenus ab initio magis iuuare, quam nocere. Ecce quod sine hac distinctione, sciri non potest, an balneum noceat, vel iuuet.

Valde nocet balneum, dum fiunt fluxiones ad partes læsas: vt in Podagra. Ideo Galenus 12. meth. c. 2. reddit rationem, cur in humorum confluxu balnea noceant, dicendo, balnea aperire vias, liquare humores, & reddere vias fluxiles: hinc est, quod balnea in Podagra sint valde nociua.

Præterea balnea sulphurea in podagra nocent, quia resoluunt tenue, & crassius excrementum relinquitur: vnde podagra nodosa fit. O quoties vidi podagricos ad balnea sulphurea se conferentes, & per balnea in nodosam podagram in sanabilem fuisse prolapsos!

Cætera quoque remedia omnia, & nocent, & iuuant: quare nisi medicus sciat distinguere, nunquam inueniet remedium ex vsu artis. Sic dicimus, somnifera nocere, & iuuare: anodyna, & fomenta nocere, & iuuare: pari modo corroborantia, repellentia, emollientia, & reliqua omnia nocere & iuuare: quare nisi prudens medicus distinguat vsque ad specificas differentias, ex quibus solum vtile remedium colligi potest, de inueniendo remedio actum erit.

Quo ad somnifera. Hæc modò magis nocent, quam iuuant: modò è contra: magis nocent, vt docet Galenus 7. de comp. med. per locos cap. 6. in anhelitu difficili, vt in asthmate, nihilominus in his si nimium vigilant. Galenus 12. metaph. cap. 1. pauxillum opij concedit. Sed addit, in omnibus ne quid nimis. Nos in his concedimus mediam vnciam Syr. de papauere, sumendo aquæ vitæ cochlearium, quod longè maius affert iuuamentum, quam detrimentum: hæc magis iuuant in doloribus à causa calida.

Galenus enim 12. method. 8. dicit, opiata in dolore à causa calida conuenire; non tamen à causa frigida: reddit rationem, quia narcotica reddunt tunicas densiores, & humores frigidos ineptiores ad resolutionem. Attamen si dolores sint à causa frigida, seu à pituita vitrea, quales sunt colici vehementissimi, spernitur narcoticorum maleficium: quia magis potest vehementia doloris ad indicandum quam eorum maleficium ad prohibendum, seruato tamen præcepto Galeni superius proposito, in omnibus ne quid nimis. Quod verò opiata conueniant in colica, si dolores sint vehementissimi, docet Galenus 9. de comp. medicamentorum per locat. cap. 4. vbi dicit in colica vehementi per os per clysteres, & extra conuenire.

Quo ad anodina hæc modò magis nocent: modò iuuant: magis nocent, si applicentur emplastica laxantia parti dolenti, in quam confluant excre-

menta: hoc Galenus animaduertit 2. ad Glauc. cap. 2. his verbis ¶ in partem dolentem si fluat materia, nec oleum, nec farina triticea conueniunt: sed cõuenit ceratum ex passo, oleo rosaceo & cera: hoc enim est aliqua ex parte repellens vtilissimum, quod non est omninò destitutum, virtute anodyna. Apposuimus hoc exẽplum, quia vt plurimum nostrates chirurgi in tumoribus cum fluxione vtuntur laxãtibus, quæ longè magis nocent, quã iuuãt.

Præterea longè magis nocẽt, dum in omni vulnere vtũtur oleis laxantibus & suppurantibus, quæ plurima excrementa alliciunt ad partem vulneratam, illamque maximè inflammant: inde ægrum in anceps periculum deducunt. Nec viderunt Galenum 4. meth. cap. 5. dicentem ¶ membrum cæsum, vel acuto tello diuisum non esse tractandum suppurantibus: nisi diuisio à contusione fiat. Pari modo vulnera lædunt, dum illa dilatant; dum oleis laxantibus illa reddunt excrementosa: sed quod pessimum est, vulnus plurimis implent linamentis, quorum onere inflammatur: mox arctè fasciis obligant. Nec viderunt Galenum 2. de officina medica 32. sic loquentem ¶ fugiendum ne onere partes vulneratæ inflammẽtur. Similiter 3. de officina 31. habet hæc verba ¶ Vulnera ne modicum quidem pressum ferre: ideo liquidis tractanda. Hæc Galeni præcepta adiunguem obseruantur à Petro Caphio physico, & omni doctrinarum genere exornato: qui in chirurgico munere, si doctrinam, si experimenta, & fœlices curarum exitus spectemus, longè aliis chirurgis in sanandis vulneribus excellit, quia vulnera citò, tutò & iucundè sanat, non laxantibus, sed exsiccantibus: non iis, quæ inflammant, sed prohibentibus inflammationem, eodem prorsus modo, quemadmodum præcipit Galenus.

Si de fomentis, quibus vtimur pro sedandis doloribus, loquamur, interdum nocent, interdum iuuant. Certè remedia inueniri non possunt, nisi præsciamus quando plus iuuant, vel nocent. Galenus docet quando plus iuuant 11. meth. 15. vbi habet ¶ perfusiones & cataplasmata conuenire iis, quibus nullum in ventre est excrementum: cæteris aliis (ait) sunt pernicies: quare dum in doloribus ventris sunt excrementa, nocebunt: cur nocẽt Galenus 12. meth. 8. declarat, vbi habet ¶ perfusiones calidas liquare humores, illosque vertere in flatus. Valeant ergo illi, qui in doloribus ventris, inũctionibus calidis, mappulis valde calidis vtuntur, quibus dolores magis intenduntur. Nos in sæuissimis doloribus, vel tepidis anodinis vtimur, vel valde frigidis, quæ repellunt ad intus calorem, & cessant flatus, est Galeni sententia 6. epid. 3. comm. 14. quod res valde frigida non generet flatus. Similiter Hippocrates 5. aphoris. 25. dicit aquam frigidam auferre dolores podagricos.

Si de corroborantibus loquamur, Hæc iuuant, & nocent: nocent dum corroborant ante euacuationem humoris peccantis. Hinc Galenus 8. de comp. medic. per locos cap. 2. habet hanc sententiam ¶ si materia tunicis est imbibita, per auxilium astrictorium maximum infertur nocumentum. Hinc dum Medici corroborant ventriculum, non euacuata materia imbibita: vel dum in alui fluxu vtuntur astringentibus, quando fluit materia peccans, vel quando est imbibita, & affixa tunicis ventriculi intestinorum, maximè lædunt miseros patientes.

Notandum

Notandum tamen est; quod si in parte affecta materia peccans sit in aliqua exigua quantitate, tunc nullum est inconueniens, vt pars corroboretur: quia roborata parte, id exiguum quod relinquitur à natura facilè resoluitur: quod diuinum præceptum colligitur ex ipso Galeno 14. meth. cap. 9. vbi inquit ¶ in principio cancri esse repellendum ad partes principes excrementum, si modicum sit: quia nisi subito repellatur, humor melancholicus statim distendit venas, quibus extensis cancer redditur incurabilis.

Quod verò ita sit, patet ex Galeno 6. aphoris. comm. 38. vbi inquit ¶ radices cancri esse venas, quæ distenduntur ab humore melancholico, quæ venæ, nisi auferantur, cancer curari non potest.

Parimodo Galenus 14. meth. 17. loquens de herpete ait, si modicum excrementi repellatur ad partes principes, hoc modicum non lædit: quia hoc à visceribus resoluitur. Ibi loquitur de herpete Matronæ Romanæ, quæ nunquam poterat sanari medicamento ex alga, nisi postquam Galenus clãculum in serum lactis scamonium coniecerit: causa est, quia non erat modicum, quod ad partem læsam confluebat: ecce quod corroborantia, & repellentia seu astringentia ante excrementi euacuationem, nisi casu quo illud sit modicum, semper nocent.

Si de emollientibus loquamur. Hæc modò magis nocent, quam iuuant, & modò magis iuuant, quam nocent: Sed quando magis iuuant nemo intelliget, nisi ad specificam rerum durarum distinctionem à Galeno propositam 5. de simp. med. cap. 9. confugiat, vbi dicit, dari tria dura, videlicet dura sicca, vt calli, & scyrrhi, dura repleta, vt apostemata; & dura vngelata vt perniones, dura sicca dicit Galen. tolli humectãtibus, & nõ calefaciẽtibus.

Parum versati in specificis affectuum differentiis, in scyrrhis vtuntur calefacientibus: hos reprehendit Galenus 14. meth. cap. 4. his propemodum verbis ¶ isti in duritie sicca calefacientibus resoluunt tenue, & egregiè curatio procedere videtur, sed paulo post tumores duri conuertuntur in scyrrhos incurabiles, nec vident duritiem scyrrhosam magis indicare humidũ, quam calidum: quia res dura, & compacta, nisi humectetur, redditur resolutioni ineptissima. Pari modo de duris frigidis dicendum est, quod scilicet emollientia debeant esse calida, & non humida. De duris repletia, emollientia sunt illa, quæ euacuant.

Præterea plurimi sunt affectus præter naturam, qui maius præstant beneficium quam maleficium, qui indicant vt conseruentur, & nullomodo sanentur, sicuti sunt hæmorrhoides, fistulæ, gonorrhea, hemorrhagia narium, vomitus consuetus & si qui alij sint.

Si de hæmorrhoidibus, & fistulis, loquamur, Galenus 6. epid. 3. comm. 39. habet hæc verba ¶ sicuti humores per hæmorrhoidas expurgantur, sic per fistulas: subdit, sicuti non est adhibenda curatio hęmorrhoidum, vt sors fert, sic non est ita temerè fistulis adhibenda cura: ibidem subdit, fistulas nõ esse tollendas, cum euacuent prauos humores. Distinguendæ tamen sunt fistulæ cum Galeno 2. ad Glauc. 8. vbi habetur, quod aliæ sint fistulæ callosæ, aliæ sine callo: istę quæ sunt sine callo, sunt tales propter sorditiem: hæ facilè sanantur in pueris; sed in adultis quorum corpora scatent excrementis non sunt sanandæ.

Non semel vidi fistulas propè oculos, & circa podicem sanatas, & inde perniciosa symptomata, & mortem fuisse secutam: Vidi etiam exterius sanatas: interius verò sinum relictum, & præcipuè circa podicem, à quo sinu ichores acres, per transumptionem peruenientes ad collum visicæ, illa excitasse symptomata, quæ in vesicæ calculo contingere solent.

De his fistulis loquitur Galenus lib. 2. de tum. præter naturam cap. 4. vbi dicit, curationem fistulæ esse palliatam, dum exterius sanantur, sinu in parte interna relicto: quo casu accipiendum est Galeni consilium, 2. in 6. epid. 29. vbi dicit ¶ fistulas aliquandiu assuetas, mox ex aliqua occasione aperimus: aperiuntur ferro, vel caustico, quibus apertis cessat omne malum, vtinam hoc fuisset præuisum in Illustrissimo Antonio Grimano qui circa podicem habebat fistulam, quæ solum extrinsecus erat sanata, relicto sinu in parte interna, à quo ichores per transumptionem penetrabat ad collum vesicæ, inde summo cum cruciatu decessit è viuis.

Si de gonorrhea loquamur, à quacunque causa fiat, non est supprimenda: Galenus enim 6. in 6. epid. comm. 18. loquens de gonorrhea habet hæc verba ¶ si gonorrhea supprimatur, ægrotabunt: quare si tempore Galeni non erat gonorrhea gallica, quæ est longe sæuior, illaque non supprimebatur: tanto minus gallica erit supprimenda: quia magis potest prohibens quã indicans: dum enim prohibetur, est in causa multorum malorum. Idem de aliis affectibus dicendum est.

Demum sciendum est, non omnes corporis partes remedia permittere, licet ex se bona sint, quia interdum nocumentum à remedio illarum longe maius est, quam nocumentum: quod infertur, morbo: multa sunt exempla: sed hoc vnum non est omittendum propositum à Galeno 2. de comp. medicamentorum per locos cap. 3. vbi dicit, quod occipitium neque sit adurendum, neque refrigerandum ob principium spinalis medullæ, quod ibi est. Quo pacto verò possint defendi nostratum plurimi, qui sunt tam faciles in adurendo occipitio gratia reuulsionis quod remedium à Galeno damnari videtur, alibi diximus solum cuticulam esse adurendam, deinde sensim sine molestia efficere cauterium, quod reuera in fluxionibus oculorum mirifice iuuat.

CAP. XVI.

De Remediorum inuentione desumpta à reuulsione, & deriuatione.

QVatuor sunt conditiones reuulsionis desumptæ à Galen. 13. cap. 11. & passim in aliis libris.

Prima est, vt fiat resolutio secundum rectitudinem.

Secunda per distantissima.

Tertia, vt trahantur humores ad suam originem.

Quarta vt fiat per vasa communia.

Sed quid intelligat Gal. per rectitudinem, per distantissima, & per vasa com-

communia, & quæ ex his quatuor conditionibus conueniat per se, & quæ per accidens reuulsioni: & an reuulsio conueniat solum fluentibus, & non fluxis, & fluxuris, & nos satis supérque egimus lib.1.meth. nostræ vitandorum errorum: quibus omnibus non exactè perceptis: neque affectus specifici, neque remedia specifica inueniri possunt. Similiter egimus de conditionibus deriuationis.

Sed quæ à Galeno obseruantur in actu practito de reuulsione, & deriuatione, nobis sunt considerãda. Galenus lib. de curandi ratione per s.m. cap. 14. diuidit corpus vbi sunt renes in partem supernam, & infernam, & declarat quæ sit reuulsio, & quæ deriuatio: habet hæc propemodum verba ❡ renes iuuãtur secta vena superna gratia reuulsionis, inferna gratia deriuationis. Quæ verò supra renes sunt, venæ pedum secantur gratia reuulsionis: ideo Galenus 6. aphoris. 36. habet hanc sententiam ❡ Quæ supra hepar sunt, vt curentur ex manibus sanguis extrahitur (per manus intelligendo cubitum: dum enim Galenus nominat: quam nos manum, ille vocat summam manum) quæ infra ex vena tali, vel ex venis, quæ sunt in poplite.

Hinc lib. de curandi ratione per s.m. cap. 19. dicit in vertigine, & comitiali potius ex cruribus sanguis est mittendus gratia reuulsionis. Ecce quod in vertigine & in comitiali affectu secanda est vena tali, gratia videlicet reuulsionis, & non cubiti vena, quia reuulsio debet fieri per distantissima: quare illi Medici, qui in morbis capitis secant venam cubiti non obseruant Galeni præceptum, & per consequens non iuuant.

Hippocrates, qui fuit diuinus in arte medica, obseruauit in epidemicis, beneficium, & maleficium, quæ contingunt in humorum motione. In Historia virginis decumbentis in vestibulo templi, & in Ægro Dealicis obseruauit, humores peccantes confluxisse ad pedes & propter hunc motum ad inferiora hos duos ægros febre maligna fuisse liberatos: humores peccantes in istis erant propè cor: quare medicus naturæ imitator non debet sanguinem mittere per cubitum, nisi insignis esset venæ cauæ plenitudo: sed debet reuellere à parte superna ad infernam.

Idem obseruauit Hippocrates in Larissa, & in Critone laborantibus maligna febre, in quibus natura tentauit humores malignos ad pedes propellere; sed Hippocrates ibi subdit hæc verba ❡ cum pedes non possent totum malignum humorem capere, factus est humorum retrocessus ad cor, & morte obierunt.

Ex his duobus casibus colligimus, quam sit vtilis reuulsio non solum à capite ad pedes, sed ab ipso corde, & iecore, quæ reuulsio à medico naturæ imitatore debet fieri per sectionem venarum pedum, vel per vesicantia ipsa.

Neque negamus, reuulsionem eandem fieri quoque per cubitum, & summam manum, sed certè tutior est, vt fiat per distantissima ad pedes ipsos. Hinc Galenus 1. de humoribus comm. 13. loquens de vtraque reuulsione habet hæc verba ❡ manibus, & pedibus mordacia medicamenta applicantur gratia reuulsionis à capite, & à ventre.

Neque nobis facessit negotium disputatio de metasyncriticis, id est ab alto trahentibus, cuiusmodi sunt sinapismi, thapsia, & alia id genus, quod

videlicet Galenus dicat, metasyncritica non conuenire in morbis à causa calida, sicuti in febribus malignis: quia omnis ambiguitas de medio tollitur dicendo, quod dum magis potest indicans ad indicandum, quam prohibens ad prohibendum, attendendum esse indicanti, non spreto tamen prohibente. Dum Galenus 2. de comp. medicamentorum per locos c. 2. & 5. 5. de tuend. sani. 9. & 13. meth. vltimo damnat opinionem antiquorum indifferenter vtentium metasyncriticis, id est ab alto trahentibus, sicuti sunt sinapismi & tapsia: tam in materia frigida, quam calida, dicimus quod sinapismi vel thapsia, licet calefaciant partem illam externam, illum calorem ad internas partes non penetrare, quod non intellexerunt, qui putarunt vesicantia in febribus malignis cum delirio non habere locum: non intellexerunt; quia ipse Gal. 2. de diff. feb. vltimo dicit, quod partes proximæ, quibus applicantur sinapismi calefiant quidem, sed non remotæ. Contra illos qui dicunt vesicantia calefacere interna viscera: Deinde dicimus quod magis possit indicans, quam prohibens, quamuis Gal. 5. meth. 14. laudet ceratum ex thapsia applicando capiti gratia reuulsionis catarrhi acris, & corrodentis, tamen magis potest hoc indicans, vt reuellatur, ne cadat in pectus, quã possit caliditas thapsiæ. Qui igitur tenent contra Auicennam & Leonicenum, quod ibi Gal. loquatur de catarrho frigido, neque Galenum loco citato neque propositam methodum considerarunt.

Quo ad deriuationem, hæc vt plurimum fit per proxima, hæc conuenit potius humoribus fluxis, quam fluentibus: sed qua ratione id fit intelligẽdum, legendus est liber noster 14. method. vitandorum errorum, in quo hæc distinctè tractauimus. Præterea inter cætera præcepta Galeni illud dignum est obseruatione, quod proponitur de deriuatione 6. epid. 2. comm. 9. vbi dicit ¶ Vitiata vesica, & renibus præstat per aluum deriuare: vitiatis intestinis per vrinam.

Similiter dum alui fluxus tollitur vsu balnei, tollitur per reuulsionem: Galenus enim 3. de ratione vict. 58. habet hæc verba ¶ quibus plura per aluum subducuntur, balneum sistit; qui vero supra modum aluum astrictã habent, balneandi non sunt, ratio est, quia balneum reuellit à corporis centro. Nos propterea, non semel antiquos fluxus sanauimus balneo, quos multi vt incurabiles reliquerunt.

CAP. XVII.

De inuentione remediorum, quæ exercetur per phlebotomiam & per purgantia medicamenta.

NOs in commentariis nostris artis paruæ quæst. 113. fusè egimus, à quo indicetur Phlebotomia. Hic solum pro remediorum inuentione proponimus præcepta, vt inde colligi possit, quibus phlebotomia, & purgantia medicamenta non conueniant, & quibus conueniant.

Quo ad phlebotomiam, quibus non conueniat, primò obseruandum est præceptum Galeni lib. de curandi ratione per sanguinis missionem c. 7. vbi

damnat

damnat phlebotomiam in vinosis, & gulæ deditis: his verbis ¶ Vinosi, & gulæ dediti non iuuantur multũ purgatione, & phlebotomia, quia colligũt crudos humores, qui nec purgatione nec venæ sec. auferuntur: noto dum dicit nó multum iuuari, quod supponit aliqua ex parte saltem iuuari: quomodo verò iuuet, Gal.c.12.eiusdem libri dicit in his venæ sectionem per epicrasim iuuare posse, id est parum pro vice.

Insuper Gal.14.meth.13. non vult, quod in legitimo erysipelate conueniat missio sanguinis: secundo verò ad Gla. dicit, in erysipelate non esse mittendum sanguinem; sed purgandam bilem. Paulus, Celsus, & Aetius secant venam in erysipelate capitis, & ceruicis: quia nisi bilis euacuetur, strangulat.

Falopius dicit hos non posse conciliari cum Galeno.

Ego autem respondeo, Galenum non asserere absolutè in erysipelate non esse mittendum sanguinem, sed dixisse non esse necessarium mittere sanguinem in erysipelate. Præterea dicimus quod in erysipelate omninò puro & exquisito, quod vix dari potest, nullomodo sit mittendus sanguis, quia sanguis est frænum bilis: quo fræno euacuato bilis longè sæuior redditur.

Idem dicimus de tertiana exquisita, & de causone exquisito, qui affectus vix inueniri possunt, sanguinem non esse mittendum: in erysipelate verò non omninò exquisito, & in aliis affectibus biliosis non omni ex parte exquisitis, sanguinem, si vires permittant, mittendum esse. Dicimus si vires permittant: quia in affectibus biliosis omninò exquisitis vires certè permittere non possunt.

Insuper Galenus 3. de humoribus comm.33. proponit tres casus, in quibus non est secanda vena.

Primus est in tempore valde calido: quia tunc vires non permittunt.

Secundus casus est in pleuritide, dum sanguis expuitur, quia dum expuitur, si mittatur sanguis, statim impeditur euacuatio humoris peccantis per tussim.

Tertius casus est, quod in homine omninò bilioso non conueniat sanguinis missio ob rationes superius allatas.

Præterea lib.11.meth.cap.14. asserit Galenus, cruditatem ventris, incipiente morbo, prohibere venæ sectionem, subdit ¶ in iuuene 30. annorum si habitus laxus, & mollis sit, pinguis, albus, & gracilibus venis, huic certè sanguinem non mittes, aut parum detrahes: in regione æstuosa & in æstate omninò non mittas.

Ad hæc Galenus 2.aphoris.29. loquens de Anaxione dicit, in statu, & augmento non conuenire venæ sectionem: habet enim hanc sententiam ¶ dum coquitur morbus, nec venæ sectio, nec purgatio conuenit: Addimus nos, sed coquitur morbus in augmento, & statu: ergo in his temporibus non conueniunt purgationes electiuæ, vel phlebotomia. Hippocrates in aphor. inquit ¶ inchoantibus morbis, si quid tibi videtur mouendum moue: dum viget, & consistit, melius est quiescere.

Demum dum ægri, propter timorem perhorrescunt sanguinis euacua-

tionem,illis non est mittendus sanguis.De his Galenus 4. de tuenda sani. 4. habet hęc verba ¶ si quis propter timorẽ non admittit sanguinis euacuationem,huic loco phlebotomiæ aluus deiicienda largius est.

Quod ad illa quæ indicant phlebotomiam, præcipuũ indicans desumitur ab ipso Hippocr.4.de ratione vic.tex.19. vbi habet hanc sententiam ¶ si morbus est vehemẽs,viresq; affuerint,& ætas permiserit sanguis est mittendus.Sed hæc sentẽtia indiget aliqua declaratione:quia tunc est vera,nisi aliæ cõditiones impediant,sicuti si cibus in vẽtriculo est incõcoctus, licet vires sint robustæ,& morbus sit vehemens,& ætas florens, tamen non est secãda vena,quod probatur per ipsum Galen.qui 3.epid.loquẽs de illo Pythione, qui liberatur die 40.ad differentiam alterius Pythionis,protulit hæc verba ¶ cum homo iste esset in periculo, Hippocr. debebat prima die sanguinem mittere,si nullus inconcoctus cibus in ventre esset,vel omninò secunda die.

Collige,cibum incoctum prohibere sanguinis missionem.

Collige quoque ex eodem Galeni cõm.vbi de Pythione loquitur,quod non sit necessarium prima die semper præbere leniens medicamentum, vt nostratum plurimi putant.

Similiter Gal.lib.de curandi ratione per s.m.c.11.habet ¶ In quacunque hora clysteres,& venæ sectio administrari possunt: dũmodo cibus nõ sit in ventriculo;Ecce quod præter conditiones allatas ab Hippoc.quæ sũt,morbus vehemens,vires,& ætas florens,pro missione sanguinis requiritur etiã, vt cibus sit concoctus,& à venis mesaraicis attractus.

Dum verò vires sunt admodum debiles, & impendet periculum de ipsarum casu sicuti in fluxu alui,cum stomachi morsu,si Galen.credendũ est 1. ad Glauc.14.non est mittẽdus sanguis,neq; est purgandũ:Præterea neq; dũ adest periculũ futurę syncopes,neq;in cachexia,in hydrope,neq;in cardialgia,in vomitu cõtinuo,neq; in legitimo erysipelate est phlebotomandum.

Quare inspiciendæ sunt vires,non solũ præsentes,sed etiam futuræ,Gal. enim 9.meth.5.docens an certo aliquo die sit phlebotomandum, dat nobis hoc præceptum ¶ non numerũ dierũ inspicere oportet;sed vnum robur virium,sit sextus,septimus,octauus,vel aliquo ex sequentib.dieb. in missione sanguinis: quare in quacumque die vires sint validæ permittunt largam sanguinis euacuationem ; si non sint ita validæ minorem perferunt euacuationem:Gal.lib.de curandi ratione per s.m.cap.13 ait ¶ Quidam 70. annorum perferunt venæ sectionem, quamuis in minori quantitate,quam iuuenes : Ecce quod solum attendere oportet vni virium robori: quia viribus permittentibus,larga quoque sanguinis missio fieri potest.

Hinc si venæ in gracili corpore appareant valde repletæ,& aliquid non prohibeat;& vires permittant,venæ deplendæ sunt: hanc sententiã desumpsimus à Gal.6.aph.30.vbi ait, quod venæ repletæ in gracili ostendant sanguinem corruptum abundè esse in venis, qui certè non est euacuandus nisi vires permittant,& cruditates adẽptæ sint:quia ipsæ obstructiones, quib. tales abundant per phlebotomiã tolli non possunt. Hanc doctrinam desumpsimus à Gal.11.meth.14.ibi habet hanc sententiã ¶ Per phlebotomiam nõ tollimus obstructionem, vel putredinem, supple immediatè: mediatè tamen quatenus natura leuata sarcina alacrius aggreditur ad superandam

cruditatem, per phlebotomiam tolluntur.

Demum non est mirandum, si in gracili adesse possit sanguinis multitudo: quia Gal. lib. 6. epid. 3. comm. 29. asserit, quod interdũ gracilitas, & inanitio possit à repletione prouenire: ibidẽ referri casum mulieris emaciatæ, cui prima die sanguinis sexquilibram detraxit, postridie verò iterum librã, tertio die semilibram circiter, quo facto, maxima cum aliorum medicorum admiratione illam sanitati restituit: quare concludit Galenus hoc eod. com. aliquos graciles habere multum sanguinis, aliquos crassos paucum: ita vt non valeat consequentia, corpus est emaciatum, ergo paucum sanguinem habet, neque valet est crassum, ergo multum habet.

Si verò sanguis sit ita copiosus, vt obstructiones efficiat, vel factæ sint obstructiones ab aliis causis, dũmodo corpus non abundet cruditatibus, tunc nullomodo sunt tollẽdæ obstructiones: nisi prius sanguis euacuetur. Quod præceptum nobis reliquit Galen. 8. meth. 4. & 11. meth. 4. his verbis, si prius tolleremus obstructiones, ante sanguinis euacuationem, magis impingeremus obstructiones: ratio huius dicti est, quia aperiendo meatus in ipsos, pars crassior sanguinis transmitteretur, & sic obstructiones fierent maiores: Euacuato verò sanguine, venisque aliquantulum depletis, id accidere non potest: quia nulla est ratio, cur trãsmittatur pars crassior extra suum locum, cum venæ ipsæ post euacuationem factæ sint capaciores.

Quo ad locum per quem in variis morbis sit facienda sanguinis euacuatio, si consideremus ipsam plenitudinem, quæ nobis inseruit in omnib. aliis inflammationibus. Auerroes 7. coll. 29. & Rhasis volũt, prius secare venam lateris oppositi: deindẽ vena eiusdem lateris: quæ sententia, vbi adest maxima sanguinis plenitudo, habet locum. Vesalius vult in omni pleuritidine venam dextri brachij esse secandam: quia pleura ipsa nutritur sanguine prodeunte à vena sine pari, quæ vena à dextra parte oritur.

Amatus Lusitanus reiicit opinionem Vesalij, quia dicit venam sine pari habere ostiola, quæ admittunt sanguinem ingredi, & non egredi. Quæ instantia certè est inuincibilis. Gale. verò lib. de ratione curandi per sang. m. capit. 16. dicit venam sectam eiusdem lateris esse præsentaneum remedium in ipsa pleuritudine, in opposito verò latere, aut nullum, aut paruum esse remedium. Nos tamen in maxima sanguinis plenitudine laudamus latus oppositum & illicò secamus venas eiusdem lateris.

Demum sanguis euacuatur, per hirudines, & per cucurbitulas: inter Græcos solus Actuarius fecit mentionem de hirudinibus, applicandis venis sedalibus lib. 3. cap. 3. Græci autem secabant illas venas ferro.

Quo ad euacuationem faciendã per cucurbitulas, si de euacuatione sanguinis euacuandi per cucurbitulas affigendas dorso loquamur, habemus præceptum Auicennæ 4. 1. cap. de ventosis, vbi improbat cucurbitulas esse dorso affigẽdas: quia auget palpitationem attrahẽdo sanguinẽ ad thoracẽ: Eadem ratione in febribus ipsis sunt dãnandæ cucurbitulæ: quod præceptum certè vulgares medici non animaduertunt: si verò loquamur de euacuatione facta per venas pedum vel crurum: Galenus lib. de curandi ratione per s. m. cap. 11. habet hæc verba ¶ Plenitudines à suppressis mensibus ortas per crura euacuabis; ex hoc loco colligimus duas esse posse plenitudi-

nes, quæ supprimere possunt ipsos menses, vna plenitudo est totius corporis, & hæc per basilicam tollitur: alia verò est plenitudo vteri, quæ fit à suppressis mensibus, & hæc per saphenam.

Collige ecōtra illos, qui putāt in mensiū suppressione sēper esse secandā saphenā, vt Massaria, quod nō admittimus, quia sępissimè supprimūtur mēses ab plenitudinē totius: quo casu prius secatur basilica, deinde saphena: si verò saphena non inspicitur affigendæ sunt cucurbitulæ, sicuti admonet Galenus locis citatis de curandi ratione per sang. m.

Quo ad medicamenta, dicimus cum Galeno non solum purgantia, sed lenientia, præparantia, & alterantia omnia nocumentum nobis certum afferre: iuuamentum verò incertum, & dubium: illis tamen vtimur, dum speramus ex illorum vsu maius fore iuuamentum, quàm nocumentum.

Quod verò omnia remedia aliquod nobis afferat nocumentū, Gal. lib. de optima secta ad Trasybulum circa finem habet hanc sententiam Gal. dignā ꝙ nullū remedium impunè potest administrari: omnia enim sunt præter naturam: ratio est, quia sanitas stat in medio: affectus verò præter naturam, & remedia sunt extrema, & per consequens sanitati contraria.

Idē cōfirmat Gal. 11. meth. c. 13. vbi loquēs de mulsa dicit ꝙ in synochis optima est: quia extenuat crassos humores, glutinosos detergit, & ipsos excernit: nocet tamē, quia calorē febris adauget: idē ibi dicit de oxymellite, ꝙ si immodicè illo vtamur radat intestina, tussim excitet, & neruosa lędat. Concludit esse admodū difficile inuenire auxiliū, ꝙ citra noxā magnificè prosit.

Collige igitur, quod si mulsa, quę ex melle, & oxymel, quod ex melle, & aceto fit, noxia sūt: quāto magis medicamēta, quæ sunt in venenorū cōfinio nocere poterunt? quia nisi certò præsciamus, quod medicamenta sint magis iuuatura, quam nocitura, nullomodo præbenda sunt.

Quo ad medicamenta electiuè purgantia, hæc absolutè omnib. febricitantib. nocent: sententia est Galeni 1. sect. aph. comm. 24. quod omnia pharmaca, quæ purgant electiuè, sint calida, & febricitantibus inimica.

Pari modo Gal. lib. quos, & quādo purgare oportet dicit, nullū medicamētum febricitantib. cōferre, quia omne medicamentū electiuū calidum est.

Potest tamē interdū contingere, quod licet medicamentū electiuū noceat febricitantib. possit tamen magis iuuare, quam nocere: Sicuti dū materia est cōcocta vel quod materia turgeat: est. n. Hipp. aph. ꝙ cōcocta medicari, & mouere, nisi materia turgeat, quę turgēs materia, licet sit cruda, pharmaco purgari potest, vt declarauimus in comm. 22. aphoris. huius sectionis.

Insuper pharmaca, vt docet Galen. 1. de humorib. comm. 2. & comm. 12. nocēt iis, qui multis cruditatibus, aut glutinosis, crassisq; abundant cibalibus. Præterea nocent iis, qui hypocondria habent flatibus distēta, aut vrinam supra modū calidam, aut habent aliquam viscerum inflammationē. Addit omnes istos ad purgationes esse ineptos. Ecce quod pharmaca & calida nocēt, & nocēt iis qui habent aliquā inflammationē, vel humores glutinosos, & crassos, qui impediunt excrementorū transitū: corpora. n. vt docet Hipp. 2. aph. 9. ꝙ cum quis purgare voluerit oportet fluida facere. Similiter Gal. lib. de curand. rat. per s. m. cap. 7. dicit vinosi, & gulæ dediti nō iuuantur multū purgatione, aut phlebotomia: dicit multum; quia habent meatus occlusos.

Immo

Immo Galen.3.aph.com.15.maximè damnat vsum medicamentorũ in sanis:non quia habeant crassos,& glutinosos succos, qui impediant transitũ euacuationis,sed damnat,ne corpora trahantur in malam consuetudinem: habet enim hæc verba ¶ si verò quisquã voluerit bis in mense, aut semel vti pharmaco, ne superfluitatum multitudo aggregetur, præter id quod nocebit,corpora quoque trahet in malam consuetudinem.

Accedit,quod pharmaca,quæ exhibentur, casu quo non purgẽt, efficiãt hoc magnũ malũ,quod ipsa conuertantur in humorem euacuandũ,sententia est Galen.lib.3.simpli.cap.24.vbi habet hæc verba ¶ medicamentum nisi purget,solum producet humorem,qualem trahere natum est.

Causa verò cur medicamenta exhibita interdum non purgant triplex esse potest,vt animaduertit Galenus lib.1. de humor.comm.27.Prima vel ob partiũ expurgantium imbecillitatẽ. Secunda vel ob angustiã viarũ, nempe ob obstructiones vel compressiones vel occlusiones. Tertia ob vitium excrementi, nempe: quia humores sint crassi, & viscosi, qui propterea indigeant præparatione facienda per incidentia,& detergentia.

Humores,qui sunt fluidi seu aquosi, qui possunt liberè purgari, vel sunt sicuti aqua Hydropicorũ,quæ nõ admittit coctionẽ:quia semper fluida est: ideò in morbi principio purgari potest. Si verò humores sint præparati, & fluidi,sicuti in corporib.sanis,Hipp.& Gal.2.de fracturis 29. admonẽt ¶ in fracturis ossiũ eadẽ die,antequã videlicet fiant febres, & inflãmationes dãdum esse veratrũ,quod euacuando ichores melancholicos anteuertat inflãmationes,& febres.Immo Gal.14.meth.8.in inflammatione oris,linguæ,& oculorum in principio vtitur purgãte efficacissimo, videlicet ex aloe, coloquintide, & scamoneo : quia magis potest indicans ad indicandum, quam prohibens ad prohibẽdum;dolor enim est vrgens, & propter dolorem maius sequitur damnum,quam sit illud , quod nascitur propter medicamenti exhibitionem,quando humores non sunt præparati.

Pari modo Galen.14.methodi cap.17.in casu Matronæ Romanę correptę herpete circa maleolos,cũ non poterat localib.inducere cicatricem clanculum minimum scamonei in seruum lactis immisit : vnde purgato corpore mulier fuit sanata:causa verò fouens herpetem erat bilis.

Præterea tribus modis medicamentum valde nocet , vel dum non purgat humores peccantes , vel dum medicamentum exhibitum non sit correctum;vel dum purgatiõ impeditur.

Medicamentũ non purgat humores peccãtes,si dũ esset purganda pituita,daretur scamoniũ.Galen.enim 4.de ratione victus 64.dicit ¶ si biliosa repant deorsum , da scamonium , quia hoc medicamentum euacuat bilem, non pituitam,vel melancholiam.

Præter scamoniũ adsunt quoq; alia,quæ purgant bilẽ,sicuti sunt folia, & flores persicę,semina psilij,aloe,& plura alia. Quod verò aloe purget mordaces succos,colligitur ex Gal.lib.1.de loc.affec.vbi habet hęc verba ¶ Colicos sanaui aloe:quia cõieci humores mordaces fluxisse ad collũ intestinum.

Insuper ipsa bilis à natura instituta est ad purganda excrementa mordacia,sed non electiuè:sed solum quatenus irritat expultricem.

Alexander Aphrodisæus secundo problematum secundo dicit, bilem fe-

brem efficere, & tollere, quatenus propellit excrementa.

Quæ verò purgant pituitam, præcipua sunt agaricus, hermodactilus, turbit, colocintis, peplus, graciola, semina cartami, flores cartami, catapucia &c.

Quod purgăt melancholiă est eleborŭ, quo nos feliciter vtimur, epitimŭ, polypodium, & sena. De eleboro Galen. lib. de atra bile cap. 7. recitat famosum casum, quod Præti filias furore percitas melancholico Melanpodes medicus purgauerit veratro albo, & sanauerit.

Inter purgătia serosos humores sunt eleteriŭ, gumigutæ, flores sambuci, mecoachan, salapa, succi ireos; hæc sunt præcipua pharmaca, ad differentiă leniětiŭ. Adsŭt quoq; alia quę electiuè nŏ-purgăt proposita à Gal. 3. de symp. caus. c. 2. vbi habet, quę mordĕt intestina quatuor sŭt, medicamĕtŭ, ciborŭ corruptellę, excrementa mordacia, & humores geniti in vlcere cacoethe.

Quo ad correctiua ipsius medicamenti nisi medicus diligens sit, in ipso corrigĕdo, maximŭ incŏmodŭ ægrotătib. affert. Hipp. & Gal. 2. de rat. vict. 12. cŏsiderantes correctionĕ dicŭt, quod statim à sumpto medicamĕto dăda sit ptissana hordeacea: quia detergit, pellit deorsŭ medicamentŭ ne hereat œsophago, & stomacho: subdit tamĕ Gale. quod dŭ medicamentŭ incipit operari, nŏ sit dăda ptissana: quia impediret medicamenti actionĕ: ideo iubet in fine purgationis, dandă esse ipsă ptissană. Hinc Gal. 13. meth. 15. dum humores sunt in sima iecoris dat eleborum cŭ ptissana, vt minus calefaciat.

Quæ verò sistunt purgationĕ, inter cætera est sŏnus: Galen. enim 4. aph. 15. reddit rationĕ, cur sŏnus impediat purgationĕ, ait: quia in sŏno actiones animales otiantur, quæ & per sensum fiŭt, & præterea per musculos in motibus voluntariis. Ecce quod casu quo medicamenti purgatio sit violenta, nulla alia res potest melius sistere ipsam purgationem, quam somnus, ope somniferi excitatus, causa verò est, non vt vulgares medici dicunt, quia per somnum concoquitur medicamentum: sed quia natura otiatur, & cessat ab omni motu. Hinc impeditur quoque purgatio à theriaca, & ab omnibus narcoticis, quæ sistunt & impediunt naturæ motum.

animales actiones [illegible] per sensu fiant vel mot[u] [illegible] per sŏnŭ otiatur

Cap. XVIII.

De remediorum inuentione desumpta à prognostico.

Ex multis locis ad prognosticŭ pertinentib. colligi quoq; possunt remedia. Nos pauca afferemus, vt inde quisque paucorŭ exĕplorum luce eleuet se ad quăplurima alia dignoscĕda. Hŭc famosŭ tamĕ locŭ ad prognosticŭ pertinentĕ primo loco afferimus: quia maximè inseruit huic contemplationi: Gal. lib. 3. præsagiorŭ cŏm. 29. habet hăc famosam sententiă ¶ si vires sint validæ & humores, qui prædominătur in corpore sint calidi, affectus ipsi terminantur per excretionĕ. Ex hoc prognostico colligimus hanc mirabilĕ doctrină, quod virib. existentibus validis, humoribusq; calidis prædominătibus, vtendŭ sit medicamĕto euacuăte ipsam bilĕ, & præcipuè, si humores inclinĕt per aluŭ. Si verò humores inclinĕt per vrinam, auxilium diuersŭ, nisi aliquid obstaret, esset accŏmodatŭ: Si verò per vomitum, vel per insensibilĕ perspirationĕ, vel per alias partes, illud eligemus, quo facile possent excerni humores peccantes, dummodo loca conuenientia sint.

Subdit Galenus loco citato ¶ si vires sint validæ & humores sint frigidi,

crisis fiet per abscessum, non per excretionem: Si verò vires sint debiles, & humores calidi, similiter per abscessum: si debiles & humores sint frigidi, vel homo moritur, vel vix longo temporis spatio liberatur. Ecce quomodo ex signis prognosticis desumptis à diuina Galeni doct. colligi possint & remedia specifica, & materiæ remediorum.

Deinde ex vrinis quoq; præcognoscimus, an sit medicandū: 4. enim aph. com. 70. Gal. nobis reliquit hāc pulcherrimā obseruationē ¶ vrinæ turbatę, si citò sedimen crassum habēt, citò morbū solutū iri significant; si verò sint turbatæ, & non habent sedimen, tunc si vires aderunt, morbus ex necessitate erit longus, superabilis tamen: si verò vires sint imbecilles, ægri mortem prænunciant: Hæc doctrina Galeni paucis expressa est tanti momenti, quāti nos ex vrinis prædicere possumus, an æger sit moriturus, nec ne: si ægrum moriturum multo ante prænunciabimus, magnā acquiremus existimationem: quia reuera ad medici honorem, & artis admirationem magis refert prædicere mortem in morituris, quam salutem in conualituris.

Eandem doctrinā de vrinis obseruauit Hipp. & Galen. in comm. in casu famoso Hermocratis, ex eo, quia vrinæ nunquā subsiderunt: Galen. in illa historia ait ¶ Vrinas turbatas & subsidentes significare initium coctionis: In Hermocrate, qui periit, nunquā subsiderunt: sed de signis lethalibus satis superque egimus in explicatione aph. 12. primæ sectionis. Hoc vnū est in signis tam bonis, quam malis obseruandum, quod nisi per aliquot dies signa perseuerent bona, vel mala, nihil certi indicent: quare si contingat, quod vnico die sit signum saluberrimum, salutem non prænunciamus, nisi perseueret saltem per tres dies. Pari modo si vnius diei spatio appareat aliquod signum mortiferum, & non perseueret aliis diebus, ex illo nihil certi colligi potest. Hanc doctrinam desumpsimus ab Hippoc. 2. præsagiorum 26. vbi loquens de vrina optima, sic admonet ¶ vrina optima, est, cuius sedimentum sit candidum, leue & æquale per omne tempus, id est per plures dies.

Auicennas similiter prima primi doct. 3. c. 3. loquens de vrina habet hunc conceptum ¶ In vrina tunc signa esse verè mala, si perseuerent mala. Idē dicendum de omnibus aliis signis malis, vel bonis, quod sine perseuerantia, bona verè bona non sint, nec mala verè mala.

Præterea ex signis quoq; præsentib. remedia colligi possunt: quia Galen. 1. in primam prædict. comm. 5. habet hæc ferè verba ¶ si virtus est debilis, sine vlla manifesta euacuatione, vel ostendit copiam grauantem, vel intemperiē vnius principiorum: ex hac obseruatione statim dicimus ¶ si virtus est debilis ob humorum copiam: ergo sanguinis missio cōueniet: quia per sanguinis missionem tolletur suffocatio, & virtus reuirescet. Si verò humorum copia non adsit, quod facile dignosci potest ex habitu corporis, & ex ante acta viuendi ratione, non euacuantia, sed alterantia conuenient.

virtus debilis vel ob præuiam euacuatem vel ob copiam grauantem vel ob intemperiem vnius principiorum

Pari modo dum præcognouerimus morbum longum, vel breuem futurum poterimus variis, & vario modo, vti remediis. Modum verò nos docet Galenus 3. præsagiorum 28. vbi habet hanc sententiam ¶ ob tres causas, morbos reddi posse longos, nempe vel ob particulam, cui ægrè curatio adhiberi possit. Secunda ob crudos & crassos humores. Tertia ob errorem commissum: inde remediorum materias eligimus: quia ob crassos humores vti-

mur incidentibus, cuiusmodi est oxymel: ob errorem commissum eligimus modum dietandi: ob partem læsam, cui ægrè curatio adhibetur alia prout pars quoque diuersa est, eligimus remedia, vt affectus præter naturam partis superetur.

Sed in explicatione 12. aphoris. satis supérque egimus de signis indicantibus felicem, & de indicantibus infaustum finem.

INDEX CAPITVM.

FINIS.

SANCTORII SANCTORII

OLIM

IN PATAVINO GYMNASIO

MEDICINAE THEORICAM

ORDINARIAM PRIMO

LOCO PROFITENTIS

COMMENTARIA

IN PRIMAM SECTIONEM

Aphoriſmorum Hippocratis, &c.

CVM INDICE RERVM NOTABILIVM, & Quæstionum, & cum Indice Capitum

De Remediorum Inuentione.

VENETIIS. MDCXXIX.

APVD MARCVM ANTONIVM BROGIOLLVM.

Superiorum permiſſu, & Priuilegijs.

FRANCISCO MARIÆ II.

VRBINI DVCI VI.

SERENISSIMO, ET INVICTISSIMO.

TATICAM medicinam tot ſeculis ſepultam, è tenebris in lucem, & hominum proſpectum longo vſu & periclitatione arceſſimus. Huius Diuinæ artis virtute longæuitatis cupidum ad centeſimum quoque annum perduci poſſe exiſtimauimus. Res tam magna, tam eximia, tam ab hominibus exoptata longæuitas, eius patrocinium non aliundè, quam à veritate ipſa dependet: vſus enim, & experientia rem ipſam aperiunt: attamen cum veritas ex ſe ſit moleſta, & ex illa odium naſcatur, pro fulcimento exoptat ſummum virum binis dotibus exornatum: altera, quod in omni doctrinarum genere ſuper cæteros emineat; altera quod ſit vitæ longeuæ ſtudioſiſſimus, quique incolumitatem ad annos Neſtoreos recto & perenni regimine dirigat. Talis es Tu Franciſce Maria celeberrime: quia ſi ſpectemus Tuę virtutis elogia, ſunt in excelſo ſita, vt non ſolum noſtri, ſed cuiuſcunque ſeculi obiecta eminentiſſima, ſuntq; e diffuſa, & per totius Europæ tractus, & quicquid Meridiano & Septentrione finitur peruadunt: ſi vellem lingua hac mea balbutiente laudi-

bus te in Cælum efferre, absque dubio potius nebulam tam radianti honori offunderem, quam serenitatis lucem: ipsa enim splendescens semper, ac splendore suo quam latissimè fundens spargit omnia, omni ex parte illustrans, atque rutilans. Si spectabimus ingenij aciem & prudentiam: illa est supra humanam euecta fidem: ista est perfectissimæ prudentiæ exemplar. Si conferamus Te cum alijs Principibus, tibi Homericum carmen conueniet.

Ille sapit solus reliqui volitant velut vmbræ.

Si spectemus Prencipem, qui valetudini & longæuitati accuratè incumbit, neminem te solertiorem inueniemus, siquidem spreuisti semper noxia allectamenta non naturalibus blanditijs accersita, & illecebris voluptatis delinita; vnde omne malum: vnde innumeris immatura morte præreptis implentur feretra ante diem funesta. In tua longæuitate omnes oculos coniectos habebunt, quando te sospitem, & incolumem propè centesimum annum intuebuntur.

In his Commentarijs explicantur artis præcepta ab Hippocrate in Aphorismorum modum disposita, quæ sunt artis summa capita paucis expressa, suntque sententiæ seminis instar mole quidem minimæ, & virtute maximæ, quo ad verba inopes, quo ad sensum locupletes, & vt vno verbo dicam sunt tot gemmæ, collectæ ab Hippocrate ex alijs suis libris, eo modo, quo apes ex floribus suauissimum mel. Super his mea insudarunt commentaria, quæ Celsitudini Tuæ qualiacumque sint, dono, voueo, & consecro, in quibus si aliquid boni pro vita diutissimè protrahenda affuerit, omne tibi de gerocomica medicina benemerito dicatum volo. Bene valeas Serenissime & inuictissime Dux & Nestoreos viuas in annos.

Anno Salutis M DC X X I X.

Serenissimæ Celsitudinis Tuæ

Seruus humilimus

Sanctorius Sanctorij.

EPIGRAMMA

AD

PERILLVSTREM, PRÆSTANTISSIMVM, ET EXCELLENTISSIMVM VIRVM,

D. D. SANCTORIVM SANCTORIVM, &c.

IN COMMENTARIIS SVIS Aphoriſmorum Hippocratis.

VNERA SANCTORI quæ nobis grata dediſti;
SANCTORI medicæ maximus artis honor.
Perge tuis medicos ornare laboribus hortos,
Commoda quæ vitæ ſint meliora, doce;
Sic duce te creſcunt cupidi bona publica mundi,
Commendat nomen ſic tua fama meum.
Sic ego, ſic omnis medicis imbutus ephebus,
Artibus æterno tempore gratus erit,
Et nomen ſine fine tuum ſuper aſtra feretur.
Rem medicam tali quod ratione iuuas;
Vt tua perpetuo, te fama ſuperſtite creſcens
Plus ſenſim veteri, lumine lucis habet.
Sic ſtudioſorum, iuuenumque ſcientia creſcens,
Fit magis ex libris ingenioſa tuis,

Vtque

Vtque senex nomenque tuum miratur & artes,
Sic colit & laudat teque tuosque libros.
Et tua cum fructu perdocta volumina versas.
Plurima, quæ nusquam viderat ante videt.
Nunc quoque post multos alios summosque labores
En colis Hippocratis scripta labore tuo.
Viue diù, re pergatque fauens te sospite parca
Nere tibi fusis stamina longa suis:
Opto ego vitali perfusus balsamo Hygeæ,
Vt vincas Pylij secula trina Ducis.

Beneuolentiæ & grati animi ergò Paulus Parauicinus de Capellis Vvlturano Berbenensis eiusdem Sanctorij discipulus. P.P.



In Perilluſtris

D. SANCTORII SANCTORII COMMENDATIONEM

Pro editis in Aphoriſmos Hippocratis Commentarijs.

ÆC miranda Senis diuini oracula Coi,
Queis ægris rectam miſeris præſcribere victus
Normam, atque inſtituit tutò præcepta medendi;
Sectio cui venæ proſit, purgatio quando,
Et morbi certum docuit prædicere finem;
Haud ſatis elapſis ænigmata cognita ſeclis;
Sanctorius, medicæ lumen qui præbuit Arti,
Explicat ingenio mirabilis œdipus alter.
Magnus Apollinei Sanctorius gloria cœtus,
Atque Decus Patriæ, quam Cæſar condidit olim
Iuſtinus, nomenque ſuo de nomine finxit.
Vrbs antiqua ferax oleæ, laticiſque lyæi,
Quam ſcopulo affixam pelagi circum alluit vnda,
Nec procul aprici colles, lætique coronant,
Et propius poſitæ circum ſtant ritè ſalinæ,
Debita doctiloquo veræ præconia laudis
Solue Viro, natoque tuo; nam clara per orbem,
Æternum docta hæc viuent dum ſcripta per æuum,
In precio dum Phæbus erit, tua fama vigebit.
Voſque adeo Sacræ Iuuenes, qui incumbitis Arti,
Abſtruſos ſi tangit amor cognoſcere ſenſus,
Nocturna, hæc verſate manu monumenta, diurna;
Hippocratis nectar claro de fonte bibetis,
Veſtraque Phæbeæ præcingent tempora lauri.

Alexander Brutus nobilis Polonus, & Iuſtinopolitanus Philoſophus, ac Medicus Præceptori doctiſſimo, ac benemerito obſeruantiæ, ac gratitudinis ergo P.

EPIGRAMMA
IN
LIBRVM SANCTORII SANCTORII ETC.
DE INVENTIONE REMEDIORVM.



VOD *malè curarent homines languentia membra,*
Viderat ex alta Pulcher Apollo Domo:
Respondet Phœbus quæ morbis quæritis ægri
Pharmaca mortales? quæ medicina datur,
Tenditis in mortem tali ratione medendi,
Corruit & labens, non reparatur opus:
Restitui in melius, si vultis corpora læsa
Viuendique frui commodiore via,
Discite quam vobis Methodum Sanctorius offert,
Voluite tàm doctum tempus in omne Librum:
Optima præ reliquis medicandi dogmata tradit,
Integra quoque modo sit retinenda salus.
Extendi vitam, qui longum vultis in æuum,
SANCTORIO *Insigni dicite, viue diu.*

Grati animi ergo Paulus Parauicinus de
Capellis Vulterano Berbenensis P. P.

INDEX QVÆSTIONVM.

Finis Index Quæstionum.

INDEX RERVM, ET SENTENTIARVM IN HOC OPERE CONTENTARVM.

Argen-

Cor-

Ecly-

Fe-

Sana

S

sudo-

F I N I S.

SANCTORII SANCTORII

Olim

IN PATAVINO GYMNASIO MEDICINÆ THEORICAM ORDINARIAM PRIMO LOCO PROFITENTIS

Commentaria.

IN PRIMAM SECTIONEM APHORISMORVM HIPPOCRATIS.

VITA breuis, & ars longa nobis persuadent, vt in explicatione aphorismorum omittamus superflua, ac solum quæ sunt apprimè necessaria ad aphorismos, & artem medicam adducendam prosequamur. Cæterum, ne omnino illotis manibus ad horum interpretationē accedamus, hæc, sed paucis quidem, considerabimus. Primum de inscriptione. Secundum, an aphorismi aliquo ordine traditi sint. Tertium de intentione Hippocratis in hoc libello. Quartum an hic liber sit Isagogicus. Quintum de subiecto huius libri, & totius medicinæ. Postremò nonnulla pauca de artis prçstantia.

Græci tamen, vt Simplicius, & Amonius in anteprædicamentis ante textus interpretationem decem faciunt præludia. Auerroes vero in primo text. primi Physicorum proponit octo. Nos tamen pauciora. Sed antequam ad huiusmodi intentionem accedamus, hæc tria in his commentarijs pollicemur.

Primum in ijs, quæ parum vtilitatis afferunt, non immorabimur: neque illos, qui fusè disputant de nominibus imitabimur. Contra quos Galenus lib.3. de differentijs pulsuum cap. primo his ferè verbis inuehitur: Isti, qui in hac facultate disputant de nominibus, sunt venia indigni: quia tot, ac tanta sunt in hac arte, vt si vita nostra in triplum prorogaretur, adhuc illa exactè consequi non possemus.

Secundum, si in aphorismis latinis sensus fuerit clarus, syncerus ac fidelis. Nos verba Græca nec allaturos, nec nominaturos quidem: si vero in aphorismis Latinis Hippocratis arcana non fuerint omnino expressa, quod sæpè accidit, nos nonnulla è Græca eruditione eruta antea fortasse ab

alijs non visa, quæ nouum sensum, nouamque afferent intelligentiam, proponemus.

Tertium si à principijs huius Theoricæ, tamquam è Cælo aliqua colligi poterunt medicamenta, vel instrumenta nobis inseruientia pro conseruanda, vel recuperanda sanitate, illa in mediũ afferemus: neque iniuria quidem: quia sicuti Practici munus est comprobare propria theoremata per ipsam theoricam, quæ comprobatio est à priori, & per demonstrationem propter quid: sic Theorici munus est propria theoremata per ipsam practicam confirmare, videlicet à posteriori, seu per demonstrationem quia.

QVÆSTIO I.

De Inscriptione.

QVo ad inscriptionem, quæ est, Hippocratis Coi Aphorismorum sectio 1. Circa hanc inscriptionem tria sunt consideranda.

Primum, quid nomen aphorismi significet. Secundum, quænam sit aphorismi natura. Tertium verò de persona Hippocratis.

Quo ad nomen aphorismi, id deducitur à verbo Græco ἀφορίζω quod verbum tria significat.

Primo significat separo: sic Galenus in commento primi aphorismi vocat aphorismos sentẽtias separatas: similiter Diuus Matthæus cap. 15. inquit, quod pena, qua Rei afficiebantur, erat quod ab alijs separarentur, illamque separationem vocabãt aphorismum.

Secundo ἀφορίζω significat constituo, seu definio: sic Aristoteles 3. & 4. Ethicorum per ἀφορίζω intelligit constituo, seu definio: ορίζω enim significat definio.

Tertio ἀφορίζω significat eligo: similiter Aristoteles 4. politicorum dicit, ciues boni eliguntur, idest ἀφορίζονται: sic Diuus Paulus electos vocat ἀφορισμένους: quare aphorizo significat separo, constituo, & eligo siue expurgo. hæc de nomine.

Quo ad naturam aphorismi: aphorismus continet in se tres conditiones.

Prima quod sit sententia separata, distincta, & sine ordine prolata; quæ conditio re vera magis se tenet ex parte nominis, quam ex parte rei: quia potius ethimologiam, quam intimum sensum patefacit.

Secunda conditio est, vt aphorismus sit sententia constituta, definita, rata, & certa rerum explicatio.

Tertia, quod aphorismus sit sentẽtia selecta continens in se magnam vim.

Hæ duæ postremæ conditiones magis explicant intrinsecam aphorismi naturam: aphorismi enim sunt sententiæ ex alijs libris selectæ, ita vt nullus sit aphorismus in hoc libro, qui non reperiatur in alijs Hippocratis libris: sicuti enim apes colligunt mel ex præstantioribus floribus: Sic Hippocrates ex his, quæ dixit in alijs libris, colligit has diuinas sententias, tamquam suauissimum mel, easque distribuit in septem sectiones.

Hinc varij Auctores respicientes modo ad primam conditionem, modo ad secundam & tertiam vario modo descripserunt aphorismos.

Auerroes in coll. & Mesues in lib. de consolatione medicamẽtorum, dum citant aphorismos, dicunt, sicuti dixit Hippocrates in libris separatorum sermonum.

Græci, Latini, & ipse Galenus respicientes ad secundam & tertiam conditionem, quæ magis explicant essentiam aphorismi, varijs conceptibus descripserunt naturam aphorismi.

Philotheus antiquus interpres, & commentator aphorismorum Hippocratis dixit, aphorismum esse sententiam quo ad verba inopem; sed quo ad sensum locupletem, quia paucis exprimit ea, quæ sunt magni momenti.

Hinc Suidas definiens aphorismum vult, esse sententiam tanti momenti, vt superet humanum captum: additque, Hippocratem illos composuisse potius Diuino, quam humano afflatum lumine.

Budeus definit aphorismũ duobus verbis, dicẽs, aphorismum esse dictũ sentẽtiosum.

Galenus in Comm. 1 aphorismi inquit, aphorismũ esse sententiam, quæ breuissimis verbis rerum proprietates maximè ad vsum accommodatas circumscribit. Immo Gale-

Galenus, dũ Hippocrates 4. de ratione vic. 19. protulit illam diuinam sentẽtiam, quæ his breuissimis verbis docet quando sit mittendus sanguis, *si morbus fuerit vehemens, ætasque floruerit, & virium robur affuerit, sanguinem detrahes*, miratur in illo Comm. cur Hippocrates dictam sententiam in aphorismorum numero nõ collocauerit: quia paucis exprimit sententiam, quæ habet magnam vim, cum paucis doceat, quando sit mittendus sanguis: medici enim maximè existimãtur, dum tempus opportunum mittendi sanguinem rectè percipiunt.

Ex his colligimus, aphorismum esse orationem inopem quo ad verba, locupletem vero quo ad sensum, esseque sententiam electam, & expurgatam, atque in se magnam vim continentem.

Sed inde oritur dubitatio, quia, si de ratione aphorismi esset oratio breuis & electa continens magnam vim, sequeretur, quod adagia & apophtegmata essent Aphorismi, quod non est dicendum.

Respondent nonnulli, aphorismos esse solum inuentos ad vsum medicum, atque aphorismos in alijs facultatibus non habere locum. Cæterum falluntur, quia dantur aphorismi politici, de quibus Iustus Lipsius, Ioannes Cokierius, & alij scripserunt.

Quare dicimus, Aphorismos esse sententias breues continentes magnam vim, siue ad vsum medicum, siue ad vsum politicum, vel aliarum facultatum, sed selectas ex eadem facultate. Quando vero non sunt ex eadem facultate selectæ: sed per omnes vagantur: tunc apophtegmata, seu adagia vocari possunt.

Aphorismi enim Hippocratis præcipuè selecti sunt ex prorrheticis, ex lib. prognos. ex lib. de aere, aquis & locis, ex lib. de ratione vic. ex Epidemicis, & ex alijs libris, itaut nullus Aphorismus inueniatur in hoc libello Hippocratis, qui in dictis libris nõ reperiatur: quasi quod Aphorismi sint tamquam flores sententiarum alibi propositarum: quare & ex Medicina, & Morali Philosophia, & ex qualibet alia facultate aphorismi colligi possunt.

Quo ad personam Hippocratis, Hic fuit Princeps Coacæ academiæ. Hic fuit nobilis vtroque parente. Fuit filius Heraclidis ex familia Asclepiadorum, quæ à Ioue, Apolline, & Esculapio originem duxit. A Ioue fuit vigesimus: ab Apolline decimus nonus: ab Esculapio decimus octauus: testis enim est Plato in Protagora, & Phædro, vbi inquit, Hippocratem natum esse ex progenie Esculapij. Apollo fuit inuentor medicinæ: vnde ars medica vocata est apollinea, & Phæbea: diciturque Apollo: quasi ἀπολύων, idest abluens à malis, vt dicit Plato in Cratilo, vbi agit de recta nominum impositione. Eusebius dicit, quod Apollo dicatur ἀπὸ τοῦ ἀπαλλάττεσθαι τὰς νόσους, quia à morbis liberat.

Mater Hippocratis fuit Praxitea, quæ ab Hercule traxit ortum.

Hippocrates fuit sapientissimus, & doctissimus: Galenus n. 1. meth. cap. 2. vult, Platonem & Aristotelem ab Hippocrate philosophiam desumpsisse. Fuit doctissimus: habuitque præceptores insignes. In Rhetorica habuit Gorgiam Leontinum. In Philosophia Democritum, in cuius gratiam doricè scripsit aphorismos. In medicina habuit eius patrem, & Herodiacum illum famosum.

Habuit duos filios, Thessalum & Draconem, qui soliti erant à comicis irrideri: fortasse ob eorũ inscitiã, quamuis re vera Thessalus apud Archelaum Regem Macedoniæ fuerit in maximo honore. Habuit quoque filiam, quam dum esset in Macedonia collocauit auo Aristotelis, vnde natus est Nicomachus.

Floruit Hippocratis Pater annis quingentis ante Christi aduentum. Post Homerum annis quadringentis: ante Aristotelem vero mortuus est annis centum & vndecim. Aetatis annorum 104. vt refert Suidas: obijtque in Larissa Thessaliæ, quæ est insula in arcipelago, atque nunc eius domus aduenis ibidem ostendi solet.

Hic fuit ille magnus Hippocrates, qui composuit aphorismos, vt refert Galenus in hoc commento, quod quidem potest quoque comprobari auctoritate, & ratione: auctoritate nõ solum Galeni, sed omnium Græcorum, Arabum, & Latinorum, ad differẽtiam Hippocratis Aui, qui secun-

dum opinionem nonnullorum, vt refert Galenus 1. de ratione victus comm.18. composuit libros de fracturis & de articulis, ad differentiam Hippocratis nepotis, qui secundum opinionem Dioscoridis, referēte Galeno 1.in 6.epid. com.28.composuit libros de morbis. Idem probatur ratione: quia libri legitimi Hippocratis distinguuntur à spurijs: nam in legitimis obseruatur summa breuitas, summa veritas, & summa dicendi grauitas: sed sic est, quod in aphorismis Hippocratis obseruatur summa breuitas, quia nulla dictio est superflua: summa veritas: quia ex Galeno 1. de V.P. 9. dictio Hippocratis voci Dei æquiparatur: obseruatur summa grauitas: quare aphorismi inter legitimos Hippocratis libros sunt collocandi.

Hic fuit ille magnus Hippocrates, qui fuit & probus, syncerus, & magno ingenio: agens enim de futuris capitis patefecit proprios errores: vnde factum est, quod Quintilianus lib.3.cap.8.de Hippocrate ista dixerit, *Hippocrates clarus in arte medicina videtur honestissimè fecisse, dum proprios quosdam errores confessus est, hoc fine ne posteri peccarent.*

Celsus lib.8. cap.4. laudans Hippocratem ob confessionem proprij erroris, habet hec verba. Leuia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt: at magno ingenio, magnaque nihilominus habituro, conuenit etiam simplex proprij erroris confessio, præcipuè ne posteri decipiantur.

Post Hippocratem ante Galenum duodecim famosi aphorismorum interpretes numerantur, nempe Attalus, Bacchius, Donus, Erophilus, Eraclides, Lycus, Marinus, Pelops Galeni præceptor, Quintus, Ruffus, cuius adhuc extant monumenta, Soranus Ephesius, & Zeusis. Post Galenum innumerabiles fuerunt, sed inter recentiores, isti præcipuè sunt legendi, nempe Triuerius, Oddus, Saluus Sclanus, Montanus, Cardanus, Capiuaceus, Zechius, & quamplurimi alij qui eandem doctrinam secuti sunt.

QVAESTIO II.

An aphorismi aliquo ordine traditi sint.

Omnes ferè dicunt, & ipse Galenus, aphorismos esse sententias separatas, & sine ordine prolatas. Sed quomodo defendi poterit Hippocrates, quod tradiderit medicinam sine ordine? hoc sane videtur Hippocrate indignum: non ne poterat Hippocrates illud efficere, quod deinde fecit Euclides. qui omnia theoremata geometrica disposuit secundum ordinem compositiuum? Similiter non ne Hippocrates poterat efficere quod deinde effecit Aristoteles in analyticis, & moralibus, qui miro ordine resolutiuo omnia præcepta disposuit? in primo enim Post. in principio proposuit definitionem scire, quod est finis demonstrationis: deinde ex illa collegit omnia præcepta pro formanda demonstratione.

Parimodo in libris ethicorum ex notione finis, idest felicitatis præcepta collegit, quibus obseruatis reddi possumus (si velimus) felices & beati. Sic Hippocrates poterat in 1.aphorismo, vel in 2. proponere finem medicinæ: deinde ex fine colligere aphorismos potiores pertinentes ad partem physiologicam, deinde pertinentes ad simioticam, & pathologicam, demum omnes illos recitare, qui inseruiunt pro conseruanda, vel introducenda sanitate, quem ordinem obseruauit Auicennas in 1. lib. Canonis, & Auerroes in libris colliget.

Respondent nonnulli pro Hippocrate, aphorismos esse ordinum incapaces. Hæc responsio est alijs deterior: quomodo sunt ordinum incapaces? non ne Auicennas proposuit in Cantica 757.aphorismos miro ordine dispositos? Præterea non solum aphorismi, sed fabellæ, & nugæ possent secundum ordinem resolutiuum, vel compositiuum disponi.

Respondet Galenus ad instantiam 2. de ratione victus 36. & 3. aphorismorum 16. his verbis. Non est mirum, si Hippocrates ijs quæ dixerit non dederit ordinem quia fuit primus inuentor: primi verò inuentores non possunt dare complementum rebus. Quare non est mirum, si aphorismi legantur sine ordine.

Sed augetur dubitatio, quia videntur aphorismi miro ordine contexti; quoniam à 4.aphorismo vsque ad 20. agit de ratione victus, ita vt, neque syllaba sine miro ordine prolata sit.

Nos

Nos respondemus, ordinem duplicem esse, alium vniuersalem, qui dat esse & formam libris, & est ordo resolutiuus, & compositiuus. Datur quoque ordo particularis, vel accidentalis, qui non est resolutiuus, vel compositiuus: sed inseruit pro aliqua occasione, vel ad memoriã: sicuti dum practicantes agentes de morbis incipiunt à morbis capitis: deinde descendunt ad morbos thoracis: iste ordo neque est resolutiuus, neque compositiuus: sed solum inseruit ad memoriam: simili ordine vsus est Hippocrates in aphorismis.

Quidam dicũt, librum aphorismorum, & artem paruam habere illam proportionem ad vniuersam medicinam in tot Galeni libris expositam, quam habent pueri infantes ad viros, quia dicunt: sicuti in infantibus multa deficiunt pertinentia ad solidas partes: sic in libris aphorismorum multa deficiunt pertinentia ad singulas medicinæ partes. Addunt in pueris infantibus deficiunt centum, & quindecim ossa, nempe duo ossa bregmatis, quæ adhuc sunt cartilagines, os ithmoyde, duo ossa stylloides, quatuor ossa coccygis, 32. dentes, 48. ossa sesamoidea, 16. ossa carporum, 8. tarsorum, & 2. patellæ.

Nos respondemus, non esse parem rationẽ de arte parua, & de aphorismis: quia in arte illa multa deficiunt: sed in aphorismis omnia solida artis præcepta inueniuntur: ideo aphorismi nõ habẽt illam proportionem ad vniuersam medicinam, quam pueri ad viros: sed potius oppositum dicemus, totam videlicet medicinam, quę multis, & superfluis verbis declaratur, habere illam proportionem ad aphorismos, quam habent pueri ad viros, quia paucis in ipsis omnia amplectuntur.

QVÆSTIO III.

De intentione Hippocratis & medicinæ diuisione.

QVo ad intentionem seu institutum Hippocratis in hoc libello, dicimus esse ex vniuersa medicina seligere sententias magis purgatas, ac ad vsum medicum accommodatas, dicimus ex vniuersa medicina, & ex qualibet eius parte.

Diuiditur medicina in quinque partes: quarũ prima dicitur physiologica, quæ agit de septem rebus naturalibus, quæ sunt elementa, temperamenta, humores, membra, facultates, spiritus & operationes.

Secunda pars medicinæ dicitur pathologica, quæ agit de morbis, symptomatis, & causis morborum.

Tertia dicitur simiotica, quæ agit de signis.

Quarta dicitur ygini, idest salubris, quę agit de tuen. sanitate.

Quinta vero dicitur therapeutica, idest pars curatrix, quæ agit de recuperanda sanitate. Ab omnibus istis medicinæ partibus Hippocrates desumpsit sententias magis purgatas, ac magis ad vsum accõmodatas, quæ sunt ipsi aphorismi.

In hac prima particula Hippocrates nixus illo fundamento, quod medicina (vt docet lib. de flatibus cap. 6.) sit additio, & ablatio, agit de additione & ablatione: de additione agit à 4. aphorismo vsque ad 20. quæ additio fit per victus rationem: de ablatione vero à 20. aphorismo vsque ad finem istius particulæ, in qua agit de loco, tempore, quantitate, & qualitate euacuationis, vt fusè in illorum aphorismorum declaratione explicabitur.

QVÆSTIO IV.

An hic liber aphorismorum sit Isagogicus?

QVæritur an hic aphorismorũ libellus sit Isagogicus, videlicet an sit legendus ante alios, vel post alios. Ex vna parte videtur esse Isagogicus: quia Galenus in cõm. ait, aphorismos esse vtiles ad acquirendam primam disciplinam: ergo ante alios legendus est. Ex alia parte Galenus 1. de alimentis cap. 1. vult, compendiosas tractationes conuenire prouectis, & non tyronibus: sed sic est quod aphorismi pertinent ad compẽdiosam tractationem, ergo conueniunt prouectis, & non tyronibus.

Præterea sectione 4. aphorismorum comm. 71. Galenus habet hanc sententiam *Nemo audeat aggredi aphorismorum interpretationem, nisi prius totam medicinam ad-*

discat: ergo liber aphorismorum post alios erit legendus.

Respódet Oribasius, aphorismos legi posse ante alios, & post alios; ante alios cum interprete in arte medica versato: post alios sine boni interpretis auxilio: ratio est, quia in aphorismis continentur præcepta pertinentia ad quamlibet medicinæ partē, nempe ad physiologicam, pathologicam, simioticā, ygini, & therapeuticā. Si igitur tyrones inciderēt in aphorismū ad therapeuticam pertinentem, nó præcognita pathologia, illum non intelligerēt, nisi ope boni interpretis. Dum verò dixit Galenus, cōpendiosas tractationes cōuenire prouectis, dicimus intellexisse sine Præceptoris auxilio.

QVÆSTIO V.

De subiecto.

QVæstio est de subiecto: sed quia fusius in commentarijs Auicennæ egimus de hac re: ideo paucis in hoc loco. Dicimus igitur, illud esse in hoc aphorismorum libello subiectum, quod est in tota arte medica: solum differt, quia subiectū in hoc libello traditū est doctrina aphoristica: in tota verò arte medica traditū est ordine resolutiuo, sed fusissima oratione.

Subiectum igitur medicinæ duplex est, aliud circa quod versatur ars medica, atque hoc est corpus humanum, quod à Galeno lib. de partibus artis medicæ cap. 8. vocatur secunda materia: per hoc subiectum ars medica non distinguitur à philosophia naturali: quia philosophia naturalis considerat & corpus humanum, & sanitatem.

Aliud vero est subiectum artem constituens, atque hoc subiectum est ratio formalis, per quam medicina distinguitur à philosophia naturali, & ab alijs artibus: hęcque ratio formalis ex Aristotele 1. Rhetoricorum in principio, & ex Galeno lib. ad Trasyb. 28. est finis, per quem artes constituuntur, & ab ailjs distinguuntur.

Finis verus & proximus in medicina, per quem medicina constituitur, & distinguitur ab alijs facultatibus, si credendum est Galeno, Aristo, Auerroi, & probis Auctoribus non est sanitas: sanitas enim est scopus, seu finis postremus.

Galenus lib. de sectis in principio habet hæc verba, *τῆς ἰατρικῆς σκοπὸς μὲν ὑγεία: τέλος δὲ ἡ κτῆσις αὐτῆς*, ideſt sanitas est medicinæ scopus: finis vero est comparatio sanitatis.

Aristoteles 1. Rhetoricorum ad Theodectem cap. 1. habet hæc verba: non est finis medicinæ sanitatem introducere, sed quousque possibile est bene curare, quia rectè curamus etiam insanabiles. Neque Rhetoris finis est persuadere, sed aptè dicere ad persuadendum. Neque nautæ finis est portus: sed inuenire modum, quo possimus portum adipisci.

Auerroes 1. colliget cap. 1. habet hæc verba: Finis medicinæ non est ad sanandum, sed ad faciēdum quod possibile est ex arte.

Hinc Galenus 2. meth. cap. 7. & 9. meth. 7. loquens de parte curatiua non dixit finem esse sanitatem: habet enim hæc verba: Finis propositæ tractationis est inuenire remedia, vt bene curemus. Primo vero de tuen. sanit. in principio habet, Finem medici conseruantis esse modum inuenire, quo sanitas possit conseruari, prout possibile est: ita vt artifices omnes fabricent suum subiectum.

Hinc Aristoteles 2. Post. cap. vltimo & 6. Eth. cap. 4. asserit, artes versari circa generationem sui finis, siue sui subiecti formalis ad differentiam philosophiæ naturalis, metaphysicæ, & mathematicæ, quarum subiecta non fiunt, sed facta sunt ab æterno

Quare concludimus cum Aristotele, quod bene, & quousque possibile est curare humanum corpus, quod consistit in remediorum inuentione, sit finis, & ratio formalis partis curatricis.

Bene vero, & quousque possibile est conseruare, sit finis, & ratio formalis subiecti medicinæ conseruatricis.

Bene & quousque possibile est restaurare sit finis analepticæ.

Ideo subiectum in tota medicina dicimus esse corpus humanum, quod ex arte idest per rectam inuentionem remediorum quousque possibile est curetur, conseruetur, præseruetur, & restauretur, traditum doctrina resolutiua fusissima oratione:

tione: subiectum verò in hoc libello idem esse, sed traditum doctrina aphoristica.

QVÆSTIO VI.

De medicinæ Præstantia.

QVo ad medicinæ prestantiā spectat omissis alijs Auctorib. testes de ipsa sunt sacra Scriptura, Plato, Aristoteles, & Historiæ. Quo ad sacram Scripturam: in Ecclesiastico legitur illud tritum & vulgatum. Honora medicum propter necessitatem: creauit enim illum Altissimus: subdit, disciplina medici exaltabit illum, & in conspectu magnatum collaudabitur. Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.

Præterea medicina fuit in tali existimatione, vt Ezechias scripserit librum de medicamentis. Esaias verò cap.3. dum loquitur de medico, sumit illum pro homine, qui semper affluat diuitijs: profertque hæc verba: non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum; quasi dicat non sum diues, quia supponit non inueniri medicum, qui diuitijs, & alijs fortunæ bonis non affluat.

Christus Saluator Noster in sanando paralytico se medicum ostendit. Diuus Paulus ad Timotheum ostendit, se versatissimum in medicina, dum dicit: noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates. similiter Diuus Lucas Euangelista teste Paulo exercuit medicinam.

Petrus Hispanus, qui deinde fuit Pontifex Romanæ Ecclesiæ, medicinam exercuit: extat enim eius liber de re medica, qui vocatur thesaurus pauperum.

Si verò inspiciamus Platonē in Timæo, vbi agit de morbis, de febrium, & humorum peccantium differētijs, arbitratus est, nihil felicius humanis corporibus contingere posse, quam bene valere. Immo proponit quamdam cantilenam conuiualem in Gorgia solitam celebrari à discumbentibus dicens: optimum est bene valere: secundo loco esse formosum: Tertio habere diuitias nulla fraude acquisitas.

Si vero inspiciamus Aristotelem, ipse fuit medicus, egitque de sanitate et morbo.

Postremò si ex quæstu, & mercede huius artis præstantiam colligere velimus (licet Hippocrates scribens ad Abderitas dicat pro eius vsu mercedem nunquam accepisse) nulla esset ista præstantior (omissis alijs textibus) quam refert Philippus Comineus lib.6.cap.7. suæ historiæ, nempè Lodouicum XI. Galiæ Regem suo medico, dono dedisse singulis mensibus decem millia aureorum & vltra, itaut spatio quinque mensium (vt refert) receperit aureorum 54. millia.

Erasistratus ob sanitatem Antiocho Regi restitutam mercede dono habuit centum talenta quæ sunt nostrorum aureorum 60. millia.

Plinius mentionem facit de medicorum muneribus, inter cæteros nominat Cassium, Arantium, Carpintaccium & alios, qui pro annua mercede habebant ducenta, & quinquaginta sextertia, quæ ex Budeo sunt sex millia ducenta, & quinquaginta aureorum. Cæterum mittamus lucrum, seu mercedes, quæ sanè non declarant medicinæ præstantiam: quia non desunt Principes, qui plus dant nebulonibus, quam medicis, & philosophis: dignitas enim, & medicinæ præstantia inde est colligenda; quia vitam protrahit, & sanitatem restituit, quod magis valet, quam infinitus thesaurorum numerus. Demum dignitas confirmatur, vt dictum est, quia illam sacra Scriptura, illam Plato, Aristoteles, & omnes sapientes ad sydera extollunt.

APHO-

APHORISMVS PRIMVS.

ITA breuis, ars longa, occasio præceps: experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem: sed & ægrum, assidentes, & exteriora.

In explicatione omnium aphorismorum tria cōsiderabimus. Primo scopum, & sensum aphorismi. Secūdo singula verba perpēdemus: quia nulla est dictio, immo nullus est articulus in aphorismis Hippocratis, qui aliquod mysterium in se nō contineat. Tertio difficultates, quæ contingent in verborum explicatione pro viribus diluemus.

Quantum attinet ad scopum, seu intētionem Hippocratis in hoc 1. aphorismo, dicimus, quod eius intētio sit tradere proœmium, quo reddat nos attentos, dociles, & beneuolos, quod est adeo genericum, vt dici possit proœmium vniuersæ medicinæ.

Dum dicit, *Vita breuis*, duo cōprehendit. Primo reddit auditores attētos: nihil enim potest magis, quam vitæ breuitas reddere nos attentos, attonitos, & stupefactos.

Secundo addijt rationem sui instituti, cur scilicet aphoristicè scripserit.

Vel dicimus respondere cuidam tacitæ obiectioni; quia aliquis potuisset dicere, ò Hippocrates, cur tractasti artem medicam difficilem quidem, & abstrusam doctrina aphoristica, quæ est breuissima?

Respondet, quia vita est breuis, ideo nobis in hac vitæ angustia videtur maximè difficilis. immo Galenus 3. de diff. pulsuum cap. 1. ait, si vita nostra in triplum prorogaretur adhuc non sufficeret pro arte medica exactissimè consequenda.

Dum vero dicit, *experientia periculosa, & iudicium difficile* reddit auditorem docilem, quia docet duas vias, quibus in arte medica sit incedendum: nempè iudicium, & experientiam. Hæ duæ viæ vocantur à Galeno in comm. duo crura, dicendo iudicium esse crux dextrum, experientiam vero sinistrum.

Quod verò iudicium siue ratio sit crus dextrum, & per consequens sit magis adnexum artibus, quam experientia probari potest ex Aristotele, & Galeno: ex Aristotele in proœm. metaphy. vbi dicit, scire & cognoscere magis inesse arti, quam ipsam experientiam: ex Galeno 1. meth. cap. 3. & 5. meth. 3. vbi inquit, methodum in arte longe præstare experientiæ.

Dum verò dicit, *non solum oportet*. reddit auditores beneuolos; quia ostendit ad sananda corpora non solum conspirare medicos, sed ægros, astantes, & exteriora: itaut si ægrotantes non consequantur exoptatam sanitatem, fortasse à medicis promissam, non propterea medicos semper esse inculpandos: quia ægrotantes, si non consequantur finem, id accidere potest, vel ob ægrorum, vel astantium, vel ob externarum rerum errata, quæ reuera non sunt in potestate nostra.

Ideo medici prudentes, dum pollicentur salutem, procedant oportet hac hypotetica conditione, dūmodo ægri, & astantes obediant, & exteriora non impediant; qui verò aliter incedunt, primo nō obseruant Hippocratis aphorismū; deinde sæpe accidit, vt imprudentes, & artis ignari reputentur. O quoties medici alioqui doctissimi absolutè pollicentur sanitatem, tamen ægri ob propria, vel astantium errata corruunt in malignum morbum, & intereunt; vnde fit, vt medici docti reputentur imprudentes, & artis ignari; quare meritò Hippocrates efficaciter nobis commendat, vt in prædicendo salutem hac cautione procedamus, dummodo nō committantur errata ab ægris, & astantibus, & exteriora rite comparata sint.

Neque alia Hippocratis, & Auicennæ præcepta in prædicendo tradēda sunt obliuioni: Hipp. 3. prædictionis, vbi dicit consulo vt raro medici prædicant, quia si errauerint, erunt exosi & insanire existimabuntur: Auicennæ, qui canticorum par. 1. tract. 2. tex. 489. ait, si apparuerint signa debilia de exitu, sta tunc & prolunga iudicium.

Diuiditur hic aphorismus in duas partes, in 1. tradit tres causas, cur ars medica sit longa, & difficilis. Prima est, quia occasio

casio agendorum sit ita velox, vt facilè effugiat. Secunda, quia experimentum sit fallax. Tertia, quia iudicium sit difficile.

In secunda parte tradit causas tres quæ augent difficultatem; quarum prima est, dum ægri non obediunt. Secunda dum astantes non applicant remedia, vt par est. Tertia, sunt accidentia exteriora, quæ interdum omnia euertunt.

QVÆST. 7. *Quid intelligat Hippocrates per vitam.*

MVlti disputant quid intelligat per vitam.

Conciliator differentia 21. per vitam intelligit motum cordis corpori communicatum. Reijcitur, quia hæc vita conuenit etiam brutis, neque est hominis propria.

Montanus per vitam intelligit mansionem animæ nostræ in corpore motus auctoritate Aristotilis lib. de respiratione cap. 13. vbi definit vitam esse mansionem animæ in corpore.

Primo fallitur Montanus, quia per vitam debemus intelligere illam, quæ arti medicæ comparatur: manet enim anima in attonitis, in mulieribus ystericis, in phreneticis: tamen illa vita arti non comparatur.

Secundo, si per vitam intelligeremus mansionem animæ in corpore esset longa, & non breuis.

Auerroes 4. colliget cap. 40. refert, Auézoarem medicũ peruenisse ad annos 135. annisque centum exercuisse medicinam.

Montanus in suis commentarijs in primam fen. refert, Nicolaum Leonicenum medicum præstantissimum, qui fuit eius perceptor peruenisse ad annum 106. illumque in vltimo senio audiuisse legentem in Patauino Gymnasio sine specillis.

Nauartus, & Sauonerola referunt, Nicolaum de Palauicinis habuisse filium reputatum legitimum in anno. 100. suæ ætatis. Horum vita certè non fuit breuis.

Sabelicus refert, Musicanos Indiæ populos peruenire ad annum. 130.

Srabo ait, seres Indos vt plurimum accedere ad annum ducentesimum.

Sed quicquid sit de hac re, non potest negari communis experiẽtia, & Diuini Dauidis Prophetæ determinatio in Psalmis quod vitæ nostræ tempus sit vt plurimum annus septuagesimus, & in potentatibus octuagesimus, quæ mansio animæ in corpore neque est breuis.

Nos dicimus, per vitam Hippocratem intelligere intellectiuam: quia hæc sola arti comparari potest: dicimus intellectiuam, non quo ad actum primum, sed quatenus est in actu secundo, nempè in actu speculationis, quæ vita respectu artis est breuis. sed non breuissima: quia actus speculatiuus, & in infantibus, & dormientibus viget: immo in somnijs interdum aliquid reconditi percipitur, quod vigilantibus nobis caligine quadam erat obuolutum.

Vel dicimus intelligere vitam esse breuem respectu actus discurrendi de re medica: quia interdum mensis spatio sunt medium res medicas vix speculantur.

QVÆST. 8. *An medicina sit ars, & quæ ars: & de eius genere proximo.*

TRia hic sunt ad examen reuocanda. Primum, an medicina sit ars, & quæ ars. Secundum, quodnam sit genus proximumartis medicæ. Tertium, an sit coniecturalis.

Quo ad primum, an medicina sit ars, & quæ ars. Auctores percelebres sunt discordes. Erasistratus, vt refert Introductorius, & Plusquamcõmentator dicunt, medicinam esse scientiam, quatenus versatur circa vniuersalia: esse vero artem quatenus versatur circa particularia.

Montanus vult, medicinam, vt est in animo, esse scientiam: vt dirigitur ad operationem esse artem.

Conciliator putat, medicinam, quatenus est in inuentione esse artem: quatenus vero est inuẽta, esse scientiam, motus auctoritate Aristotilis 2. Post. tex. 27. & lib. 6. Ethicorum cap. 4. vbi dicit, artes versari circa ea quæ fiunt: scientias verò circa ea quæ sunt: quare infert Conciliator, quando ab Hippocrate ars fiebat, tũc ab illo fuisse vocatã artem. cum vero modo sit facta, & non amplius fiat, esse vocandam scientiam, &

non artem. Cæterum hoc est miserimum, quod in disputationibus, & in humanis consultationibus sint ferè semper tot opiniones, quot imaginandi modi.

Argenterius tenet, medicinam neque esse scientiam, neque artem: sed esse quid medium, motus auctoritate. Arist. 3. Cæli tex. 61. vbi Philosophus nominat quasdam scientias effectiuas: dicit Argenterius, istas scientias effectiuas non esse veras scientias, neque veras artes, sed medium locum tenere.

Auicennas in prima primi cap. 2. vult, medicinam theoricam, & practicam esse scientiam proprio modo sumptam.

Quo ad Erasistratum, & Plusquam cómentatorem, qui dicunt, artem versari circa particularia, & non circa vniuersalia, asserimus istos reluctari Hippocrati, Aristoteli, Galeno, Auicennæ, & rationi.

Hippocrati, qui primo de natura humana in principio proponit multas demóstrationes, ibique loquens non vt Philosophus, sed vt medicus artifex habet hęc verba „ Qui altius de natura vult considerare, quam pertineat ad medicum, non audiat hos sermones; sed sic est, quod ibi demonstrat vt medicus artifex omninò distinctus à Philosopho. Neque verum est, quod quidam dicunt, medicum semper habere minorem propositionem particularem: quomodo minorem particularem? non ne aliquando Hippocrates loquens de natura humana facit conclusiones vniuersales, vt patet legentibus illum libellum? ergo minorem propositionem habet vniuersalem: quia conclusio semper sequitur deteriorem partem: non enim potest esse conclusio vniuersalis, nisi ambæ propositiones sint vniuersales. Præterea non datur conclusio affirmatiua particularis, quæ non sit suffulta dicto de omni.

Aristoteli deinde reluctantur, quia in procemio Metaph. dicit artem versari circa vniuersalia, & quærere propter quid: experientiam vero circa particularia.

Galeno reluctantur qui 1. & 2. meth. cap. 7. asserit, medicum versari circa naturas specificas contentas in particularibus: particularia verò sicuti sunt materiæ remediorum, & affectus particulares, non ingrediuntur methodum. Hinc 9. meth. cap. 12. 1. ad Glauc. cap. 1. & 3. Meth. cap. 7. vult, indicationem solum desumi à natura, & ab affectu specifico.

Auicennę aduersantur, qui in fine 1. cap. in 1. fen. dicit particularia, vt particularia esse incomprehensibilia, & vt talia non pertinere ad artem.

Rationi denique aduersantur: primo, quia non datur processus rationalis à particulari ad particulare, omnis enim discursus, & progressus rationalis est à continente ad contenta, quia nulla methodo, & nulla ratione particularia vt particularia scientiam vel artem faciunt.

Secundo illa ratio est monstruosa, quando subiectum quæsiti non continetur sub medio; sed sic est, quod si ratio est particularis, nihil potest sub ipsa contineri, & sic conclusio non erit necessaria: quia subiectum cóclusionis non erit conclusum, omnis enim discursus & medicorum, & omnium artificum debet esse suffultus dicto de omni.

Postremò experientia est cótra Erasistratum, & Plusquamcommentatorem, quia, dum sanamus Socratem laborátem, exempli causa, hæmicranea, illam possumus diaolibano auferre, vel laborantem sanguineo fluxu, Philonio Persico, vel trifera Persica sanare. Dicimus ijsdem remedijs posse sanari infinita alia indiuidua Socrati similima, ijsdem tamen affectibus laborantia: quare non sanantur particularia, vt particularia, sed affectus specifici in particularibus contenti.

Ad Montanum, qui dicebat medicinam in animo esse scientiam, esse verò artem, quatenus dirigitur ad operationem. Respódemus, quod si esset verum, medicinam quatenus est in animo, esse scientiam, sequeretur, vt optimè tenet Auerroes 1. coll. cap. 1. nullam esse differentiam inter Philosophiam, & Medicinam in animo existentes, quia etiam Philosophia est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum: distinguitur verò medicina à Philosophia, quia medicina est ars salubrium, insalubrium, & neutrorum: Philosophia verò est scientia salubrium insalubrium, & neutrorum.

Præ-

Præterea etiam modus considerandi in medicina, quatenus est in animo, differt à Philosophia: quia scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum in Philosophia traditur ordine compositiuo: in medicina vero ordine resolutiuo, vel definitiuo, isti ordines vocantur vniuersales & essentiales, quia dant artibus, & scientijs ipsam essentiam, & formã, à qua dependent.

Ad Conciliatorem, qui dicebat medicinam, quatenus est inuēta, esse scientiam. Respondemus si hoc esset verum, sequeretur, quod quælibet ars vilissima esset scientia, sequereturque quod ars fullonum, quatenus est inuenta, esset scientia, quod est ridiculum.

Deinde sequeretu, quod omnes scientiæ, vt Philosophia, Metaphysica, quando inueniebantur, fuissent artes.

Postremò fallitur Cõciliator, quia Arist. locis citatis per ea, quæ fiunt (vt interpretatur Philoponus) intelligit contingentia, & per ea, quæ sunt, intelligit necessaria. Quod verò per ea quæ fiunt Arist. intelligat contingētia, colligitur ex Arist. 6. Ethicorum citato, vbi habetur, circa eadem versatur quodammodo ars, & fortuna, sed fortuna versatur circa contingentia: ergo & ars versabitur circa contingentia, quatenus versatur circa affectus contentos in particularibus. particularia enim contingentia sunt: dicit quodammodo, quia fortuna versatur circa particularia, vt particularia sunt; ars verò circa particularia quatenus in ipsis continentur affectus vniuersales & specifici.

Ad Argenterium respõdemus cum Simplicio: Aristotelem 3. Cęli tex. 61. per scientias effectiuas intelligere artes proprio modo sumptas: ibi enim Simplicius exemplificat de arte ædificatoria, quę est vera ars, ibique nomen scientiæ dicemus ab Aristotele esse acceptum communiter, & non propriè.

Neque probatur Auicennæ sententia, dum tenet, medicinam practicam esse scientiam proprio modo sumptam: quia Aristoteles 6. Metaphys. cap. 1. & 6. Ethicorum citato dicit, principia scientiæ esse solum in re: principia verò artis esse quoque in Artifice. Hac ratione medicina non potest esse scientia: quia est in potestate medici sanitatem introducere, & impedire, ne introducatur.

Deinde Galenus in Trasyb. cap. 14. inquit, finem medicinę esse in faciente: quia potest esse in potestate facientis, idest medici, vt introducat, & impediat sanitatem. Postremò medicina ab Hippocrate & Galeno plurimis in locis vocatur ars: quando verò Galenus in arte medica illam appellat scientiam, dicit communiter sumere nomen scientiæ, & non propriè. disputatio est an medicina propriè sit scientia, & non communiter.

QVoad secundum, quodnam videlicet sit genus proximũ, & immediatum medicinæ. Galenus in Trasyb. cap. 30. probat medicinam non esse scientiam: quia non est propter scire tantum. Deinde probat non esse facultatem factiuam, quia eius finis non consistit in actione: neque esse artem acquisitiuam, quia non versatur circa facta: neque esse effectiuam, quia de nouo aliquid non facit, vt ędificatoria, & sutoria: sed concludit, artem medicam corrigere collapsa; vel resarcire, sicuti est illa ars, quę laceratas vestes consuit: immo negat, medicinam esse resarcitiuam, dicens adhuc inferiorem locum tenere: quia est ministra resarcientis naturæ: natura enim est illa, quæ corrigit, & resarcit.

Sed quomodo medicina non est resarcitiua? immo quomodo medicina non est effectiua? non ne medicina quæ reponit luxata est effectiua? Sicuti est ædificatoria, & sutoria: nõ ne artifex, qui deponit catarrhactã, qui extrahit calculũ vesicæ, qui abscindit & vrit membra sphacelo correpta, & aperit apostemata, est effectiua? Non ne medicus qui extrahit aquam hydropicorum per vterum, vel vmbelicum, qui interdum sanare potest; non ne id prętat aliquid de nouo efficiendo? quare medica ars est effectiua: immo ipse Galenus interdum illam appellat effectiuam.

Respõdemus ad obiecta, medicinã duplicem esse, aliam effectiuam & aliam resarcitiuam, siue ministram & ancillam naturæ resarcientis: ita vt genus proximum medicinę, neque sit ars effectiua, neque resarcitiua.

Quodnam sit genus proximum medicinæ, intelligi non potest, nisi reuocentur ad memoriam quæ dicta sunt ab Arist. 1. Post. cap.5. de tribus erratis circa vniuersale: Quorum primum est, dum attribuimus passionem speciei indiuiduo: Secundum, dum applicamus passionem generis speciebus: Tertium dũ passionem generis innominati applicamus generi nominato; hocque postremum facit ad rem nostram: quia genus proximum medicinæ est innominatum: quoniam medicinæ genus proximum neque est ars effectiua, neque resarcitiua, neque ancilla resarcientis naturæ, sed quid commune, quod de his prædicatur: quod reuera caret nomine: ideo genus proximum medicinæ dici potest innominatum.

QVÆST. 9. *Qua ratione ars medica sit coniecturalis.*

QVo ad tertium propositum, nempe qua ratione medicina sit coniecturalis. Primo sciendum, medicinam non esse coniecturalem ratione theorematum. quia theoremata sũt certissima; ideo Galenus lib. de opt. sec. ad Trasyb. cap.4. reprehendit illos medicos, qui dicebant, artem medicam esse coniecturalem, eo quia habet præcepta coniecturalia, cum medicina vniuersalia præcepta habeat certissima, ac æternæ veritatis.

Dicimus igitur, artem medicam esse cõiecturalem ratione quantitatis morborum, remediorum, virtutis, ratione proprietatis idest idiosyncrisiæ, & ratione conditionum indiuiduantium.

Ratione quantitatis, medicina est coniecturalis: quia Galenus 1. ad Glauc. cap. 1. & 3. meth. 3. dicit, quod nec scribi, nec dici potest de vnoquoque illud esse quantum.

Ratione quantitatis morborum, quia Galenus 9. meth. cap. 15. habet hæc verba „ Vt verum exhibentur remedium, non solum opus est cognoscere morbi speciem, sed etiam eius quantitatem, quæ quantitas ex Galeno 9. meth. 14. est certa mensura quantitatis recessus à naturali statu, quem recessum solum coniectura assequi possumus. Nos diu cogitauimus, quomodo illud quantum morborum interdum percipi possit: excogitauimus quatuor instrumenta, quibus illud dimetimur. Primum est nostrum pulsilogium, quo per certitudinem mathematicam, & non per coniecturam possumus dimetiri vltimos gradus recessus quo ad frequentiam, & raritatem. secundum est vas quoddam vitreum, quo facilimè possumus singulis horis intelligere quantum recedat temperatura calida, vel frigida à statu naturali. Tertium consistit in quatuor modis dimetiẽdi siccitatem, & humiditatem recedentem à statu naturali, quos proposuimus in 4. aphorismo 2. sect. staticæ nostræ. Quartum consistit in statica arte, qua mensuram certam perspirationis colligere possumus, quæ experimenta in aphorismorũ modum digesta in lucem edidimus. Horum instrumentorum icones posuimus, & declarauimus in commentarijs nostris primæ fen. Auicennæ.

Ratione quantitatis remediorum medicina est ars coniecturalis: quia Galenus lib. de curandi ratione per sang. mis. inquit, remedij quantitatem facere artem coniecturalem.

Ratio desumitur à Galeno in 3. parte artis med. vbi dicit, morbum calidum vt duo indicare frigidum vt duo: Galenus vero 7. meth. vlt. vult, remedium reducens ad statũ naturalem esse æquale: quia si remediũ fuerit minus non sanabit: si maius introducet contrarium morbum: similiter 3. de simplici medicina cap. 12. inquit, si remedium fuerit minus, iuuabit, sed tamen non sanabit: si maius contrarium morbum efficiet: quare est admodum difficile inuenire remedium æquale, & proportionatum, vt scilicet neque sit minus, neque maius, non maius, quia medici munus non est vincere, sed moderari, & attemperare: Vtinam medici officium esset vincere, medicina sanè esset valde facilis: neque remedium debet esse minus, quia hoc non compescit, & moderatur, vt par est.

Ratione virtutis est coniecturalis: quia nisi sciamus quanta sit, nescire possumus quantum debeat esse remedium: virtus enim est permittens, & indicans vitale, quod necessariò conspirat pro eligenda de-

terminata remedij quantitate: dum enim Hippocrates 4. de ratione vic. 19. dicit, quod tria conspirēt ad sanguinem mittendum, nempe vehemens morbus, virium robur, & ætas florens, supponit illa tria, & præcipuè virium robur in omni medica operatione esse considerandum, an permittat, nec ne, idest quando seu qua hora sit permittens.

Ratione idiosyncrisiæ idest proprietatis naturæ est coniecturalis: quia Galenus 2. de ratione vic. acutorum com. 11. tertio meth. 7. & alibi habet hanc sententiam; si naturam propriam, quam idiosyncrisiam vocant, exquisitè cognoscerem, talem me putarem, qualem fuisse ferunt Esculapium.

Naturæ proprietates variæ sunt, prout varia sunt indiuidua: proprietas est, veluti si quis valde ab odore rosatum pateretur: hic, si illi propinaretur Serapium rosatum, facile incideret in Lipothimiam: similes proprietates inueniuntur inumerabiles, quæ medico vt plurimum sunt occultæ.

Demum ratione conditionum indiuiduantium medicina est coniectu ralis: quia indiuidua vt indiuidua sunt incōprehensibilia: hac ratione esset quoque ars medica imperceptibilis, si in indiuiduis vt indiuidua sunt, versaretur.

Cæterum notandum est, artem medicam non sanare indiuidua vt indiuidua, sed tollere morbos specificos contentos in indiuiduis. Quod hoc sic verissimum, probatur ratione, auctoritate, & experientia.

Ratione, quia ars medica si curaret indiuidua vt indiuidua esset vana: quandoquidem de indiuiduis neque ars, neque scientia datur.

Præterea, si indiuidua curarentur, illorum indicationes non ostenderent nobis remedia: quia non datur processus ab indiuiduo ad indiuiduum: indicatio enim habet vim syllogisticam, quæ suffulta est dicto de omni, vel de nullo.

Insuper adest auctoritas Galeni lib. de opt. sec. vbi dicit morborum expulsionem indicari à specifico affectu, & non à singulari. Similiter 1. meth. 1. & 2. meth. 7. habet, methodum esse applicandam specificis Ideis in particularibus contentis.

Demū confirmatur experiētia: quoniam quodlibet remedium, quod potest sanare aliquem particularem hominem, sanare quoque poterit infinitos alios eadem ægritudine correptos: ergo & illud remedium, vel illa ægritudo erit specifica, & non particularis.

Qvæst. 10. *Qua ratione ars medica vocetur longa.*

Cvr ars medica vocetur longa, an respectu habitus, vel vsus, an respectu exercitij: variæ sunt opiniones.

Mōtanus dicit longam esse quo ad exercitium, non quo ad habitum. Confirmat suam opinionem auctoritate Galeni. 9. de placitis c. 2. vbi ait „ Artem quo ad habitum vnius anni spatio comprehendi posse: longam verò esse quo ad exercitium.

Primo fallitur Montanus: quia exercitium non pertinet ad artem: exercitium. n. versatur circa particularia, sed de particularibus neque ars, neque scientia datur: quia artes, & scientiæ sunt æternorum, & vniuersalium. Deinde ea, quæ dicuntur longa, & breuia seruant inter se proportionem: sed inter artem, & exercitium nulla seruatur proportio: ergo non dicetur longa respectu exercitij: Minor probatur, quia ars versatur circa vniuersalia, & finita: exercitium verò circa particularia infinita: sed sic est quod ex Aristotele 8. Physic. non datur proportio finiti ad infinitum, quare ars non dicetur longa respectu exercitij.

Postremo fallitur Montanus, dum putat, Galenum. 9. de plac. 2. loqui de arte medica: ibi enim loquitur de musica, & de Rhetorica, quæ facultates anni spatio comprehendi possunt.

Quod vero ita sit: patet ex Galeno lib. de plenit. cap. 3. vbi habet hæc ferē verba „ si spatio vnius anni ars medica posset comprehendi Hippocrates non dixisset ars longa, & vita breuis.

Cæterum, esto quod nono de placitis citato intelligat quoque de arte medica, dico quod posset stare Galeni sententia, intelligendo de habitu artis in vniuersali, & in com-

communi, quippe qui anni spatio addisci potest. Sed addimus ad habitum medicinæ nō solum pertinere methodū vniuersalē, sed præcipuè specificam rationem, cuius ars medica, & longa, & admodum difficilis, ne dicam imperceptibilis, est: quia ab Hippocrate ad hæc vsque tempora medici adhuc non intellexerunt omnia specifica indicantia, & indicata: immo in paucis, ad insectiles species ad medicinam pertinentes medici peruenere.

Nonnulli alij credentes Galenum 9. de plac. citato intellexisse de arte medica, ꝙ scilicet anni spatio comprehendi possit quo ad habitū, dicunt artem medicam dupliciter considerari, vel respectu inuentionis, atque hac ratione fuisse longam ipsi Hippocrati, qui fuit eius inuentor: vel considerari respectu habitus medicinæ inuentæ; atque hac ratione esse breuem, & anni spatio comprehendi posse.

Nos tamen putamus esse longam, & immensam: non solum ratione inuentionis, sed etiam ratione habitus medicinæ inuentæ: primo, quia Galenus lib. de plenit. dicit „ si ars esset breuis ratione habitus, Hippocrates non dixisset ars longa. Deinde est longa quo ad habitum, quià, vt acquiratur huiusmodi habitus, oportet saltem legere totum Galenum, Hippocratem Auicennam, & obseruationes anatomicas, sine quibus medicina non intelligitur: neque satis est, vt intelligamus, nisi omnia mandentur memoriæ: an igitur iste habitus sit breuis, cæteri iudicent: certè nec anni spatio, nec centum annorum spatio omnino potest comprehendi.

Accedit, quod Hippocrates in hoc aphorismo per artem longam intelligat habitum, & vsum: quia de illa arte loquitur, quæ incedit duobus cruribus, nempe iudicio, & experimento, quod iudicium est difficile, & experimentum est fallax: est fallax: quia ex se nihil concludit, nisi rationi sit coniunctum: ratio verò, vel iudicium est illud, quod expurgat contingentiam, quæ contingit in indiuiduis, dum obseruamus experimenta.

Claudicant sanè in facienda medicina, qui altero de duobus cruribus sunt destituti, nempe ratione, vel experientia, siue dicas habitu, vel vsu. Auerroes, qui habebat habitum artis, & non vsum in facienda medicina parum aptus erat: atque ineptissimi sunt nostrates empirici, qui habitu medicinæ carent.

Prima Dubitatio oritur, quia non videtur, quod ars sit longa: Galenus „ lib. 1. de dignoscendis pulsibus cap. 2. inuehitur contra quosdam Sophistas his verbis „ Desinite aliquando artem per Deos immortales ineptis nugis accumulare, quæ per se longa non est.

Respondemus, quod quamuis Aldinus codex legat οὐκ οὖσαν καθ' ἑαυτὴν μακρὰν, idest non existentem per seipsam longam: in alijs tamen codicibus esse οὖσαν καθ' ἑαυτὴν μακρὰν, idest existentem per seipsam longam. Sed data etiam prima lectione. Respondemus Galenum locutum esse comparatiuè, & non absolutè, quasi diceret, ars certè esset minus longa, si ineptis nugis, & falsis opinionibus purgaretur. Tutior tamen est prima responsio.

Occasio Præceps. Hippocrates in aphorismo: affert tres rationes, cur ars medica sit longa. Prima ratio, quia occasio est præceps. Secunda quia experimentum est fallax. Tertia quia iudicium est difficile.

Secūda dubitatio exoritur: quia nō videtur, quod ars sit longa ob tres rationes: Arist. enim 1. metaph. vult, artem esse longam ob duas rationes tantum, nempè ob experimentum, & iudicium difficile: de occasione verò præcipiti ne verbum quidem.

Responsio facilis est, quia occasio reducitur ad experimentum. Arist. nihil dicit de occasione: quia occasio agendorum non pertinet ad Philosophiam, sed ad Artifices, quorum munus est operari.

„ *Occasio Præceps*, Græca dictio est καιρὸς: per cheros melius interpretamur tempus opportunū agendorum, quam occasionē: Primo, quia cheros apud Græcos communiter accipitur pro tempore opportuno agendorum: similiter Cicero 1. de officijs per occasionem interpretatur tempus opportunum agendorum.

Deinde causa, cur per cheros non debeamus interpretari occasionem, est, vt euitemus illorum errorem, qui putant, occasionem

nem esse quid diuersum à debita quantitate, & qualitate agendorum: quia debita quantitas, & debita qualitas est ipsummet tempus opportunum, vt docet Galenus cap. 85. artis paruæ, 1. ad Glauc. c. 1. & 3. de temperamentis tertio.

Demum per cheros non debemus interpretari occasionem; quia occasio est vox æquiuoca: ab Hippocrate enim, & Galeno primo. in primum Epid. 11. occasio sumitur in sensu longe diuerso à nostro proposito, quia ibi sumitur pro externo errore, quatenus esse possit morborum occasio, & non causa: hæcque occasio non dicitur καιρὸς, sed πρόφασις.

Declaro quid sit profasis: error exempli causa in victu nō dicitur causa morbi, sed occasio, quæ vocatur profasis: error enim in victu neque est causa proxima, neque remota morbi: non proxima, vt omnes admittunt: non remota, quia si esset remota daret ipsum quod, nempe effectum similem, sed non dat: aliqui enim ob vsum maluatici fieri possunt hydropici: causæ, quæ sunt remotæ conspirant in effectum similem: maluaticum est res calida, hydrops est affectus frigidus. Quare cum occasio multipliciter sumatur, vt euitemus æquiuocationem, meritò per cheros interpretamur tempus opportunum, & non occasionem.

Insuper καιρὸς ex Galeno lib. de morborum temporibus cap. 1. significat tempora morborum, & opportunitatem agendorum: quare & καιρὸς, & occasio continent æquiuocationem; ideo melius est, vt interpretemur per cheros tempus opportunum agendorum, quam occasionem. Auctores omnes dicūt, quod καιρὸς τῶν πραγμάτων significet tempus rerum bene gerendarum, quod facilè amitti possit, quia sit breue.

Postremò Hippocrates lib. de præceptis in primis verbis definit quid sit cheros, dicens esse tempus opportunum, in quo non multum est, idest tempus angustum exhibendi præsidia, hæc sunt verba χρόνος ἐστὶν ἐν ᾧ καιρὸς· καὶ καιρὸς ἐν ᾧ χρόνος οὐ πολύς, idest tempus est, in quo cheros est, chæros est, in quo tempus non multum est.

Quod verò tempus opportunum agendorum, de quo intelligit Hippocrates in hoc loco, sit valde breue, & valde angustum. Primo patet, quia Hippocrates lib. de locis in homine per cheriam intelligit temporis breuitatem. Deinde in hoc loco addita est particula ὀξὺς, quæ significat acutum, seu tempus angustissimum: quare per chæros oxys debemus intelligere quam maximam temporis breuitatem. Ecce quam efficaciter Hippocrates nobis commendat in remedijs exhibendis non esse procrastinandum; quia ob delationem ægri facilè mori possunt.

Hinc Hippocrates scribens ad Crateuam habet hæc verba „ In omni arte procrastinationem esse malam, sed potissimum in arte medica, in qua delatio est animæ periculum.

Ratio, cur delatio seu procrastinatio sit periculosa, est, quia ægrorum corpora ob externas & internas causas ita alterantur, vt post horam interdum ita mutentur, vt tempus opportunum agendorum omnino effugiat: dicimus tempus opportunum: quia chæros sine alia additione significat tempus opportunum breue: addita vero dictione oxys significat non solum breue sed etiam acutum, idest quamquod breuissimum: ideo Antiquus Interpres diminutè vertit per chæros oxys tempus acutum, cum potius acutissimum, & quamquod breuissimum debeamus interpretari; quia reuera opportunitas agendi consistit ferè in puncto: cum corpus nostrum ita sit in perpetua alteratione, & mutatione, vt interdum remedium, quod horis matutinis ægrum sanitati posset restituere, illum vesperi interimeret.

Oribasius loquens de occasione agendorum inquit: sicuti quid igitum in fluuium deponit, & statim eleuat, & iterum deponat, non tangit eandem aquam: parimodo singulis horarum momentis corpus variatur, & occasio agendorum effugit.

Hac ratione Damascenus rectè dixit, non esse eandem sanitatem mane, & in sero; sic nec idem morbus, qui est mane, in sero conseruatur: ideo rectè Philotheus dicit medicinæ difficultatem nō esse solum in remedij inuentione, sed quo morbi tempore, & qua hora sit remediū applicādum.

Hinc

Hinc Veteres pingebāt occasionem cum nouacula, quam dextræ insertam gerebat: quia est (vt aiunt) ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος, idest omni acie acutior.

Hinc Practicantes in illa ardua quæst. à quo scilicet tempus opportunum exhibēdi remedia indicetur, determinant indicari à præsentia indicantis: quæ præsentia (vt dictum est) facile effugere potest.

Quare illi medici, qui remittunt in crastinum esse phlebotomandum, vel purgandum, sæpè non sine maxima ægrotantium iactura id efficiunt: quia ob procrastinationem ægri sæpè intereunt: idcirco, dum adest occasio agēdi, sit noctu, vel inter diu, & præsertim in acutis, non est procrastinandum.

Galenus loquens de his primo prognos: habet hanc sententiam: „ Ita volat occasio, vt aliqui moriantur, priusquam vocetur medicus: aliqui acito medico illico moriuntur, sicuti Maritus Lecus ictericus, qui moritur die octaua, cum solum septima die vocauerit Hippocratem, quia neque vrinam, neque deiectionem emittebat: si antea fuisset vocatus Hippocrates, opportunè vsus fuisset deiectorijs, & diureticis, & fuisset liberatus.

Hinc Hippocrates lib. de arte habet hāc sententiam „ Omnem morbum curari posse, si medicus occasionem opportunam agendorum non omittat.

Experimentum fallax. sed non est credēdum, quod medicamentum semel exhibitum efficiat experimentum: quia semel exhibitum facit vnicam sensationem, atque ex illa fit memoria: deinde ex multis memorijs fit vnum experimentum, sicuti docet Aristoteles 2. Post. in fine, & 1. metaphy. Hinc Galenus 3. meth. cap. 11. habet hæc verba „ si quis fuerit expertus sex vel septem homines aliqua medicina purgatos, dicere certò non poterit, quod omnes homines post hac illa medicina purgabuntur. Insuper 4. meth. cap. 3. habet hæc verba „ esset sanè fælicitatis munus, si quis vel inspecto lytargiro, vel castoreo, vel cantharide protinus intelligeret eorum vires. Exempli causa, litargirus pro ambustis prima vel secunda die valde iuuat: attamen tertia die & sequentibus diebus est fallax, seu nihil facit.

Hinc Galenus 1. epid. 1. com. 1. maximè damnat Quintum medicum dicentem, experimētum sufficere sine causarum cognitione. Itidem Galenus 3. aphorismor. com. 11. dicit, nō esse experientiæ fidendum: addit: quamuis sæpè idem vidimus, non possumus dicere sic semper erit. Galenus lib. aduersus Iulianum cap. 1. vocat medicos, qui experientia sine ratione incedunt, fortunę imitatores, quibus, si aliquid boni succedat, casu ex fortuito contingat.

Parimodo Galenus 2. de officina medica 22. similiter & 3. de officina medica 42. negat medicinam docendam esse vsu exempli: negat, quia nihil magis nos decipit, quam exempla, & experimenta sine ratione.

Mutatur enim occasio agendorum, *quia* indicantia mutātur, quibus mutatis remedium, quod hodie sanauit Socratem, cras interficere poterit Platonem eodem morbo laborantem. Hinc cantharides, quæ mouent vrinam, excitātque penis tentiginem: in aliquo qui patitur carunculam in collo vesicæ, excitant inflāmationem, & illum interrimunt. Hac ratione experimentum est periculosum, & fallax: vt igitur non fallat debet colligi ex multis memorijs, quia inde ratio, seu iudicium, quod est dextrum crus in facienda medicina, resurgit.

Pręterea pro rei intelligentia sciendum, memoriam, experimentum, rationem, & reminiscentiam non parum differre inter se: memoria reassumit species obiectorum sine Syllogismo, ac ex multis istis memorijs fit experimentum: reminiscentia verò reassumit species per syllogismum, & per syllogismum inuenit illas, quæ è memoria exciderunt: ideo Arist. lib. de memoria & remini. cap. 2. dicit, reminiscentiam neque de nouo inuenire, neque de nouo addiscere: ratio est, quia illi qui de nouo addiscunt, & de nouo inueniunt, quærunt principia, & conclusiones: reminiscentia verò quærit tantum conclusiones: quia principia in memoria conseruantur, ita vt reminiscentia differat à ratione, quia ratio quærit quæ antea non fuerunt nota: reminiscentia vero quærit antea nota, quæ exciderunt: experimentum verò caret virtute Syllogistica:

ca: ideo dicitur ab Hippocrate fallax.

Experimentum vocatur quoque periculosum ob subiecti humani nobilitatem: quia impendet periculum, ne dum facimus experimentum, noceamus: omne enim σφαλερὸν est fallax, sed non omne fallax est periculosum: experimentum potest esse fallax in sanandis pernionibus: sed non periculosum, quia licet importunis remedijs perniones tractentur, non propterea morbus erit periculosus.

Tertia dubitatio occurrit, quia non videtur, quod experimentum sit fallax, sed certum & firmum: exempli gratia, lignum sanctum per certam experientiam depellit luem gallicam, & theriaca venena superat. Idem dicemus de infinitis alijs per experientiam inuentis: ergo experimentum non est fallax.

Respondetur experimentum dupliciter sumi, videlicet in fieri, vel in facto esse: in fieri est fallax: in fieri est veluti, dum periculum facimus de nouo, an aliquod medicamentum non antea expertum iuuet, & tale est fallax: experimentum vero in facto esse antea centies expertum, vt de ligno sancto, quod depellat luem gallicam, de theriaca, quæ superet venena, tale experimentum medico sapienti, & prudenti non est fallax: Est tamen fallax ijs qui nesciunt actiua passiuis applicare.

Qvæst. II. *Cur experimentum sit fallax.*

SEd cur argumĕtum desumptŭ ab experimento sit fallax, non omnes intelligunt. Primo dicimus, quod sit fallax, cum experimentum efficit formam arguendi fallacem: ratio est, quia subiectum quæsiti quod est minor terminus non subijcitur medio: medius enim in experimento est particularis, & particulare non potest continere aliud particulare, vnde conclusio infertur vana: eatenus enim conclusio est conclusio, quatenus eius subiectum sub medio continetur, estque conclusa.

Secundo, experimentum est fallax: quia caret dicto de omni, sine quo nihil inferri potest: quia dictum de omni est basis & fundamentum humanæ ratiocinationis: omnia enim argumenta, quorum medius terminus est particularis, carent dicto de omni, vel de nullo.

Tertio, est fallax, quia argumentum desumptum ab experimento non tribus, sed duobus constat terminis. Exempli causa: qui probaret cichoream esse iuuaturam Platonem, quia iuuit Socratem, faceret argumentationem fallacem: quia in argumentatione essent tantum duo termini: Socrates enim & Plato formaliter conueniunt: Socrates tamen est medius terminus, Plato vero in argumento est minus extremum. Præterea quando termini non differunt formaliter fit principij petitio: sicuti si quis probaret, lunam pati eclypsim, quia patitur priuationem luminis solis: argumĕtum esset cŭ petitione principij: quia idē formaliter est luminis priuatio & eclypsis: quare cum argumentŭ ab experiĕtia careat tribus terminis, pertinebit potius ad secundā operationem intellectus, quam ad tertiam, nempè ad ratiocinationem.

Quarto, experimentum est fallax; quia in experimento numquam termini sunt congeniti, & contemporanei, quod Aristoteli reluctatur, qui 2. Post. ostendit terminos in demonstratione esse contemporaneos: non enim valet, fuit interpositio terræ, ergo erit eclypsis. similiter dicimus, non valere hoc argumentum: medicamentum iuuit Platonem, ergo iuuabit Socratem eodem morbo quoque laborantem.

Postremò experimentum est fallax (vt dicit Oribasius) in ijs, quos sæpè sanauimus: ratio est: quia quantitates, & mensuræ affectuum semper mutantur, similesque non conseruantur recessus à naturali statu: veh igitur illis, qui subijciuntur illis medicis, qui solis experimentis, spreta methodo in facienda medicina, incedunt: isti sanè, vt dicit Plinius lib. 29. suæ historiæ, negociantur animas nostras, & experimenta per mortes agunt.

Iudicium difficile. Dictio Græca, quæ significat iudicium est κρίσις crisis propriè significat iudicationem, & non iudicium: iudicium explicatur per verbum κριτήριον, & non per dictionem crisim: differt iudicium à iudicatione: iudicatio difficilis significat difficultatem respectu rei, & re-

ſpectu noſtri: iudicium verò difficile indicat difficultatem reſpectu noſtri. Diſtinctio eſt Ariſtotelis 2. metaph. vbi dicit, difficultatem duplicem eſſe, aliam reſpectu rei,& aliam reſpectu noſtri. Deus eſt cognitu difficilis reſpectu noſtri, non reſpectu rei: materia prima eſt difficilis reſpectu rei, & reſpectu noſtri.

Oribaſius perperà interpretatus eſt per criſim illud iudicium, quod pertinet ad illam præcognitionem, an criſis ſit terminatura ad bonum, vel ad malum, & per quas corporis regiones, & quo tempore ſit euentura. Quæ interpretatio eſt nimis anguſta, & recedit à Galeni mente, qui dat expoſitionem omnino diuerſam: quia Galenus per criſim primariò intelligit iudicationem naturæ, ſecundariò medici, qui tamen ratione,& experientia incedit: & iſte medicus vocatur dogmaticus ad differentiam Empirici, qui ſola experientia, & ad differentiam methodicorum, qui ſola ratione communi incedebant.

QVÆST. 12. *De medicorum ſectis*.

DE his medicorum ſectis Galenus lib. de ſectis,& lib. de opt. ſecta ad Traſyb. fusè agit: ſed quia has ſectas ſæpè nominabimus, par eſt, vt illarum procedendi modum in remedijs inueniendis paucis declaremus.

Empirici non quærebant cauſas, quia putabant eſſe imperceptibiles, ſed ex ſimptomatum ſyndrome eligebant remedia, ac pro inueniendis remedijs ad tria cõfugiebant; nempe ad αὐτοψίαν ad hiſtoriã,& ad analogiſmũ, quod eſt argumentum à ſimili: ſimilitudinemque deſumebant ab his tribus, à materijs auxiliorum, à ſimilitudine affectuum, & à ſimilitudine locorum affectorum.

Methodici vero omnes morbos referebant ad duo communiſſima principia, videlicet ad laxum, & denſum, & ex his mixtum,& in his quieſcebant. Sed quam vana ſit hæc ſecta Empirica,& multo magis methodica, ſatis ſuperque declarauimus lib. 12. noſtræ methodi vitandorum errorum, vbi de analogyſmo, & falſa experientia fusè egimus.

Dogmatica ſecta incedit ratione & experientia, habetque iudicationem difficilem: quia non quieſcit tantum in communiſſimis, ſed tranſit ad ſubalterna, & inde ad ſpecifica, quod quantum ſit difficile, alibi oſtendimus: immo Galenus lib. 1. de dignoſcendis pulſibus cap. 1. oſtendens medicinæ dogmaticę difficultatem aſſerit, per totam vitã ſuam laboraſſe in pulſuum dignotione, & adhuc non perueniſſe ad omnimodam abſolutionem: ſed addimus quamplurima tractari in arte medica, ad quorum omnium omnimodam abſolutionem Galenus & alij Auctores non perueneruut: iure merito igitur indicatio eſt valde difficilis.

Quod verò iudicium ſit difficile: Galenus in comm. hac ratione oſtendit „ ſi veritas eſſet inuentu facilis, tot ac tanti viri, qui illam quæſiuerunt in tam repugnãtes ſententias non deueniſſent.

Quod vero iudicatio per experimẽta ſit difficilis, oſtendit Galenus in hoc cõm. his verbis „ Vt verũ fateamur non exploratu facilis eſt iudicatio: quia dũ æger poſt multa adhibita remedia melius, vel deterius habet, certò percipi non poteſt, quodnam illorum remediorum, quibus vſus eſt, iuuerit, vel nocuerit. Verumtamen ſi aliqua fides danda eſt medico, illi erit danda, qui ſit natura prudens, qui habeat vegetum ingenium, qui ſit in medicina & omnibus ſpeculatiuis ſcientijs verſatiſſimus & in experientijs exercitatiſſimus qui non ſit iactabũdus, & qui ob alijs addiſcere poſſe exiſtimet, ſecus ille medicus caſu, & fortuitu incedit, & omnis adempta eſt ſpes quod certò iuuet.

Non ſolum oportet. Hæc eſt ſecunda pars aphoriſmi. Duæ artificioſiſſimè connexiones cum parte ſuperiori tradi poſſunt.

Prima quod hæc quattuor propoſita in hac ſecunda parte, nempè, medicus, æger, aſtãtes,& exteriora reſpondeãt quattuor propoſitis, in prima parte, videlicet, arti longæ, tempori opportũno agẽdorum, velociſſimo quidem, experimento fallaci, & iudicationi difficili: quaſi dicat, cum ars ſit longa, medicus debet ſolum opportuna facere: cum tempus opportunum agendorum ſit velociſſimum, ægri debent eſſe ad-

modum obedientes, ne effugiat agendorum opportunitas: cum experimentum sit fallax, astantes solum debent administrare opportuna, neque debent alia experiri, quia experimenta sunt fallacia: cum iudicatio sit difficilis, medicus debet curare, ne ægri ab exterioribus accidentibus lædantur: quia errata externa solent impedire crisim, quæ difficilis est.

Secũda cõnexio est, quod ex prima parte colligi possunt quattuor conditiones optimi medici: in secunda vero docet, quæ requirantur præter medicum. Prima medici cõditio est, quod cum ars sit longa, & vita breuis, medicus debeat esse studiosissimus. Secunda cum tempus opportunum sit velocissimum, medicus debeat esse vigilantissimus. Tertia cum experimentum sit fallax, medicus in experimentis debeat esse versatissimus. Quarta cum iudicatio sit difficilis, debeat esse doctissimus & prudentissimus.

In hac secunda parte igitur vult Hippocrates præter medicum conspirare ægros, astantes, & exteriora, in quibus, si cõtingat error, impediatur crisis. Hinc Galenus 1. de diebus decret. cap. 11. inquit „ medicum posse præcognoscere crisim quo die, & qua hora sit futura, dũmodo non cõtingat error in his, quæ dicta sunt ab Hippocrate in hac secunda parte huius aphorismi: cum igitur hæc quattuor sint proposita, quattuor quoque occurrunt consideranda pro intelligentia aphorismi. Primum de medici conditionibus. Secundum de ægro. Tertium de astantibus. Quartum de erratis externis.

Quo ad medici conditiones præter alias propositas, plurimæ afferruntur ab Hippocrate libro de præceptis, de decenti ornatu, & lib. de officio medici. similiter Galenus 4. in 6. epid. com. 8 & 9. vbi inquit, medicum debere esse modestum, cautum, hilarem, facetum, grauem tamen, ne mimus videatur: gratum nempè ægrotantibus, interdum (ait) concedendo valde exoptata, dummodo non sint allatura aliquod notabile detrimentum: quia omnia suauius assumpta ex Galeno loco citato melius coquuntur.

Parimodo Hippocrates 2. aphorismorũ 38. habet hunc aphorismum „ Paulo deterior potus, & cibus, sed suauior præferendus est melioribus, insuauioribusque. Nos propterea febricitantibus sæpissimè grata, & suauia concedimus, sicuti sunt acetaria è floribus boraginis, è lactuca, & boragine cocto, & cum sacchari pauxillo: cõcedimusque pyra, poma, pruna, & persica cocta, auiculas cyprias, condimenta varia, sicut muretum, salsa communiter vocatum; sed quod fiat ex acetosa, & medulla panis cũ pauxillo aceti, & sacchari: vtimurque ouo recenti cum lacte sem. melonum, vel amygd. cum sacchro, & aquæ rosarum pauxillo in modum pulmenti testacei igne condensati. Similimodo pisces saxatiles Galeno comm. 27. primi de ratione vic. propositi ex aqua, porro, aceto, sale, & oleo parati, quod in acutis febribus Galenus facilè concedit: Nos interdum auratam, mullum in alto mari altum, & similes pisces admittimus: neque abhorremus à vino, vel oligosoro, vel cocto cum æquali aquæ portione, donec aqua vitæ exhalet. Hæc & similia ægrotantibus possunt concedi: quia inde ægri & iuuantur, & redduntur in alijs rebus maioris momenti magis obsequentes & quam maximè confidentes.

Galenus 4. in 6. epid. 8. loquens de confidentia ægrotorum in medicũ ait, ægrorum confidentiam valde iuuare: immo refert, nonnullos præstigiatores Pergami sanasse aliquos deploratos à seipso, & ab alijs medicis ob maiorem confidentiam, & maiorem obtemperantiam illis præstitam, quam sibi, & alijs.

Similiter conciliator differentia. 135. inquit, multos deploratos ab alijs medicis à seipso fuisse sanatos ijsdem remedijs, quibus alij vtebantur: quia in ipsos & magis sperabant, & magis confidebant.

Quo ad ægrũm, debet & ipse obedire, & habere confidentiam in medicum, secus vix aliquid boni sequi potest.

QVÆST. 13 *Confidentia ægri in medicum cur iuuet.*

DIsputant in hoc loco expositores ob quas causas ægrorum confiden-

tia in medicum iuuet ægros.

Opinio communis est, quod confidentia iuuet: quia confidentes maximè obtemperant,& morem gerunt præceptis.

Auicennas lib.4. de animalibus cap. 4. ait, confidentiam iuuare non solum, quia reddat ægros magis dispositos ad sumenda remedia: sed quia imaginatio imperat causis naturalibus, hac lege, vt potentiæ inferiores ex ordine vniuersi inseruiant potentijs superioribus: addit quod potentiæ naturales sunt magis inferiores, quam sit imaginatio: ideo debent imaginationi præconceptæ salutis obedire.

Hæc sunt nimis communia. Neque Auicennas tradit modum, quo imaginatio faciat casum: ideo alia est quærenda causa, cur confidentia iuuet.

Plurimi alij dicunt, imaginationem interdum efficere casum, confidentiamque ægrotorum iuuare, quia confidentia est quidam animi affectus: at sic est, quod animi affectus collocantur inter sex res nonnaturales corpus alterantes; ideo dicunt confidentiam iuuare.

Cæterum falluntur, quia animi affectus possunt quoque nocere: causæ enim nonnaturales habent hanc conditionem, vt possint iuuare, & nocere: hacque ratione dicuntur non naturales: confidentia verò numquam nocet, sed semper iuuat.

Credimus nos, confidentiam iuuare, quia imaginatio mouet spiritus in illam partem, quam medicus sanare vult: quibus adiuta necessariò imaginatio iuuat partem læsam.

Quod verò imaginatio moueat spiritum in illam partem, quam ægri efficaciter imaginantur; sciunt hoc perbellè, qui imaginationibus venereis tentantur: dum sc. imaginantur partem, quam exercere desiderant.

Vt igitur ægrotorum confidentia in medicum conseruetur, duo sunt præcipuè obseruanda. Primum Galeni præceptum traditum secundo in sextũ epid.42. vbi inquit, „ medicum non debere spem ægrotantibus augere, quia sub fiducia peccant: mox videntes aliter succedere, & morbum protrahi, duo mala sequuntur. Primum fidem, & obedientiam in medicum omninò amittunt. Secundum incidunt in longe maiorem tristitiam, quæ in ægrotantibus est multorum malorum radix. Galenus loquens de hac re loco proximè citato habet hæc verba „ Prudenti ægro veritatem dicito: imprudenti & timido illa solum dicito, quibus meliori animo sit, ita tamen, vt non magnoperè mentiaris, hac conditione, dummodo præceptis obtemperet: deinde egressus, his qui curam illius gerunt, veritatem dicito.

Secundum præceptum est illud Galeni 2. de diebus decretorijs secundo, quod medicus in prognostico valde ambiguo non loquatur firmiter, hæc sunt verba „ si nihil firmiter præsagire possumus, satius est tacere, quam temerè pronunciare.

Præterea medicus nullo pacto debet domesticos consolari, veritatem occultando: quia illi fidem, & medicus existimationem amittet: quamuis non minus necessaria sit ægrotantium, quam domesticorum, qui ægris assistunt, confidentia.

Accedit quod maiorem confidentiam medicus acquiret in domesticis ex mortis, quam ex salutis prædictione: hinc rectè Valesius 2. epid. ait „ ad medici honorem, & artis admirationem magis refert prędicere mortem in morituris, *quam salutem in conualituris*.

QVantum attinet ad *Astantes*. Hippocrates lib. de decẽti ornatu iuxta finẽ proponit has conditiones his verbis „ oportet, vt eligatur vnus è discipulis, qui diu sit exercitatus, & profecerit,& patiẽter ægro seruiat. Præterea sciat recitare medico, quæ contigerit circa ægrum. Galenus vero loquens de astantibus 1. de diebus decret. c.11. inquit „ oportet, vt astantes sint prudentes, periti, patientes, diligentes, hilares, & ægrotantibus grati.

Quarta dubitatio, sed quomodo in sanandis ægris requiruntur astantes, & exteriora: non ne Galenus 9. meth. 1. & Hippocrates 2. in primum epid. tex. 51. dicunt, artem constare his tribus, morbo, ægro, & medico? ibi tantum nihil dicit de Astantibus, & exterioribus.

Responsio est, Astantes, & exteriora se tenere ex parte medici.

Quintò dubitatio augetur, quia Hippo-

pocrates 6.epid.5.tex.1. air, naturam esse morborum medicatricem: ergo præter medicum erit quoque natura, de qua in hoc aphorismo nihil dicit, quare Auctor videtur diminutus.

Responsio est, naturam se tenere ex parte medici: quia medicus est naturæ minister.

Quantum attinet ad exteriora, Galenus 1.de diebus decret.11. & in hoc cōm. habet „ Exteriora quæ impediunt crisim esse vicinorum tumultus, strepitū curruum, canum latratus, habitationem turbarum plenam, nimis calidam, vel nimis frigidam, incendia, domorum ruinam, rixas, quantitatem vel qualitatem indebitam ciborum, & aliarum causarum nonnaturalium. Addimus nos sonum campanæ, & indebitum vsum aliarum rerum nonnaturalium.

Sed quæ maximè impediunt crisim sunt nostrorum medicorum plurimi, qui importunè medicinis quotidiè vexant ægrotos, eosque lacerant, & ad necem vsque deuerberant. Contra quos Hippocrates lib. de alimentis inuehitur, & Galenus 1. de diebus decretorijs 11. & 11. methodi 15.his ferè verbis „ Nōnulli medici (ait) quorum numerus his temporibus est maximus, quoties ad ęgrum accedunt, aliquid sine ratione faciunt, modo vtuntur cataplasmate, modo perfusionibus, modo adustionibus, nunc clysteres inijciunt, venam secant, fricant, aut cucurbitulas affigunt, aut aliud quidpiam factitant. Addo etiam ego his temporibus medicos ferè omnes eadem crudelitate miseros ægros lacerare. Subdit Gal., hi quoties ad ægrum accedunt, toties peccant: quia iudicium crises, & naturæ opera impediunt.

Hinc (ait Gal.) diuites, qui multos tales habent, multo deterius pauperibus curantur: quia semper noua remedia ab his efflagitant: tales non medici, sed non absimiles sunt ex triuio pharmacopæis. Tales non obseruarunt aphorismum 29. secundæ sec. vbi præcipit Hippocrates, in augmento, & statu nihil agendum, dicens „ Si quid tibi videtur mouendum moue in principio, in augmento vero & statu quiescendū: isti vero præcipuè in augmento & statu ægros importunis remedijs lacerant impediunt crisim, & naturæ opera. An inueniantur tales his temporibus medici, vel potius carnifices, cæteri iudicent.

Relinquitur igitur, vt solum medicus dogmaticus non impediat naturæ opera, & iudicium, præcipuè in ægro obtemperante: Galenus enim in 6. epid. 9. & 2.in 1.comm.51. ait, si æger obtemperauerit medico, erunt duo contra vnum, idest æger, & medicus contra morbum, & sic morbus facile superabitur: Galenus enim. 2. Pronost. 43. & 6. epid.5. ait „ paucos morbos esse mortiferos, si neque medici errent, neque ægri, neque ministri, neque aliquod noxium extrinsecus accidat.

APHORISMVS SECVNDVS.

N turbationibus alui, & vomitionibus, quæ sponte fiunt, si qualia oportet purgentur, confert, & facile ferunt: sin minus, contra fit: sic, & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debeat, confert, & bene tolerant: sin minus, contra. Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non.

Intentio Hippocratis in hoc lib. aphorismorum est tradere artem medicam ad vsum accommodatam doctrina aphoristica, idest per quædam semina, & quasdam communes sententias, quę sunt tamquam cardines, quibus nititur vniuersa medicina.

Sed quia medicina ad vsum accommodata definitur ab Hippocrate lib. de flat, cap.6. quod sit additio eorum quæ deficiunt, & ablatio eorum quæ excedunt: ideo Hippocrates in hac 1.sect. respiciens ad redundantiam, & defectum humoris agit & de euacuatione, & de victus ratione:

ne: de euacuatione, quatenus euacuatio respicit redundantiam: de victus ratione, quatenus victus ratio respicit defectum: agitque de qualitate, quantitate, & modo vtendi euacuatione, & de quantitate, qualitate, & modo vtendi victus ratione.

In hoc aphorismo incipit ab euacuatione, quatenus est euacuatio, quali er esse debeat; & merito, tum quia à communioribus est exordiendum, tum quia ex Galeno lib. aduersus Iulianum euacuatio est maxima medicinæ pars. Hinc decepti sunt, qui putarunt, intentionem Hippocratis in hoc aphorismo esse de euacuatione, quæ fit in febribus: istique à Galeno meritò reprehenduntur.

Deinde sunt, qui putant, Hippocratem in hoc aphorismo loqui de quãtitate euacuationis.

Reijciuntur: quia ne verbum quidem facit Hippocrates de quantitate. Deinde Hippocrates in aphorismo sequenti agit de quantitate, nempè de habitu pleniori, seu de habitu Athletarum.

Alij sunt qui dicunt, Hippocratem hic loqui de euacuatione humorum qualitate peccantium: probantque, quia dicit ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι idest si qualia oportet purgari: ergo dicunt Hippocratem agere de purgatione, quæ respicit humores qualitate, & non quantitate peccantes: immo isti in hoc loco sumunt occasionem agendi de minoratiuis.

Hallucinantur quidem, quia Hippocrates loquitur in hoc aphorismo etiam de vasorum inanitione, quæ per ieiunium fit: vbi dicit „ si talis fiat qualis fieri debeat vasorum inanitio. Præterea vitium in qualitate non tollitur euacuantibus, sed alterantibus.

Communis opinio est, quod Hippocrates loquatur de euacuatione humorum qualitate, vel quantitate peccantium.

Sed hæc opinio videtur à veritate omnino aliena; quia aphorismus dicit: si talia qualia, &c. quare loquitur de qualitate, & non de quantitate: Sed de qualitate euacuationis, & non de qualitate humorum euacuandorum, vt ostendemus.

Prima dubitatio exoritur, quia vitium in qualitate, vt dictum est, non tollitur euacuantibus, sed alterantibus: ergo Hippocrates non rectè facit agens de euacuatione, & purgatione, dum profert illa verba talia qualia.

Responsio desumitur à Galeno 3. de temperamentis cap. 5. vbi inquit, animal fieri calidum bifariam, vel quod plus calidorum succorum sit sortitum: vel quod calidiores habeat humores, quam antea. Eandem rationem de frigidis humoribus, & de alijs qualitatibus est dicendum: Videlicet vel quod plures sint, vel quod non sint plures: sed solum qualitas facta sit intensa. Posita hac distinctione, dicimus, dum animal plus calidorum succorum sit sortitum, indigere euacuatione, seu purgatione: si vero solum qualitas sit facta intensa indigere alteratione, & non purgatione.

Nos putamus, Hippocratem in hoc aphorismo primo intelligere de euacuatione in communi, idest qualiter fieri debeat euacuatio, & non de euacuatione humorum qualitate, vel quantitate peccantium. Primo confirmatur ex Galeno 4. aphorismorum cõm. 2. vbi ait, Hippocratem in hoc aphorismo fuisse locutum de euacuatione in communi, idest de modo euacuationis, seu de requisitis bonæ euacuationis, & nõ de euacuatione qualium: hæc veritas ex Græco Cod. colligitur, quia dicit οἷα: hæc vox οἷα significat in hoc loco (vt ostendemus) qualiter, & non qualia, itaut intelligat Hippocrates de requisitis, seu de conditionibus bonæ euacuationis: quæ animaduersio ante nos (quod sciam) non fuit edita.

Quod quidem hæc sic vera, & germana interpretatio aphorismi, quod scilicet per οἷα intelligat qualiter, & non qualia: Primo patet, quia οἷα est nomen neutrum adiectiuum, propositumque sine articulo: at sic est, quod omnia neutra adiectiua in numero plurari sine articulo apud Græcos sumuntur aduerbialiter, & præcipuè apud Hippocratem: ergo οἷα significabit qualiter, & non qualia.

Parimodo Hippocrates 13. aphorismo huius sect. vbi dicit, senes facillimè ieiunium ferunt, per facillimè, legimus εὐ-

εο-

φορώτατα, quod verbum est neutrum adiectiuum in numero plurali sine articulo, quod non significat facillima, sed facillimè: secus ille aphorismus nullum haberet sensum. Similiter in aphorismo 18. dicit δυσφορώτατα, idest difficillimè, & non difficillima.

Præterea apud Græcos hæc neutra adiectiua sine articulis, & in numero plurali iuncta cum verbo similiter plurali transeunt in naturam aduerbiorum, quod infinitis exemplis ostendi posset: neque de hoc est dubitandum; præcipue in lingua Attica, quam Hippocrates vt plurimum secutus est, sicuti animaduertit Galenus 1. de humoribus comm. 2. his verbis ,, Attici quoque quorum lingua Hippocrates aliqua ex parte vtitur, numerum multitudinis pro numero singulari ponere consueuerunt.

Insuper οἷα ab Herodoto, & Tucidide sumitur aduerbitaliter pro qualiter: sicuti etiam patet in annotationibus apud Ioannem scapulam. Quare si Hippocrates per οἷα intellexisset qualia non dixisset καθαίρωνται in plurali, sed dixisset καθαίρεται in singulari: ideo per οἷα in hoc loco intelligit qualiter fieri debeat euacuatio, idest de conditionibus bonæ euacuationis; & non de euacuatione qualium: conditio vero bonæ euacuationis est, vt fiat qualiter fieri debeat, idest in d e critico, materia concocta, seu tempore opportuno.

Præterea Hippocrates primo de ratione vict. 23. dicit. ,, si quæ à pulmone excernantur, sint qualia oportet, augenda est sorbitio. Galenus in comm. per qualia interpretatur qualiter: quia inquit, Hippocratem per qualia intelligere quod adsint concoctionis notæ, quæ excretio non est qualium solum, sed qualiter fieri debeat.

Addimus, quod si per οἷα intelligeret qualia, aphorismus esset falsus: in febribus enim malignis, & lethalibus sæpè euacuantur qualia oportet cum conferentia, & tolerantia, itaut mitigentur, & sedentur calores febriles, melius dormiant, & quiescant: itaut tunc medici praua aphorismi intelligentia decepti lætentur cum ægris & domesticis de signo futuræ salutis: attamen ægri post biduum ex humanis decedunt non sine magna illorum medicorum ignorantiæ nota: cur hoc euenit? quia euacuatio non est facta qualiter, idest cum signis coctionis.

Saxonia alioqui vir doctissimus communis huius expositionis impetu abreptus in capite de diarrhea disputans, an in euacuatione symptomatica media, quæ fit in morbi principio, & cum tolerantia, & quæ respondeat morbo, idest, quod in morbo bilioso biliosa euacuentur, tenet euacuationem non esse supprimendam, sed fouendam, licet sit in principio, & sit symptomatica, suffultus praua aphorismi intelligẽtia, quod scilicet, si qualia oportet purgari purgentur conferat & leuiter ferant: cum vera aphorismi interpretatio sit, si qualiter oportet purgari, & non qualia: quoniam in diarrheæ principio bilis euacuatio non potest fieri qualiter oportet: ideo neque est fouenda, neque supprimenda: sed vtendum est alterantibus in contrarium, auferentibus causam diarrheæ, inter quæ serum lactis videtur tenere primas.

Hinc Galenus 4. aphorismorũ comm. 22. dat nobis hoc præceptum diuinum, quod ante vtilem euacuationem præcedere debeat separatio, & ante separationem, concoctio: sed sic est, quod in principio morbi non potest esse concoctio: quare licet in principio morbi obseruetur aliqua euacuatio cum tolerantia, causa est, quia ex Hippocrate 2. aphorismorum 30. in principio, & fine omnia apparent remissiora; ideo tolerantia euacuationis in principio morbi pertinet ad naturam principij, & non ad conditionem bonæ euacuationis, quia sola illa euacuatio bona est, quæ fit qualiter oportet, idest concocta materia, seu in tempore opportuno facta.

Hinc Vegha, licet per οἷα non interpretetur qualiter, tamen veritate coactus protulit hæc verba in expositione huius aphorismi, per qualia non solum esse intelligendam speciem humoris euacuandi, sed etiam omnes alias conditiones, quæ requiruntur ad optimam euacuationem,

ac sa-

nempè ad euacuationem qualiter fieri debeat, ideſt in die critico, concocta materia,& in morbi declinatione.

Poſtremò ſi Hippocrates per οἷα intelligeret qualia, vt omnes expoſitores dicunt, præceptum eſſet vanum: Hippocrates enim vult admonere in aphoriſmo, medicum in euacuatione debere imitari naturam, quæ ſi euacuat, vt par eſt, confert, & ægri facilè tolerant: idem debet quoque medicus in euacuatione præſtare.

Hoc poſito, ſi per οἷα intelligeret qualia, præceptum eſſet vanum: quia ſciunt omnes practicantes paulo ante obitum euacuari excrementa praua, qualia quidem debent euacuari: dum vero dicunt, euacuationem illorum humorum, quæ eſt cum tolerantia, & conferentia eſſe imitandam, preceptum eſt inutile: quia turpe eſt, ſolum poſt factam euacuationem ſcire, quod multo ante erat ſciendum: quoniam tolerantia, & conferentia ſequuntur euacuationem, & ſolum poſt factum animaduertunt: de iſtis poteſt dici, ſero ſapiunt phryges: ſi vero per οἷα interpretabimur qualiter, & non qualia, præceptum non erit vanum, ſed diuinum quidem, quo animaduertimus, illam euacuationem eſſe bonam: quæ fit qualiter oportet, quæ fit, vt dictum eſt, in die critico, concocta materia, ſeruata debita quantitate, & qualitate: poſt iſtam ſolum ſequitur vera & non apparens conferentia,& tolerantia.

„ *Sic,& vaſorum inanitio:* inanitio explicatur per dictionem κενεαγγείη quæ inanitio vel ſponte fit à natura, vel à cibi nimia abſtinentia, ſecundum quem ſignificatum ſumitur ab Hippocrate 2.acutorum 47. vbi oſtendit Galenus κενεαγγείαν ſignificare ἀσιτίαν, ideſt cibi abſtinentiam.

Senſus igitur aphoriſmi iſte eſt: in perturbationibus ventris,& vomitibus ſpontaneis ſi fiat purgatio qualiter oportet, confert, & ægri leuiter ferunt: ſin minus è contra. Idem dicit de vaſorum inanitione. Quare medicus, qui eſt imitator naturæ euacuabit qualiter oportet, ſi inſpexerit regionem, ætatem, tempus, & morbos.

Diuiditur aphoriſmus in tres partes. In prima vult admonere, medicum debere eſſe imitatorem naturæ non ſolum in purgatione, ſed in quacumque euacuatione, dummodo euacuatio ſit qualiter oportet, nempè cum conferentia,& tolerantia ſtabili, & firma, ad differentiam conferentiæ & tolerantiæ, quæ interdum poſt ſymptomaticam euacuationem cotingit, quæ non eſt ſtabilis & firma, ſed breui tempore durat.

In prima parte igitur exemplificat qualiter fieri debeat euacuatio per medicamenta purgatiua.

In ſecunda parte vbi dicit „ ſic & vaſorum inanitio: exēplificat qualiter fieri debeat euacuatio per inanitionem faciendam per ſanguinis miſſionem.

In tertia parte docet modum, quomodo fiat euacuatio qualiter oportet, qui modus percipitur inſpiciendo regionem, tempus, ætatem,& morbos: ex quibus facilè colligere poſſumus, non ſolum qualiter, ſed etiam qualium fieri debeat euacuatio.

Quo ad verborum explicationem. Per ventris turbationes Hippocrates intelligit fluxus repentinos, qui ſolent torminibus aluum perturbare. Similiter Galenus 4.aphoriſ.78.accipit illud aduerbium ſponte pro repente.

Per ventrem intelligit ventriculum,& inteſtina: quamuis, κοιλίη ſignificet omnem cauitatem: deducitur enim ἀπὸ τῆ κοίλου, ideſt à cauitate. Varo dicit cælum quaſi κοῖλον, ideſt cauum vocari.

Quando Hippocrates per ventrem intelligit ventriculum, nominat ventrem abſolutè ſine limitatione: ſicuti 6. aphoriſ.14. dum dicit „ Hydrope detento, ſi aqua è venis in ventrem defluxerit, ſoluitur morbus: ideſt ſi defluxerit in ventriculum, & inteſtina. Dum vero per ventrem intelligit thoracem, vel alias cauitates, coarctat ventrem cum alia dictione, ſicuti in aphoriſ.38. 7. ſectionis, vbi dicit „ deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra dies 20.

Quo ad ſpontaneas euacuationes, Galenus 4. aphoriſmorum com.2. declarat, quid intelligat Galenus per ſponte euacuari: dicitque ſpōtè euacuantur quæcunque ſine aliqua medici opera excernuntur,

verl

vel à natura, vel ab aliquo irritamento, vel quia vasa humores continere non possunt. Parimodo Galenus lib. de diff. sympt. 6. loquens de spontaneo fluxu mẽsium inquit, fieri vel à materia, vel ob diæresim, vel ob acrimoniam, vel ob serositatem, serositatemque sanguineã fieri, vel quia renes non attrahunt vel ob diminutã sanguificatricẽ, vel ob retẽtricem deprauatam, itaut ex his Galeni locis, euacuationes spontaneæ sint duum generum, aliæ naturales & aliæ symptomaticæ: naturales fiũt tempore opportuno à natura dominante, & per has (dicit Galenus) iuuatur animal: symptomaticæ vero, vt symptomaticæ fiunt à vi morbi, ac semper malæ sunt. Idem dicit Galenus in Philisci historia, his verbis ,, Decretoria non iudicantia, aut lethalia, aut difficilis iudicij: lethalia, si iungantur cum signis lethalibus.

Dictum est, euacuationes symptomaticas, vt symptomaticas semper esse malas, ad differẽtiam euacuationum, quæ sunt symptomaticæ mixtæ ex naturali, & symptomatica, quæ reuera non sunt omnino malæ: obseruauit enim Hippocrates in muliere trimestri fætu grauida, & in Pericle per sudorem symptomaticum mixtum videlicet ex critica & symptomatica euacuatione illos duos ægrotantes fuisse sanatos, vrina adhuc existente cruda: ratio est quia humores magna ex parte erant cocti; crudi vero, qui fuerunt partim euacuati, partim resoluti, ac paucorum dierum spatio in corpore relicti à natura cocti, & domiti fuere: quare omnis euacuatio symptomatica mixta iuuat, sed non quatenus est symptomatica, sed vt naturalis, & coctæ materiæ particeps.

Spontaneæ euacuationes ex Galeno 4. aphorismorum comm. 2. à tribus causis fiunt, videlicet à natura, vel ab irritamento, vel à vasis non valentibus continere. Si consideremus irritamentum expultricis, vel vasa quæ non possunt continere: dicimus fieri vel à copia grauante, vel à qualitate irritante, vel à frigore densante, vel à calido liquefaciente, vel ab imbecillitate retentricis partis mandantis, vel ab imbecillitate expultricis partis recipientis: quæ omnia colliguntur ex Galeno vt infra.

De euacuationibus, quæ fiunt à copia grauante, & à qualitate irritante mentionem facit Galenus 3. de symp. causis cap. 4. & pluribus in locis.

De euacuatione quæ fit à frigore densante mentionem facit Galenus 3. aphorismorum 12. vbi inquit frigus externum exprimere cerebri excrementa, perinde ac esset manus extrinseca, quæ spõgiam aqua imbutam exprimat: sic hyberno tempore fiunt fluxiones, & interdum pleuritides nothæ.

Langius reprehendit medicos nostrẽ temporis, qui putant, frigus externum cerebrum comprimere posse: neque vidit hunc conceptum fuisse Galeni loco citato.

De euacuatione, quæ fit à calido liquefaciente: sermonem habet Galenus loquẽs de febribus hecticis, & ardentibus, in quibus apparent colliquationes in vrinis, & in fæcibus crassis, quorum fæcum pinguedo obseruatur, si aqua calida permisceatur, & in ipsa supernatet. similiter Galenus de euacuatione quæ fit à calido liquefaciente loquitur 5. methodi 13. vbi proponit casum Matronæ Romanæ affectæ catarrho tenui, ac corrodente.

De euacuatione, quæ fit ob imbecillitatem retentricis partis mandantis mentionem faciunt Auctores, dum agunt de lienteria, & de cæliaco affectu, qui affectus fiunt propter ablatam, vel diminutam retentricem ventriculi, & intestinorum: Galenus enim 4. aphorismoru comm. 12. ait, læuitatem intestinorum fieri ob tres causas, videlicet ob debilitatem retentricis stomachi, ob intemperiem intestinorum, vel ob ipsorum exulcerationem.

Ex his colligimus, ꝙ intestina habeant retentricem quidem, sed priuatam insertam, videlicet proprijs fibris gratia nutritionis: negamus tamen quod habeant retentricem communem: quia pro communi sufficiunt intestinorum circumuolutiones, quę totum chylum commodè retinent, quæ dum euadunt laxiores fit cæliacus, & deinde lienteria.

Dicimus quoque cum Laurentio lib. 1. controu. cap. 18. & cum Rudio contra ipsum Saxoniam, intestina non solum carere retentrice communi, sed etiam attra-

ctrice communi. De priuata vero attractrice fibris rectis inserta gratia attrahendi alimentum nemo dubitat. Saxonia vero vult intestina habere quoque attractricem communem: idque probat: quia ratione doloris, vel caloris possunt ab alijs partibus attrahere humores: Nec vidit attractricem ratione caloris, & doloris fieri virtute vacui; talemque attractricem factam virtute vacui esse transmissionem, & non attractionem: quia vacuum, quod nihil est, aliquid efficere non potest: sed solum potest recipere quod expulsum est, sicuti ostendimus in commentarijs Auicennæ, & in lib. de instrumentis huic contemplationi dicatis: sed satis superque idem ostendimus in decimo lib. meth. vitandorum errorum cap. 1.

De euacuatione, quæ fit ab imbecillitate expultricis partis recipientis aliquid dicit Galenus 3. de facul. naturalibus c. 13. dum asserit,,, Quamlibet partem expellere excrementa in aliam imbecillem, & illam adhuc in aliam imbecilliorem, donec omnium imbecillimam inueniat. Isti sex modi propositi sunt valde vtiles, quia aliud remedium requiritur, dum expultrix irritatur à copia grauante, aliud à qualitate irritante: aliud verò in euacuatione facta à frigido condensante, & aliud omninò diuersum si fiat à calido liquefaciente.

Sed notatu dignum est, quod euacuatio facta à copia grauante, & à qualitate pertineat ad irritamentum: illa vero quæ facta est ab imbecillitate retentricis facta à frigido condensante, & à calido liquefaciente reducatur ad vasa, quæ non possunt humores continere. Illa autem quæ fit ab imbecillitate expultricis recipientis ad nullum illorum trium modorum reducitur: ideo diuisio illa Galeni proposita 4. aphorismorum comm. 2. quod omnis spontanea euacuatio fiat vel à natura, vel ab irritamento; vel quia vasa continere non possunt non complectitur hunc postremum modum euacuationis.

Redeuntes igitur vnde digressi sumus, dicimus, Hippocratem per spõtaneas euacuationes non intelligere symptomaticas per sex modos declaratos, sed illas euacuationes, quæ fiunt à natura dominante, quæ semper fit qualiter oportet, & quam sequitur ex necessitate firma & stabilis conferentia & tolerantia.

In vomitibus. Quærendum est, de quo vomitu intelligat Hippocrates. Sciendum igitur, vomitum vel fieri à vi morbi: vel à natura cum tolerantia, & conferentia. A vi morbi fit vel ob læsam expultricem, vel retentricem, vel attractricem. Quod fiat ob læsam expultricem omnes intelligunt. Quod vero fiat ob læsam retentricem, animaduertit Auicēnas lib. 3. fen. 13. tract. 5. vbi ait de causis vomitus, atque fieri ob læsam retentricem, vel quia os ventriculi supernum sit laxum, vel quia os inferius sit nimis validum, vel ob callum circa initium pylori, vel propter obstructiones, & constipationes, ob quas aliquantulum impeditur chyli descensus: vnde vomitus.

Quod vero vomitus fiat ob depravatam attractionem, Galenus 3. de symptomatum causis cap. 2. aduertit, dum dicit, ventriculum aliquãdo attrahere clysteres, illosque reijcere per vomitum; quod ego interdum in praxi obseruaui.

His positis dicimus, Hippocratem in aphorismo per vomitus non intelligere istos symptomaticos, qui fiunt à vi morbi sine legitima conferentia & tolerantia: sed intelligere illos, qui fiunt à natura, qui fiunt qualiter fieri oportet cum conferentia, & tolerantia perseuerante, quæ sola critica est.

Sed conferamus hanc theoricam Hippocratis ad ipsam practicam: inquit, tunc nos obseruare euacuationem per vomitum, vel per alias vias esse naturalem, quandò sequitur tolerantia & conferentia, quæ videlicet perseueret. Quærimus nos quænam sint illæ conditiones, quibus admonitus medicus, qui est naturæ minister & imitator, non erret in facienda euacuatione: conferentia & tolerantia admonet post factam euacuationem, qualiter euacuatio facta sit, sed non ante: Medicus, si vult mederi, & sanare debet antequam euacuet præscire conditiones optimæ euacuationis.

Quinque igitur loci proponuntur ab

Hip-

Hippocrate & Galeno 2. in 6. epid. 5. & 33. à quibus sumuntur conditiones optimæ euacuationis, quæ sunt, vt antequam medicus operetur euacuando, vel alterando sciat quid, quantum, quando, quomodo, & vbi. si de hac prima conditione loquamur ex Galeno loco citato, *Quid* ab essentia indicatur, an videlicet sint euacuandi, vel alterandi humores frigidi, vel calidi.

Quantum euacuandum desumitur ab euacuatione euacuandorum humorum. Dicimus tantam esse faciendam euacuationem, quanta est actiuitas malorum humorum; dummodo virtus permittat; quia illa existente debili parum & per epicrasim: si robusta, multum euacuamus.

Circa quantum, tria sunt aduertenda. Primum ne diminutè euacuemus. Secundum ne superfluè: Tertium ne transcendenter, veluti si in hydropico quis sanguinem mitteret, vel bilem rhabarbaro euacuaret, euacuatio esset transcendens, & vitiosa: quia in hydropico sanguis & bilis desiderantur.

Idem Aristoteles 2. Post. tex. 4. docet esse obseruandum in tradenda diuisione, & definitione ne erremus. Primum ne addamus in definitione verbum superfluum. Secundum ne diminutum. Tertium ne ponamus aliquod verbum transcendens pertinens ad aliud genus. Similimodo in euacuatione tribus modis errare possumus, vel euacuando superfluè, vel diminutè, vel transcendenter, idest humorem non peccantem.

Quando verò desumitur à presentia humorum euacuandorum, & à virtute permittente, & ab absentia prohibentium. In quando obseruantur duo errata: transcendens videlicet, & superfluum: transcendens, & superfluum simul obseruantur, dum homines sani tractantur medicinis: Galenus enim 3. aphoris. 14. inquit „ si quis sanus voluerit bis in mense, aut semel vti medicamento, veritus ne aggregentur superfluitates, nocebit, & trahet corpus in malam consuetudinem. In sanis medicamētum euacuans est transcendens, quia euacuat humores vtiles. Est superfluum, quia non solum euacuat alui excrementa, sed etiam excrementa euacuanda à natura per alias regiones.

Quomodo verò desumitur à passione euacuandorum humorum; tunc enim sunt humores euacuandi, quando possunt pati, seu vinci à medicamento: dum vero sunt crudi, non possunt pati, quia non sunt fluidi: corpora enim ex Hippocrate 2. aphoris. 9. cū quis purgare voluerit oportet fluida facere.

Similiter Hippocrates 2. de humoribus comm. 15. dicit „ Incoctos humores esse ita infixos, & stabiles in ipso corpore, vt à medicamento dimoueri non possint, nisi coquantur.

Circa quomodo duo committi possunt errata. Primum dum triuiales medici vtuntur remedio superfluo. Secundum dum vtuntur remedio extraneo, vel transcendente.

Exemplum superflui est, si in vitiatis renibus, & vesica, quis semper vtatur diureticis: tunc renibus, & vesicæ adderentur quod addi non deberet; ideo Galenus 2. in 6. epid. comm. 7. ait, vitiata vesica, aut renibus melius est per aluum deriuare, quam per vrinam euacuare: diximus (semper) quia Galenus 7. meth. vltimo inquit „ Dum renes multo vitioso succo abundant per cathartica purgandum: si mediocri succo, per vrinam: Sed vt plurimum corpora scatent crudis succis: ideo præstat prius per aluum deriuare.

Exemplum extranei, seu transcendentis remedij est, si in calculo vesicæ vteremur electuario vitri Montagnanæ pro corrodendo, & comminuendo vesicæ calculo, quo vsus est vir quidam Illustris, medico quodam iubente; inde ab eodem electuario trium mensium spatio fuerunt erosa intestina, ac miser ante diem dysentericus perijt.

Vbi sumitur ab inhærentia humorum: Galenus lib. ad posthumum cap. 3. & alibi inquit, esse multas vias, per quas excremēta expellantur, idest per sanguinis eruptionem, per vomitum, per vrinam, & per sudorem. Quare, dum ad prædictas vias excrementa habent inclinationem, purgantia euadunt extranea, & transcendentia, & crisim prohibentia.

Exempli causa: Horophons, qui in decimaseptima die est iudicatus sudore, si in decimasexta sumpsisset pharmacum, non sudasset, & fortasse ob sumptum pharmacum ex humanis decessisset.

Si Cherionas, qui liberatur die vigesima multitudine vrinarum biliosarum, pharmacum paulo ante sumpsisset, sine dubio fuisset saltem magna ex parte non sine periculo impedita illa crisis.

Si Meton, & virgo Larissæ, qui ægrotantes liberantur febre acuta hemorrhagia è naribus, sumpsissent medicamentum ante crisim, fuisset impedita hemorrhagia. Sed de his ampla rationum serie egimus lib. 13. meth. vitandorum errorum. Cæterum explicata prima parte aphorismi occurrunt nonnulla dubia.

Secunda dubitatio, dum euacuantur humores peccantes, euacuantur qualia oportet cum conferentia, & tolerantia: è contra vero dum euacuantur humores qui non peccant. Contra hoc dictum sic arguitur: sanguis in febribus biliosis vel melancholicis non peccat, tamen euacuatur cum conferentia, & tolerantia: quia Galenus 11. meth. 15. asserit „ saluberrimum esse in omnibus febribus putridis mittere sanguinem.

Responsio est sanguinem peccare copia, & non qualitate.

Vel respondemus, sanguinem euacuari gratia præseruationis, & non curationis.

Vel respōdemus Hippocratem in aphorismo intelligere de purgatione, & non de sanguinis euacuatione.

Responsio quoque communis est, sanguinem peccare non principaliter, sed vt causam sine qua non.

Tertia dubitatio dum euacuantur crudi humores, non euacuantur cum conferentia, & tolerantia, quia ex Galeno 1. de humoribus 15. humores crudi, & incocti sūt adeo infixi, & stabiles, vt à medicamento dimoueri non possint sine magno corporis detrimento: sed crudi humores sunt humores peccantes: ergo non euacuabuntur cum conferentia, & tolerantia. Præterea tantum abest, quod cruda euacuentur cum conferentia quod Galenus 4. de tuenda sanit. cap. 5. dicat „ deiectio crudorum facit termina, rosiones: & obstruit angustas vias: ergo nullo pacto cruda debent euacuari.

Responsio pendet ex recta intelligentia aphorismi, quia (vt ostendimus superius) per οἷα nō debemus intelligere qualia, sed qualiter fieri debeat purgatio: illud enim qualiter supponit naturam esse euacuandam in tempore opportuno, nempe in die critico, quo casu humores sunt cocti, & non crudi, & purgantur cum vera conferentia, & tolerantia.

Quarta dubitatio, dum euacuatur atra bilis, euacuatur humor peccans, & qualia oportet: sed sic est quod euacuatio atræ bilis nunquam est cum conferentia, & tolerantia: quia ex Hippocrate 4. aphorismorum 22. „ atra bilis si supra, vel infra exierit lethale.

Respondetur, atræ bilis euacuationem esse malam non ratione bilis atræ euacuatæ: sed ratione causæ ipsius atræ bilis, quæ causa est relicta in corpore, quæ est iecoris incendium.

Deinde respondetur, dum Hippocrates 4. aphorismorum 22. proponit prædictam sententiam, inquit „ Incipientibus morbis, si atra bilis supra, vel infra exierit, lethale: quare non euacuatur qualiter oportet, dum in morbi principio mouetur: quia incipientibus morbis materia est cruda, & acris, & habet vim exedendi, & exulcerandi intestina: si verò in tempore opportuno, idest dum superata est atra bilis ab ipsa natura euacuetur, tunc euacuatio est qualiter fieri debeat, & ideo salutaris.

Hinc Hippocrates 7. aphoris. 5. dum dicit ab insania difficultas intestinorum, bonum, licet insania fiat ab atra bile: quia illa atra bilis spatio multorum dierum à natura superata, & victa non lædit, seu corradit intestina, sicuti incipientibus morbis.

Quinta dubitatio; non videtur, quod qualia oportet sint purganda, sed quanta, quia id purgatur, cui respondet euacuatio; sed euacuatio respondet quantitati, & non qualitati: ergo Hippocrates debebat dicere, si quanta oportet purgari, purgentur, & non si qualia; quia qualitates

rates prauorum humorum alterantibus, & non purgantibus tolluntur.

Respondetur per qualia nos debere interpretari qualiter oportet purgari: hocque aduerbium qualiter amplecti quoque quantitatem.

Aristoteles enim 5. metaph. cap. de quali dicit, qualitatem amplam habere signignificationem; quia inquit, sumi tribus modis, nempe, vel pro qualitate de prædicaméto qualitatis, vel pro qualitate substantifica secundum quem modum rationalitas dicitur hominis qualitas, quia de homine prædicatur in quale quid: vel per qualitatem intelligit differétiam omnium aliorum prædicamentorum: quia quælibet differentia prædicatur in quale de suo subiecto: atque secundum hanc significationem quælibet differentia cuiuslibet prædicamenti sit quantitas, sit relatio dicitur qualitas, secundum quam subiectum dicitur quale: sic dicemus homines magnos dici à magnitudine, longos à longitudine, & sic de alijs.

Sic & vasorum inanitio: si talis fiat, qualis fieri debet. Hæc est secunda pars, quæ docet qualiter fieri debeat euacuatio facienda per inanitionem, videlicet per sanguinis missionem. Sed oritur.

Sexta dubitatio, quia Hippocrates: qui est omnium auctorum breuissimus, videtur superfluus, quia bis repetit eadem verba: in principio aphorismi habet hæc verba ,, Si qualia oportet purgari purgentur confert & facile ferunt: deinde iterum repetit eandem sententiam his verbis ,, Si inanitio fiat qualis fieri debet.

Respondemus, intentionem Hippocratis in hoc aphorismo esse de qualitate euacuationis, vt est euacuatio, dicendo tūc esse bonam euacuationem, quando sequitur tolerantia, & conferentia. Hoc posito dicimus cum Oribasio in principio aphorismi exemplificare de euacuatione qualiter fieri debeat per medicamenta cathartica. Hic vero de euacuatione per sanguinis missionem: explicando per inanitionem ipsam phlebotomiam.

Nec valet, quod dicit Triuerius contra Oribasium, quod Hippocrates non intelligat de euacuatione per phlebotomiam: quia qualitas euacuationis non pertinet ad sanguinis missionem: quoniam qualitas euacuationis, idest qualiter fieri debeat, pertinet ad euacuationem vt est euacuatio, quæ prædicatur de purgatione & sanguinis missione, & (vt probatum est superius) de quantitate, & quacumque alia conditione optimæ euacuationis.

Septima dubitatio: proponit Hippocrates duas conditiones optimæ euacuationis, quæ sunt conferentia & tolerantia: quæ duæ conditiones aliquando obseruantur ante obitum post prauorum succorum euacuationem: ob quam mitescunt omnia, dormiunt, meliusque se habent ad oblata: attamen post tres vel quattuor dies ex humanis decedunt: ergo duæ conditiones nō sufficient in declaranda optima euacuatione; quare Hippocrates videtur diminutus.

Respondetur, conferentiam & tolerantiam duplicem esse: aliam perseuerantem: aliam vero non perseuerantem, quæ interdum in euacuatione symptomatica contingit: posita distinctione dicimus, Hippocratem intelligere de conferentia & tolerantia perseuerante, & de illa, quæ fit post euacuationem factam qualiter fieri debeat, quæ fit in die critico, concocta materia & in fine status, vt docet Galenus 3. de crisibus 6.

Octaua dubitatio: non videtur, quod in euacuatione qualiter fieri debeat, sit facilis tolerantia: multę enim euacuationes criticæ & salutares conferunt quidem, sed ægri non facile ferunt: quia ex Galeno 3. de crisibus cap. 9. crises non sine certamine fiunt: immo sæpè in optima euacuatione excitantur dolores capitis, anhelitus difficultates, & varia symptomata, vt docet Galenus 3. de crisibus, quæ ægri non facile ferunt. immo Galenus aphoris. 23. huius primæ sect. vult, in vehementissimis doloribus, in ardentissimis febribus, & in maximis inflammationibus sanguinem esse euacuandum vsque ad animi deliquium, quam euacuationem certè ægri non facile ferunt: ergo in optima euacuatione non est facilis tolerantia, vt admonet Hippocrates.

Re-

Respondetur, quod crisis facta per euacuationem duplex sit, alia est facta per euacuationē optimam, & perfectissimam, & hæc semper est cum conferentia & tolerantia: de hac intelligit Hippocrates. Vel respondetur quod euacuatio critica consideretur vel dum fit, vel postquam facta est: primo modo non est sine certamine: Secundo modo sumpta non solum est cum conferentia, sed etiam cum facili tolerantia.

Inspicere autem oportet. Hæc est tertia pars aphorismi. Sicuti in prima parte Hippocrates docuit purgationem esse optimam, dum fit qualiter oportet: Et in secunda docuit inanitionem vasorum esse similiter optimam, si fiat qualiter oportet, idest in tempore opportuno, facta concoctione in die critico, & in statu morbi, vt docet Galenus 3. de crisibus 6. & viribus ipsis permittentibus. Sic in hac tertia parte docet modum, quo obseruato intelligimus non solum qualiter: sed etiam qualium sit facienda euacuatio: quia proponit quatuor fontes, ex quibus hæc omnia facilè colligere possumus, nempè regionem, ætatem, tempus, & morbos.

Dicit Hippocrates, esse inspiciendam regionem: quia ex regione colligimus qualiter humores sint euacuandi, & qualium sit facienda euacuatio, quoniam in regione calida, & sicca dominatur bilis: in calida & humida dominatur sanguis, in frigida & humida pituita: in frigida & sicca melancholia: talesque debent euacuari.

Præterea ex regione colligimus qualiter sit facienda euacuatio, videlicet an multum, vel paucum, vel affatim, vel per epicrasim: quia ex Galeno lib. de sectis cap. 8. habetur, in Regione valde calida & valde frigida nec multam euacuationem, nec affatim factam conuenire: ibidem enim habet hæc verba „ Neque ijs qui incolunt Septentrionem, vel Ægiptum, & totam meridianam plagam cōuenit multa sanguinis euacuatio, & affatim facta: non multa: quia in his Regionibus non abundat sanguis: non affatim facta, quia ibi homines non polent robore: subdit Galenus euacuationem multam, & affatim factam conuenire ijs, qui inter hos sunt interiecti, dummodo non sint expositi ventis australibus: australes enim venti auferunt robur, & laxant membra.

Hinc Galenus & ipse Asclepiades, vt colligitur 3. epid. obseruarunt venę sectionem confestim factam Romæ, & Athenis in pleuriticis non valde conuenire: quia vtraque ciuitas ventis australibus maximè est exposita. Addit Galenus in Hellesponto venę sectionem affatim factam bene iuuare: quia ibi nō australes, sed septemtrionales venti spirant. Hellespontus enim est interiectus inter septemtrionalem, & meridionalem plagam, cuius maior pars est sub quinto climate. Hinc colligimus quantum errent illi medici, & qui ventis australibus prædominantibus plenam faciunt euacuationem, & qui ventis septemtrionalibus dominantibus omittunt plenitorem euacuationem.

Præter Regionem, Hippocrates addit tempus, ex quo colligimus qualium, qualiter, & quando sit facienda euacuatio. Dicimus qualium, quia in tempore calido & æstiuo humores calidi, & biliosi dominantur, & talium facienda est euacuatio: in tempore frigido, frigidi, & pituitosi: in temperato, sicuti est ver, sanguis est educendus: in tempore inæquali, sicuti est Autumnus, melancholia est purganda. Similiter Hippocrates 1. de natura humana tex. 34. & 35. inquit, hyberno tempore pituitam abundare: vere sanguinem: æstate bilem flauam: Autumno vero melancholiam: quare tempus anni indicat qualium humorum sit facienda euacuatio.

Colligimus quoque ex tempore qualiter & quantum sit euacuandum: Galenus 10. meth. vltimo inquit, tempore æstiuo, aut parum, aut nihil esse euacuandum: quia fieret notabilis virium resolutio. Parimodo Hippocrates 4. aphorismorum 5. ait, sub cane, & ante canem difficiles esse purgationes: Galenus vero in comm. dicit plures sub cane purgatos incidere in malas febres. Canis oritur 20. Iunij, terminaturque 10. die Augusti, licet non vbique gentium habeat 50. dies: in aliquibus enim locis habet plures: in aliquibus verò pau-

ciores: sed notandum per ante canem intelligi illam stellam, quæ dicitur procyon, & est canis minor, quæ oritur per decem dies ante canem, atque hi dies vocantur prodromi, idest præcurrentes, in quibus non euacuatur sanguis, neque fiunt purgationes, intelligendo de purgationibus electiuis, non de lenientibus.

Cæterum tria notanda circa hoc præceptum. Primum sub cane, & ante canem spirantibus ventis septemtrionalibus, & vrgente necessitate, & pharmaca, & phlebotomiam conuenire. Secundum notandum est: aphorismum esse intelligendum de multa, & affatim facta euacuatione non de pauca, quæ fit per cucurbitulas, vel hyrudines. Tertium notandum, aphorismum esse intelligendum de pharmacis, non de lenientibus, quia hæc omni tempore conueniunt.

Similiter neque in tempore valde frigido conueniunt purgationes: tum quia corpora eo tempore non sunt fluida: tum quia ex Hippocrate 1. de natura humana hyeme dominatur pituita: de cuius ratione est constipare, & prohibere, ne corpora sint fluida.

Demum colligimus ex tempore, locum, per quē sit facienda euacuatio: quia Hippocrates 4. aphorismorum 4, dicit æstate potius per superiora, idest per vomitum: hyeme verò potius per inferiora euacuandum: quia hyeme propter impetū, qui fit in ipso vomitu, interdum rumpuntur venæ, quia propter frigus non sunt ita laxæ, & ita molles, vt in æstate: deinde æstate dominatur bilis, quæ per vasa cholidoca ad Pylorum transmittitur; deinde ad ventriculum, vnde vomitus promptior fit.

Post regionem ponit ætatem, ex qua colligimus qualiter, & qualium humorum sit facienda euacuatio. Colligimus qualiter: quia Hippocrates & Galenus 4. de ratione vic. in ac. 19. ponunt inter scopos mittendi sanguinem ipsam ætatem: excluduntur tātum duę ætates, videlicet senilis, quia in hac virtus est languida, & multo magis excluditur puerilis: dicimus multo magis puerilis: quia in senibus robustis conuenit euacuatio & purgatio, quæ non ita conueniunt in pueris robustis: quoniam ex Galeno 9. meth. 17. „ Puerorum corpora ita facile difflantur, vt aliquando contingat post euacuationem in pueris corpora adeo exhalare, vt paulò post euacuationem exhalent animam ipsam.

Deinde ex ætate colligimus qualium humorum. Ex Galeno enim lib. de salubri diæta habetur „ ætates indicare dominiū peccātium humorum: senes enim „ propter debilitatem, & ipsi pueri propter ingluuiem indicant pituitam: Adolescentes sanguinem: Iuuenes bilem: viri qui sunt in ætate consistentiæ melancholiam esse euacuandam.

Post ætatem proponit morbos, ex quibus colligimus, an sit euacuandum; quid sit euacuandum, & quando. An sit: sicuti tabidi, hectici, hydropici, syncope vel cardialgia, vel fluxu correpti indicant sanguinem non esse euacuandum: dicitur vel fluxu correpti: quia Galenus 1. ad Glauc. 14. in fluxu cum febre, quamuis fluxus non sit præmultitudinis ratione, nec purgandum, nec phlebotomandum, iubet: febres vero putridæ, & omnes intemperies cum materia, & omnes morbi, si vires permittant, indicant sanguinem esse euacuandum, & humorem purgandum. Similiter dicimus, omnes morbos magnos viribus permittentibus indicare sanguinem esse mittendum.

Morborū verò typos dicimus indicare varios humores esse euacuandos: quia typus vel est de tertio in tertium diem, & indicat bilem esse euacuandam: vel de quarto in quartum & indicat melancholiam, vel quotidie inuadit, & indicat pituitam euacuandam.

Quo ad quando, Tempora morborum indicant quando: quia principium morbi indicat sanguinem esse mittendum: augmentum & statum esse quiescendum: Hippocrates enim. 29. aph. 2. sec. ait „ Si quid tibi videtur mouendū moue in principio: in augmēto vero & statu quiescendum: finis status, & declinatio indicant esse purgandum; hinc Hippocrates 22. aphor. huius 1. sec. ait „ concocta medicari: quæ igitur perfectè concocta sunt in fine status, & in declinatione habeat locum. Ecce quam artificiose Hippocrates

ex

ex his quatuor verbis, nempe regione, tempore, ætate, & morbis nos facillimè docet & qualiter, & qualium humorum, & quomodo sit facienda euacuatio.

Nona dubitatio ex dictis suboritur: Hippocrates videtur diminutus: quia præter regionem, tempus, ætatem, & morbos alia dantur signa indicantia humores prędominantes. Galenus in comm. considerat colores. Similiter lib. 1. de humoribus Hippocrates & Galenus tex. & comm. 1. dicunt ex coloribus colligi posse humores prædominantes: alibi ex actione læsa, ex qualitate mutata, & exeuntibus mutatis humores peccantes facilè colligi posse affirmat. Præterea Galenus 4. aphorismorum 2. proponit Cœli statum particularem, naturam ægrotantis, consuetudinem, vitæ studium, & pręcedentem victus rationem, ex quibus colligere possumus qualiter & qualium humorum debeat esse euacuatio. Insuper secundo ad glauc. 2. proponit robur, præsentem constitutionem, consuetudinem, & naturam ægrotantis: de quibus Hippocrates in aphorismis nihil dicit; ergo est diminutus.

Responsio est, quod hæc omnia virtute contineantur in quattuor propositis ab Hippocrate in aphorismo, idest in regione, tempore, ætate, & morbis: Vel dicimus, illa quatuor fuisse proposita, vt exemplis quatuor præcipuis illustraret modum dignoscendi peccantes humores. Immo ab Auicenna 4. primi proponuntur loca, ex quibus qualiter, & qualium debeat esse euacuatio: itaut Auicennas videatur facere omnium locorũ Hippocratis, & Galeni veluti fasciculum, vt inde exactissimè intelligatur qualiter, & qualium debeat esse euacuatio: quæ loca his trib. carminibus declarantur. Ars, Ætas, Regio, virtus, complexio, forma. Mos, & symptoma, repletio, tempus, & vsus. Et bene si numeres, figuram addere debes. Alia tria carmina continentia omnia loca proposita, & nonnulla alia circumferuntur per scholas, quæ sunt, Temperies, ætas, cælistatus, ars solita, morbus, vsus, causa, locus, symptomata, innata facultas: Consimiles morbi, mos, motus, pharmaca, gestus.

Qvæst. 14. *Qua methodo dignoscantur peccantes humores.*

CÆterum, nisi omnia proposita signa reducantur ad aliquam certam methodum, potius confusionem, quam doctrinam parient. Dicimus igitur humores peccantes, qui debent euacuari, vel dignosci per signa propria; vel per syndromem signorum communium, quæ communia signa in vnum collecta non sunt minoris efficaciæ, quam demonstratio quia, quæ ex proprijssimo signo constat.

Quo ad signa, quæ singula seorsum sumpta indicant certum aliquem humorem prædominari sunt hæc tria, sapores, colores, & typi. Dulcis sapor insipidus indicat pituitam euacuandam: dulcis manifestus ex Galeno 2. de facul. nat. cap. 9. indicat sanguinem: sapor amarus bilem: salsus pituitam: acidus melancholiam, & secundario pituitam: sed de his fusius egimus lib. 5. meth. vitandorum, & in comm. nostris Auicennæ.

Si verò de coloribus loquamur Galenus in hoc comm. huius aphorismi inquit, colores indicare humores peccantes, nisi ad intra regurgitauerint: regurgitant vero ex Galeno 4. de tuen. san. 4. ob tres causas, vel ob frigus aeris ambientis, vel ob libidinem, vel ob animi passiones, nempe ob iram, timorem, vel mæstitiam.

Colores verò humorum sunt decem videlicet, albus, qui indicat pituitam, pallidus pallidam bilem, citrinus flauam, luteus vitellinam, ruber sanguinem, vel sanguinis ichorem, viridis poraceam, eruginosus prassinam, cæruleus isatidem, color niger turbidus indicat melancholiam naturalem ex Galeno 3. de loc. aff. 7. color niger splendidus atram bilem adustam ex Galeno 4. aphorismorum 25. de quibus coloribus fusè egimus in comm. nostris artis paruæ quæst. 49.

Si vero de typis loquamur, dicimus motum de tertio in tertium indicare bilẽ: de quarto in quartum melancholiam; & quotidianum pituitam.

Quando vero hęc signa humorum propria non habentur: tũc accedendum est ad symdromen signorum communium, quæ

est

est paris efficaciæ cum signo proprio, quod docere potest, an peccet vnus, vel alius humor.

Notandum igitur signorum communium aliqua esse necessario antecedentia: aliqua vero necessario consequentia.

Necessario antecedentia desumuntur à duobus fontibus: quorum primus continet sex res nonnaturales. Secundus corporis dispositiones.

Causæ nonnaturales sunt sex: Prima est aer: Secunda cibus & potus. Tertia somnus & vigilia: Quarta motus & quies: Quinta animi passiones: Sexta quæ excernuntur & retinentur.

Hæ causæ nonnaturales non valde alterant corpus, nisi sit dispositum: immo Galenus lib. de causis morborum capit. 2. inquit: sine subiecti dispositione nec ignis combureret, nec gladius incideret. Similiter Aristoteles 2. de anima tex. 24. inquit; actum actiuorum esse in patiente benè disposito. Hinc aer feruidus, & potus calidissimus: sicuti est vinum maluaticum, possunt hydropem efficere, qui est affectus frigidissimus, si ad hydropem corpora sunt disposita: immo si non sint disposita disponuntur: quia calidissima sensim superāt calorem naturalem, vnde corpus frigescit.

Hinc Aristoteles 3. sec. probl. 1. loquens de varia subiectorum dispositione quærit, cur vinolenti non calent, cum vinum calidum sit.

Respondet, quia valde calida superant naturam, & suffocant calorem naturalem: ideo ait) vinolentos morbis frigidis vexari. Similiter senes sua natura frigidi interdum post vsum frigidorum hyberno tempore incidunt in causonem, cur? quia illa corpora, vel propter abstructiones, vel alias causas disposita sunt ad cumulandam bilem, & non pituitam.

Quo ad malas dispositiones dicimus, dignosci pòsse per loca antecedentia, & consequentia. Loca antecedentia sunt quinque, idest, æstas, habitus corporis, affectio hæreditaria, suppressa euacuatio, & loci affecti siue afficiendi.

Sicuti in mala valetudine lienis indicatur melancholia: in mala valetudine cerebri, glandularum, & ventriculi vt plurimum pituita: dum vero afficiuntur membranæ, & ipsum hepar, bilis peccare solet: diximus membranas: quia membranæ sua natura densæ non penetrantur, nisi ab humore tenui, & acri, cuiusmodi est bilis: vnde Hippocrates 6. aphorismorum 33. qui acidum eructant, non fiunt pleuritici: quia ructus acidi indicant pituitam, quæ ob suam crassitiem, & lętorem non penetrat membranas, quæ sua natura sunt densæ.

Loci verò affecti cognoscūtur per quinque loca proposita à Galeno 1. de loc. aff. 5. & lib. 2. cap. 9. quæ sunt, actio læsa, situs excrementa, doloris proprietas, & propria accidentia. Sextus verò locus colligitur ex Hippocrate 4. aphorismorum 33. vbi dicit „ si qua ante morbum pars laborauerit, ibi morbi sedes.

Loca vero consequentia, quæ indicāt viscerum dispositiones, sunt quinque. Primo sunt substantialiter inhærentia, quæ sunt illa, quæ tactu dignoscuntur. Secundo sunt necessario accidentia, quæ pertinent ad cōpositionem, sub qua sunt, magnitudo, situs, numerus, & figura. Tertio sunt operationes. Quarto quæ consequūtur operationes, sicuti sunt qualitates mutatæ, exeūtia, vel retenta immodicè. Quinto sunt iuuantia & lædentia. Si igitur ex qualibet istorum locorum vnum signum colligemus, componemus syndromen sufficientissimam, quæ nos illico docebit, an peccet vnus, vel alius humor.

Præcognitis humoribus corpus nostrum lædentibus. Sciendum istos peccare posse, vel plenitudine, vel qualitate: si plenitudine, secanda est vena: si qualitate alterandum, & deinde purgandum corpus.

Galenus in comm. sic definit purgationem „ Purgatio est humorum, qui sua qualitate molestant. Vnde resultant duo affectus videlicet plenitudo præter naturam, & cacochymia. Plenitudo fit à sanguine ex Galeno lib. de plenit. cap. 2. cacochymia ab alijs humoribus.

Distinguitur sanguis ab alijs humoribus: quia solus sanguis ex Galeno lib. de atra bile cap. 2. extra corpus concrescit: quæ igitur euacuantur per venam sectam,

 nisi

nisi concrescant, non pertinet ad naturam sanguinis, sed potius ad cacochymiam, si vitiati sint humores: quia cacos significat malum, chymos verò significat succum.

Humores igitur distincti à sanguine quinque modis vitiari possunt.

Primo vel ob immoderatam agitationem, sicuti quando sunt turgentes, de ratione quorum humorum turgentium est, quod moueantur à seipsis, & non ab aliqua facultate expultrice, vel attractrice.

Secundo vel quia sint vitiati humores quando mouentur ad aliquam præcipuam corporis partem, vt ad cerebrum, iecur, vel ad alias partes, efficiuntque tumores, nempe erysipelas, ædema, vel scirrhos.

Tertio vel quando mutant naturam, sicuti dum putrefiunt, & corrumpuntur.

Quarto dum mutant speciem, sicuti dum bilis flaua fit vitellina: vel dum vitellina fit porracea, & porracea æruginosa, & sic de alijs.

Quinto quando adaugetur quantitas, veluti quando bilis flaua præter naturam augetur.

Quæritur, an ex sanguine fieri possit cacochymia. Respondemus, quod sanguis dũ conseruat propriam formam nullomodo efficere possit cacochymiam: sed solum quando mutat formam.

Mutare potest sanguis propriam formam his duobus modis, vel dum pars tenuior sanguinis ob putredinem vertitur in bilem, & crassior in melancholiam, vt docet Galenus 2. de diff. feb. 9. & 1. de crisibus 12. & Auicennas prima primi. Vel mutat propriam formam, dum corrumpitur: corrumpitur verò duobus modis, vel dum humor in pus facessit, vel dum ob putredinem conuertitur in cinerem.

Distinguitur cacochymia: quia alia sumitur à loco: alia ab affectu. A loco, vel est in venis, vel extra: vel in toto corpore, vel in vnica parte. Hinc Galenus lib. de curandi ratione per s.m. cap. 4. dicit cacochymiam vel esse vinuersalẽ, nempe in toto, vel particularem, idest in aliqua parte, vt in iecore, liene vel alijs partibus.

Ab affectu sumuntur differentiæ cacochymię, quia vel cacochymia est simplex, vel mixta cum plenitudine: hæc mixta vel est vincente plenitudine, vel vincente cacochymia: si fiat vincente cacochymia dicitur cacochymia plethorica: si fiat vincente plenitudine dicitur plenitudo cacochyma: si verò æqualis sit, dicitur cacochyma æqualis.

Notandum non solum plethoram tolli euacuatione, sed etiam cacochymiam: Galenus enim lib. de simp. medic. cap. 5. habet, duos affectus postulare euacuationem, nempè cacochymiam, & plenitudinem: quam plenitudinem distinguit in vniuersalem, & particularem: subdit istos affectus postulare euacuationem, sed non protinus sanguinis missionem: quia aliquando est purgandum, vt in cacochymia: at in pleuritide solum est phlebotomandum: itaut Galenus non neget in cacochymia interdum esse venam secandam.

APHORISMVS TERTIVS.



HABITVS *Athletarum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint: neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum verò non quiescant, neque possint proficere in melius, reliquum est igitur, vt decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones ad extremum ducendæ: periculosum enim. Sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic, & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ, & rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ.*

Omis-

Omissis altercationibus, quæ fiunt ab Expositoribus circa continuationem huius aphorismi cum superiori, quatuor faciemus. Primo paucis aphorismum cum superiori conectemus. Secundo sensum & diuisionem aphorismi proponemus. Tertio verba perpendemus, & ex illis nouum sensum, & nouam intelligentiam colligemus. Quarto quæstionem famosam circa aphorismum examinabimus, quæ est, à quo indicetur per se primo missio sanguinis.

Quo ad primum, continuatio hæc est: cum dixerit Hippocrates in prima parte superioris aphorismi, quod si purgatio, & euacuatio fiat qualiter oporteat, conferat, & ægri facilè ferant: atque in secunda parte proposuerit quatuor fontes videlicet regionem, tempus, ætatē & morbos, ex quibus nos facilè colligere possumus non solum qualiter, sed etiam qualium humorum, & quādo debeat esse optima euacuatio: meritò agit in hoc aphorismo de quantitate euacuationis: quia cognita rei natura & qualitate essentiali, statim se offert consideratio quantitatis.

Prima dubitatio occurrit circa hāc continuationem: quia Galenus in comm. 23. aphorismi huius sect. inquit, Hippocratem in hoc 2. aphorismo egisse de indicijs qualitatis euacuationis: de indicijs vero quantitatis in illo 23. quare si ageret hic de quantitate euacuationis, Hippocrates esset superfluus.

Respondetur, Hippocratem in hoc 3. aphorismo agere de quātitate euacuationis, vt est euacuatio: in 23. vero de quantitate humorum euacuandorum, dum dicit, quæ euacuantur multitudine metienda non sunt.

In hoc aphorismo agens de quantitate euacuationis, vt est euacuatio, duo facit: primo dat normam circa nimias euacuationes, & nimias repletiones.

Secundo ostendit, nimias euacuationes, & nimias repletiones esse fallaces.

Id probat argumento à minori, quod à Cicerone vocatur in Topicis à minoris comparatione, efficacissimum quidem, atque est: „ Si nimiæ repletiones, & nimiæ euacuationes sunt fallaces, & periculosæ in Athletis, quorum corpora sunt robusta, quanto magis erunt fallaces, & periculosæ in debilibus & ægris? Probat Hippocrates antecedens, videlicet quod nimiæ repletiones in Athletis sint periculosæ: hoc modo: Athletæ non possunt in eodem statu permanere; neque in melius proficere, ergo reliquum est, vt in deterius decidant. Non possunt in eodem statu permanere: quia ex Galeno in comm. & lib. de bono corporis habitu in Athletis semper fit maior sanguinis augmentatio: ideo tandem erit necessarium, vt decidant in deterius: non enim potest semper fieri noua sanguinis additio, quia venę non sūt infiniti sanguinis capaces: quare alterum de duobus necessario sequitur, vel, vt rumpantur venæ, vel vt calor à nimia sanguinis copia suffocetur. Neque poterant in eodem statu quiescere: quia, vt optimè animaduertit Philotheus, facultates naturales nunquam quiescunt: ipsorum enim quies est mors.

Pręterea non possunt in melius proficere, quia sunt in summo gradu bonitatis: talis enim erat illorum status, vt semper fieret maior sanguinis additio, quam resolutio: vnde ex necessitate sequebantur, vel rupturæ venarū, vel suffocationes, & mortes repentinæ.

Cæterum, quomodo cognoscatur, quādo maior fiat additio sanguinis, quam euacuatio, vel maior fiat euacuatio, quam additio, vel an additio sit æqualis euacuationi, non omnes ita facile intelligunt: quo non intellecto nunquam cognoscemus qui sint Athletæ, qui temperati, qui ad taben vergant: hæc sanè dignosci non possunt, nisi perpendamus ea, quæ eduntur ac bibuntur, & præterea excrementa sensibilia, & insensibilia; & præcipuè insensibilia, quæ sunt maioris ponderis (vt nos probauimus in staticis experimentis) quam omnia excrementa sensibilia simul vnita. Quod vero pro tam necessaria cognitione requiratur ponderatio, Nos docet Galenus 6 de tuen. sanit. 6. non longè à principio, vbi habet hæc verba „ Vbi quod è corpore exhalat minus est ijs quæ eduntur ac bibuntur, redundantiæ morbi oriri solent: ergo prospi-

ciendum est, vt eorum quæ eduntur, & bibuntur respectu eorum quæ excernuntur, conueniens mediocritas seruetur: conueniens mediocritas seruabitur si in vtrisque ponderabitur quantitas. Hæc sanè sine statica nostra sunt imperceptibilia.

Suffulta est statica tribus fundamentis: primum diffinitione medicinæ tradita ab Hippocrate lib. de flat. cap.6. dum dicit » medicina est additio eorum quæ deficiunt,& ablatio eorum quæ excedunt. Secundum suffulta est experimentis staticis, quæ cursu multorum annorum obseruauimus, quæ adeo certa sunt, vt contineant certitudinem mathematicam. Tertium fundamentum artis staticæ colligitur ex Galeno 6.de tuen.sanit.cap.6.citato,& ex alijs locis, vt fusius ostendimus in comm. nostris Auicennæ.

Diuiditur aphorismus in duas partes. In prima Hippocrates probat, habitũ athleticum esse euacuãdum,quia in eodem statu non potest permanere, nec in melius proficere. In secũda vbi dicit(neque compressiones) tradit tres causas, cur habitus Athleticus neque affatim, neque tardè sit soluendus: dicit enim μὴ βραδέως, ideſt non cunctanter, idest per epicrasim, idest per partem post partem, seu parum pro vice.

Prima causa,cur non affatim sit soluendus habitus Athleticus,est ne vasa ducantur ad subsidentiam:nimia enim subsidentia efficit syncopem: quia impedit transitum alimenti ad cor.

Quod verò ita sit, patet per ipsam practicam, quia & remedia curatoria, quæ repellunt alimentum, & spiritus ad cor, sicuti est aqua frigida in faciem coniecta, iuuant syncope affectos, & remedia præseruatoria, quæ roborant cor, quæ impediunt,ne spiritus vanescant,cuiusmodi est puluis griseus cæsaris ad vnciam semis superbibendo vini albi generosi vncias quatuor circiter: quod remedium in hoc proposito tenet primas.

Secunda causa,cur non statim sit habitus ex toto soluendus,est,quia omnes euacuationes extremæ sunt periculosæ: in extrema enim euacuatione euacuatur humor peccans, & non peccans: non enim totus sanguis peccat: nititur Hippocrates aphorismo 51.secundæ sectionis vbi dicit, omne nimium esse naturæ inimicum.

Tertia causa,cur nõ omnino sit soluendus habitus plethoricus,est,quia refectiones extremæ sunt fallaces, tum quia natura debilitata ob nimiam euacuationem cibum non potest concoquere: tum quia non potest ob debilitatem concoctum cibum distribuere. Accedit quoque subsidentia quæ fit post nimiam euacuationem, quæ maximè impedit alimenti transitum ad cor,& ad alias partes. Hæc est diuisio, & sensus aphorismi.

Quo ad verba ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν idest in gymnastis, idest in exercitantibus. Galenus lib.ad Trasyb. cap.41.dicit, illam esse artem gymnasticam, quæ agit de omni exercitio. Athletarum exercitium est minima artis gymnasticæ pars: quare Hippocrates nõ intelligit in hoc aphorismo de Athletis,vt nonnulli putant:sed de gymnastis,qui amplectuntur omnia exercitia. Galenus tamen in hoc comm.& lib. ad Trasyb. cap.3.& Philotheus antiquus Hippocratis interpres per gymnastas exponunt Athletas; quia Athletæ sunt illi, qui habent has duas conditiones, de quibus Hippocrates mentionem facit: quarum prima est, quod tales gymnastæ ad summum bonitatis perueniant. Secunda quod istorum habitus sit fallax. Sed cur Hippocrates vsus est nomine generis idest in gymnasticis, & non dixit in Athletis? ratio est, quia possunt inueniri gymnastæ,qui non sint Athletæ, qui habeant illas duas conditiones,nempè quod acquirant habitum summæ bonitatis, & habitus illorum sit fallax. Credimus tamen, Hippocratem præcipuè intellexisse de Athletis,quia tunc magnus erat Athletarum numerus.

Athletæ nudi in Theatris ad luctam,& ad alias validas exercitationes se populo ostendebant. Hi se totos saginabant multis ac bonis alimentis,eo fine, vt multa caro generaretur, & corpus splendidum, speciosum, bene coloratum, & robustum redderetur: quamuis corpus factum speciosius, & coloratius, quam ante, ex Cel-

so lib.2. cap.2. indicet sanitatem suspectam conceptus verus & notata dignus, Hi omninò coitum fugiebant, eo fine, vt pulcherrimi, & fortissimi conseruarentur. Cæterum in illis talis in dies fiebat sanguinis augmentatio, vt facilè inciderent aut in caloris suffocationem, aut venarum rupturam. Hoc hominum genus Galenus vocat miserimum, vocatque Athletas quasi ἀθλίκς, idest miseros.

Secūda dubitatio dixit εὐεξίαι ἐπ' ἄκρον idest boni habitus ad summum: non vno in loco iste habitus Athleticus vocatur ab Hipp. bonus habitus ad summum: nihilominus bonus habitus ad summum est ille, qui consistit in quatuor humorum symetria, & optima partium commensuratione: sed sic est, quod in Athletis neque quatuor humorum symetria, neque optima seruabatur commensuratio: non symetria, quia in ipsis tres humores non proportionabātur sanguini, sanguis enim debitam excedebat proportionem. Neque obseruabatur optima partium commensuratio, quia in ipsis pars carnosa debitam superabat proportionem: quare habitus athleticus non erat bonus ad summum: immo Athletæ ob vasorum plenitudinem facile incidebant in plenitudinem quo ad vires.

Galenus 2. de natura humana comm. 1. dicit, duas esse plenitudines, vnam quo ad vasa nimis repleta, aliam quo ad vires, quæ fit ab humorum corruptela, quæ fermè in opprimendis viribus tenet primum locum.

Præterea Plato 3. de Republica, Galenus in hoc comm. & lib. de const. artis dicunt, habitū athleticum neque ad actiones ciuiles, neque ad alias artes esse idoneum.

Respondetur, æuexiam idest bonam habitudinem aliam esse absolutè bonam, quæ inuenitur in corporibus quadratis, & sæpissimè (vt ait Galenus) in fossoribus: aliam vero esse euexiam cū hac additione Athleticam, quæ euexia est bona in suo genere, & non absolutè: sic dicimus, medicinam bonam, venenum bonum, & Ethiopem pulchrum: sic dicimus, habitum athleticum esse bonum in suo genere.

Tertia dubitatio oritur ex tex. Græco: quia Hippocrates videtur incidere in manifestissimam tafologiam, idest in superfluam verborum repetitionem: quia dicit ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι, idest bonæ habitudines ad summū: tamen statim subdit ἢν ἐν τῷ ἐσχάτω ἔωσιν idest si extremo sint: sed sic est quod idem videtur esse bonæ habitudines ad summum, & bonæ in extremo. Sine intelligentia horum verborum Græcorum certè aphorismus intelligi non potest.

Respondemus differentiam esse inter ἐπ' ἄκρον & ἐν τῷ ἐσχάτῳ: quia quando ἐπι construitur cum accusatiuo indicat motum, & rem esse in fieri, & in via, & formam adhuc non esse acquisitam. Præpositio vero ἐν cum articulo τῷ significat quietem, & rem definitam, & quæ iam deuenerit ad terminum ad quem, vltra quem terminum non datur alius terminus.

Quod verò præpositio ἐν cum articulo τῷ significet vltimum terminum, supra quem ascendi non potest, confirmatur ex Aristotele 1. Cęli tex. 100. vbi appellat Deū πᾶν τὸ πρῶτον cum articulo, idest illud ens omnino primum & τό ἀκρότατον, idest, illud summum, supra qnod nō dantur alia entia.

Ecce quod Hippocrates in aphorismo duo respicit, primo illos qui non possunt in eodem statu permanere: secundo illos qui ad melius non possunt proficere.

Qui sunt illi, qui non possunt in eodem statu permanere? sine dubio sunt illi qui habent plenitudinem ἐπ' ἄκρον, quæ plenitudo adhuc est in fieri.

Qui sunt illi, qui ad melius non possunt proficere? sunt qui habent plenitudinem ἐν τῷ ἐσχάτῳ, idest in vltimo termino. Hinc si diceremus euexiæ, idest bonæ habitudines peruenerunt ἐπ' ἄκρον, idest ad summum: ergo in melius nō possunt proficere, falsa esset consequentia: ratio est, quia inter plenitudinem quæ adhuc est in fieri, & plenitudinem, quæ est in vltimo termino non parua reperitur latitudo: Athletæ enim qui habebant plenitudinem ἐπ' ἄκρον erant fortissimi, & robustissimi, & per multos annos in Theatris se exercebant: dum vero perueniebant ad illā plenitudinem, quæ erat ἐν τῷ ἐσχάτῳ idest in vltimo

vltimo termino, statim rumpebantur venæ, vel calor suffocabatur, & derepentè ex humanis decedebant.

Hinc si Hippocrates in aphorismo non addidisset ἐν τῷ ἐσχάτῳ, eius argumentum fuisset vanissimū: quia plenitudo ad summum potest adhuc in melius proficere: sola enim plenitudo, quæ est ἐν τῷ ἐσχάτῳ idest in extremo, & in vltimo termino plenitudinis non potest in melius proficere, & de hac intellexit Hippocrates.

Quarta dubitatio: Hippocrates in aphorismo videtur sibi contradicere: quia vocat habitum Athleticum, & ex alia parte dicit esse lubricum: non ne de ratione habitus ex Aristotele in prædicamento qualitatis est vt sit stabilis, & difficilis mutationis, & non lubricus?

Respondēt omnes ex Galeno lib. de alimentis, habitum Athleticum vocari dispositionem Athleticam, & non habitum: ita vt ab Hippocrate sumatur nomen habitus communiter, & non propriè.

Non est admittenda hæc responsio. Primo: quia dispositio nullomodo potest vocari habitus: habitus tamen potest vocari dispositio.

Deinde istæ distinctiones communiter & propriè, lato modo, & stricto modo non conueniunt in explicatione aphorismorum Hippocratis, qui proprijssimè locutus est, qui neque articulum proposuit sine mysterio: istæ distinctiones reuera potius inseruiunt ad fugam, & est cibus potius logicorum, vel quorundam monachorum, quam conueniant doctrinæ aphoristicæ, & medicinæ, in qua agitur de vita conseruanda, vel recuperanda.

Respondemus igitur nos, habitum Athleticum, vel considerari, vt est habitus ἐν τῷ ἐσχάτῳ, & sic est fallax & lubricus: quia Athletæ incipiunt amittere habitum: Quid significat lubricus habitus? significat habitum amissum, & conuersum in dispositionem facilè mobilem: vel consideratur habitus Athleticus, qui peruenerit ad summum, idest ἐπ' ἄκρον & talis habitus in Athleticis erat stabilis, spatioque 10. annorum, & vltra perdurabat.

Restant duo de Athletis consideranda. Primum in quot pericula habitus Athleticus, qui est ἐν τῷ ἐσχάτῳ solitus erat prolabi: quia Hippocrates inquit, nimias repletiones esse periculosas. Secundum cur Athletæ, cum sint sanguine refertissimi, famescant & auidè comedant.

QVÆST. 15. *In quot pericula solent incidere Athletæ.*

QVo ad primum ex Hippocrate 4. de ratione victus, Athletæ in quatuor pericula magni momenti incidere solebant: primum in venarum rupturam: Hippocrates enim 4. de ratione vic. & Galenus in hoc comm. & lib. de bono corporis habitu asserunt, habitum Athleticum incidere in rupturam venarum pulmonis, thoracis, vel iecoris. Oribasius hic loquens de Athletis habet hæc verba „ in his, aut venæ disrumpuntur, aut arteriæ, aut spiritus vitalis, vel calor naturalis ex nimia constipatione extinguitur: sæpius in apoplexiam vidimus illos incidisse, & derepentè præfocatos defecisse.

Cur verò præcipuè venæ thoracis, pulmonis, vel iecoris rumpantur ob nimiam repletionem: tres sunt rationes.

Quarum prima est, quia dictæ venæ habent tunicas tenuiores.

Secunda quia citius, & magis implentur, quam aliæ.

Tertia ratio est, quia in illis venis est maior copia calidi innati, vnde maiori quoque indigent euentatione: sed quia contingit, quod in continua euentatione venarum fibræ fiant magis tenues: ideo sunt magis obnoxiæ rupturæ.

Secundum periculum Athletæ est, quia facilè incidunt in vasorum interceptiones: vnde apneæ, aphoniæ, apoplexiæ, & mortes repentinæ sequuntur: causa vero horum accidentium est, quia spiritus vitalis ob maximam sanguinis plenitudinem non excurrit ad plexum mirabilem: vnde cessat spirituum animalium generatio: vnde apoplexia, & mors.

Quod vero ob sanguinis plenitudinem fieri possint apoplexiæ, & reliqua accidentia patet per ipsam practicam, quia in ipsa accessione apoplexiæ à copia sangui-

guinis, secta vena cubiti, apopletici, vt vidimus, statim sanantur.

Ætius, & celsus secant venam in accessione apoplexiæ : immo Gentilis non solum in accessione apoplexiæ factæ à sanguinis copia, sed etiam in accessione vertiginis, si sanguis copia peccet, vult esse secandam venam. Veh igitur his ægris, dum eorum medicus eligit post accessionem, sanguinem mittendum, quia in ipsa accessione sæpè moriuntur : interdum enim remittunt phlebotomandum in crastinum, & in accessione intereunt.

Postremò ipse Hippocrates 4. acutorum comm. 24. animaduertit propter venarum interceptiones quasdam fieri suffocationes ex sanguine: quo casu præcipit Hippocrates loco citato, venam in cubito dextro esse secandam. Valeant igitur, qui in accessione apoplexiæ vel apoplexiæ ex sanguinis copia non admittunt venæ sectionem.

Tertium periculum Athletarum est, dum incidunt in suffocationes, quia calor innatus suffocatur eo modo, quo lucerna ab olei nimietate, & quo flamma in cucurbita, quæ quanto maior est, eo citius extinguitur. Parimodo sãguis, quo copiosior est, eo citius calorem suffocat, & suffocãdo cor, iecur, & cerebrum refrigerat.

Quod probatur ex Galeno, & ex ipsa practica: ex Galeno 4. de ratione vic. comm. 23. vbi ait, dum præ nimia multitudine sanguinis calor suffocatur, fiunt apoplexiæ, syncopes cardiacæ, & aqua inter cutem: idque sæpè accidit ob menses, vel hæmorrhoidas suppressas.

Probatur ex ipsa practica: quia remedia auferentia dictos affectus post factam euacuationem sunt calida. Hinc pro hac apoplexia iuuant peonia, grana paradisi, quæ calida sunt: ipsum vero craneum à quadam proprietate iuuare videtur: pro hac syncope post euacuationem iuuant oleum de corticibus citri, & lignum sassafras: Pro hydrope aqua centauri maioris, quæ videtur habere primas.

Quartum periculum est; dum Athletæ incidunt in totius massæ sanguineæ putrefactionem ob prohibitam perspirationem factam à sanguinis multitudine: quo casu ob duas plenitudines laceratur corpus, nempe plenitudine quo ad vasa, & plenitudine quo ad vires; quæ distinctio est Galeni lib. de plenit. cap. 3. & 2. de natura humana comm. 1. & alibi.

Plenitudo quoad vasa est respectu vasorum: hæcque facilè intelligitur.

Plenitudo quo ad vires non supponit humorum multitudinem, sed humorum corruptellam, & cacochymiam, quæ plenitudo dicitur quo ad vires, quia vires ferre non possunt illos prauos humores, licet essent in pauca quantitate: ab istis viribus corpus persentitur maximè onerosum, & maximè plenum: ideo dicuntur pleni quo ad vires, seu respectu virium. De hac plenitudine Hippocrates in hoc aphorismo non intellexit, sed de illa quo ad vasa.

QVÆST. 16. *Cur Athletæ famescant & auidè comedant.*

QVo ad secundum nempè, cur Athletæ, quorum venæ sunt sanguine refertissimæ, famescant, & auidè comedant. Pro intelligentia sciendum ex Galeno 1. de symp. causis cap. 7. ad excitandam famem naturalem quinque conspirare accidentia.

Quorum primum est priuatio alimenti partium existentium sub cute: loquens ibidem Galenus de hoc primo accidente habet hanc sententiam „ Vnumquodque animal in ambiẽtem aerem digeritur per insensibilem perspirationem, quę euacuatio, vt ostendimus in statica nostra, solet esse longè plenior, quam omnes euacuationes sensibiles simul vnitæ.

Secundum accidens pro excitanda fame est suctus siue tractus: quia membra, quæ cuti substernuntur alimento priuata trahunt illud à vicinis venis, & hæ ab alijs quadam continuatione, donec tractio perueniat ad ventriculi orificium, quod est vltimum.

Inde statim oritur tertium accidens, quod est quædam oris ventriculi diuulsio.

Quartum ex diuulsione sensus oris ventriculi suboritur, merito neruorum ambientium os, qui procedunt à sexto pari neruorum cerebri.

Inde

Inde statim oritur quintum accidens, idest appetitus qui fit in cerebro: si enim mens ægrotaret, animal non famesceret: nec doleret, licet alia quatuor adessent accidentia.

In fame vero morbosa, sicuti in boulimo, idest in fame bouina, & in fame canina non seruatur iste ordo: in boulimo omnes partes corporis sunt priuatæ alimento, trahunt à vicinis, & diuellunt os ventriculi: tamen deficit sensus oris ventriculi, vel ob refrigerationem, vel ob semi paralysim.

In fame canina è contra fit: quia ibi nulla est priuatio alimenti, nullus suctus: sed propter humorem frigidum, & acidum, & propter sensum exquisitissimum neruorum ambientium stomachum fames insignis excitatur: ideo eleganter dicunt medici in boulino esse famem sine appetitu: in famę verò canina esse appetitum sine fame.

His suppositis quærendum est, qua ratione Athletæ famescant, & auidè comedant, cum sint alimento refertissimi, quod sua præsentia cessare facit suctum, diuulsionem, & reliqua accidentia famem efficientia iam superius proposita.

Respondet Bresaulus in Athletis non fieri famem ratione istorum accidentium: sed ratione melancholiæ à splene transmissæ ad ventriculum: citat Auicennam dicentem in prima primi melancholiam excitare famem, sed esto melancholiam habere hunc vsum, non propterea arbitramur hanc esse dubij solutionem. Deinde dicemus, appetitum Athletarum esse naturalem, & non caninum, & Athletas non esse melancholicos.

Leonardus Fuchsius reprehendit Auicennam dicendo non inueniri in Galeno quod dicat, melancholiã excitare famem.

Fallitur quia, & Oddus, & Valesius colligit ex Galeno melancholiam naturalem excitare famem: primo enim de symp. causis cap. 7. habet hæc verba ,, Immoderatio succi frigidi excitat famem vitiosam: inferunt ex his verbis, ergo moderatio succi frigidi excitabit famem naturalem: addunt, sed melancholia naturalis est succus frigidus.

Præterea addimus nos alium Galeni locum clariorem lib. videlicet de plenit. cap. 11. vbi habet hanc sententiam ,, Quando lien ob imbecillitatem non attrahit humorem melancholicum, ille per vomitum interdum expellitur: addit: nonnulli ob hanc euacuationem suppressam mæstitia melancholica vexantur: nonnulli cibos auidissimè concupiscunt, idque præcipuè si excrementa melancholica sint valde acida. Ex hoc loco colligimus melancholiam secundum Galenum habere vsum excitandi appetitum.

Postremò Galenus 5. de V. P. cap. 4. loquens de melancholia naturali dicit, habere hunc vsum, vt promoueat actionem ventriculi, & valde iuuet coctionem: addimus, sed sic est quod inter actiones ventriculi est etiam appetitus, ergo per ipsum Galenum melancholia excitabit famem.

Demum patet per ipsam practicam, melancholiam excitare appetitum: siquidem illa quæ solét excitare famem ad tria capita reducuntur, videlicet ad ea quæ sopitum excitant appetitum, vt sunt acida, agresta, aliũ, synapi, diasynapi, salita, nasturtium, & quæ ex his componuntur: vel ad ea, quæ roborant, vt sunt vinum absynthite, piper garyophylli: vel ad ea, quæ cogunt in arctum os ventriculi, vt sunt adstringentia, & aqua frigida, vt docet Hippocrates 4. in sextum epid. tex. 20. vbi dicit ,, Aqua vorax: tunc sic, sed sic est, quod melancholia est acida, & vt acida sopitum excitat appetitum, vt astringens roborat, & cogit in arctum: & vt frigida reddit homines voraces.

Sed quid quid sit de his, quæ excitant famem naturalem constanter asserimus in Athletis, appetitum esse naturalem, & non vitiosum à melancholia videlicet: ideo dicimus, dubium propositum de Athletis adhuc esse in suo robore: quia & appetitus illorum erat naturalis, & in ipsis nullus erat alimenti defectus.

Marsilius inquit Athletas habuisse appetitum voluptosum, qui sequitur ciborum recordationem.

Neque rectè sanè respondet: quia requiritur causa excitans ipsam recordationem, qua deficiente recordatio ciborum po-

potius nauseam, quam appetitum mouet.

Alteratio verò istorum est veluti cæcorum pugna: non enim intellexerunt vim verborum græcorum aphorismi. Nos igitur respondemus, Athletas esse posse in duplici statu, vel ἐν τῷ ἐσχάτῳ vel solum peruenisse ἐπ' ἄκρον: qua posita distinctione dicemus Athletas ἐν τῷ ἐσχάτῳ non famescere: sed solum illos, qui peruenerunt ἐπ' ἄκρον qui sunt fortissimi: suntque calidi & humidi, vt sues: quo fit vt in ipsis validissimè omnia coquantur, & inde valde famescant.

Non parua enim est latitudo inter ἐπ' ἄκρον & ἐν τῷ ἐσχάτῳ: quia illi qui perueniunt ad ἐπ' ἄκρον adhuc sunt in motu: illi verò qui sunt ἐν τῷ ἐσχάτῳ incipiunt esse in quiete: quare nisi illicò euacuentur, omnino quiescunt idest moriuntur: quia dum anima vegetatiua, seu distributio alimenti & nutritio quiescit, animal derepente moritur: hæc enim anima semper est in actu secundo, quo ablato cessat eius esse.

Hinc rectè asserit Philotheus, animæ vegetatiuæ quietem mortem esse: animæ tamen sensitiuæ quietem esse ipsam vitam: quia facultates animales per somnum & quietem roborantur. Hinc Galenus 4. de V.P. non sine ratione assimilauit animam vegetatiuam beluæ, quæ sine cognitione operatur, sed semper operatur.

Neque est dicendum, vt quidam dicũt, distributionem alimẽti in Athletis cessare, quia mẽbra nõ possunt extendi: si quidem esto, quod non possent amplius extendi; dicimus quod nutritio, & alimenti distributio perseuerare potest, dũmodo ita conseruetur insensibilis perspiratio, vt proportionetur additioni: dum verò non proportionatur, & membra amplius non possunt extendi, ex necessitate vel calor natiuus ab alimento suffocatur, vel ab ipso venæ rumpuntur, & sequitur mors.

Dicimus igitur, vt redeamus vnde digressi sumus, quod de ratione famis naturalis sit defectus alimenti: quando verò Athletæ sunt in extremo plenitudinis, licet in eorum ventriculo essent decem libræ melancholiæ dicimus, stomachum tũc non posse cogi in arctum: & nisi præcedat suctus, appetitum naturalem fieri nullo modo posse.

Neque compressiones ad extremum ducendæ; idest, non esse euacuandum vsque ad ξυμπτώσιας.

Leonicenus per symptosias interpretatur compressiones. Quæ interpretatio est aliena, & à Græca dictione, & à veris medicinæ fundamentis. A Græca dictione, quia ξυμπτώσια est à verbo Græco συμπίπτω quod significat consideo, vel subsideo, & non comprimo.

Interpretatio quoque Leoniceni est aliena à veris medicinæ fundamentis: quia symptosia est quædam species angustiæ, quæ dicitur subsidentia, & non compressio.

Angustia verò ex Galeno lib. de diff. morborum & alibi sub se continet sex species, nempè obstructionem, compressionem, subsidentiam, coalescentiam, occlusionem, (quæ non ab humoribus, sed à re solida fit), & constipationem, quæ ex Galeno 2. in primum epid. 7. est angustia meatuum insensibilium, atque ex Galeno 11. meth. 4. fit à frigore externo, & vocatur densitas (vt ait) meatuum insensibilium: stipatio dicitur ἀπὸ τοῦ στύφειν quod significat condensare: ideo dum meatus insensibiles occluduntur dicuntur constipati; compressio ergo differt à subsidentia: quia compressio fieri solet à tumore, & interdum à nimia pinguedine comprimente.

Subsidentia verò ab his causis nullomodo fieri potest: sed fit, dum vasa subsident, & flaccescunt: subsident vero ex Galeno 3. de symp. causis secundo, vel quia contrahuntur ora vasorum propter atrophiam, vel contrahuntur propter refrigerationem, vel propter mollitiem, vt accidit in crumena ære vacua.

Præterea probatur per ipsam practicam, compressionem differre à subsidentia: quia remedia quæ iuuant pro auferenda compressione, non iuuant, sed potius nocent pro auferenda subsidentia. Exempli causa chalybs præparatus in lienis tumoribus comprimẽtibus meatus ipsius lienis valde iuuat: habet tamen vim adstringendi, vt obseruatur in alui fluxibus, & vt adstringens tollit fluxiones;

quibus ademptis facilè humor fluxus absumitur. Hinc Galenus 11.meth.16.animaduertit in remedijs pro auferendis tumoribus splenis esse permiscenda astringentia, vt auferatur fluxionis occasio: qua adempta, quod reliquum est facilè resoluitur: Hoc remedium astringens certè non sanaret subsidentiam, sed potius prohiberet, ne vasa iterum implerentur: quare maxima, & notabilis differentia est inter compressionem, & subsidentiam.

Periculosum enim: supple euacuare vsque ad omnimodam subsidentiam: quia omnimoda subsidentia aditum alimenti ad cor intercludit, vnde syncope, & apoplexia. Hinc Galenus 12.meth.cap.1. reprehendit medicum quemdam quinquagenarium dolore capitis insigniter affectum, qui sibi ipsi venam incidens vsque ad subsidentiam, viribus non valentibus, dolore sanatur: sed imposterum mansit decolor & imbecillis, inciditque in quamdam atrophiam, vt vix ad pristinum statum rediret.

Ideo subdit Hippocrates esse euacuandum *Quatenus natura fert*: Galenus per naturam 11.meth.1. & lib. de curandi ratione per s.m. cap.12. interpretatur virtutem vitalem; quæ ex ipsis pulsibus præcipuè dignoscitur.

Sexta dubitatio exoritur, quia quando Hippocrates inquit, esse euacuãdum quatenus natura fert, videtur desumere quantitatem euacuationis à viribus: quod reluctatur principijs meth.medendi: idque probatur hoc argumento. Quod non potest indicare genus auxilij euacuatorij non potest indicare quantitatem, vel qualitatem auxilij: sed virtus non potest indicare genus auxilij: ergo non indicabit quantitatem, vel qualitatem auxilij: Maior est Galeni lib. de opt. sec. cap.45. vbi probat contra methodicos, quod tempus morbi non potest indicare quantitatem vel qualitatem auxilij: quia tempus non potest indicare genus auxilij. Similiter robur non indicat genus auxilij euacuatorij, ergo nec quantitatem auxilij indicabit: sic genus euacuationis indicabitur à genere repletionis, & species euacuationis à specie repletionis, & quantitas, & qualitas euacuationis indicabitur à quantitate, & qualitate repletionis: minor est clarissima: quia si robur indicaret euacuationem, vt dicit Galenus lib. de opt. sect.42. & in hoc loco, idem indicaret quoque in sanis.

Respondemus cum Galeno lib. de opt. sect. cap.22. robur non indicare remedium, sed contraindicare, idest permittere quod est vtile, definiens enim contraindicans dicit esse illud quod indicat vtile permittendo. Hinc Galenus 9. meth. cap.12. & 13. & lib. de curandi ratione per sang.mis.14. inquit tantum esse euacuandum quantum vires permittunt, & non quantum indicant, quia nihil indicãt.

Hinc quoque Galenus 7.meth.6. vbi loquitur de intemperie sicca ventriculi, dicit, hanc intemperiem semper esse iunctam cum virtute debili: ideo non permittere cibaria valde reficientia.

Septima dubitatio: Hippocrates 2. de ratione vic. tex.10. videtur desumere quantitatem euacuationis à coloris mutatione: ergo non à natura: ergo Hippocrates non debebat dicere quatenus natura fert: loco citato Hippocrates dicit, dum color sanguinis mutatur ad bonum, & rubrum colorem, signum est totum malum sanguinem esse euacuatum: sistendamque tunc esse euacuationem.

Respondetur, colorem esse tamquam signum, & non tamquam indicans ipsam phlebotomiam. Prçterea signum indicãtis sanguinis euacuati, & non euacuandi, est signum fallax: quia aliquando in magnis febribus sanguis qui euacuatur floridus est, & talis vt copiosè euacuatus auferre potest ipsam febrem. Quare in omni euacuatione & refectione meta quantitatis est desumenda à viribus, non quatenus sunt indicantes: sed quatenus sunt permittentes: Quodnam vero sit illud quod venæ sectionem indicat, paulo infra declarabitur.

Concludit Hippocrates in fine aphorismi extremas inanitiones, & extremas repletiones esse periculosas. Primo hæc sententia confirmatur ab Hippocrate aphorismo 51. 2. sec. vbi dicit „ Plurimum atque repente euacuare, replere, calefa-

lefacere, refrigerare, vel quomodolibet corpus mouere, periculosum: quia omne nimium est naturæ inimicum. Omne nimium est naturæ inimicum: quia bona ipsius naturæ consistunt in symetria, & quod est nimium symetriam tollit, vt in comm. præcipit Galenus.

Hinc medici officium est moderari, & non vincere, Hinc valeant spagirici, qui remedijs validissimis tētant vincere, vincendo enim tollunt symetriam, & sæpè miseros ægrotantes ad necem vsque conducunt. Quare optimè Hippocrates & summa cum ratione concludit, nimias euacuationes non solum esse fallaces, sed etiam periculosas.

Præterea si non licet repente totam aquam hydropicorum per paracentesim euacuare, quanto minus licebit extremam sanguinis euacuationem facere?

Similiter si non licet totum pus alicuius magni abscessus euacuare, quod pus est toto genere præter naturam, quanto minus licebit sanguinem, qui est vitæ thesaurus, copiosissimè euacuare: nimia enim vacuitas, & immodica purgatio vel in tabem, vel in animi deliquia deducunt.

Causa vero cur euacuando totum pus alicuius abscessus, & totam aquam hydropicorum ægri moriantur à Galeno 6. aphorismorum comm. 27. declaratur his ferè verbis „ Aperiuntur ora arteriarum, & simul cum pure, vel aqua exhalant spiritus vitales magno cum naturæ incommodo. Collige multo magis ipsos spiritus in sanguinis copiosi euacuatione, ob consensum venarum & arteriarum euacuari, & exhalare: Cur verò liceat aliquando ex Hippocrate, aphorismo 23. huius sec. euacuare vsque ad animi deliquium infra declarabitur.

Octaua dubitatio: inquit Hippocrates & Galenus extremas euacuationes esse periculosas: attamen aphorismo 23. huius sec. laudat euacuationem vsque ad animi deliquium: Galenus quoque in comm. asserit, in calidissimis febribus, & in maximis inflammationibus, & vehementissimis doloribus euacuationem sanguinis vsque ad animi deliquium conuenire.

Respondet Bresauolus, Hippocratem & Galenum laudasse eū acuationem sanguinis vsque ad animi deliquium exclusiuè, & non inclusiuè.

Fallitur: quia Galenus 1. aphoris. 23. 9. meth. 4. & lib. de curandi ratione per sang. miss. iubet esse euacuandum sanguinem vsque ad animi deliquium inclusiuè: ibidem enim describit animi linquentis accidentia: Similiter 9. meth. 4 citato proponit beneficia, quæ febricitantes colligunt ex animi deliquio: habetque hæc verba „ Celerimè ex animi deliquio refrigeratur totum corpus frebricitantis: nemo inuenire potest ipsis ægris, & naturæ iucundius, & vtilius remedium isto. Deinde subdit, superuenit alui deiectio, aliquando bilis vomitio, sudores, & madores totius corporis: sed sic est quod istæ sunt conditiones lipothymiæ, idest animi deliquij inclusiuè & non exclusiuè.

Respondemus nos ad dubium: quando dixit Hippocrates, extremas euacuationes esse periculosas, non intellexisse de corporibus quadratis, & absolutè robustis, sed de Athletis, quorum corpora non erant absolutè boni habitus, quia sanguis superabat aliorum humorum proportionem: virtus vitalis reuera solum in illis hominibus est robusta, in quibus reperitur quatuor humorum symetria, & optima partium commensuratio, quæ omnia in Athletis deficiebant: pars enim sanguinea, & pars carnosa superabant aliorum humorum & aliarum partium proportionem.

Vel respondemus: in hoc aphorismo per extremas euacuationes intelligere illas, quæ deueniunt ad omnimodam vasorum subsidentiam, vnde vt plurimum syncopes, & mortes repentinæ sequuntur: in aphorismo verò 23. Hippocrates & Galenus in comm. intelligunt de euacuatione vsque ad lipothymiam, sed non vsque ad syncopem: de qua euacuatione intelligit in hoc aphorismo.

Maxima enim est differentia inter syncopem, & lipothymiam, vt colligitur ex 12. meth. cap. 12. vbi definit syncopem, quod sit præceps omnium virium lapsus: lypothimia verò est casus virium, sed non omniū, pulsus enim non amittuntur, ne-

que sensus omninò auferuntur: à syncope nunquam natura colligit aliquod beneficium, à lypothimia verò quamplurima.

Vel respondemus Hippocratem dicere in aphorismo, quod extremæ euacuationes sint σφαλεραὶ, idest fallaces, idest quod aliquando sint malæ, & aliquando bonæ: dum verò Hippocrates vult intelligere aliquid esse periculosum, non dicit σφαλερὰν sed ἐπικίνδυνον: maxima est differentia inter fallax, & periculosum, vt dictum est in primo aphorismo.

Postremò Hippocrates colligit in fine aphorismi, repletiones nimias esse quoque periculosas, quod probatum est superius, quia omne nimium est naturæ inimicum. Idem confirmatur ex Hipocrate 2. acutorum tex. 31. vbi habentur hæc verba „ Efficax argumentum est, quod maximę mutationes eorum, quæ circa naturam & habitum nostrum contingunt, maximè morbos pariant: quare, & maximæ euacuationes, & maximæ repletiones erunt fugiendæ.

QVÆST. 17. *Quodnam sit illud quod indicat primo, & per se venæ sectionem.*

QVæritur in fine istius aphorismi, quodnam sit illud indicans, quod primo & per se indicet venæ sectionem.

Dum dixit Hippocrates in Athletis cò vsque esse euacuãdum, donec natura fert proposuit permittens videlicet virtutem vitalem validam, quæ sola permittit validã sanguinis euacuationem, sicuti mediocris mediocrem, & debilis debilem: quod distinctè docet Galenus 9. meth. cap. 12. & 13. idem affirmat lib. de cur. ratione per sang. miss. cap. 14. Parimodo Galenus 7. meth. cap. 6. loquens de reficientibus inquit, intemperiem siccam, quæ semper iuncta est cum virtute debili, permittere debilia reficientia: quia virtus valida indicat valida reficientia, mediocris mediocria, & debilis debilia.

Hic notatur error medicorũ triuialium qui in ægris debilibus solẽt confugere ad reficientia valida, nempe ad contusa caponis, & alia id genus: quibus perinde ac veneno ipsos ægros iugulant: nec viderunt Hippocratem & Galenum 2. de ratione vic. tex. com. 48. dicentes „ Qui sunt debiles ob inanitionem vasorũ egent alimento: qui verò sunt debiles ob morbi vehementiam, vel dolores prægressos non egent alimento, sed potius euacuatione.

Nec legerunt Galenum 1. aphorismorum comm. 17. dicentem „ Si vires sint debiles ob morbum, & non ob alimenti defectum parum, & sæpè alendum.

Quod vero vires debiles à valido alimento lædantur confirmat Galenus 7. meth. cap. 6. loquens de vino pro debilibus. ait vinum generosum lædere vires debiles: quia sicuti virtus valida postulat valida reficientia, sic debilis solum debilia permittit.

Hic obiter damnantur plurimi medici, qui vires ægrorum valde debiles maluatico refici posse arbitrantur. Hactenus de permittente.

Cæterum, quia Hippocrates nihil dixit de indicante venæ sec. sed solum aliquid dixit de permittente: meritò ab Expositoribus in hoc loco tractatur, quodnam sit illud indicãs, quod primo & per se indicet sanguinis euacuationem. Nos igitur paucis aliorum opiniones explicabimus, easque ex vna parte confutabimus: ex alia spero fore quod ex omnibus opinionibus aliquem fructum colligamus: quia ex illis intelligemus requisita inseruientia pro facienda sanguinis euacuatione. Demum nostram opinionem subnectemus.

Prima est opinio communis: defenditurque à Massaria lib. de scopis mittendi sanguinem, & à multis alijs ante illum, quod videlicet indicans proprium, & adæquatum sit magnitudo morbi.

Primum fundamentum pro hac opinione desumitur ab Hippocrate 4. de ratione vic. in ac. tex. 19. vbi protulit hanc sententiam „ In acutis morbis sanguinem detrahes, si vehemens morbus videatur, ætasque floruerit, & virium robur adfuerit. Miratur Galenus in comm. & 7. meth. 7. cur Hippocrates non collocauerit hanc sententiam in aphorismorum numero, quia paucis verbis continet magnam vim.

Secundum fundamentum pro hac opinione

nione desumunt à Galeno 4. meth. 6. vbi dicit, quod magnitudo morbi aut præsens aut imminens, ætas florens, ac virium robur indicent venæ sectionem.

Quid verò intelligat Hippocrates per morbum magnum explicat Galenus 4. meth. 6. dicens, morbum magnum sumi tripliciter.

Primò dicitur morbus magnus ob afflictæ partis præstantiam, veluti dum cor, iecur, cerebrum, & alia viscera principalia afflicta sunt, quæ licet leui affectu vexentur, affectus dicitur magnus, quo casu sanguis mittendus est.

Secundò dicitur magnus morbus ob cacoethiam, idest ob malum morem, sicuti sunt febres malignæ: itaut si esset hæc malignitas in paruo vlcere, aut vulnere, morbus esset vocandus magnus, & sanguis esset mittendus.

Tertiò dicitur morbus magnus ob magnitudinem affectus, sicuti sunt magna apostemata, magna vlcera, & magna vulnera, licet occupent partes ignobiles, & à visceribus distantes.

Præterea datur quoque morbus magnus ratione dignitatis, de quo nihil dixit Galenus loco citato: sicuti dum passio ysterica fit à semine corrupto, dicitur magnus ratione dignitatis, vt animaduertit Galenus lib. 6. de loc. af. cap. 5. ad differentiam passionis ystericæ, quæ à menstruo corrupto fit, quæ non est magna ratione dignitatis.

Quintò datur morbus magnus ratione imbecillitatis virtutis non valentis vincere morbum, licet ex se morbus non sit magnus: de hac magnitudine locutus est Galenus lib. de totius morbi temporibus cap. 4. itaut morbus magnus sumatur quinque modis. Tres sunt explicati à Galeno 4. meth. 6. quartus verò morbus magnus explicatur à Galeno 6. de loc. aff. 5. Quintus morbus magnus libro de totius morbi temporibus cap. 4.

Hic notatur Argenterij error, dum putat, Hippocratem per morbum magnum solum intellexisse morbos acutos.

Recedit à Galeni doctrina: atque experiētiæ aduersatur: recedit à Galeno quia 6. aphorismorum comm. 47. explicans aphorismum Hippocratis, qui est ,,. Quibus venæ sectio prodest, his verè vena secanda: mentionem facit de arthritide, cui morbo sæpè prodest venæ sectio, sed sic est, quod arthritis est morbus chronicus, & non acutus.

Aduersatur experiētiæ, quia venę sectio iuuat in quartanis, in destillationibus, & alijs morbis longis: quare per morbum magnum qui indicare potest venę sectionem non intellexit solum morbos acutos.

Opinio cōmunis, quod morbus magnus cum viriū robore indicet venæ sectionem nō potest omninò infringi, quamuis reuera sit aliena à quæstione: quia quæstio est, quodnam sit proprium & adæquatum indicans venæ sectionem.

Nos admittimus, magnitudinem morbi cum virium robore semper indicare venæ sectionem: sed negamus, quod venæ sectio primo & per se à morbo magno semper indicetur: quia multa sunt in phlebotomia, quæ non sunt remedia morbi magni, sicuti præbere motum sanguini, dum quiete peccat, eo tempore, quo nullus imminet morbus magnus. Pari modo, dum volumus auferre faciei serpiginem, quando nullus morbus magnus imminet. Similiter per phlebotomiam auferuntur faciei maculæ, quæ vocantur basia mortuorum vel faciei rubor intēsus, quæ pertinent ad decorationem, & non ad morbum magnum.

Audio in Galia, fœminas pallidas existimari pulchriores: ibi vt fiant palidæ, iubent ipsæ, vt illis mittatur sanguis: quare multa facit phlebotomia, quæ à morbo magno non indicantur: concedimus igitur valere hanc: est morbus magnus cum virium robore, ergo sanguis mittendus: negamus tamen valere vice versa, nempe sanguis est mittendus: ergo est morbus magnus.

Hæc igitur communis opinio reijcitur à Trincauelio, qui fuit ante Massariam & à multis alijs. Nos verò illam his quatuor argumentis efficacissimis explodimus.

Primum argumentum est tale. Morbus magnus per se indicat magnum remedium, sed non omnia magna remedia, sed

magnum remedium curatorium, & non præseruatorium.

Præterea esto, quod morbus magnus indicet magnum remedium absolutè, quid tum? Non ne magnum remedium æquè dicitur de purgatione, de venæ sectione, de vesicantibus, de vstionibus, & de multis alijs? ergo morbus magnus neque indicabit per se primo venæ sectionem, neque remedia, quæ in ipsa venæ sectione continentur.

Insuper, si quis diceret est, morbus magnus, ergo sanguis est mittendus, efficeret argumentum à genere ad speciem, vitiosum quidem, quia faceret transitum à positione consequentis non conuertibilis ad positionem antecedentis, procederetque ex medio termino communiori, quam sit quæsitum, seu prædicatum conclusionis, quod in humana ratiocinatione non habet locum.

Demum morbus magnus indicat remedium magnum curatorium, & non præseruatorium: venæ sectio est remedium præseruatorium, quia tollit causam.

Secundum argumentum: si morbus magnus indicaret per se primo venæ sectionem, sequeretur quod vnum vt vnum indicaret duo, idest quod magnus morbus indicaret magnum remedium, & sanguinis missionem, quod quidem reluctatur rationi, Galeno & Aristoteli.

Rationi, quia vnum contrarium vni tantum aduersatur.

Galeno, quia 11. meth. cap. 13. inquit: vnum vt vnum indicare vnum, & nõ plura: Immo suffultus hoc principio composuit totam medendi methodum: ac qui illud destrueret, destrueret methodum seu totam medicinam therapeuticam: quæ nititur hoc principio, quod contraria contrarijs curentur: hac lege, quia vnum contrarium vni aduersatur, & non pluribus.

Aristoteli quoque reluctantur, qui nixus hoc principio, quod vnum vni aduersetur, inuenit Cœlum esse quintam essentiam, vt colligitur ex tex. 10. primi de Cęlo, vbi inquit, si motus circularis conueniret per se, & propriè igni, sequeretur, quod duo vni aduersarentur, idest quod motus circularis ignis, & motus rectus sursum aduersarentur motui recto grauium deorsum: inde concludit motũ circularem per se primo conuenire Cęlo: addit, cum motus immediatè proueniat à natura rei intrinseca, motusque circularis sit natura & specie diuersus à motu recto, infert Aristoteles, ergo natura Cęli erit quoque diuersa secũdum essentiam à quatuor elementis: ideo dabitur quinta essentia. Ecce igitur quod qui negaret hoc principium, quod vnum tãtum vni aduersetur destrueret quintam essentiam, & per consequens totam fabricam librorũ de Cœlo.

Tertium argumentum desumptum est à Galeno 9. meth. cap. 14. vbi dicit in diuisione indicantium, & indicatorum non esse transeundum de genere morborum in genus causarum: addimus, sed *qui dicunt* morbum magnũ indicare missionem sanguinis transeunt de genere morborum in genus causarum, quod est vitium non ferendum: missio enim sanguinis respici causam, quæ genere differt à morbo, sicut morbus calidus indicat remedium curatorium, & non præseruatorium; remedia enim curatoria desumuntur à morbo, præseruatoria vero à causa.

Ecce igitur quod remedia sunt perquirenda in eodem genere: quia contrarium vnius generis non potest esse contrarium alterius: hac ratione contrarium pro morbis calidis inuenitur in genere primarum qualitatum: contrarium sapori salso inuenitur in genere saporum, & non in genere primarum qualitatum: contrarium nigredini inuenitur solum in genere colorum: quia genera sunt impermiscibilia, immo etiam illorum differentiæ subalternæ. Hinc Aristoteles 2. Post. text. 19. vult in perquirendo quod quid est faciendam esse diuisionem in eodem genere, diuidendo per contrarias differentias vsque ad proprijssimas.

Quartum argumẽtum, morbus magnus est differentia subalterna: missio sanguinis est quoddam aggregatum differentiarum specificarum: sed sic est, quod ex Galeno 1. ad Glauc. cap. 1. in remedijs inueniendis, & in affectibus præter naturam procedendum est à generalissimis differentijs ad subalternas, ac deinde à subalternis

ternis ad specificas: quia illi qui persistunt in subalternis, neutiquam sciunt mederi.

Præterea committũt erratum circa vniuersale attribuendo superiori quod cõuenire debet inferiori, & specifico. Hinc qui dicunt, morbus est calidus, ergo frigiditas lactucæ iuuabit, peccant: non enim valet, quia calidum adhuc subdiuiditur in quatuor gradus; ideo Galenus 7. meth. vult. habet: remedium tantum esse, quantus est recessus à statu naturali: quia si esset maius introduceret contrarium morbum: si vero minus non sufficeret. Hinc tertio de simp. medicina cap. 12. habet hæc verba „ si remedium est plus statim nocebit: si vero minus iuuabit quidem, non tamen sanabit: quare debet esse æquale.

His argumẽtis infringitur opinio multorum, qui torrente opinionis communis abrepti in hanc sententiam lapsi sunt.

Nos enim fatemur, morbum magnum cum virium robore semper indicare venæ sectionem, sed non primo, & per se, seu conuertibiliter, & adæquatè, quia iam ostensum est fieri posse venæ sectionem quando morbus magnus neque est præsens, neque imminens.

Secunda opinio est Trincauelli, Salui sclani. & multorum dicentium plenitudinem, quæ excitat, vel excitare potest morbum magnũ primo & per se indicare venæ sectionem. Cõfirmãt suam sententiã ratione, & auctoritate: ratione, quia plenitudo est contraria euacuationi sanguinis. Auctoritate, quia Hippocrates 2. sec. aphorismorum 22. habet hunc aphorismum „ morbi qui ex repletione fiunt, euacuatione curantur; ergo plenitudo indicabit sanguinis euacuationem.

Reijciuntur sic: concedimus plenitudinem indicare sanguinis euacuationem: sed negamus, quod plenitudo indicet primo & per se. Primò probatur quia Galenus 9. meth. cap. 11. habet hæc verba „ Venæ sectio vtilis est, vel quando sanguis non seruat suam qualitatem: vel quia nimia crescit multitudine: ecce quod præter plenitudinem, etiam mala qualitas indicat venæ sectionem: ergo plenitudo non indicabit sanguinis euacuationem primo & per se.

Secundò Auicennas 4. 1. doc. 5. cap. 20. habet hæc verba „ vnusquisque phlebotometur, aut propter sanguinis multitudinem, aut propter malitiam, aut propter vtrumque: ergo non sola plenitudo indicabit venæ sectionem.

Tertiò Galenus lib. de ratione curandi per sang. missionem cap. 9. inquit in morbo magno, quamuis nulla sit plenitudinis nota, venam esse secandam.

Quartò Galenus 5. meth. 14. proponit hos duos casus: Socratem, qui paucum, & Platonem qui multum sanguinem habent: subdit si Socrates, & Plato morbo magno vexarentur, vtrique esset mittendus sanguis: ergo secanda est etiam vena, quando non est plenitudo.

Nec valet, dum dicunt, plenitudinem duplicem esse, aliam totius, & aliam partis: quia hæc plenitudo partis in corporibus sanguine destitutis est nimis metaphorica, ne dicam chimerica, & ridicula, quia hac distinctione posset quoque defendi opinio Menodoti, qui dicebat, syndromen phlethoricam indicare venæ sectionem: Quoniam pro Menodoto possemus dicere, syndromen plethoricam duplicem esse, aliam totius, & aliam partis: quia dum sanguis euacuatur, saltem in aliqua parte debet esse iusto copiosior, sed hæc reluctantur Galeno.

Quo ad Trincauellium, concedimus & nos, plenitudinem indicare missionem sanguinis, sed non per se primo, itaut sanguis mitti non possit, nisi adsit plenitudo.

Quo ad rationem, dum dicebat, plenitudinem sanguinis esse contrariam missioni sanguinis.

Respondemus hæc duo videlicet plenitudinem, & missionem sanguinis non esse propria contraria: quia latius se habet missio sanguinis, quam plenitudo; quoniam per missionem sanguinis non solum euacuamus, sed refrigeramus, reuellimus, deriuamus, deobstruimus, & multa alia facimus, quæ omnia indicata idest remedia delitescunt in illa sanguinis missione à chirurgo facta, quæ reuera non est remedium, sed materia multorum remediorum, vel aggregatum multorum indicatorum.

Tertia

Tertia opinio fuit Horatij Eugenij pręcessoris mei viri alioquin doctissimi, qui dicebat, morbum magnum factum à sanguinis plenitudine, vel à fluore indicare sanguinis missionem.

Hæc opinio est valde diminuta, quia in phlebotomia præter plenitudinem & fluorem sunt alia plura, vt diximus: quare hæc opinio tamquam diminuta relinquitur.

Quarta opinio fuit Hieronymi capiuacei præceptoris nostri, qui dicebat, vehemens peccatum sanguinis indicare primo & per se sanguinis missionem: sed vehemens peccatum sanguinis (ait) considerari posse tribus modis videlicet, aut vehemens peccatum secundum formam aut secundum quantitatem, aut secundum motum. Addebat quod peccatum sanguinis secundum formam indicet euacuationem sanguinis eradicantem: peccatum secundum quantitatem euacuationem minorantem: secundum motum indicet euacuationem reuellentem.

Primò, hæc sententia non accipitur, quia sanguis dum peccat secundum formam vires destruuntur, quo casu purgandum potius esset, quam phlebotomandum.

Secundò dum sanguis peccat secundum formam ex sententia Galeni 2. de crisibus cap. 12. & alibi: atque ex Auicenna, vbi agit de humoribus in prima primi, à putredine corrumpitur: parsque tenuior vertitur in bilem & crassa in melancholiam: ideò dum peccat secundum formam est purganda bilis, vel melancholia, & non phlebromandum.

Tertiò fallitur, quia sanguis, dum quantitate peccat, non semper est minuendus: non ne sanguis peccat quantitate etiam quando est iustò parcior? Quis esset tam fatus, qui tunc sanguinem euacuaret?

Colligimus tamen ex Capiuaccei opinione hunc fructum, quod sanguis copia peccans sit minuendus, peccans motu reuellendus quamuis hæc non indicent per se primò.

Verior opinio est Vallesij libro 7. controuersiarum cap. 2. vbi dicit, venæ sectionem non esse vnum remedium, sed esse multorum remediorũ aggregatum, quod debet indicari ab aggregato multorum indicantium: Concludit, & rectè quidem, non dari vnicum affectum, qui per se indicet venæ sectionem.

Nos verò dicimus, indicans venæ sectionem esse innominatum, quia & illud, quod prædicatur immediatè de plenitudine de fluore, de qualitate calida, de sanguine obstruente, de quiete peccâte, & de alijs qualitatibus dicimus, hoc aggregatum carere nomine: octo nos enumeramus indicata, quæ continentur in venæ sectione.

Primum est eradicans.

Secundum est tollens plenitudinem.

Tertium est tollẽs malignã qualitatem.

Quartum est tollens calorem.

Quintum reuellens.

Sextum est deriuans.

Septimum est præbens motum sanguini quietè peccanti.

Octauum est de obstruens, nisi immediatè saltem mediatè.

Quare aggregatum horum indicatorum, siue remediorum, quæ colliguntur ex ipsa sanguinis euacuatione, non habet nomen: dum enim euacuatur sanguis, corpus refrigeratur. Præterea potest fieri humorum eradicatio, reuulsio, vel deriuatio, meatuum apertio, vel dari potest motus sanguini, vel auferri aliqua mala qualitas in sanguine existens: quopacto verò nominetur hoc aggregatum, nescitur.

Quod verò in philosophia & medicina sępissimè in hęc innominata incidamus, nos admonet Aristoteles 1. post. cap. 5. vbi animaduertit, pręcipuum erratum circa vniuersale accidere, quãdo genus, de quo aliquid quæritur, est innominatum. Quis est ille, qui posset nominare genus proximum, quod solum conuenit equo & asino? Quis est ille, qui sciret nominare obiectum adæquatum visus, quod conuenit luci, & colori? idem de alijs propemodum infinitis dici potest.

APHO-

APHORISMVS QVARTVS.

VICTVS *tenuis atque exquisitus in morbis quidem longis semper, in acutis vero, in quibus non conuenit, periculosus. Et rursus qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis est. Nam, & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.*

Vario modo connectitur hic aphorismus cum superiori.

Montanus connectit hoc modo: cum medicina curatrix triplici instrumento perficiatur, videlicet chirurgico, pharmaceutico, & diætetico, vt docet Cælsus, & Galenus 1. de ratione vic. in ac. comm. 6. Cum igitur Hippocrates egerit in 2. aphorismo de pharmacia, idest de euacuatione, quæ habetur per pharmacum: & in 3. de chirurgia, idest de euacuatione pertinente ad chirurgiam: meritò in hoc 4. aphorismo incipit agere de diæta vsque ad aphorismum vigesimum exclusiuè.

Hæc connexio non respõdet ijs, quæ dicta sunt ab Hippocrate in aphorismis declaratis: quia in 2. aphorismo locutus est de qualitate euacuationis in communi, nempè qualiter esse debeat, non solum in pharmacia, sed in chirurgia, & diæta: dicimus & diæta, quia dicit „ sic & vasorum innanitio, quæ per diætam quoque fit. In tertio vero aphorismo dat normam circa nimias euacuationes similiter pertinentes ad pharmaciam, & chirurgiam: atque circa nimias refectiones, quæ certè solum pertinent ad diætam, & non ad chirurgiam, vel pharmaciam: quare non incipit Hippocrates solum in hoc 4. aphorismo agere de diæta: cum egerit quoque in secundo & tertio: incipit tamen de diæta, sed magis particulatim faciens de ipsa tractatum ita completum, vt nihil desiderari possit ab hoc aphorismo vsque ad vigesimum exclusiuè: quia agit de quantitate, qualitate, de modo & tempore cibandi. Incipit distinctius à diæta, tum quia ex Galeno lib. de medicamentis paratu facilibus in arte medica tenet primum locum: tum quia acturus in fine istius particulæ de modo vtendi ipsa euacuatione non poterat ignorata victus ratione de hac re aliquid dicere.

In hoc aphorismo agens de quantitate & qualitate victus incipit damnare tria errata, quæ committuntur in cibandis ægris, qui acuto morbo vexantur: quorum primum est, dum exhibent victum exquisitè tenuem, vbi non conuenit. Secundum dum exhibent victum extremè tenuissimum, vbi non conuenit. Tertium dum exhibet victum crassum in acutis: itaut Hippocrates damnet in acutis vniformem viuendi normam.

Similimodo Hippocrates 1. de ratione vic. in ac. tex. 13. damnat & reijcit illos, qui in omni morbo vtebantur vnica viuendi norma, ptisana videlicet vel alio cibo: sicuti & nos valde damnamus nostratum plurimos, qui in omnibus febribus acutis, sint peracutæ exactè vel non exactè, vel acutæ exactè, vel non exactè, præbent ouum & panem excoctum, contusa caponis, vel illud stillatitium pullorum crassum & viscosum, quod vix in chronicis morbis conueniret: quæ errata quomodo, & quot interimant infra declarabitur. Ostendemus quod victus, qui in acutis non exactè conuenit, in perperacutis fit tamquam venenum.

Diuiditur hic aphorismus in tres particulas. In prima damnat illos, qui vtuntur victu tenui & exquisito, sicuti est cremor ptisanæ, quem damnat in morbis longis, & in illis acutis, in quibus non conuenit: quia ex Hippocrate & Galeno cremor ptisanæ conuenit in acutis exactè, qui terminantur circa decimumquartum diem. Non conuenit verò in acutis ex decidentia, quorum terminus est quadragesimus, vt docet Hippocrates 1. Prognost. 28. Neque conuenit in alijs morbis longis, neque in peracutis exactè, qui terminantur in primo quaternione: quia in his ægri tractantur ieiunio: Neque in peracutis non exactè, qui terminantur in

prima septimana; quia pro istis cremor ptisanæ esset cibus nimis plenus: Demum non conuenit in acutis non exactè, qui terminantur 20. die; quia pro his esset cibus nimis tenuis: his enim conuenit tota ptisana.

In secunda parte damnat victum extremè tenuem, vbi videlicet non conuenit: per extremè tenuem intelligit ieiunium, vt infra patebit.

In tertia parte damnat victum exactè crassum, qui in nullo morbo conuenit: itaut Hippocrates semper abstinuerit ab extremis videlicet ab immodica repletione, & immodica inanitione.

Ex his colligimus quantum errauerint Thesalus, & Erasistratus, dum reprehendebant Hippocratem (vt refert Galenus 1. de ratione vic. in ac. comm. 25.) Thesalus dicebat, Hippocratem nimium repleuisse ægros: sed si Thesalus fuisset ab Hippocrate ad cænam inuitatus, & illas epulas præparasset, quas laudat in morbis peracutis exactè videlicet cibum extremè tenuem idest ieiunium, certè insalutato hospite discessiset.

Erasistratus dicebat Hippocratē ægros necasse fame: sed Erasistratus ostendebat se Hippocratem non legisse: quia Hippocrates, prout morbi erant magis vel minus acuti, maiorem, vel minorem inediam obseruandam docebat, licet inclinaret in ieiunium: vnde Galenus 1. acutorum comm. 25. citato inquit, potius ignoscendum esse Erasistrato, vt pote qui verisimilia dicat, quam Thesalo dicenti, Hippocratem ægros nimium repleuisse.

Præterea Galenus maximè damnauit Petronam medicum, qui vt patet primo de ratione vic. in ac. 17. in febribus acutis concedebat carnem assatam, vinum nigrum, & alios cibos, qui solum hominibus benè sanis conueniunt.

Parimodo eodem comm. 17. reprehendit illos medicos, qui ægros alliciunt victu suaui, & agunt (vt ait) malo dolo. Similiter nostratum plurimi digni sunt reprehensione, dum maximè recedunt à præceptis Hippocratis in hoc ahorismo traditis allicientes ægrotantes victu suaui, qui non conuenit: sicuti dum concedunt hepar pulorum assatum febricitantibus: perinde ac essent Petronæ sectatores.

Quo ad verborum intelligentiam, dicit *victus* vox græca est δίαιτα, nomen diætæ apud Hippocratem, & Galenum sumitur duobus modis, vel pro fonte diætetico, in quo continentur sex causæ nonnaturales: quarum prima est Aer, secunda cibus & potus, tertia somnus & vigilia, quarta motus & quies, quinta quæ excernuntur & retinentur, sexta animi passiones: atque in hoc sensu diæta sumitur à Galeno tertio in tertium epid. 9. & in tertia parte artis med. lib. ad Trasyb. 35. primo de ratione vic. in ac. & alijs in locis. Vel sumitur nomen diætæ, pro vt significat cibum, sicuti in hoc loco sumitur ab Hippocrate quē cibum Galenus in comm. diuidit in suas differentias, sine quarum distincta cognitione ægri acuto morbo laborantes regi, & sanari non possunt.

Sed ante diuisionem cibi, sciendum est, cibum minui plus, minusve prout morbi sunt magis, vel minus acuti: quia ex Galeno 1. acutorum 44. morbus vt morbus non indicat cibum: Immo ex Hippocrate 7. aphor. 65. cibus febricitantibus morbus fit: & primo ad Glauc. 10. inquit Galenus, quod virtus quanto validior, tanto maius sit adhibendū remedium, & tanto minus cibandū: sed quia sine cibo ægri nō possunt sustineri: ideo de differentijs ciborum, qui omnibus ægris conueniant, agendum est.

Galenus in comm. diuidit victū siue cibum in tres differētias, in plenum mediocrem, & tenuem: deinde tenuem in quatuor differentias, nempe in exactè tenuissimum, in tenuissimum, in exactè tenuem, & in tenuem non exactè. Plenus est victus vulgaris, qui consistit in carne, ouis, piscibus, & cæteris cibis, qui sanis conueniunt, hic sanorum cibus vocatur à Galeno in comm. augens vires; exhibetur magis vel minus plenus, prout vires sunt magis vel minus robustæ.

Mediocris victus consistit in cibis liquidis, & facilis concoctionis, vt sunt oua recentia, panis tritus excoctus, atque hic cibus mediocris à Galeno vocatur cibus æquans, idest vires conseruans, tales, quales erāt prius, cōuenitque corporibus neutris

vt

vt sunt senes,& conualescentes,in morbis chronicis, & in acutis ex decidentia, qui ex Galeno 2.de diebus decret. 12. vel sunt exactè ex decidentia (Hi non excedunt quadragesimmum)vel non exactè ex decidentia, qui perueniunt ad sexagesimum His omnibus conuenit victus mediocris.

Hinc irridendi sunt illi medici,qui consulunt viris benè sanis solum victum mediocrem, vt pote auiculas, oua recentia, panem tritum excoctum, paruos pullos, & alia id genus,quæ debilibus solum sunt proporionata: tandem per hunc victum natura vilescit & vires quoque satiscunt.

Tenuis verò cibus conuenit acutis morbis,& vocatur à Galeno victus minuēs vires: in comm.habet hæc verba „ In morbis longis studemus vires conseruare: in acutis vero satss est illas moderatè debilitatas cōseruare: addit,quia si illas voluerimus conseruare,quales in prıcipio accepimus, fieret additio ad morbum. Idem testatur Galenus 4.meth.cap.6. Causæ vero,cur per alimentum fiat additio ad morbum,duæ sunt: Prima quia natura per cibum à certamine diuertitur: Secunda quia excrementa cibi augent morbum.

Prima dubitatio Galenus in comm. inquit, in acutis morbis alimentum debet esse minuens vires: si minuens,quomodo vires superabunt morbum? non ne vires sunt illæ,quæ certant cum morbo,& morbum depellunt?

Respondemus alimentum minuens vires non esse minuens respectu morbi: quia minuendo vires cum pauco cibo, morbus citius superatur: dicitur verò minuens vires respectu virium.

Quod vero vires diminutæ per cibum possint esse validæ in relatione ad morbū, patet ex Galeno 9. meth. cap.4. dum in curatione febris synochæ laudat venæ sectionem vsque ad animi deliquium, quia post animi deliquium excitantur vomitus,alui deiectio, sudores & madores. & inde natura se extollit, & quam citissimè morbum depellit: quo depulso temporis momento vires recuperari incipiunt: ideo alimentum minuens vires non est minuens respectu morbi.

Galenus in comm.diuidit victū tenuem in quattuor differentias. Prima est victus extremè tenuissimus,& est ieiuniū, quod conuenit morbis, qui iudicantur ad salutem primis quattuor diebus, si vires validæ sint. Idem dicit secundo de diebus decretorijs,cap.12. atque isti morbi vocantur exactè peracuti, & à Barbaris Latinis perperacuti: tales sunt anginæ acutissimæ, febres malignissimæ & pestilētes,quæ tractantur victu extremè tenuissimo,ieiunio videlicet: ieiunium vocabant victum extremè tenuissimum, quia in ieiunio viuens nutritur pituita, quæ dicitur victus extremè tenuissimus.

His temporibus neque audemus spatio quatuor dierum ægros robustos tractare ieiunio, vt tractabat Hippocrates, tanto minus debiles: quia si debiles spatio trium vel quatuor dierum tractarentur ieiunio, antequam morbus in vigore consisteret, obirent: ideo non semper obseruanda est tam rigida viuendi ratio, vt ægrotantes morbo perperacuto correpti sine vllo cibo & potu spatio trium vel quatuor dierum relinquantur: facienda enim est distinctio temporis,ætatis,regionis,& consuetudinis,vt bene videamus quinam sint illi,qui ferre,vel non ferre ieiunium possunt: quod præceptum reliquit Hippocrates 17.aphorismo huius sectionis,dum præcipit, condonandum esse aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini.

Non parua sanè est differentia inter hæc & Hippocratis tempora. Dum Hippocrates 6.aphorismorum 28.ait, Eunuchos non laborare podagra, Galenus in comm. reddit hanc rationem: quia tempore Hippocratis Eunuchi erant temperatiores nostris,& Galeni temporibus, in quibus homines magna ex parte erant, & sunt intemperatiores,& debiliores: ideo nos loco ieiunij concedimus iusculum paruæ pullæ ad duos vel tres cyathos diei spatio, vel tantundem mulsæ.

In peracutis verò, qui terminantur in fine primæ septimanæ, concedimus cremorem prissanæ. In acutis exactè,qui terminari solent in fine secundæ septimanæ, totam prissanam.

In acutis non exactè,quorum terminus est vigesimus concedimus ouum vel aicu-

culam montanam, vel pulpam parui puli cum ptissanæ cremore bis in die: Gali verò qui quater in die edunt, quater quoque alendi, nisi morbus valde prohibeat: Seruandæ enim sunt, quantum possumus, consuetudines: ideo Hippocrates & Galenus 2. de ratione vic. 23. dicunt „ Ter in die repleri nihil mali, si fuerint assueti.

Parimodo inspiciendæ sunt ætates, tempora, & consuetudines particulares: quidam enim ieiunio sunt assueti, quidam omnino insoliti sunt: atque vt summatim dicam, quida ieiunium ferre, & quida ferre non possunt.

Secunda differentia est victus tenuissimus, sed non extremè tenuissimus, atque ex Hippocrate hic victus est ipsa mulsa, quæ vocatur mellicraton, conuenitque morbis peracutis non exactè, qui terminantur in secundo quaternione, videlicet in fine primæ septimanæ. Admonet Galenus in comm. si in his morbis peracutis, viribus non fidamus, succo ptissanæ loco mulsæ vtendum: quare inspicere oportet ipsas vires, quia in ægris robustis proposita præcepta obseruantur: in debilibus nequaquam.

Tertia differentia est victus exquisitè tenuis, & est cremor ptissanæ, qui conuenit acutis exactè, quorum terminus est decimusquartus dies, vt docet Hippocrates 2. aphorismorum 23. sed hac lege, & vt vires sint validæ, & vt benè videamus, an in exactè acutis sit aliquis affectus, qui prohibeat ipsum cibum, sicuti animaduertit Hippocrates & Galenus 1. de ratione vic. 33. in pleuritide vbi dicit „ Si ptissanam dederis pleuritico, antequam soluatur dolor, ægrum sanguinis euacuatione, vel alui subductione iugulabis: quia dolor, & deinde inflammatio augebitur, vnde mors.

Quarta differentia est victus tenuis non exquisitè, sicut est tota ptissana, quæ conuenit morbis acutis non exactè: quorum terminus est vigesimus, vt docet Galenus 2. de diebus decretorijs vltimo, & alibi. Morbis verò chronicis conuenit panis triticeus excoctus & alia fercula mediocria.

QVÆST. 18. *Quomodo in principio morborum acutorum possit præuideri, quo die morbus sit terminaturus.*

SEd antequam alia verba aphorismi declaremus, tria occurrunt consideranda. Primum quomodo in principio morborum acutorum possit præcognosci, an morbus sit terminaturus in primo, vel secundo quaternione, vel in secunda septimana. Hoc certè nisi præcognoscatur, superflua redditur hæc de ciborum differentijs cognitio. Hinc Galenus 3. de crisibus cap. 5. tenet, in nulla re adeo esse medicum exercendum, quam in vigoris, vel status morbi præcognitione: quia vigor seu status morbi est norma diætandi: nec præcognito statu, vel vigore futuro, quopacto sint cibandi ægri, omninò nescitur.

Secundum, quod est considerandum pro intelligẽtia aphorismi, est, an cibus tenuissimus copiosus, possit dici plenus, vel paucitas pleni possit dici tenuissimus. Occasio istius quæstionis est Galenus in comm. qui inquit „ Ptissana hordeacea sua natura non est exquisitè tenuis, nisi casu quo pauca sumatur.

Tertium erit de conditionibus morborum acutorum: quia & Galenus videtur varius, & Auctores inter se sunt discordes.

Quantum attinet ad primum, quomodo scilicet primis diebus possit præcognosci, an morbi sint perperacuti, vel peracuti, vel acuti exactè, vel acuti non exactè, seu quo tempore, & quo die sint terminaturi, Nos non inuenimus Auctores, qui distinctè scripserint de hac re tanti momenti: dicimus tanti momenti: quia hac re non intellecta, Hippocratis doctrina redditur omninò superflua. Dicimus tamen hæc omnia colligi posse ex historijs ægrorum Hippocratis.

Primo ex historia Philisci colligitur quando morbus est terminaturus in fine primæ septimanæ: Galenus enim in cõm. protulit hanc sententiam „ Quando symptomata grauissima apparent tertio vel quarto die, morbum illum terminaturum ad salutem, vel mortem in secundo quaternione, idest circa septimum diem.

Pe-

Philiscus in 3.& 4.die habuit symptomata grauissima & lethalia, nempe vrinas nigras, quæ mortem protendebant. Non erat verendum de morte in quarto, quia signa lethalia cœperant apparere in quarto: neque erat verendum de morte in quinto: quia exacerbationes in die pari obseruabantur: acceptum enim est in medicina ab omnibus, quod ægrotantes semper iudicentur in die maioris exacerbationis. Neque vsque ad octauum Philiscus poterat excurrere, quia octauus est vltra secundum quaternionem: ergo debebat mori in sexta die: quia obseruatum est à Galeno (vt refert in hac historia) quod vbi tertius vel quartus dies habet grauissima symptomata iudicium ad salutem, vel mortem expectandum esse in secundo quaternione.

Ex hoc casu Philisci duo colligimus præcepta: alterum quod vbi tertius, vel quartus dies habet symptomata grauissima, morbum esse peracutum non exactè & terminatum iri circa finem primæ septimanæ, vel ad mortem, vel ad salutem.

Alterum præceptum, si exacerbationes fiant maiores in die pari: iudicium in die pari expectandum esse: si maiores fiant in die impari; in impari. In Philisco quartus dies fuit maioris afflictionis, quã tertius: ideo obijt in sexto, & non in septimo.

Erasinus in secundo & tertio die apparentibus vrinis nigris valde delirauit: ob hanc rationem debebat iudicari in quarto: quia lethales exacerbationes secunda die apparuerunt: obijt tamen in quinta: Galenus reddit rationem, cur obierit in quinta die, dicens, quia primum diem habuit quietum.

Ex hoc casu Erasini duo notanda sunt: primum exacerbationes grauissimas in secunda die indicare morbum perperacutum, idest peracutum exactè, idest terminatum iri in quarto, vel quinta. quia talis est perperacutorũ terminus, sicuti ostensum est ex Hippocrate & Galeno: secundum est notandum: si prima dies sit quieta, vel non enumerari, vel iudicium deferendum esse ad diem sequentem, videlicet ad quintum, in quo mortuus est.

In vxore Dromedæ grauia symptomata, videlicet sudores frigidi apparuerunt in tertio: ergo mors circa finem primæ septimanæ: cur? quia sudores frigidi in tertio non indicant morbum perperacutũ, cuius terminus est quartus, vel quintus dies: ergo non erat mors expectanda in fine primi quaternionis: quia non in secundo die apparuerunt lethalia symptomata, sed in tertio die, qui est index secundi quaternionis: ergo iudicium erat expectandum vel in quinta, vel sexta, vel septima. Non in quinta, quia quinta pertinet ad perperacutos. Non in septima, quia exacerbationes grauiores fuerunt in quarto, videlicet stillæ meri præter alia symptomata: ergo in sexto, in quo moritur, erat expectandum iudicium ad mortem.

In adolescente decumbente in foro mendacium ait in tertio & quarto die fuisse grauia symptomata: ergo morbus peracutus: ergo circa finem primæ septimanæ iudicium: sed quia in tertio partes extremæ apparuerunt liuidæ, & vrina nigra: ideo mors vel in quinto, vel in septimo, vel in sexto; non in quinto, tum quia erat adolescens robustus: tum quia dies quintus est terminus perperacutorum, & non peracutorum: non in sexto, quia signa mortalia apparuerunt in tertio: ergo in septimo. Non euasit, quia liuiditas partium extremarum, vt docet Galenus in hac historia, alterum de duobus significat, vel emori natiuum calorem, vel viscerum apostema, quæ sunt insuperabilia.

In Sileno die tertio apparuerunt exacerbationes, & vrinæ nigræ: ergo Sileni morbus est peracutus non exactè: ergo iudicium expectandum in fine primæ septimanæ: non in sexto die: sed in septimo, quia in tertio fuerunt exacerbationes lethales: sed quia in quinto die habuit multas deiectiones meras, protractum fuit iudicium ad nonum: sed quia in octaua die eruperunt papulæ, idest peticulæ, iudicium delatum est ad diem vndecimum, quo die decessit.

Colliige ex hoc casu, & vires robustas, & motus symptomaticos protrahere in longum iudicium, sicuti in hoc casu animaduertit Galenus, qui præterea obseruauit

uit motus symptomaticos interdum iuuare, quatenus participant imperfectam crisim. Notandum illos motus symptomaticos aliqua ex parte iuuare, qui vocantur symptomatici ratione temporis, & non ratione excuntis: ratione temporis sunt, quando in principio morbi biliosi, fluor biliosus obseruatur: si vero in morbo bilioso fluxio esset pituitosa, vel melancholica, esset excretio symptomatica ratione excuntis, quæ semper nocet, & nunquam iuuat.

In Horophonte adolescente robustissimo in quarto apparuerunt vrinæ nigræ, & extrema frigida, & in quinto fæces nigræ, atque in eodem die omnia fuerunt exacerbata cu signis lethalibus, quæ reuera ostendebant moriturum in septima: sed quia in quinto lien cæpit intumescere, & magnam partem prauorum humorū recipere: ideo neque in septimo, neque in nono obijt: quia (vt animaduertit Galenus) praui humores in octaua die in vtramque tibiam confluxi sunt: non in vndecima quia in noua dies sudauit, & sudores in die impari semper boni: ergo debebat terminari, & iudicari ad salutem quartadecima die: sed quia vna pars prauorum humorum confluxa erat in vtramque tibiam, & alia pars relicta fuit in venis: ideo totidē relinquebantur dies pro absoluenda illorum coctione: ergo vel in decimasexta vel decimaseptima, vel decimaoctaua, vel decimanona, vel vigesima erat iudicādus: non erat expectandum iudicium in decimasexta vel decima octaua, vel vigesima, quia exacerbationes maiores fuerunt in die impari: non in decimanona: quia nunquam aliquis ex putrida febre mortuus est, vel sanatus in decimanona vt Hippocrates & Galenus obseruarunt in filia Eurianactis, quæ licet mortua sit decimanona, inquit Galenus in comm. illius historiæ nō obijsse ob illum morbum, sed ob destillationem, & tabem, qui duo affectus, vt ait ordinem criticorum dierum peruertunt: quare Horophons fuit iudicatus ad salutem die decimaseptima.

Quem casum miratus Galenus dicit Horophontem fuisse sanatum præter rationem, & ob maximum robur: habuit enim varia signa lethalia, nempè extrema frigida, vrinas, & fæces nigras, & surditatem postquā succi biliosissimi fuerunt repressi.

Ex hoc casu colligimus, morbos sua natura peracutos ob robur paulatim subire formam acutorum non exactè: tuncque hoc fieri; quando adsunt hæc duo, nempe robur virium, & motus symptomatici ratione temporis mixti cum criticis: quæ duæ conditiones sunt in causa, vt non solum iudiciū ad mortem, vel in aliud tempus protrahatur, vt dictum est de Sileno, sed etiam vt morbi sua natura mortales terminentur ad salutem, vt in Horophonte.

Hinc experientia patet, quod signa mortalia tum ob robur, tum ob motus symptomaticos mixtos cum criticis possint esse fallacia, & nihil mali indicent.

Colligimus tamen ex propositis historijs, & ex alijs ab Hippocrate narratis, vt plurimum in morbi initio, qui sint morbi perperacuti, qui peracuti, qui acuti exactè, & inde quis victus conuenire debeat in principio morbi, quo non præcognito de norma dietandi in acutis iacta est alea.

Primum colligimus, morbum fore perperacutum, & ægrum ieiunio tractādum, si grauissima symptomata in primo vel secundo die appareant, vt in casu Phrenetici, qui tertio die mortuus est. Idem colligimus in casu Erasini, qui mortuus est die quinta & non quarta: quia inquit Galenus primum diem fuisse quietum: in hoc casu in secundo die tutius præuidere possumus terminum perperacutorū, quam in primo: sicuti cōfirmat Galenus 8. meth. cap. 3. his verbis „ Ego verò nec in omnibus ægrotantibus fateor exactè me scire in primo die affectum: ergo in secundo die tutius præuidebimus & affectum, & vigorem.

Secūdum preceptū, quod ex propositis historijs colligi potest, est quod grauissima symptomata in tertio & quarto indicent morbum esse peracutum non exactè: illumque iri iudicatum in fine primæ septimanæ, vt contingit Philisco, Vxori Dromedæ, & Adolescenti decumbenti in foro mendacium: hosque morbos tractari melicrato, vel iusculo paruæ pullæ: quia ægris no-

nostratibus solum mellicratum reuera sufficere non potest.

Tertium si exacerbationes sint maiores in die pari: in pari ægrum iudicatum iri ex Hippocrate dicendum est; quare ex his non solum colligimus in qua septimana sit terminaturus morbus, sed etiam quo die.

Quartum præceptum est, quod robur, & motus symptomatici possint in longum protrahere morbum, qui sua natura sit breuis, atque ob robur morbus mutet formam, videlicet, vt ex peracuto fiat acutus, vt contingit Horophonti, qui morbo peracuto correptus ob robur incidit in acutum ad salutem tandem terminatum.

Quintum si tertio die appareant signa lethalia, corpore existente robusto, nullomodo sequitur mors die quinta, sed iudicium potrahi potest ad septimum, vt contigit Adolescenti decumbenti in foro mendacium, qui in tertio habuit extrema liuida, quod est signum omninò exitiosum, & indicans moriturum in quinta: tamen ob robur mortus est in septima.

Sextum præceptum est, quod nemo indicetur ad mortem, vel ad salutem die decimanona: ac sicet filia Eurianactis decima noua fuerit iudicata, id euenisse (Galenus docet) propter destillationem & tabem, qui affectus peruertere solent criticorum diem ordinem.

Deinde habemus decem signa indicãtia morbos longos, vel breues, quæ desumuntur ab ipso Galeno 2. de differẽtijs feb. vndecimo, secundo de crisibus vndecimo, & secundo præsag. comm. 28.

Primum signum morbi longi desumitur ab humorum copia.

Secundum à lentore.

Tertium à crassitie.

Quartum à virtutis imbecillitate.

Quintum ab angustia meatuum.

Sextum à loco affecto: sicuti si lien est affectus, morbus longus erit.

Septimum ab erratis commissis.

Octauum à temperatura, quia frigida longum: calida breuem indicat morbum.

Nonum ab ætate; senes enim longum, iuuenes breuem.

Decimum ab anni tem pore, autumnus & hiems longum pollicentur morbum: æstas vero & ver breuem, quia oppositorum eadem est disciplina. Ex aliquorum signorum syndrome possumus colligere longitudinem, vel breuitatem morbi.

Deinde morbi breuitatem, vel longitudinem colligimus à sex rebus nõ naturalibus, vt pote ab aere crasso, vel frigido longus morbus fit: à tenui breuis: à cibis multis, crassis, & frigidis oritur morbus lõgus: à tenuibus breuis: somnus lõgus morbum longum, vigilia verò breuem facit: motus breuem, quies nimia lõgum, animi passiones; vt mæror & mestitia longum, ira breuem præostendunt.

Præterea, vt distinctius omnia declarẽtur Galenus 2. præsag. comm. 28. dicit febrem esse longam ob tres causas, videlicet vel ob particulam aliquam corporis malè affectam, vel ob errores comissos: vel ob humores crassos, & viscidos.

Libro vero 2. de crisib. 11. dicit, fieri lõgos, vel breues ob quatuor causas, quæ dependent, vel à loco, vel à materia, vel ab affectu præter natura, vel à facultate. Secũdo vero de differentijs febrium vndecimo dicit fieri longos ob quatuor causas, nempe vel ob materiæ multitudinem, vel ob crassitiem, vel ob imbecillitatem, vel ob angustiam.

QVÆST. 19. *An cibus multus tenuis sit plenus, & an paucus plenus dici possit tenuis.*

QVæritur, an cibus tenuissimus copiosè sumptus videlicet cum appetitu sit victus plenus, & an paucitas pleni possit dici tenuissimus, veluti si quis drachmam tantũmodo porcinæ carnis in cęna sumeret & nihil aliud; quæri solet an dici possit victus tenuissimus.

Ex vna parte Galenus in cõm. huius aphorismi vult, quod tota ptissana hordeacea, si pauca sumatur, sit cibus tenuis exquisitè. Ex hac auctoritate plurimi colligunt, quantitatem ciborum mutare victus differentiam: itaut dicant, pauxillum victus pleni esse tenuissimum, & tenuissimum copiosum esse victum plenum.

Ex

Ex alia parte nos auctoritate, & experientia suffulti oppositum sustinemus: auctoritate Galeni 8. meth.2. & 3. de facul. nat.4. asserentis, cibum plenum in quauis minima quantitate non gerere vicem tenuis cibi: quia 8. meth. citato habet hæc verba „ In pane, ouo, & carne esse duas partes, videlicet vtilem, & inutilem: vtilem (inquit) plurimum nutrire, & in ventriculo febricitantium cum difficultate concoqui: atque dum coquitur, deinde in venis coctionem non absolui: reddit rationem, quia pars vtilis panis, oui, & carnis in febricitantibus inflammatur, & aduritur: inutilem verò excrementosam, ait, nō esse frigidam, & humidam, sed acrem, mordacem medicamentosam, & exitiosam: quare inquit pro febricitantibus esse eligendum alimentum frigidum & humidum, vt est ptissana, & non oleosum, & pingue.

Valeant igitur qui in febribus acutis præbent oua, carnes, & panem.

Præterea concludimus, quod nec ouum, nec quarta oui pars assumpta sit victus ita tenuis, sicuti sunt quatuor libræ ptissanæ collatæ. Immo ex ipso Galeno 3. de facul. nat.4. colligimus, difficilius concoqui in ventriculo febricitantium quartam partem oui, quam integrum ouum: quia victus non coquitur, nisi ventriculus illum amplectatur: sed sic est, quod ventriculus non potest amplecti minimam oui portionem, quo fit vt relinquantur spatia inania inter cibum, & ventriculum: quibus relictis, cibus in ventriculo manet crudus.

Quod verò citius concoquatur ptissana ad duas vel tres libras, quam ouum, & citius digeratur quarta pars oui, quam integrum ouum, confirmatur experientia: quia si in alembico essent duæ libræ cremoris ptissanæ facillimè instillari possent: si verò in eodem vase pro instillatione poneretur ouum, difficilis esset instillatio, & si quarta pars oui difficilior: quia antequam in vapores esset conuersa, combureretur. Quando verò Galenus dixit, ptissanam esse victū exquisitè tenuem, si pauca sumatur, dicimus Galenum non fecisse transitum ab vna in aliam alimenti speciem: sed permansisse in consideratione eiusdem hordei, dicendo eius cremorem esse victum tenuem exquisitè, & ptissanam totam esse victum tenuem quidem, sed non exquisitè: si vero pauca ptissana sumatur, dicimus tantum valere, quantum valet maior cremoris copia, quæ tamen talis sit, vt commodè possit à ventriculo amplecti.

Quare falluntur illi medici, qui dicunt, ita esse cibum tenuem ouum, vel duas auiculas montanas, vel quartam puli partem, vel panem excoctum, sicuti est libra cremoris hordei, qui in acutis morbis est proprius cibus, & non panis excoctus, quo vtuntur nostrates: quod etiam maximè Hippocrates reprehendit primo de ratione vic. in ac. tex.25. vbi habet hæc verba „ In acutis panis non datur, sed solum ptissana: sed facto iudicio panis dari potest. Paulo infra Hippocrates loquens de pane, cur in acutis non conueniat dicit tex.27. „ Panis neque humectat, neque secat: addimus, sed in acutis, & humectare, & secare seu incidere, vel detergere est operæpretium: ergo panis in acutis non conueniet, quod à paucis obseruatur.

QVÆST. 20. *De conditionibus acutorum morborum.*

QVo ad conditiones acutorum morborum Galenus videtur varius: quia 2. de diebus decret.12. & 3. de diebus decret. cap. vltimo proponit tres conditiones acutorum, quas desumpsit ab Archigine. Prima, quod omnes acuti sint celeres. Secunda, quod agant cum impetu. Tertia, quod sint periculosi: per hanc postremam conditionem excluduntur ephimeræ, & febres intermittentes.

Secunda dubitatio: ex alia parte Galenus 1. de crisibus cap.16. & 1. de diebus decret. cap.vult. inquit, dari febres acutas, in quibus non subest periculum: ergo tertia conditio non videtur necessaria: ideo Altimarus motus his auctoritatibus negat, quod omnes acuti sint periculosi.

Nos autem respondemus acutos per se, & ratione sui esse periculosos: ratione

virium

virium robustatum non esse periculosos.

Tertia dubitatio exoritur: quia Galenus 2. aphorismorum 19. proponit duas conditiones acutorum morborum. Prima quod celeriter iudicentur. Secunda quod acuti statim magnitudinem habeāt. Quare præter tres erit quarta conditio, quod sc. acuti sint morbi magni. Ex altera parte non videtur, quod omnes acuti habeant magnitudinem: quia Hippocrates 4. de ratione vic. tex. 19. vult in acutis sanguinem esse detrahendum, si morbus fuerit magnus: ergo non omnis acutus erit magnus.

Solutio desumitur à cod. Græco: quia dū dicit Hippocrates loco citato: si morbus videatur magnus, dicit ἰσχυρὸς, idest vehemens, & non μέγας idest magnus: omnis enim vehemens est magnus, sed non viceuersa, omnis magnus est vehemens. Valeant illi, qui ex hoc loco Hippocratis 4. de ratione vic. in ac. 19. colligunt magnitudinem morbi indicare venæ sec. quia Hippocrates loquitur de morbo vehementi, qui valde differt à morbo magno.

Quarta dubitatio quo ad verborum explicationem dicit ἐν τοῖσι μακροῖσιν αἰεὶ πάθεσι idest in longis passionibus, & non in longis morbis: sed sic est, quod morbus acutus non est passio: quia passio significat rem in fieri: morbus verò significat rem in facto esse, vt docet Galenus 2. meth. 2. & 1. de loc. aff. 3. vbi vocat dispositionem morbosam διάθεσιν diathesis est in facto esse, & non in fieri.

Respondet Galenus huic dubitationi 3. aphoris. 28. fuisse in vsu apud antiquos, morbos tam chronicos, quam acutos vocari passiones.

Per morbos longos intelligit morbos, qui excedunt quadragesimum diem: quia licet acutorum terminus sit vigesimus dies, nihilominus, si perdurent vsque ad quadragesimum, dicentur acuti, vel quia sint ex decidentia acuti, vel quia ipsi acuti post vigesimum paulatim ita diminuantur, vt omnino desinant in 40. die: si vero vltra quadragesimū excurrant, verè chronici vocantur, seu temporanei, qui videlicet temporis cursu longiori terminantur: chronicus enim significat temporaneum.

Et in acutis vbi non conuenit. Dicit Hippocrates in aphorismo victum tenuem & exquisitum in acutis vbi non conuenit esse fallacem.

Discrepant auctores quid intelligat Hippocrates per morbos acutos: morbi enim acuti multiplices sunt: dantur enim morbi acuti qui terminantur in primis quatuor diebus, qui vocantur perperacuti: dantur acuti, qui terminantur in fine primæ septimanæ, qui vocantur peracuti: dantur acuti exactè qui deueniunt vsque ad decimumquartum diem: dantur acuti non exactè, qui excurrunt vsque ad vigesimum diem: & acuti ex decidentia, cuius terminus solet esse quadragesimus. Quæritur de quibus acutis intelligat Hippocrates.

Capiuaceus, Paternus, Bresaulus, & alij plures per morbos acutos, in quibus non conuenit victus tenuis, & exquisitus (qui est succus ptissanæ) intelligunt acutos ex decidentia.

Horum interpretatio nō potest defendi: Galenus in comm. habet hæc verba „ Quod adiectum est sermoni de acutis, in quibus non conuenit, dicitur propter peracutos: Græca verba hæc sunt „ διὰ τὰ κάτοξεα λέγεται: ergo per morbos acutos non intelliget acutos ex decidentia.

Deinde si per morbos acutos intelligeret acutos ex decidentia. Hippocrates fuisset superfluus: quia acuti ex decidentia sunt morbi longi: satis enim fuisset Hippocrati, si dixisset in morbis longis victum tenuem, & exquisitum esse fallacem.

Causa erroris istorum fuit Leonicenus, qui verbis Galeni addidit particulam negatiuam, hoc modo „ Non esse dictum propter morbos acutos, quæ particula negatiua in Græco cod. non reperitur.

Causa erroris Leoniceni fuit, quia Galenus statim subdit hæc verba „ De peracutis verò mox dicemus: ex his inferebat: ergo non dixit propter peracutos.

Hæc mutatio verborum Auctoris non est admittenda, quando optimus sensus ex Auctoris verbis colligi potest: quādo enim dixit de peracutis mox dicemus, intelligere possumus fusius dicemus: ideo per acu-

H tos

tos vbi non conuenit victus tenuis,& exquisitus, qui est cremor ptissanæ, dicimus Hippocratem,intellexisse perperacutos, & peracutos,in quibus victus tenuis, & exquisitus non conuenit: quia est nimis plenus.

Similiter per acutos vbi non conuenit victus tenuis, & exquisitus dicimus Hippocratem intellexisse quoque acutos non exactè, qui excurrunt vsque ad vigesimũ, in quibus morbis cremor ptissanę est nimis tenuis: immo hic victus tenuis,& exquisitus,si vires sint debiles,nõ coueniet morbis acutis exactè: quia solum cõueniet morbis acutis exactè, supposita virtute robusta.

Hippocrates miro artificio dixit, victũ tenuem, & exquisitum idest cremorem ptissanæ in acutis vbi non conuenit, esse fallacem: quia hæc dictio fallax indicat, & posse, & non posse conuenire: potest etiã in peracutis cõuenire ratione virium labentium,vt dicit Galenus in comm. non potest conuenire ratione morborum peracutorũ: quia in peracutis cremor ptissanæ est nimis plenus: itaut valeant hæ consequentiæ, est fallax victus tenuis, & exquisitus:ergo non necessario,& semper nocebit: ergo interdum poterit conuenire, quando videlicet vires magis possent ad indicandum, quàm morbus peracutus ad prohibendum. Quod vero ita sit patet ex Galeno in comm.vbi inquit „ si in peracutis, viribus non fidamus,succo ptissanæ vtendum.

O quàm artificiosis verbis vsus est Hippocrates & quàm inaccessibili, & fælici breuitate nobis insinuauit per illã dictionem σφαλεραὶ, victũ tenuẽ & exquisitum cõuenire,& non conuenire,& aliquando iuuare, & aliquando nocere respectu diuersorum. In toto Ioanne Scapula, vel linguæ Græcæ thesauris non inuenietur dictio aliqua,quæ significet posse, & non posse conuenire respectu diuersorum, nisi σφαλεραὶ idest fallaces: quare per σφαλεραὶ perperam interpretantur periculosæ;quia hęc dictio periculosa non habet illam vim,qua ostendi possit,victũ tenuem, & exquisitum conuenire, & non conuenire,& iuuare,& non iuuare posse, vt dictum est.

Quinta dubitatio ex verbis Hippocratis oritur, dum dicit, victum tenuem, & exquisitum non conuenire in morbis longis, quod videtur reluctari experientiæ: quia morbus gallicus est longus; tamen victu tenui tractatur, nempè passulis, amygdalis, & biscocto, qui victus in illo morbo est saluberrimus.

Respõdemus,amygdalas,& passulas cũ biscocto non esse victũ exquisitè tenuem: quia victus tenuis ex Galeno in comm.est minuens vires, sed sic est quod passulis, amygdalis,& biscocto vires conseruantur quales erant in principio: hac ratione in morbo gallico propositus victus est æquãs vires,& non minuens. Præterea in gallico morbo cõceduntur offellæ ex carne vitulina,quæ pertinent ad victũ plenum. Deinde morbus gallicus non est longus, quia mensis spatio sanari potest,nisi sit omninò inueteratus. Postremò notandum, Hippocratem in aphorismo asserere, victum tenuem exquisitum in morbis longis esse fallacem: ergo non ex necessitate nociuus: quia dictio fallax significat posse conuenire,& non posse conuenire habita relatione ad diuersa,vt dictum est.

Sexta dubitatio, non videtur quod victus exquisitè tenuis conueniat in morbis longis: quia Auicennas in morbis longis vtitur victu tenuissimo: sicuti lib.4. fen.1. vbi agit de cura quartanæ, in qua præcipit,victu tenuissimo vtendum vsque ad tres hebdomadas. Similiter lib.3.fen. 2.vbi agit de paralysi,in cura paralysis vtitur victu tenuissimo, sicuti est aqua hordei,& aqua mellis per spatium trium dierum: Immo subdit, si paralytici hunc victum tenuissimum tolerant, illo esse vtendum vsque ad decimumquartum diem. Demum Auicennas lib.3. fen.14. loquens de cura ascitis vult,in principio esse vtendum victu tenuissimo: quare si quartana, paralysis, & ascitis sunt morbi longi, & diuturni: ergo in morbis longis laudandus erit victus tenuissimus, quod est contra aphorismum.

Respondemus, esse magnam differentiam inter victum tenuem, & victum attenuantem, vt docet Galenus lib. de attenuantis victus ratione cap.1.2. & 8. & in

hoc

hoc aphorismo: vinum enim album attenuat, tamen inter victum plenum connumeratur. Posita hac distinctione Respondemus, Auicennam vsum fuisse victu attenuante propter humores crassos, & viscidos, qui obseruantur in quartana, paralysi, & ascite propter obstructiones, & eousque Auicennam vsum fuisse victu attenuante, quousque natura ferre potest: quia subdit ipse Auicennas „ Natura non ferente victum attenuantem confugiendum esse ad carnes, & oua. Vel Respondemus Auicennam proposuisse victum tenuem, & attenuantem quatenus indicatur à morbi causa, & non à virtute.

Septima dubitatio oritur ex verbis Hippocratis, quia dicit, victum exquisitè tenuem esse periculosum: si periculosus, ergo reijciendus: quia Galenus 14. meth. 13. semper laudat illos tres Asclepiadis scopos, videlicet cito, tuto, & iucundè esse curandum. Quare si victus tenuis, & exquisitus non est tutus, est relinquendus.

Respondemus esse periculosum victum tenuem, & exquisitum vbi non conuenit, nó tamen erit periculosus in morbis acutis exactè, dummodo vires non sint debiles: quare victus tenuis & exquisitus potest dici fallax etiam in acutis exactè, dum vires admodum languent „ sed si vires persistant in suo robore, nullus victus in acutis exactè magis potest conuenire, quam victus tenuis & exquisitus, qui est cremor ptissanæ hordeaceæ.

Sed circa Galeni commentum hæc duo occurrunt consideranda dubia.

Octaua dubitatio: dicit Galenus in cõm. victum plenum augere vires: mediocrem victum vires conseruare: quod non videtur: quia ex Galeno 1. de tuen. sani. cap. 2. vires à principio generationis vsque ad obitum semper diminuuntur: secus nisi hoc esset, essemus immortales: quare neque victus augens vires, neque conseruans dari potest: sicuti enim lumen lucernæ semper oleum depascitur: sic calor noster naturalis virium substantiam absumit, vnde senectus & mors.

Respondemus, calorem naturalem dupliciter conseruari, vel penes substãtiam caloris: & hoc modo calor nec potest augeri, nec conseruari sicuti erat prius: quia semper minuitur: vel penes quantitatem ex alimento ortam, & hoc modo potest augeri, & conseruari: augetur enim post somnum, post cibum, post vini generosi potionem.

Marsilius Ficinus in suo argumento Athlantici Platonis, proponit pulcherrimum exemplum, vnde colligimus, quomodo caloris substantia semper, & in dies magis diminuatur, tale fermè est: accipiatur dolium mero plenũ: extrahaturque quotidiè vini ephiala: deinde alia aquæ ephiala illicò infundatur: ait, in dolio etiam post multos dies seruari eandem vini quantitatem, sed non eandem vini substantiam: sic nos quotidie amittimus aliquid substãtiæ nostræ, conseruatur tamen eadem quantitas, & eadem qualitas caloris saltem ascititij, dum corpus nutritur, vel agitatur; non tamen eadem calidi innati substantia.

Nona dubitatio: Galenus in comm. huius aphorismi, & primo ad Glauc. cap. 10. dicit, vires validas in acutis indicare victum tenuem, & in peracutis inediam. Ex alia parte Hippocrates aphorismo 14. huius sec. vult, vires validas indigere copioso alimento, vbi dicit „ Qui crescunt.

Respondemus, vires dupliciter considerari, vel in sanis, vel in ægris: in sanis vires quanto sunt validiores, tanto pleniorem cibum expostulant: In ægris verò totum oppositum, quia ægri quantò sunt validiores, tantò tenuiorem indicant cibum. Hippocrates aphorismo 14. considerauit vires in sanis, & in his, qui crescunt, qui habent plurimum calidi innati: ideo inquit copioso indigere alimento: egent copioso alimento, tum ratione virium, tum ratione fluoris continui ipsius substãtiæ. Ecce quod vires validæ validum exigunt alimentum, & debiles debile: hac ratione, si quis posset digerere 50. vncias alimenti, & sumeret solum 49. temporis spatio tabesceret, & propter hoc erratum tandem interiret.

Præterea, quod virtus valida in ægris (de quibus Hippocrates in hoc aphorismo intelligit) indicet victum tenuem, patet ex Galeno 1. de ratione vic. in ac. 44 vbi

inquit, omnem nutritionem morbum augere, & omnem nutritionis defectum morbum minuere. Patet similiter ex Galeno lib. de opt. sec. ad Trasyb. cap. 43. vbi inquit, morbum contraindicare alimentum, idest prohibere alimentum.

Insuper Galenus in hoc comm. dicit, cibum vires conseruantem in acutis morbis esse morbi auctificum. Præterea Hippocrates lib. 7. aphorismorum 65. habet hunc aphor. „ Si quis febricitanti cibum præbeat, quem sanis, valenti robur, & ægrotanti morbus fit. Ratio aphorismi colligitur ex eodem Hippocrate 2. sect. aphorismorum 10. vbi inquit „ Impura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes. Parimodo Hippocrates 2. sect. aphorismorum 17. habet „ Vbi alimentum præter naturam plus ingestum est, hoc morbum facit. Postremò quantò magis morbus vrget, tantò magis cibum prohibere oportet. Hinc Hippocrates aphorismo 11. huius sect. ait, in accessionibus abstinere oportet, atque Auicennas 4. 1. cap. 1. inquit, quando natura est occupata in maturatione humorum, cibus omninò prohibetur.

Cæterum ex tribus historijs Hippocratis præcipuè colligimus, cibum in paroxismis, seu quando vrget morbus, non esse præbendum, ac dum præbetur ægrum interimere.

Prima historia est illa, quæ proponitur ab Hippocrate 1. epid. 3. 29. de ægro innominato, qui decessit è viuis: quia cęnauit calescens, nempè quando vrgebat paroxismus, idest in principio augmenti, & principio status paroxismi. Alia historia est de Filia Philonis, quæ mortua est ob cœnam intempestiuam. Tertia est de filia Euryanactis (de qua Hippocrates mentionem facit 3 epid. 2.) quæ in principio paraxismi comedit vuæ racemum, & ob hoc erratum incidit in delirium, & inde moritur. Ecce quomodo vires in ægris in accessionibus, vel dum vrgent morbi nihil cibi indicent, dummodo possint ferre inediam.

Rursumque qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis est. Hæc est secunda pars aphorismi, in qua concludit, victum extremè tenuem, idest ieiunium esse graue, & molestum, supple, quibus non conuenit. Capiuaceus putat per extremè tenuem intelligere exquisitè tenuem, sicuti est cremor prisanæ, quemadmodum Hippocrates intellexit in prima parte. Sed quantum recedat à vera intelligentia verborũ Hippocratis paulò infra declarabitur.

Decima dubitatio exoritur: quia Gal. 9. meth. 13. ait virtutem in acutis & omnibus morbis omnium primam custodiendam esse: ergo non solum ieiunium erit graue, & molestum, sed exitiosum; quia vires per ieiunium non possunt consistere, vnde ægri moriuntur.

Respondemus, Hippocratem *in hoc* aphorismo intelligere de robustis, in quibus ieiunium nec graue, nec molestum est: dũ vero Galenus dicit, virtutem *omnium* primam esse custodiendam, intellexit de languida, & non de robusta.

Vndecima exoritur dubitatio: quia diximus Hippocratem per victum extremè tenuem intelligere in hoc aphorismo ieiunium, quod non videtur, quia Hippocrates appellat ieiunium victum extremè tenuissimum, & non extremè tenuem: magna est differentia inter extremè tenuem, & extremè tenuissimum. Vocatur ab Hippocrate ieiunium victus extremè tenuissimus: quia in ieiunio, licet nihil omninò sumatur, ratione pituitæ, quæ conuertitur in bonum nutrimentum, dicitur victus.

Respondemus ad dubitationem (ab alijs ante me, quod sciam non solutam) & responsio colligitur ex recta intelligentia verborum Græcorum, dum Hippocrates ieiunium vocat victum, qui ad extremum tenuitatis deuenit his verbis ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος. Articulus τὸ significat extremum, seu ultimam partem latitudinis tenuitatis: namque articulus semper significat rem definitam, & completam: si dixisset ἐς ἔσχατον sine articulo non significasset ultimum terminũ, qui est ieiunium: extrema enim tenuitas habet latitudinem: sicuti etiam extrema plenitudo, quę (ut diximus superius) habet ἐπ' ἄκρον & ἐν τῷ ἐσχάτῳ: extrema tenuitas habet ἐς ἐσχάτην & ἐς τὸ ἔσχατον, τὸ ἔσχατον est ieiunium,

quia

quia est ultima pars tenuitatis cibi: in hoc aphorismo additus est articulus τὸ: ergo per extremè tenuem uictum Hippocrates intelligit ieiunium,& non uictum exquisitè tenuem,qui est cremor ptissanæ.

Hinc valde recessit ab aphorismi intelligentia Capiuaceus, qui putabat, Hippocratem in hac secunda particula aphorismi non loqui de ieiunio, sed de victu exquisitè tenui, idest de cremore ptissanæ, sicuti est locutus in prima parte, itaut apud Hippocratem idem sit victus exquisitè tenuis,& extremè tenuis. Sed si Capiuaceus perpendisset Græca verba in hunc errorem non fuisset lapsus.

Dicit victum exquisitè tenuem idest ieiunium esse graue: vox Græca est χαλεπαὶ idest difficiles διαῖται: sunt difficiles ægrotis, qui audientes quattuor dierum spatio in morbo perperacuto esse ieiunandum, terrētur: sunt difficiles medico imperanti hanc extremam cibi tenuitatem, quia si æger moriatur, medicus trahitur in culpam, licet fortasse ob assistētium, vel ægroti erratū id euenisset: esset difficile, si præscriberetur ieiunium, vbi non conuenit, nempe si vires essent debiles, si morbi essent peracuti non exactè, vel acuti exactè, vel morbi essent chronici, in quibus ieiunium nullomodo conuenit, licet vires sint robustissimæ.

Cum igitur Hippocrates in hac secunda particula intelligat de ieiunio, videndum est, quænam sint corpora apta, & quæ inepta ieiunio: namque plurima sunt corpora alioquin robustissima: quæ in morbis exactè peracutis, si ieiunio tractarentur, interirent.

Galenus loquitur de corporibus ieiunio ineptis 1. de ratione vic. in ac. 44. Nos verò ex Hippocrate & Galeno colligemus omnes conditiones, ob quas corpora possunt, vel nō possunt ieiunium ferre: decem igitur reperio in Galeno,& Hippocrate.

QVÆST. *21. De conditionibus corporum, quæ sunt accomodata ad ieiunium.*

PRima est complexio frigida, quæ facile ieiunium fert: quia in hac complexione minor alimenti resolutio fit. Hac ratione calidi & sicci, vt pichrocoli, qui sunt illi, qui abundant amara bile, non sūt tractandi ieiunio, secus in hecticam elabuntur: sicuti Galenus 8. meth. ostēdit contra medicos diatritarios, qui spatio trium dierum ieiunio tractabant pichrocolos febricitantes, atque paulo post in hecticam incidebant,& moriebantur. Similiter pueri, quorum temperamentum est calidum, egent plurimo alimento, quia maxima à calore puerorum fit alimenti resolutio. Parimodo senes decrepiti sunt inepti ad ieiunium: quia vt dicit Oribasius eorum pituita est vitrea, quæ non potest superari ab illorū calore; ideo sæpè cibis sunt reficiendi: vnde fit, quod senes febricitantes facillimè moriantur: quia earum natura cibo frequenti diuertitur,& deinde victoria se tenet ex parte morbi.

Secunda conditio corporis apti ad ieiunium est corporis densitas, & virtus aliqua ex parte valida. De corporis densitate Galenus lib. de cibis boni, & mali succi cap. 10. & Hippocrates lib. de salubri diæta tex. 29. inquit, corpora densa non ita resolui vt rara.

Tertia conditio est consuetudo pauci cibi, sicuti obseruauimus in Aloysio Cornelio, qui lib. de propria salubritate refert, se diutissimè sanum conseruasse sumendo vnius diei spatio 12. vncias cibi, & 14. vncias vini. Immo refert se consilio amicorum, & medicorum, qui tam rigorosam diætā damnabāt, sumpsisse quatuordecim vncias cibi & 16. potus, ob quam mutationē refert paulo post in maximā febrem incidisse, qua depulsa reuersum ad consuetam alimenti quantitatem saluberimè vixisse vsque ad annum ferè centesimum.

Quantum possit consuetudo ostendit Hippocrates & Galenus 2. acutorum 20. vbi dicunt ,, melius esse in victus ratione solita, licet sit vitiosa, persistere, quam subito ad meliorem victus rationem transire. Galenus in comm. inquit, si transitus ad insolitos cibos nocet sanis, quantò magis ægris. Valeant igitur medici dum in ægris vtuntur cibis valde insolitis, quia inde maximum illis nocumentum inferre possunt.

Quarta conditio corporum facilè ieiunium

nium ferentium, est regio frigida & humida.

Quinta, vt os ventriculi sit validum & non ita facile dissolubile, sicuti erat illud Diodori Grammatici, qui ex Galeno lib. de uenæ sec. uentriculo existente uacuo, bilis uellicabat os ventriculi & statim in epilepsiam incidebat: sumptus vero cibus omne malum, summouebat. Quod vero corroborato ore ventriculi cesset vertigo, seu epilepsia, potest probari per ipsam practicam: quia sumpto diacitonij pauxillo parati cum cinamomo, & sacharro, cessat prædictus affectus. Parimodo solet interdum reddi os ventriculi inualidum ob flatus, ob quos in lipothymiam incidunt. Quod vero flatus hoc malum efficiat, confirmatur quoque per ipsam practicam: quia in hoc casu vsus tripheræ saracenicæ præstantissimo est remedio.

Sexta conditio, qua dignoscitur corpus dispositum ad ieiunium, est, si alimenta, quibus vtuntur, sint coctu difficilia, quia istorum vsu diu manere possunt sine cibo. Referunt de Hispanis, qui in propria regione parum comedunt, quia eorum alimenta non breui spatio coquuntur, & resoluuntur: dum vero in Italiam, vel Germaniam se conferunt nonnulli à mane ad vesperas comedentes vix famem ammouere possunt: causa est alimenti varietas. Triticum Hispanicum ob terræ ariditatem est adeo densum, & durum, vt præbeat alimentum, & validum, & coctu valde difficile: nostrum verò coctu facile. Idem referunt de vino Hispanico, de fructibus, & de oleribus. Idem quoque dici potest de Græcia, & de his, qui incolunt meridianam plagam, qui (vt aiunt) ob eandem causam possunt facilè ieiunium ferre: quod non accidit apud nos, vbi & triticum, & vinum, & olera, & fructus, & carnes sunt magis molles, & magis resolubiles ob regionem molliorem, & temperatiorem.

Septima conditio, ꝙ sint senes in primo senio: quia ex Hippocrate in hac prima sec. aphorismo decimotertio habetur „ Senes facillimè ieiunium ferrunt: per senes intelligit senes in primo senio: quia Græca dictio est γέροντες, per gerondes Græci omnes intelligunt senes in primo senio: ferunt enim facilè ieiunium, quia abundant pituita naturali, illamque commodè conuertunt in bonum alimentum: senes verò in vltimo senio abundant pituita vitrea, quæ non potest conuerti in alimentum: ideo sæpè nutriendi sunt.

Octaua, quod venæ sint latæ, & sanguine refertæ.

Nona, quod virtus sit valida, & non facile resolubilis.

Decima, quod corpora nō vtantur pluribus laboribus, & exercitijs: quia alimentum facilè per immoderata exercitia absumitur: Galenus enim lib. de alimentis cap. 2. loquens de rusticis, qui post paucum cibum ingestum illicò laborant, habet hæc verba „ Carnes exinanitæ rapiunt ex ventre succum non solum semicoctum, sed aliquando omninò crudum, cum à cibo se fatigauerint, & ob hanc causam morbis grauissimis corripiuntur: interdum tamen minus læduntur, quia post laborem (ait Galenus lib. de cibis vt infra) incidunt in somnum profundum, qui maximè iuuat coctionem crudi succi paulo ante attracti, ita ut in ipso hepate, & in ipsis venis corrigatur erratū primæ coctionis, quod in robustis sæpè fit, vt animaduertit Galenus lib. de cibis boni, & mali succi cap. 3. ita ut non sit semper vera illa communis sententia, quod error primæ coctionis non corrigatur in secunda.

Vndecima addi pōt in his, qui crescūt, ieiunium non conuenire, sed esse graue, & molestum: quia calor, si cibo priuentur, humidum proprium radicale depascitur.

Nam & repletiones quæ ad extremum deueniunt graues sunt. Hæc est tertia particula aphorismi, quæ docet, victum extremè crassum esse grauem, & molestum.

Duodecima dubitatio exoritur, quia Hippocrates in hoc tex. videtur varius: in aphorismo præcedenti dixit, repletiones extremas esse periculosas: in hoc vero aphorismo non dicit esse periculosas, sed esse graues. Hæ duæ voces nempè esse periculosum, & esse graue valde differunt: quia non omne graue est periculosum.

Respondemus, Hippocratem in præceden-

denti aphorismo locutum fuisse de sanis, & dixisse esse fallacem, & non periculosam: fallax sanè non semper est graue: ostensum est in explicatione primi aphorismi, fallax maximè differre à periculoso.

Præterea in hoc aphorismo loquitur de ægris, in quibus cibus extremus semper est grauis, & semper lædit: ideo dū locutus est de sanis dixit, repletiones extremas esse fallaces, quia modò iuuant, modò nocent: in hoc aphorismo loquitur de ægris, in quibus victus extremè crassus semper est grauis. Læsio in ægris à duplici causa dependet, vel à morbo debilitante vires, vel à ieiunio diminuente vires, quæ benè sanis non ita conueniunt: quia licet, & nimium comedant, & seuerè obseruent ieiunium, semper simili gaudent sanitate.

De benè sanis loquens Celsus lib. 5. cap. 1. habet hanc sententiam „ Homo sanus, qui bene valet, & sui iuris est, nullis obligare se legibus debet: varium debet habere vitæ genus: modò ruri esse, modò in vrbe, modò nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius exerceri: subdit: nullum cibi genus, quo populus vescatur, fugere debet: interdum in conuiuio esse, interdum ab eo se retrahere, modò plus iusto, modò minus assumere. Demum nec medicum, nec pharmacopolam consulere: quare homo sanus victus varietate roboratur, & minus obnoxius redditur ægritudinibus. Addit quoque Celsus: reliquis verò qui sanitatem quærulam habent in exquisito victu eousque permanendum, quousque ad robustam peruenerint: hactenus Celsus.

Sed longè meliori doctrina suffultus Galenus, quam Celsus, qui 8. meth. cap. vlt. loquens de corporibus saluberrimis, nempè de ijs, qui sanitate fruuntur inculpata dicit, si vitam diuturnam ducere cupiant, extremas, & frequentes mutationes prorsus timere debent, quia temporis cursu corpora bene sana disponuntur ad ægritudines, & inde ad mortes.

Colligimus, extremas repletiones, & extremas euacuationes esse graues, & molestas, non solum in ægris, sed etiam in bene sanis: quia symmetriam tollunt.

Addimus, extremas repletiones maius malum efficere posse, quam extremas euacuationes: Id colligimus ex Galeno 2. de ratione vic. in ac. comm. 40. ubi habet hanc Diuinam sententiam „ Minus malum est euacuare illos, qui indigent repletione quam replere illos, qui indigent euacuatione: quia extrema repletio suffocat calorem, & omninò aufert uires inseruientes uitæ instrumentis: extrema uerò euacuatio resoluit spiritus, & humores, sed non tollit aptitudinem instrumentorum inseruientium spirituum generationi.

Ex quo præcepto colligimus, quantùm nostratum medicorum plurimi recedant à ueris medicinæ fundamentis: dum nimium replent ipsos ægros: dum scilicet in peracutis, quando solum cremor ptisanæ sufficeret concedunt oua, contusa caponis, stillaticiumque illud crassum, quod uix in chronicis morbis esset admittendum.

Decimatertia dubitatio occurrit circa Galeni comm. in quo habetur, uictum plenum esse oua, alicam, & pisces: uictum uero tenuem esse ptissanam. Hæc non respondent ijs quæ alibi dicta sunt ab ipso Galeno: quia 1. de ratione uic. comm. 27. in morbis acutis laudat pisces, ergo pisces pertinebunt ad uictum tenuem, & non crassum: quia in acutis tenuis dumtaxat conceditur: loco enim citato habet hæc uerba „ Si ptissana fastidierit, dandi sunt pisces saxatiles, ex aqua, porro, aceto, oleo, & sale cocti.

Præterea ex ipso Galeno lib. citato, ptissana non fit sine piscibus: quia ptissana fit ex iure albo, in quo pisces maritimi fuerint cocti: in hoc iure albo piscium dissoluebant antiqui ptissanam, quam dabant in febre acuta, & in pleuritide: parumque salis adijciebant, ut conseruarent appetitum (Valeant Nostrates, qui uictum omninò insipidum præbent) ergo si cum ptissana dantur pisces, uictus erit plenus: ergo malè Galenus in cōm. dum dicit, ptissanam esse uictum tenuem.

Respondemus, pisces saxatiles pertinere ad uictum tenuem, non saxatiles ad uictum plenum. Præterea ius album piscium, ex quo dissoluebant ptissanam, fuisse sine piscium substantia, solamque piscium

piscium qualitatem continebat, hoc fine ut alteraret,& refrigeraret febricitantes: pisces uerò reijciebant.

Decimaquarta dubitatio: in hoc comm. Galenus inquit, oua constituere uictum plenum, tamen Galenus 1. ad Glauc. cap. 10.& 10. meth.3. in tertiana exquisita dabat ouorum vitellos: sed sic est, quod in tertiana exquisita conuenit victus tenuis, & exquisitus: ergo oua pertinebunt ad victum tenuem, quod negat Galenus in hoc.comm.

Respōdemus, ouum tremulum in aqua coctum ad tenuem victum pertinere: ouumque tremulum conseruare temperamentum symmetrum, habereque vim refrigerandi; hac ratione esse cibum epichierasticum, quod dici non potest de ouo cocto in sartagine, vel indurato, quod certè ad victum tenuem nullo modo pertinere videtur: dicimus tamen non conuenire in peracutis, neque in acutis exactè, sed ad acutos non exactè esse accomodatum.

APHORISMVS QVINTVS.

N tenui victu ægri delinquūt, quo fit, vt magis lædātur: quicūque enim error committitur, maior in hoc fit, quam in paulo pleniori victu. Praeterea etiam sanis periculosus existit valde exquisitus victus, & constitutus: quoniam errores grauius ferunt: ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus, eo qui sit paulò pleniori magis periculosus.

Intentio Hippocratis in hoc aphorismo est difficillima: illa tamen præcognita facile sensum aphorismi intelligemus. Nos in medium proponemus aliorum sententias, illasque examinabimus, quę cum reuera de medio non tollant omnia dubia, nouam in medium proponemus, quæ (nisi me fallat) aperiet verum Hippocratis sensum, & omnia dubia de medio tollet.

Vulgaris expositio est, quod Hippocrates in hoc aphorismo admoneat semper esse inclinandum potius ad victum pleniorem, quam ad tenuiorem: quia Hippocrates dicit, ægros magis lædi à victu tenuiori, quam à paulo pleniori.

Hæc expositio est omninò aliena à mente Hippocratis, Galeni & veritate ipsa. Est aliena à mente Hippocratis, quia 2. de ratione vic.37. habet hæc verba „ In acutis semper studendum est ciborum detractioni, & non adiectioni, donec morbus maturescat. A Galeno est aliena, quia in eodem comm.37. habet hanc sententiam „ victus, qui plus est in acutis efficit noxas inemendabiles: qui verò minus est emendari potest, cibi pauxillum præbendo: quare non solum melius est inclinare ad paulo tenuiorem cibum: sed est omninò necessarium hoc efficere pro salute ægrotantis.

Quod verò errata, quæ fiunt in victu tenuiori longè facilius corrigantur, quam errata, quæ fiunt in victu pleniori, colligi potest ex illa historia à Galeno proposita 10.meth.cap.13. vbi refert, quēdam ægrotum ob nimiam inediam præscriptam à medicis Thesalicis ad tantam imbecillitatem deuenisse, vt vix oculos attolleret, qui deinde pauco cibo cum vino tenui diluto à Galeno exhibito sustulit oculos, & statim vires fuerunt restitutæ. Errata verò quæ fiunt in victu pleniori non illicò emendantur, sed longa inedia & euacuatione. Quare victus tenuis non videtur fallacior paulo pleniori.

Præterea Hippocrates & Galenus 2. de ratione vic.19. dicunt „ In acutis morbis illos minus lędi, qui accipiunt potum solum, quam qui ptissanā collatam: & multo magis illos lædi, qui integram ptissanam accipiunt.

Insuper cibus paulo plenior in acutis febribus non nutrit, quia non coquitur: calor enim febrilis impedit: deinde obseruandum est, quod admonet Galenus 11. meth. cap.15. quod videlicet cibus, qui non coquitur, excitat corruptellas, in qui-

bus (ait) aliquid etiam prioris cibi benè cocti euacuatur: vel nisi excitentur corruptelæ, cibus crudus non coctus in ventriculo, vel in hepate maximè auget febrem. Accedit, quod sicuti cibus semper distrahit naturam à certamine cum morbo, sic morbus, sit febris, vel alius quęuis distrahit naturam à cibi concoctione.

Demum inclinare ad victus plenitudinem est ingredi in pessimam mulierum opinionem, quæ semper dicunt, satius esse pugnandum cum imbecillitate, quam cum ipso morbo: ob quam opinionem quotidie pereũt innumeri; mulieres enim hac diabolica opinione percitæ interimũt suos parentes, suos viros, suos filios, & tandem luunt pœnas peccati interimendo semetipsas: atque in hoc sunt adeo peruicaces, & irrationales, vt à medicis persuaderi non possint.

Cæterum par est, vt videamus quid dicant alij de intẽtione & sensu ipsius aphorismi: quod quidem erit valde vtile, quia ex omnibus aliquem fructum colligemus: quamuis scopum, ni fallor, nõ tetigerunt.

Antonius Musa vocatus Bresauola ait, Hippocratem in aphorismo non facere comparationem inter vnum victum, & alium victum: sed inter errata, quæ fiunt in tenui victu, & in paulò pleniori: ita vt dicat Hippocrates, maiora esse illa errata, quæ fiũt in tenuiori, quã in paulò pleniori. Fallitur quidẽ: quia Hippocratis aphorismus est in postremis verbis, vbi dicit „ ob hoc igitur victus tenuis & exquisitus paulò pleniori est fallacior. Ecce quod Hippocrates comparationem facit inter vnum & alterum victũ, & non inter errata. Deinde adhuc persisteret contradictio in Hippocrate, qui constanter sustinet 2. de ratione vic. in ac. 37. studẽdum esse ciborum detractioni: ergo in paulò pleniori victu erunt maiora errata, quam in tenuiori.

Saluus Sclanus, & ante illum Fuchsius dicunt, Hippocratem in superiori aphorismo damnasse tres malas viuendi normas, quibus imperiti medici vtebantur. In hoc verò aphorismo dicunt, Hippocratem aliũ tangere errorem, in quem incidebant medici diætitarij, qui in principio morbi ægros inedia, seu ieiunio macerabant: atque solum quatuor, vel quinto die ægros cibare incipiebant, semper magis in diebus sequentibus augendo ipsum victum.

De his medicis Aristoteles. 3. Polit. c. 11. mentionem faciens dicit, quod in Ægypto medici aliquo supplicio afficiebantur, si ante tertiũ diem ægros cibarent, vel alijs auxilijs vterentur. Contra istos disputat Hippocrates 2. de ratione vic. tex. 15. & Galenus 1. ad Glauc. cap. 8.

Sed, quod contra istos in hoc aphorismo loquatur, neque somniauit Hippocrates; quia in hoc loco non intelligit de victu tenui exhibendo in principio, vel augmento, vel statu morbi: quia de his aget in sequentibus aphorismis, vt ostẽdemus.

Deinde non tollũt apparentem cõtradictionem, dũ hic dicit Hippocrates, victum tenuem esse fallaciorem, & 2. de ratione vic. in ac. 37. semper studendum esse ciborum detractioni.

Triuerius videns in Hippocrate hanc cõtradictionem, quod scilicet dicat in hoc loco, victum tenuiorem in acutis esse magis fallacem, & 2. de ratione vic. studendũ esse detractioni: Respondet victum tenuiorem esse magis fallacem pleniori intelligi debere, vel in chronicis, vel in acutis.

Posita hac distinctione vult Triuerius, Hippocratem 2. de ratione vic. citato intellexisse de acutis: in hoc verò aphorismo de chronicis. Sed valde fallitur, quia in hoc aphorismo loquitur de illis morbis, quibus conuenit victus tenuis: sed sic est quod victus tenuis conuenit acutis, & non chronicis; ergo de acutis intelligit.

Thadęus Florentinus, & Capiuaceus pro solutione dicũt, victum tenuiorem, & pleniorem bifariam considerari posse, vel respectu totius morbi, vel respectu status morbi: respectu totius morbi dicunt, tenuiorem esse fallaciorem: Hippocratem verò in hoc aphorismo intellexisse esse fallaciorem respectu totius morbi: respectu verò status seu vigoris victum pleniorem esse periculosiorem; & hoc modo dicunt Hippocratem intellexisse 2. de ratione vic. 37. quod. s. in acutis semper studendum sit detractioni, habita relatione ad statum morbi. Hæc Responsio nullo modo potest defendi, quia dum loquimur de victu,

debemus semper intelligere de victu respectu status, seu vigoris morbi: quia vigor, vel status morbi (quod in idē recidit) est norma diætādi: quare proposita distinctio doctrinæ Hippocratis nō respondet. Præterea vultis videre, victū omnium acutorū desumi à vigore: nō ne morbi, qui terminātur in secūdo quaternione tractātur ab Hippocrate sola mulsa? respectu cuius? respectu vigoris, qui proximus est. Idē dicēdum est de omnibus alijs morbis.

Nos autem dicimus in præbendo cibo in omni morbo duo esse cōsideranda. Primum, an cibus conueniat ratione morbi: deinde an conueniat ratione virium: quæ consideratio nisi fiat à medico, actum est de norma cibandi. Quo posito dicimus Hippocratem in superiori aphorismo ostendisse, in quibus non conueniat victus tenuis & exquisitus ratione morbi, dum dixit neque in morbis longis, neque in omnibus acutis conuenire, idest non conuenire in perperacutis, peracutis, & acutis non exactè: conuenire tamen in acutis exactè, qui terminantur 14. die.

In hoc verò aphorismo, Hippocratem ostendere eundem victum tenuem exquisitè non conuenire ratione viriū debilium morbis acutis exactè: quia in victu tenuiori ægrotantes debiliores magis peccant, quam in paulo pleniori.

Hoc præceptum Hippocratis nō solum est verum de tenui, & exquisito victu, sed ampliari potest ad omnes morbos: hoc modo: si ægrotātes debiles in perperacutis ieiunio quatuor dierum cursu, tractarentur, & in peracutis per integrā hebdomadam sola mulsa, peccatum esset grauius, in victu tenuiori, quam in paulo pleniori, ac sæpè ob huiusmodi erratum ægri interirent. Hinc Galenus 8. meth. vlt. asserit, si vires sint debiles, magis esse attendendum viribus, quam morbis: quia tunc magis possunt vires ad indicādum cibum, quam morbi ad illum prohibendum.

Sed vultis videre quod Hippocrates in hoc aphorismo cōsideret victum respectu virium debilium, & non respectu morbi, patebit ex Galeni comm. in quo dicit, ista errata esse maiora in tenui victu, quia ægri cum hoc victu ob debilitatem non peruenirēt ad statum, quod non accideret in ægris robustis: deinde patebit ex cōm. superiori, quod Hippocrates intelligat de debilibus: quia ipse Galen. habet hæc verba „ Si vires sint debiles in peracutis loco mulsæ dandus est cremor prissanæ, ne in tenui victu peccent ægroti. Postremò patet hanc esse veram intentionem Hippocratis in hoc aphorismo: quia tollit omnia dubia: quoniam dum dixit Hippocrates 2. acutorum 37. semper studēdum esse detractioni ciborum, considerauit morbos: dum verò dixit in hoc aphorismo in tenui victu magis peccare ægros, quam in paulo pleniori, considerauit vires debiles.

Manardus lib. 4. epist. 2. tractat fusè hanc rem, & plurimos reprehendit: concludit (& rectè) esse intelligendum Hippocratem hoc modo: si ex æquali errore peccent in tenui, & paulo pleniori, quod magis errent in tenui: quare supposito, quod sint debiles, dum committuntur errata in tenui non potest reprehendi, quia maius peccatum est in paulo tenuiori ratione virium debilium, & non ratione morbi, vt diximus.

Diuiditur aphorismus in tres partes, in prima ponit rationem aphorismi, cur victus tenuis, & exquisitus sit magis fallax, quam paulo plenior, & est, quia in tenuiori victu magis læduntur supplè debiles, quam in paulo pleniori.

In secūda parte cōfirmat argumēto à minori, quod tale est, si victus tenuis, & exquisitus lædit sanos, videlicet debiles, multo magis lædet ægros debiles: error enim in sanis. (vt dicit Oribasius) est via ad morbum: in ægris verò est via ad mortem. Parimodo Hippocrates lib. de veteri medicina exemplo nauigantium declarat errata commissa in morbis magnis esse longè grauiora, quam in morbis leuioribus: ait, sicuti error nauigantium in maris tranquillitate non valde lædit, & in magna procella paruus error nauem perdit: eadem ratione error in morbis leuioribus non valde lædit: in acutis verò, & magnis passionibus error leuis potest interimere.

In tertia parte ponit aphorismum, qui est, quod tenuis, & exquisitus victus sit fallacior, quam sit paulo plenior, supplè in debili-

bilibus: quia in hoc aphorismo respicit vires ægrotantis,& non morbum.

Quo ad verba primæ partis dicit *in tenui victu* per tenuem intelligit tenuem victum ratione qualitatis,& quantitatis: tenuissimus enim, vtpote mulsa in maxima quantitate,posset etiam strangulare. Quo pacto verò cognoscatur quænam quantitas conueniat, id solum coniectura assequi potest: ex Galeno enim lib. de ratione curādi per sang.mis.12. remedij quantitas efficit artem coniecturalem. sed satis fusè ostēdimus superius,non solum remedij quantitatem, sed morbi,& virtutis quantitatem, idiosyncrisiam, & conditiones indiuiduantes efficere artem coniecturalem.

Quidam per tenuem victum intelligunt tenuem in genere,& rectè quidem. Eugenius reijciebat hāc opinionem hoc argumēto.Id in præmissis debet intelligi,quod infertur in conclusione: sed in conclusione infert Hippocrates de tenui exquisito victu, quod sit fallacior,quam paulo plenior in debilibus:ergo in prima parte,vbi proponit præmissas,intelligit de tenui exquisito. Errat Eugenius: immo ostendit se esse logicæ oblitum;quia argumentum à genere ad speciem affirmatiuum videlicet est efficacissimū: & est tale in aphorismo. Si in victu tenui in genere peccant ægroti,ergo tanto magis peccabunt in victu tenui exquisito: quare per tenuem in prima parte intelligit tenuem in genere: deinde concludit de tenui in specie, secus argumentum nullam haberet efficaciam.

Per paulo pleniorem intelligit victum tenuem,sed dicit pleniorem,facta comparatione inter victus tenues: sic dicimus, succum hordei esse pleniorem victum, quam sit mulsa, & mulsam pleniorem, quam sit victus exactè tenuissimus:qui ieiunio perficitur: Quare Hippocrates in aphorismo de tenui victu,& non de pleno locutus est.

Galenus in comm. tradit duas causas, cur errata,quæ fiunt in ægris in victu tenuiori sint grauiora, quam in paulo pleniori: Prima,quia natura ægrorum ob victum tenuiorem fit debilior; deinde æger non potest peruenire ad statum. Secunda causa est, quia dum ægri vtuntur victu tenuiori faciunt mutationem ad insolita, quæ mutatio debilibus est maximè molesta: Hinc Philotheus inquit,ægros offendi ex cibi nouitate: sed addimus tantò magis offendi, quantò magis ægri debiles sunt. Hippocrates lib.de veteri medicina inquit, si quis consuetam cœnam omittat, os valde amarum fieri,iracundiam,vel tristitiam excitari: quare ægri qui omittunt horas consuetas cibandi,cibisque vtuntur insolitis,insulsis,& tenuissimis in nauseam incidunt, & valde læduntur. Hippocrates 2.sec.aphorismorum 50.ita damnat insolita, vt dicat,consueta deteriora esse minus molesta insuetis melioribus: ideo Galenus 8.meth.9.ait,naturam gaudere cōsuetis: tertio verò de simp.med.cap.18. refert, quandam vetulam solitā cicuta vesci, ex ipsa tandem nō noxam,sed beneficium collegisse. Cur verò natura gaudeat assuetis,& qua de causa vetula ex longo cicutæ vsu colligeret beneficium,nos ampla rationum serie ostendimus lib.4. meth. nostræ vitandorum errorum.

QVÆST. 22. *De Ieiunij detrimentis.*

Hippocrates 2.de ratione vic.44. proponit ieiunij damna, aitque biliosorum ventrem ob ieiunium repleri cruditatibus ex quibus eleuantur vapores ad caput & inde tempora pulsare. Parimodo tex.30. 2. acutorum ait,ob inediam bilem reddi amariorem: Galenus verò 2. aphorismorum comm.22. inquit inediam intempestiuam in biliosis febrem excitare.

Postremò biliosi facilè ob inediam incidunt in febrem hecticam, vt animaduertit Galenus 8.meth. vbi agit de pichrocolis,quare medici, qui in acutis morbis debent studere detractioni ciborum, debent quoque distinguere corpora apta ad ieiunium ab illis corporibus,quæ sunt ieiunio omninò inepta. Præterea Galenus lib. aduersus Erasistratum cap.9. ait ex ieiunio epilepsiam oriri posse, vt contingit Diodoro Grammatico: subdit in eodem capite, ieiunium caput replere, & tensionem vehementem circa brachia efficer

ideo quænam sint corpora apta, & quæ inepta ieiunio est dignoscendum. Idque facilè non solum ex dictis colligetur, sed etiam ex ipsa practica, nempè ex iuuantibus & lædentibus, itaut valeat hæc: victus tenuissimus debiles ægrotantes lædit: ergo vtendum pleniori: quamuis etiam victus paulò plenior in acutis noceat: quia inter duo mala semper minus est eligendũ: in robustis perperacuto morbo correptis ieiunium magis iuuat, quam nocet: ideo illo vtendum: in debilibus verò & in pichrocolis longè magis nocet, quàm iuuet: ideo pleniori vtendum: itaut ieiunium interdum maximè iuuet, interdum maximè noceat.

Neque est contra hos, illud quod refert Aristoteles 3. Polit. cap. 11. de AEgyptijs, qui medicos aliquo supplicio afficiebant, si ante tertium diem ægros cibarent, vel alio auxilio vterentur: quia AEgiptij erant pituita referti, solitique erant vti cibis multi nutrimenti, talesque ieiunio facilè sanantur, licet vires sint debiles: quia Hippocrates & Galenus 2. de ratione vic. 48. habent hanc sententiam „ Qui sunt debiles ob inanitionem vasorum egent alimento; qui verò sunt debiles ob morbos prægressos, & morbi vehemẽtiam non egent alimento, sed potius euacuatione. AEgiptij in morbis peracutis non poterant esse debiles ob inanitionem vasorum, quia erãt refertissimi pituita: ideo in perperacutis summo cum beneficio ab omni cibo, & potu abstinebant.

Prima dubitatio: contra hanc sentẽtiam Hippocratis est dubitãdum: quia Hippocrates 2. de ratione vic. tex. 40. inquit „ esse minus malum euacuare illos, qui indigent repletione, quam replere illos qui indigent euacuatione. In hoc aphorismo verò totum oppositum dicit: in quo habet, quod maior error fiat, dum ægri in victu tenui delinquunt, quam dum peccant in victu paulò pleniori: ergo vel malè in aphorismo, vel loco superius citato.

Prima responsio est, quod loquatur Hippocrates in hoc aphorismo de debilibus, in quibus vtendum est victu paulò pleniori: in robustis verò paulò tenuiori, si morbo peracuto vexẽtur. Hinc Galenus 2. de ratione vic. 44. proponit duos ægros „ debilem videlicet cum magno morbo, quem nutrire conuenit, & robustum cum eodem morbo, quem (ait), si nõ nutries rectè ages: si verò contrarium in vtroque egeris, videlicet non nutries debilem cum magno morbo, & nutries robustum, eodem modo vterque peribit.

Deinde respondemus, Hippocratem 2. de ratione vic. cõsiderasse morbos, sed non vires: ratione morbi vult victum debere esse tenuiorem, & studendum semper esse ciborum detractioni: negat tamen ratione virium, quia dũ languent, vult victum debere esse paulò pleniorem.

Demum possumus respondere cum Cardano, & alijs, Hippocratem 2. de ratione vic. considerasse quantitatem cibi exhibendam in vigore: in hoc verò aphorismo qualitatem: quando enim laudat victum paulò pleniorem, in hoc aphorismo non intelligit quãtitatem, sed qualitatem: sic cremor ptissanæ est cibus plenior, quam mulsæ quantitas decuplo maior. Quod verò Hippocrates 2. de ratione vic. consideret quantitatem cibi habita relatione ad vigorem, siue ad statum morbi, patet ex tex. 15. secundi acut. citati, vbi leguntur hęc verba „ si quinta die sit futurus morbi status & æger solo potu sit vsus, sufficere nõ potest: melius est (ait Hippocrates) si protinus ab initio des ptissanam, & neque tertia, neque quarta die dare incipias, nisi morbus sit iudicatus. Ex his verbis colligimus quod æger quantò magis accedit ad statum, tantò cibus debeat esse tenuior: itaut status morbi sit vera cibandi norma.

Vt igitur perfectè cognoscamus, quænam cibi tenuitas in acutis conueniat, duo sunt præscienda, alterum, quando status futurus sit, quod præcognoscas in morbi initio oportet: quo pacto verò præcognoscatur, ostendimus in explicatione superioris aphorismi: alterum quanta sit ægrotantis virtus, quam sola coniectura assequi possumus.

Nos tamen diu insudauimus, vt virtutis vitalis quantitatem certa cognitione assequi possimus: inuenimusque tria instrumenta, quorum icones proposuimus in coma-

commentarijs nostris supra Auicennam.

Primum est pulsilogium nostrum, quo distinguimus pulsum humilem à pulsu inualido, hoc modo, si pulsus, qui antea fuit vehemens & frequens remittat vehementiam & frequentiam, dicitur humilis: invalidus verò vt plurimum caret hac conditione, quod. s. fiat quietior: hæc maior vel minor frequentia si perexigua sit, à medicis sine pulsilogio dignosci nõ potest.

Secundum est instrumentum vitreum, quo quisque manu propria dimetiri poterit singulos caloris gradus: dum enim magnum caloris augmentum paucorum dierum spatio fit, virtutis constantia significatur.

Tertium per staticam perpendi potest perspiratio insensibilis, quãta singulis horis fiat: vnde virtutis firmitas & constantia significatur: inde præcognoscitur vsque ad quod tempus possit illa virtus perducere ægrotantes: quo præcognito scimus præscribere victum, an scilicet solo ieiunio vel sola mulsa, vel ptissanæ cremore sit incedendum.

Præterea etiam sanis periculosus existit. In hac secũda parte Hippocrates proponit argumẽtum tale: si victus valde tenuis nocet sanis: ergo multò magis nocebit ægris, argumentum non videtur cõcludere: quia ex ipso Hippocrate 4. aphorismorum veratrum nigrum, si sanis exhibitum efficit colliquationes, & maximè nocet: ergo & ægris: non valet, quia in quibusdam ægris veratrum est prẹstantissimum medicamentum.

Respondemus, quod quando fit comparatio inter duo, illa duo debent conuenire tertio: sed sic est, quod victus tenuis potest nocere sanis & ægris: veratrum uerò sanis semper nocet, & nunquam iuuat: quare comparatio non tenet, & argumentum ut uanum relinquitur.

In tex. dicit καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες διαιταὶ. i. statæ, seu constitutæ exquisitæ diætæ sanis sunt σφαλεραὶ. i. fallaces: cathestichia significat diætam statam & continuam, & meritò, quia nisi esset stata, sed solum unius diẹi, in sanis non esset fallax: immo maximè iuuare posset. Ex his colligimus quantum errauerint, qui dixerunt dictionem cathestichiam non esse necessariam, sed ab aliquo fuisse additam.

Secundum obseruandum est quorundam erratum, qui dum Hippocrates dicit sanos grauius ferre errata in victu tenui putant textum esse mendosum, & legunt, quia errata grauiora ferunt, & non grauius ferunt. Primò errant, quia non sunt mutanda verba Auctoris. Deinde argumentum Hippocratis esset cõtrarium: quia si sani possent ferre grauiora errata in victu tenui, ergo & ægri ferre poterunt grauiora errata in victu tenuiori, quàm in paulò pleniori.

Postremò quod sani grauius ferant errata in victu tenuiori patet, quia Galenus cap. 86. artis med. asserit „ Qui vtuntur coitu minus peccant, dum sunt cibo pleni, quam omninò vacui. Similiter omnes animi passiones minus nocẽt plenis, quam vacuis: quare falsum est, quod ægri in victu tenui ferant grauiora errata.

Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus.

In hac tertia particula cõtinetur aphorismus, qui infertur ẹx prima & secunda parte, vbi dicit, victũ magis tenuem lẹdere ægros, quia nocet sanis. Confirmatur ex Hippocrate 2. de ratione vic. in ac. 20. vbi habetur: quæ lædunt sanos magis lædere ægros: verum est hoc Hippocratis assumptũ, hoc supposito, quod diẹta lẹdat sanos, & ægros: ideo valet argumẽtum, diæta exquisita lædit sanos, ergo multò magis ægros, qui sunt imbecilles: quamuis multa sint, quæ sanos lædant, & non ægros, veluti medicamenta purgantia, quæ maximè lædunt sanos: attamen maximè iuuant ægros, vt paulò infra declarabitur. Cæterum, qui nõ animaduertũt Hippocratem dicentem tenuem & exquisitum victum esse periculosiorem intelligere de ægris debilibus, & non de robustis, de quibus reuera totũ oppositum est dicendum, in robustis videlicet victũ pleniorem esse periculosiorem paulò tenuiori, nec aphorismum, nec practicam medicinæ percipient.

Dum se offerunt curandi morbo acuto laborãtes, statim medicus debet prouidere, vt quàm citissimè fiat praueiũ humoru

rum concoctio: quia in acutis vnica salus consistit in celeritate coctionis, quæ à nulla re magis impeditur, quã ab ipso cibo: ideo in acutis causa mortis est, quia cibus non nutrit: nõ nutrit, quia nõ cõcoquitur: non cõcoquitur, quia febris impedit: vnde duo mala protinus oriuntur: primũ per cibum vires nõ restaurãtur: secundum per cibum natura maximè diuertitur à morbi concoctione. In morbis verò longis ratio est diuersa: quia in lõgis impendet periculum de virium casu: quia status, qui est norma diætãdi, maximè distat à principio. In acutis non vires debiles angunt nos, sed morbi magnitudo: hac ratione, in acutis minus, in chronicis plus cibis indulgendum: Galenus reddit rationem, cur minus cibi in acutis, dicens quod in acutis promptius sit addere, quam demere: addere enim illico possumus nutrimentum: demere verò excrementa solum temporis spacio valemus: intra quod æger potest mortem obire: quod de chronicis dici non potest: quia spacio multorum dierum tuto demere possumus excrementa.

Dixit in fine aphorismi Hippocrates *magna ex parte*. hoc artificio, quod fortasse alij non animaduertunt (licet multa dicant circa hanc dictionem magna ex parte) quia aliquando debiles, de quibus hic considerauit Hippocrates, inueniũtur, qui in morbo acutissimo nempe duorum dierum: sicuti sunt quædam anginæ perniciosæ, possunt suffere ieiunium: in quibus non est verum, quod victus tenuis sit paulo pleniori fallacior: ideo dicit magna ex parte in debilibus victum tenuem & exquisitum esse periculosiorem paulo tenuiori.

Postremo notãdum est, hoc præceptum ampliari posse ad victũ tenuissimũ, quod scilicet in debilibus victus tenuissimus sit periculosior, seu fallacior victu pleniori, quamuis Hippocrates in aphorismo solum intelligat de victu tenui & exquisito.

Tertia dubitatio occurrit dum Hippocrates dixit, peccatum grauius esse in victu tenui, quã in paulo pleniori: cõtra hoc tale est argumẽtum: ille victus in morbis acutis est periculosior, qui est magis contrarius, & magis nocet; sed victus plenior est magis contrarius: ergo victus plenior periculosior: minor probatur ex Hippocrate 2. de ratione vic. 37. vbi habetur in acutis potius esse studendum ciborum detractioni, quam adiectioni.

Respondemus, Hippocratem in hoc aphorismo considerasse vires debiles: secundo verò de ratione vic. considerasse morbum, supponendo, vires esse robustas. Deinde respõdetur, Hippocratem in hoc aphorismo cõsiderasse diætam statam idest perseuerantem, quæ diætæ ab Hippocrate in aphorismo dicuntur catestichiæ, quæ fiunt à principio morbi vsque ad finem status, quæ non conueniunt, nisi in peracutis.

Quarta dubitatio: Hippocrates aphorismo 7. inquit, in peracutis extremè tenuissimo victu vtendum: per victum extremè tenissimum intelligit ieiunium: ergo si ieiunium non est periculosum in peracutis, tantò minus erit periculosus victus tenuis, & exquisitus, de quo in hoc aphorismo.

Respondemus: in hoc aphorismo similiter cõsiderasse morbos acutos cũ virtute debili: in septimo verò aphorismo cõsiderasse peracutos cum virtute robusta. Hac vnica responsione tolli possunt aliæ quam plurimæ instãtiæ contra hunc aphorismũ.

Quinta dubitatio: ille victus, qui minus grauat vires, minus lædit: sed victus tenuior minus grauat vires: ergo minus lædet, quam plenior.

Respõdemus eadem distinctione, nempè Hippocratem cõsiderasse in hoc aphorismo vires debiles, quę requirunt victum paulo pleniorem. Quando verò laudat Hippocrates magis ieiuniũ, idest victum extremè tenuem, dicimus tunc respicere morbum, & non vires. De ratione enim morbi est cibum prohibere, vt superius ex Hippocrate & Galeno ostendimus.

Sexta dubitatio: peccatum positiuum magis nocet, quam priuatiuum: sed peccatum ob victum pleniorem est positiuum, & ob victum tenuiorem est priuatiuum, ergo in victu paulo pleniori erit maius peccatum.

Respondemus, argumentum procedere respectu morbi: sed non respectu virium: quia

quia sicuti per cibum morbus augetur, sic per cibum augentur vires, quæ morbum depellunt.

Septima dubitatio: ille victus, qui magis auget morbum, est periculosior: sed victus plenus magis auget morbũ, quam victus tenuis, ergo plenior est periculosior.

Respondemus, argumentum esse verum ratione morbi: sed Hippocratem in hoc aphorismo dixisse esse maius peccatum in paulo tenuiori respiciendo ad vires: quia sicuti inedia est viribus inimica, sic cibus est inimicus morbo.

Octaua dubitatio, in qua probatur maius malum esse in victu pleniori: illud malum, quod citius interimit, maius est: sed victus plenior citius interimit: ergo maius peccatum erit in pleniori, quam in tenuiori. Maior est clara: quia victus plenior in acutis vnica hora potest suffocare: cibus verò tenuissimus nõ resoluet vires, nisi post multum spatiũ. Præterea eadem responsione tollitur argumentũ quo tolluntur argumenta superiora, dicendo ꝙ Hippocrates cõsiderauerit morbum acutum cũ virtute valde debili, quam in omnibus morbis medicus inspicere debet.

Nona dubitatio, qua probamus, non esse maius peccatum in victu tenuiori, quam pleniori: sed peccatum esse æquale. Extrema mala quæ possent euenire in victu tenuiori & pleniori sunt æqualia, ergo non erit maius malum in tenuiori, quam in pleniori; patet antecedens: quia in victu tenuiori potest sequi mors cum resolutione: in pleniori verò per suffocationem.

Respondemus aphorismum non esse de extremis malis, sed de morbis acutis, vbi est suspicio de viriũ casu: qua occasione maius malum est inclinare in tenuiorem victum, quam in pleniorem: quia medicus in quolibet ægrotante magis debet considerare vires, quam morbum: ideo dum medicus suspicatur, quod vires non possint ægrũ perducere ad finem vigoris, vt tutius progrediatur, cibo paulo pleniori vti debet.

Decima dubitatio: argumentum Hippocratis est, quod victus tenuis noceat sanis: ergo multò magis ægris, non videtur concludere: quia ex Hippocrate & Galeno 4. aphorismorum habetur, elleborum in sanis exhibitum efficere colliquationes, & maximè nocere, ergo & in ægris: non valet consequentia: quia elleborus aliquando in ægris quam maximè iuuat.

Respondemus non valere consequentiam, quia non est par ratio de elleboro, & victu tenui: quia dum fit comparatio inter duo debent illa conuenire in tertio: tertium esset quod elleborus posset iuuare sanos, & ægros, quod non admittitur: quia sanis, & elleborus, & omnia medicamenta nocent: victus verò tenuis nocere potest sanis & ægris importunè exhibitus, & iuuare potest si opportunè exhibeatur.

Vndecima dubitatio: Hippocrates inquit in aphorismo, quod victus ratio valde tenuis, & stata hominibus sanis sit parum tuta. Hæc sententia aduersatur Celso lib. 1. cap. 1. vbi proponit sententiam his temporibus ab omnibus receptam, quæ est, quod sanus homo, qui & benè valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet: ergo homo sanus tutò poterit vti quacumque victus ratione, sit plena, sit stata, vel tenuis, dummodo illi placeat: ergo vel fallitur Hippocrates, vel Celsi sententia communiter recepta non est probanda.

Respondemus duplicem esse modum cibandi sanos: alterum consistere in diminuendis viribus pauco cibo, hoc fine, vt natura distracta à cibo lapsum aliquem corporis non perfectè sani posset vincere, & superare: alterum modum cibandi consistere in conseruando, & augendo ipsas vires. Celsi sententia non est de primo modo, quia loquitur de omninò sanis. Hippocratis verò aphorismus est de primo modo, nempè de modo, quo natura non distracta à cibo morbum facilius vincere possit.

Duodecima dubitatio non videtur ꝙ magis peccent in paulò pleniori; quia si natura cibum cõcoqueret, vires augerentur, quibus adauctis æger citius sanaretur.

Respondemus quod sicuti cibus diuertit naturam pugnantem cum febre, sic febris diuer-

diuertit à cibi concoctione: ideo cibus debet esse tenuissimus, ne diuertat naturam à certamine cum morbo: quia huius coctionis celeritas in acutis est vera salus: quoniam ob humorum prauorum tardiorem concoctionem æger moritur. Hinc Galenus primo de ratione vic. in ac. 44. proponit duos ægros, videlicet debilem, & robustum cum morbo magno: deinde dicit, si nō nutries robustum, debilem verò nutries rectè facies, si verò contrarium in vtroque egeris, vterque peribit, & robustus si ipsum nutries, & debilis si sine cibo relinques.

Decimatertia dubitatio: non videtur quod peccēt ægroti in victu paulò pleniori ob rationes allatas ab Alexādro Aphor. 2. sec. probl. 67. vbi ait, vinum cum pane à proprietate iuuare febricitātes: quia membra recreantur, & firmiora redduntur ad concoquendam materiam morbi: sed sic est, quod vinum cum pane pertinet ad victum plenum: ergo cum victu pleniori ægri non peccabunt.

Respōdemus, Alexandrum loqui de febricitantibus debilibus: atque intelligere de vino tenuissimo, & in pauca quantitate, vt reficiantur vires debiles ne cadāt.

APHORISMVS SEXTVS.

EXTREMIS *morbis, extrema exquisitè remedia optima sunt.*

Egit in duobus superioribus aphorismis de victu tenui exquisitè, qui est medius inter tenuem, & extremè tenuissimum. Concludit in superiori aphorismo, hunc victum tenuem exquisitum esse fallaciorem, quàm sit victus paulò plenior: quiquidem aphorismus est verissimus & falsissimus: verissimus in debilibus, quia in debilibus semper debemus inclinare in victum paulò pleniorem: falsissimus in robustis: quia secundo de ratione vic. in ac. 37. loquens de robustis dixit, in acutis semper esse studendum ciborum detractioni.

In hoc verò, & sequenti aphorismo agit de victu tenuissimo, qui conuenit morbis extremis, qui sunt perperacuti, qui terminantur in primo quaternione, & peracuti, qui terminantur in secundo quaternione, qui parimodo vocantur morbi extremi: ἐς δὲ τὰ ἔσχατα. Particula δὲ est coniunctiua, non inuenitur tamen in cod. Galeni: sed ferè in omnibus alijs.

Continuatur aphorismus hoc modo. Postquam egit superius de victu tenui exquisitè: modo se conuertit ad victum tenuissimum, qui est uel ieiunium, uel mulsa: ieiunium dicitur uictus extremè tenuissimus: mulsa uerò dicitur tenuissimus non extremè.

Hic aphorismus propositus est ab Hippocrate propter uictum morborum peracutorum: tamen potest applicari morbis longis, remedijs magnis, chirurgicis, pharmaceuticis, & rebus politicis. Applicatur morbis longis, quia ipse Galenus 5. meth. cap. 15. illum applicat sputo sanguineo, quod fit ex erosione, qui affectus est diuturnus. Ibi enim reijciens Erasistratum, qui putabat in omni morbo curam à leuioribus incipiendā, inquit „ Vbi impendet vitæ periculum, sicuti in sputo sanguineo ex erosione, est à ratione alienum à leuioribus remedijs exordiri: quia extremis morbis extrema remedia conueniūt: ibi. n. proponit Galenus tria remedia extrema in sputo sanguineo conuenire: quorum primum sunt purgantia medicamenta. Secundum medicamen quod dicitur dispermaton, quod præcipuè fit ex sem. papaueris: Nos verò & obiter huius loco vtimur pillulis de cynoglossa scrupulum vnum, alternis diebus post cœnam. Tertium sunt cerata ex thapsia, quæ bregmati applicātur: Nos verò huius loco vtimur sinapismo ex duabus partibus caricarum pinguium, & ex vna parte sem. sinapis cum aceto acerrimo, quo excitantur in pericraneo & rubor, & pruritus.

Applicatur aphorismus extremis remedijs chirurgicis, & pharmaceuticis: inter quæ numerantur à Galeno 2. ahorism. 29. phlebotomia & purgatio. Sed præcipuè per extrema remedia pertinentia ad extremos morbos intelligit hæc tria, nempè san-

sanguinis euacuationem vsque ad animi deliquium. Secundum, potum frigidæ. Tertium ieiunium.

Potest quoque applicari aphorismus rebus Politicis, sicuti applicatur à Cicerone primo de officijs, vbi citat hunc Hippocratis aphorismum, his verbis „ sicuti medici extremis morbis extrema instituunt remedia: ita & nos in maximis rebus maxima adire pericula non debemus timere.

Præterea notandum, hunc aphorismum tribus principijs esse suffultum. Primum quod contraria contrarijs curentur. Secundum quod cõtraria inter se sint extrema. Tertium quod illud, quod vni extremo aduersetur, sit vnum & nõ plura: quia extremis morbis remedia extrema, & non media exquisitè aduersantur.

Quo ad primum, quod contraria contrarijs tollantur est in arte medica tamquam axioma. Quod aliquo modo confirmatur ab Hippocrate lib. de flatibus. c. 6. dum tradit medicinæ definitionem, quod scilicet sit additio, & ablatio, vbi ait „ sicuti cibus tollit famem, & potus sitim: sic euacuatio tollit repletionem, quæ omninò inter se sunt contraria.

QVÆST. XXIII.

Quomodo contraria vt morbi, & remedia sint duo extrema.

QVod verò contraria sint inter se extrema, & morbi, & remedia sint duo extrema, omnes intelligũt: sed quomodo sint extrema, non omnes percipiunt.

Aristoteles 10. metaph. tex. 13. dicit cõtrarietatem esse maximã differentiam eorum, quæ sunt sub eodem genere: neque Aristoteles distinctè per hãc definitionem declarat cõtrarietatem: quia per cõtrarietatem potest intelligere oppositionem priuatiuam, sicuti intellexit 1. Physic. dum dixit: in omni genere vno dari vnam primam contrarietatem, sumendo videlicet cõtrarietatem pro oppositione priuatiua.

Themistius 1. Physi. circa tex. 47. distinctius definit contraria, quod scilicet contraria sint illa, quæ extremos margines obtinent.

Diuus Thomas in meteorologicis adhuc clarius dicit, contraria esse duas formas in eodem genere distantissimas: ideo contrarium, quod sanat, debet esse extremum respectu morbi, & non medium.

Demum Galenus in arte med. cap. 89. magis ad propositum nostrum de his loquens ait, remedia morbis debere esse quidem extrema, sed æqualia in gradu (per hanc definitionem ostenditur differentia inter Empiricos Alchimistas, & dogmaticos) itaut si affectus præter naturam sit calidus in tertio gradu, remedium debeat esse frigidum in tertio gradu: quia medici officiũ nõ est vincere, sed moderari, & attemperare, ꝙ Alchymistæ non intelligunt: quia volunt vincere remedio potẽtiori, & non æquali. Quod verò ex Galeno remedium debeat esse æquale: ibidem subdit „ si affectus sit in parte corporis profunda, tãtò frigidius eligendum est remedium, quantum, postquam peruenerit ad locum affectum, sit æquale in gradu.

Hinc Galenus lib. de const. artis medicæ cap. 12. inquit, si recessus à statu naturali sit maximus, maximus quoque debeat esse retrocessus, qui fiat per eandem viam, sed progrediendo modo opposito versus mediocre, & nequaquam versus extremũ: quia si progrederemur versus extremum introduceremus cõtrariam ægritudinem. Hinc actio, quæ fit à bonis remedijs, non fit à maiori, sed ab æquali opposito: quia sic reducit ægrum ad symmetriam, siue ad sanitatem: quia sanitas nihil aliud est, quam symmetria: si affectus est calidus in secundo gradu, remedium debet esse frigidum in secundo gradu, sed non vt reducat ad secundum gradum frigiditatis: sed vt ex secundo gradu caliditatis, & secundo frigiditatis fiat symmetria, & ęqualitas: ideo valde errant Chymici: dum putant malas temperaturas frigidas auferri posse spiritibus calidissimis, qui vincũt morbum, & naturam, intemperies contrarias introducentes.

Quod verò remedium debeat esse ęquale, patet quoque ex tertio de simp. medicina cap. 12. vbi habet Galenus hanc sententiam „ si remedium est plus, protinus nocet: si minus non sanat, nisi longo temporis cursu. Quare colligimus in facien-

da medicina hæc duo esse obseruanda, primum, vt remedium côueniat ratione morbi: quod certè conueniet, si fuerit contrarium æquale progrediens ad medium. & non ad extremum: secundum vt conueniat ratione virium totius, & partium.

Hinc valde errant illi empirici, qui vtramque conditionem transcurrunt. At, vt aliqua exemplorũ luce hoc innotescat, libeat aliquod illorũ erratum proponere. Dum volunt sanare pedes gelidos eorum, qui penniues iter fecerunt, ijs quæ actu calefaciunt, errant: quia illud pedum frigus volunt vincere: quibus calefactis deinceps (proh dolor) pedes facessunt in gangrænam: cur hoc? quia per actu calida resoluunt calidum natiuum pedum, nec vident remedium per experiẽtiam cognitũ, quod est, pedes immergere in aquam è profundo putei recenter haustam: quæ hæc duo afferũt beneficia: primum reducit ad mediocre pedem congelatũ: deinde côseruat vires partis, quibus peractis, si bidui spatio vino nigro pedes abluãtur, liberantur.

Parimodo quidam pro febre ardente importunè præbent frigidam, videlicet in debilibus: nec vident, frigidam calorem naturalem vincere, & debiles interimere, quod non accidit in robustis: quia vt frigida, nisi aliquid aliud impediat, illos maximè iuuat. Similiter dum Chymici vtuntur oleo, vel spiritu vitrioli vincunt calorem, & introducũt frigiditatem immoderatam. Quod verò hic spiritus sit valde frigidus experientia patet, proijcendo ipsum super carbonem accensum, quem adeo illum extinguit, vt vix iterum ignescat.

QVÆST. XXIV.

An vnum contrarium vni tantum sit contrarium.

QVod vnũ côtrarium vni soli sit contrarium primò patet ex Galeno 9. meth. 12. vbi habet hæc verba „ Conferẽtis indicatum semper esse vnum: deinde 11. meth. 13. ait, vnã semper dari ex quaque re indicationẽ: lib. de opt. sect. ad Trasyb. 45. dicit vnum indicare vnum: quia vnum vni aduersatur, intelligendo respectu vnius, & eiusdem, ad idem, secundum idem, eodem modo & eodem tempore: quia vnum respectu diuersorum potest indicare centum indicata: vnica enim est febris putrida, tamen Galenus 11. meth. 13. in ea curãda proponit plures indicationes respectu diuersorum, quæ desumũtur vel ab humorum copia, vel crassitie, lentore, prohibita perspiratione, putredine, & febre.

Demum Aristoteles primo Cœli hoc principio suffultus, quod vnum côtrarium vni sit contrarium, inuenit motum circularem per se primo conuenire Cælo, Cælũque esse quintam essentiam, & perpetuo motu circulariter moueri, ita vt non sit timendum, vt dicit Aristoteles 9. metaph. tex. 17. quod Cælum aliquando stet.

Quoad verba aphorismi. Nonnulli per extremos morbos intelligunt lethales primo falluntur: quia Galenus 2. aphorismorum 29. asserit, desperatos non esse curandos, sed solo prognostico relinquendos. Deinde Galenus 11. metaph. 9. habet hæc uerba „ In quo omninò desperata salus est, imprudentis consilij fuerit infamare præsidia, quæ multis alijs fuere saluti. Præterea Hippocrates primo præsag. 4. protulit hanc sententiam „ morituros prænoscens, prænuncians que culpa uacabit. Postremò lib. de const. artis medicæ cap. 16. habet hęc uerba „ Insontem fore medicum, & ab omni mortis culpa fore immunem, si morituros ægros prænunciauerit. Quare si uera sunt hæc præcepta, nõ est credendũ per extremos morbos Hippocratem intelligere lethales: quia morbis lethalibus neque remedia extrema, neque leuia conueniunt.

Dicimus nos per morbum extremum intelligere morbum magnum, & uehementem, & præcipuè perperacutum, & peracutum: quibus morbis conuenit uictus tenuissimus: quia victus tenuissimus est remedium extremum, de quo intelligit Hippocrates.

Præterea per extremum morbũ intelligere possumus morbum magnum & vehemẽtem: magnus verò morbus vel ratione dignitatis, vel ratione propriæ essentię, vel ratione cacoethiæ, vel ratione læsionis partium præstantium, quæ omnia indigent declaratione.

Mor-

Morbus magnus ratione dignitatis solet exemplis illustrari in vteri suffocatione, dum efficitur à semine corrupto: ex Galeno lib.6. de loc.aff.5. vocatur præfocatio vteri facta à semine corrupto morbus magnus ratione dignitatis, quia semen est dignius sanguine menstruo: Præfocatio verò à sanguine menstruo non vocatur à Galeno magna ratione dignitatis: symptomata sanè longè sæuiora fiunt in vteri præfocatione facta à semine corrupto, quam à sanguine mẽstruo suppresso, & corrupto: ideo remedia magis extrema conuenient in præfocatione ex semine, quam ex sanguine, quia in præfocatione ex sanguine, euacuatio sanguinis ex saphæna sæpè tollit symptomata illius effectus: in præfocatione verò ex semine, sanguinis euacuatio parum vel nihil iuuat; sed confugiẽdum est (omisso verò remedio, quod omnes norunt) ad mitridaticam confectionem, & in sæuissima præfocatione ad ceratum mercuriale applicandum parti hippogastricæ, quo nos interdũ fæliciter vtimur & ad alia maiora ex mercurio composita.

Parimodo Galenus loquens de morbo magno ratione dignitatis 3. de tuen. sanit.cap.9. hoc exemplo illum declarat „ si aliqua pars esset contusa, ac materia exerementitia conflueret in illam partẽ, apostemaque efficeret, dicit „ si vtraque affectio pari interuallo à naturali statu recederet, curã esse exordiendam à phlegmon, quia phlegmon est magis dignitate pollẽs.

Similiter febris pestilens, quæ fit à sanguine corrupto dicitur morbus magnus, & vehemens ratione dignitatis: quia est magis vehemens, quam febris ardens, quæ fit à bile: morbus maior est, qui fit à sanguine corrupto, quam qui fit à bile: quoniam quod amicum est, dum corrumpitur, magis naturæ aduersatur: quia quod amicum est, dum corrumpitur, vertitur in contrarium positiuum: quod est venenum verè contrarium naturæ nostræ, quod de aliis humoribus dici non potest. Quando igitur morbi sunt magni ratione dignitatis, tunc remedia debent esse extrema exquisitè, vt dictum est superius.

Quo ad morbum magnũ, & extremum ratione propriæ essentiæ, dicimus illum esse, qui est multi lapsus, sicuti est magna aliqua inflammatio, vbicũque sit; vel magnum aliquod vulnus, vel vlcus, sit in pedibus, vel coxis à visceribus distantibus, vel in quauis alia parte non præstanti.

Insuper datur morbus magnus, vehemens, & extremus ratione cacoethiæ idest mali moris: sicuti est febris maligna, quæ ex omnium opinione inter acutos collocatur: cuius cacoethiæ signa à Galeno proponuntur lib.3.de præsag.expul.cap.4. quorum primum est, quod pulsus à naturali statu recedere non videatur. Secundum quod ęgri fateantur febrem non percipere. Tertium quod vrina reddatur similis naturali. Quartum additur ab Hippocrate & Galeno 3. de ratione vic. in ac.14. quod est, si post deiectiones biliosas calor vehemẽtior reddatur, dicunt esse signũ malignæ febris. Sed in explicatione 12. aphorismi quamplurima malignę febris signa proponemus.

Demum datur morbus magnus, siue extremus ratione partium principum, sicuti est vlcus pulmonis, aut ventriculi, licet perexiguum sit, quod si in coxis, vel brachijs esset, vix morbus dici posset: tamen in pulmone, in corde vel hepate mortem prænũtiat. Hanc distinctionem morbi magni in tres differentias proponit Galen.4. meth.6. Nos igitur per morbos extremos ab Hippocrate propositos intelligimus peracutos: dicimus tamen aphorismũ posse ampliari ad morbum magnum aliquem ex his quattuor modis declaratis, quibus magnis morbis, magna, & extrema remedia conuenire possunt.

„ αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι, idest extremæ curationes.

In tex.Græco non leguntur extrema remedia: sed extremæ curationes: quia Gręca dictio est therapiæ, quæ significat curationes, & non remedia: remedia tamen sunt instrumenta curationis.

Curatio sumitur tribus modis. Primò pro depulsione omnium affectuum præter naturam: sint morbi causæ, vel symptomata: secundum hanc significationem lib.9. meth.15. dicit, affectũ pręter naturã indicare curationem. Secundò sumitur curatio pro depulsione morbi habentis causam, qui partim fit, & partim factus est: sicuti

est febris putrida, & omnes morbi, qui dependent ab aliqua causa antecedenti. Tertiò sumitur curatio pro depulsione morbi facti, qui non amplius fit, nec à causa dependet: sicuti est febris ephimera, & hectica. In hoc loco Hippo rates per Therapias idest per curationes intelligit curationes in communi, quæ fiunt per contraria, vt colligitur ex Galeno 9. meth. 15. vbi dicit primam indicationem sumi ab effectu præter naturam, qui indicat contrarium: subdit contrarietatem esse illam distantiam, quæ est ab affectu naturali ad affectum præter naturam.

Sed addit Hippocrates ἐς ἀκριβείην idest exquisitè: quia si morbus est calidus in secundo gradu, exquisitum remedium debet esse frigidum in secundo gradu: & sic de alijs: si morbus est extremus & magnus, magnum & extremum debet esse remedium.

Capiuaceus in hoc loco diuidit remediũ magnum in absolutũ & respectiuũ: quæ diuisio non est ex natura rei: quia magnũ & paruũ ex Aristotele sunt relatiua vera, quę dicuntur secundum esse, & non secũdum dici: dicitur enim formica magna & mós paruus, vt dicit Aristoteles in prędicamẽto relationis: imò dici potest formica maxima, & totius terræ globus minimus, & tamquam punctum impartibile respectu primi mobilis: quare implicat dicere, remedia esse absolutè magna, quia semper dicentur magna respectu remediorum leuiorum.

Si de magnis remedijs loquamur, Galenus 2. aphorismorum 29. proponit duo remedia, quæ appellat magna, videlicet purgationem, et phlebotomiam: in hoc loco ieiunium vocatur remedium magnum. Purgantia magna quæ sunt magis vehementia & quæ collocantur in primo ordine sunt veluti antimonium, coloquintide, catapucia, elaterium, esula, gumigutæ, scamoneum, & elleborus.

Medicus verò rationalis, cuius officium est reducere ad symmetriam, admodum rarò his magnis, & efficacissimis vtitur.

Deinde dantur remedia minora, quæ sunt magis in vsu, sicuti sunt agaricus, hermodactilus, turbit, rhabarbarum, gratiola, & alia id genus. Sub his adhuc sunt minora, quæ licet alicui possint esse magna, & extrema, alteri tamen possunt esse leuia; quia nullum potest esse remedium magnum, quod alicui non sit leue.

Sub his adhuc dantur minora, vt infusio rosarũ, sena, manna electa, quę partim sunt purgantia, partim lenientia: immo tam varia inueniuntur corpora, vt alicui hæc sint magna, & vehementia, atque alicui leuia & blanda lenientia.

Sub his adhuc sunt leniora, vt cassia, tamarindi, cremor tartari. Deinde adhuc magis leuia inueniuntur, vt oleum amyd. dulce, Lac coctum cum sacchazo, quod Itali vocant panellam, vel cum iure pulli.

Demum leuissima proponuntur lenientia à Galeno quinto de tuen. sanit. cap. 9. sicuti sunt pruna damascena cum melle macerata, vel cum mulso: inter herbas, mercurialis, marina brassica, cnicus in ptisana: & resina therebentina, quæ omnia citra noxam aluum leniunt.

Phlebotomia est remedium magnum, si fiat per sec. venę cubiti: deinde est saluatellæ sectio, cucurbitulæ, vel hirrudines, quæ hemorrhoidibus, vel alijs venis applicantur. Sub his sunt pili suiles, qui immissi inter narium spinas leniter cõprimendo sanguinis pauxillum euacuant. Sub his sunt illa, per quæ euacuatur sanguis per hæmorrhoidas leniter illas comprimendo sicuti sunt squatinæ, vel piscis canis coriũ vel tella aliqua aspera, vel applicando folia ficuũ, vel leniter ea comprimendo, vel idem faciendo cum folijs boraginis, quorum vsu sanguis commodè egreditur.

Remedia tamen magna sunt hæc tria, purgatio electiua, phlebotomia, & ieiuniũ, de quo præcipuè intelligit Hippocrates in aphorismo. Sed præter hæc tria propositũ aphorismus põt ampliari ad alia remedia longè maiora, quæ varijs affectibus præter naturam cõueniunt: sicuti est illud propositum ab Hippocrate 7. aphoris. 45. dũ loquitur de hepatis abscessu his verbis „ Quibus per durũ iecur aduritur; si purum pus effluat, & album, salui fiunt: si verò qualis amurca profluat, intereũt. Omnia remedia, quibus vtuntur nostrates in hoc abscessu hepatis sunt minora, & vana quidem.

dem. quia solum hoc propositum ab Hippocrate in aphorismo inter extrema iuuare potest. Nostrates relinquũt hunc casum tamquã desperatũ: atque reuera eius cura neque in Galeno, neque in alijs Auctoribus (quod sciam) inuenitur. Nos autem pro extrahendo hoc pure proposuimus instrumentum commodum, & tutum in nostris commẽtarijs Auicennæ: sumenda tamen est cura cum protestatione, ne si pereant, in medicum culpam trahant: pereunt enim, si pus appareat vt amurca.

Similiter dantur alia remedia extrema, quæ non excluduntur ab aphorismo, sicuti est adustio, & sectio, quæ fit inter tertiam, & quartam costam pro extrahẽdo pure in empyemate, quod magnum remediũ proponitur ab Hippocrate lib. 3. de internis affectibus, vbi loquitur quoque de hydrope thoracis. Nos verò tutius tertiam costam terebella perforando aquam euacuamus: in costæ enim perforatione nerui, venæ, & arteriæ musculorum intercostaliũ non sunt. Vel vtimur instrumẽto ex nostra inuentione pro euacuanda aqua hydropicorum faciẽdo paracentesim inter tertiam & quartam costam. Vel si aqua est in abdomine per vmbilicum, de quo etiam instrumento in commentarijs nostris Auicennæ egimus, eiusque iconem proposuimus. Plurima alia, quæ sunt remedia extrema, quæ tutò, & fęliciter administrantur per instrumenta, ipsorum icones in eodem libro descripsimus.

Sed vt paucis progrediamur, remedium magnum, & extremum in morbis maximis, & extremis ex Hippocrate est ignis 7. n. aphoris. vltimo dicit „ Quæ medicamenta non sanant, ferrũ sanat, quę ferrum non sanat, ignis sanat, quæ ignis non sanat sunt immedicabilia. Vstiones sunt remedia extrema, vt in sphacelo, gangræna, & in demorsis à cane rabido.

Per extrema exquisitè intelligit illa cõtraria, quæ sunt æqualia in gradu, hisque vtimur, vbi impendet vitę periculum, quia tunc morbus est exquisitè extremus: quo casu medicus dogmaticus non debet imitari Erasistratum, qui incipiebat à paruis remedijs, contra quem Galenus 5. meth. cap. 15. his verbis inuehitur „ Si parua nihil profecerint, agrediendasunt maiora: nam in morbis, in quibus periculum non impendet, vera ea opinio est: at vbi moriendum ægro prorsus est: si phthoe semel æger detineatur, alienissimum à ratione est à minoribus remedijs inchoasse. Maiora igitur remedia debent esse exquisitè opposita, idest æqualia in gradu, & nõ in numero: sicuti affectui calido in tertio, remedium æquale in gradu debet esse frigidum in tertio, si exquisitè opposita esse debent: in numero verò dici potest frigidum in secũdo, quod multoties exhibitum in morbis leuioribus tẽporis cursu sanare potest, quamuis hæc non sint exquisitè extrema. Ex alia parte aphorismus non videtur omninò verus ob dubia, quæ occurrunt.

Prima dubitatio: in Hippocrate videtur contradictio manifesta: quia in aphorismo superiori in acutis laudat victum paulò pleniorem: in hoc verò aphorismo, in quo similiter agit de acutis, dicit, extrema esse applicanda remedia: per morbos intelligit acutos, & per remedia ex omnium consensu, intelligit ieiunium: ergo contradictio videtur manifesta.

Respondetur in aphorismo superiori considerasse ægros acuto morbo correptos cum virtute languida & debili: in quo casu in tenui victu peccant ægroti: in hoc verò aphorismo cõsiderasse morbum cum virtute valida, & robusta, quæ in morbo acutissimo non indiget cibo: quia morbus vt morbus semper cibum prohibet.

Secunda dubitatio: non videtur quod victus tenuissimus conueniat extremis morbis: quia dantur morbi extremi, qui non tractantur victu tenuissimo: Galenus enim 5 meth. cap. 15. vult sputum sanguinis cum imminẽte pulmonis erosione esse morbum extremum, tamen non tractatur victu tenuissimo: ergo non omnes morbi extremi, extremis remedijs sanantur.

Respondetur, morbum extremum duplicem esse, vel esse simpliciter extremum, vel esse extremum in suo genere: Hippocrates in hoc aphorismo intelligit de morbis perperacutis, qui simpliciter sũt extremi, & non de extremis in suo genere: omnis enim morbus diuturnus, si deploratus sit.

sit extremus est in suo genere, vt deplorata phthisis, deplorata pleuritis, hectica deplorata, & similes sunt, qui dicuntur extremi in suo genere.

Tertia dubitatio: Hippocrates in tertio aphorismo huius sec. dicit, esse euacuandum quatenus natura fert. Idem confirmat aphorismo 23. ergo non semper conuenient remedia extrema, quamuis morbi essent extremi.

Auicennas 4. primi cap. 1. sic determinat hāc dubitationem: si vires tolerāt, semper conuenire remedia extrema: si non tolerant conuenire leuiora. Galenus verò 5. meth. 15. sic respondet: in morbis in quibus periculum non imminet à leuioribus esse exordiendum: vbi verò imminet vitæ periculum, ait, alienissimum esse à ratione, à leuioribus inchoasse.

Quarta dubitatio: aphorismus Hippocratis videtur reluctari experientiæ: quia in febribus ardentibus, quæ pertinent ad extremos morbos, vtimur leuissimis refrigerātibus: sicuti sunt iuscula cichoreæ, boraginis, acetosę: sed hæc non sunt extrema, nec æqualia febri ardenti.

Respondetur, quod remediū est æquale morbo extremo dupliciter, vel quia sit oppositum æquale in gradu, vt est aqua frigida opposita æqualis in gradu febri ardenti: vel balneū frigidæ, quo Galenus 10. meth. vlt. sanauit hecticam tertij gradus, seu, vt melius dicā, sustulit solum calorem, relicta siccitate: ita vt remedium extremū, quod conuenire possit extremo calori, sit aqua frigida, quæ æqualiter in gradu opposito respicit extremum calorem: vel dicimus remedium esse æquale oppositum in numero, quod non semel, sed multoties exhibitum reddatur ęquale in gradu, quod probatur hoc exemplo: vnico ictu mallei excauari potest lapis, eadem tamen per exiguā excauatio fieri potest à mille aquarum guttis cadentibus, & percutientibus ipsum lapidem: dicimus omnes illas guttas esse æquales in virtute vnico ictui mallei: parimodo leuiora remedia multoties exhibita erunt æqualia ijs remedijs, quæ sunt æqualia in gradu, quæ semel exhibita sanare possunt, sicuti est potio frigidæ quanta vno haustu sumi potest, febrem ardentem sanare potest.

Quinta dubitatio ex Galeno 5. meth. 15. habetur, vbi imminet vitæ periculum, cōueniunt remedia extrema, vbi non imminet, leuiora: ergo non semper extremis morbis extrema remedia conuenient, quia in morbis peracutis, in quibus non imminet periculum, conuenient quoque remedia leuiora.

Respondetur, quod in peracutis semper imminet periculum: deinde dicimus Hippocratem per extremum remedium præcipuè intelligere ieiunium, quod solum in exactè peracutis (dummodo vires persistant) est extremum remedium. Præterea extremis morbis vnum remedium extremum, & æquale solum proportionatur: sed hoc extremum est æquale vel in gradu, vel in numero: quod in numero multoties exhibitum potest dici æquale in gradu: quia non differt specie ab æquali in gradu: ambo enim vnum faciunt remedium. Hinc rectè Galenus 9. meth. 12. conferentis indicatum semper esse vnum, 11. meth. 13. & lib. de opt. secta similiter dicit vnum indicare vnum, & non plura: ideo extremis morbis extrema conueniunt remedia, quę extrema subdiuiduntur in extrema in gradu & extrema in numero.

Sexta dubitatio: extremis morbis lethalibus neque remedia extrema, neque leuiora conueniunt, quia ex Galeno 2. aphorismorum 29. desperati solo prognostico sunt relinquendi, ne infamentur præsidia: ergo aphorismus Hippocratis non est absolutè verus, quod extremis morbis, extrema remedia conueniant. Præterea videtur esse in Galeno quædam contradictio: quia 10. meth. cap. 10. etiam auctoritate Tucididis habet hæc „ Quāto satius est aliquid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere, quam spe adempta certo perire: tanto profectò satius est potentibus auxilijs pugnare, quam nihil agere: ergo desperati non sunt relinquendi. Insuper Celsus ait, melius est anceps experiri remedium, quam nullū: aggredimur tamen curam cum protestatione prænūciando videlicet astantibus futurum periculum: eadem nos admonet Galenus

lenus 12. meth. 3. ergo desperati non erũt relinquendi.

Respondemus pro Hippocrate, aphorismum habere locum, vbi spes non est omninò adempta. Pro Galeno vero nonnulli respondent, dum prohibuit, desperatos esse curandos, non absolutè voluisse esse relinquendos: Sed tantum prohibuisse magnorum remediorũ vsum, ne infametur ars, solum leuiora remedia esse adbibenda: quia si deinde æger ex humanis decedat, propter leuiora remedia non infamabitur medicus.

Hæc respõsio primò reijcitur: quia Galenus 2. aphorismorum 29. absolutè dixit, desperatos esse relinquendos. Deinde Galenus 10. meth. 4. proponit curationem hecticæ tertij gradus, quæ est morbus omninò desperatus: vsus est in illa febre balneo aquæ frigidæ, quod sanè est, remedium maximum, & non leue.

Respondemus Nos, morbos desperatos esse duum generũ, alios ita desperatos, vt nullus vnquam euaserit, & tales absolutè relinquũtur solo prognostico: alios verò esse ferè semper deploratos, itaut interdum aliquis euaserit: sicuti sunt hectici tertij: gradus, qui hoc vnico remedio, nempè balneo frigidæ, licet rarissimè ad aliquam lubricam sanitatem redacti sũt: Auicennas tamen vbi agit de phthisi dicit, mulierem quandam fuisse remedijs præseruatam ab hoc morbo per spatium 23. annorum: ideo tales non sunt relinquendi, sed cum protestatione curandi, vt executus est, Galenus (vt refert) 10. meth.

Sed in prognosticando nõ est hoc præceptum obliuioni tradendum: quod ad medici honorem, & artis admirationem magis referat prædicere mortem in morituris, quam salutem in conualituris.

Septima dubitatio: non videtur, quod extremis morbis extrema conueniant remedia quia ab agente æquali in gradu opposito nulla potest actio prouenire, quia agens, vt vincat, debet superare virtutem passi, vt in physicis ab Aristotele pobatum est.

Respondetur: extrema remedia non vincere morbum extremum: quia si vincerent introducerent contrarium morbum: sed extrema remedia attemperare, & moderari: sic remedium frigidum in secundo gradu non solum tollet morbum calidum in primo gradu: sed introducet morbum frigidum: quare actio remediorum non dẽt esse corruptiua, sed contemperatiua. Quãdo Aristoteles dixit ab agente æquali non prouenire actionem, intellexit de actione vincente ipsum passum nouamque formam in ipsum passum introducente: nos verò medici intelligimus de actione contemperatiua, vel reducente ægrum ad æqualitatem, & ad symmetriam: quo peracto natura ipsa, & non medicus est ille, qui immediatè morbum propellit.

Octaua dubitatio, hectica febris est morbus extremus, tamen extremum remedium idest ieiunium, de quo intelligit Hippocrates in hoc aphorismo non conuenit hecticæ febri: quia Galenus vult, vt hectici parum & sæpè nutriantur.

Respondetur; Hippocratem in hoc aphorismo præcipuè intelligere de morbis extremis, qui statim habent extremos labores, & tales sunt perperacuti, de quibus loquitur etiam in 7. aphoris.: hectica verò non est huiusmodi.

Cæterum, quia hic aphorismus potest ampliari ad morbos longos, vt patet ex Galeno 5. meth. 15. ideo hecticę febri conuenient aliqua remedia extrema, sed non omnia: illud verò remedium extremum quod conuenit hecticæ febri ex Galeno 10. meth. 10. est balneum frigidæ, quo reduxit quendam patientem hectica tertij gradus laborantem ad meliorem statum: atque licet remedium hoc sit valde periculosum, maluit Galenus (vt loco citato refert) potentissimis præsidijs aliquid facere, quam spe adempta permittere, vt æger certò pereat.

Nona dubitatio: non videtur, quod extremis morbis conueniat remedium extremum, quia Galenus 9. meth. 3. proponit casum cuiusdam iuuenis palestrici, qui patiebatur synochum putridam, quæ iudicata est quarta die. Galenus in illo casu vsus est cremore prissanæ, qui pertinet ad victum exquisitè tenuem, qui conuenit acutis exactè, & non perperacutis: ergo mor-

morbo extremo non conueniet remedium extremum, quod est ieiunium: febris illius iuuenis fuit morbus perperacutus, quia quarta die fuit iudicatus.

Respondetur, casum illius iuuenis, vt ibidem refert Galenus, fuisse sinochum putridam perperacutam quidem: cui noluit Galenus 1. die mittere sanguinem, quia fortasse cibus non erat illa die in ventriculo concoctus: euacuauit tamen octaua hora noctis ante tertiũ diem sanguinem vsque ad animi deliquium: facta euacuatione sudauit, & dormiuit vsque ad meridiem: deinde transacta die tertia exhibuit ptissanæ cremorem, quia erat sanatus, quo tempore poterat quoque dare cibum pleniorem, & sic nulla est dubitatio.

Decima dubitatio: Galenus 12. meth. 6. in febre acuta cũ syncope, quæ est morbus extremus, & perperacutus exhibet victum plenum videlicet vitellos ouorum, deinde galorum testiculos, alicam, & panem cum fructibus acerbis, demum cerebella porcellorum cocta cum porro, & anetho, & carnes ipsas, ergo extremis morbis non conueniet extremum remedium idest ieiunium.

Respondemus, aphorismum esse verum supposita virtute robusta: Galenum verò loco citato locutum fuisse de febre acuta cum syncope, quæ est præceps omnium virium lapsus.

Præterea syncope duplex est, alia fit à suffocatione, in qua statim facienda est euacuatio per epicrasim, & pro hac proponitur victus tenuissimus: alia verò fit per resolutionem, in qua meatus sunt constipandi, ne spiritus omninò dissoluantur, quod fit victus crasso: nempe vitellis ouorum, alica, cerebellis porcorum, quæ generant alimentum crassum, viscidum, & frigidum.

Demum pane cum succis acerbis vtimur, vt melius meatus constipentur, ne spiritus omninò exhalent: de hac syncope intellexit Galenus loco citato, cui ratione virium debilium nullo modo potest conuenire remedium extremum idest ieiunium.

Vndecima dubitatio: Hippocrates in tertio aphorismo declarato damnat extremam sanguinis euacuationem: quia vasa reducerentur ad subsidentiam, & æger interiret: ergo si hæc extrema euacuatio non debet fieri in Athletis, qui & sunt robusti, & indigent hac euacuatione, tantò minus extremis morbis conueniet.

Respõdetur, Hippocratem in hoc aphorismo per extrema remedia intelligere extrema proportionata ratione morbi, et rõne vitium: ideo in proposito aphorismo inquit, eousque esse euacuãdum, quousque natura fert: 4. verò de ratione vic. 19. vult Hippocrates morbum vehementem indicare sanguinem esse mittendum, hac lege, vt vires permittant: Si vires sunt robustissimæ conuenit ieiunium, ac illa extrema sanguinis euacuatio, quam vires ferre possunt.

Duodecima dubitatio: Galenus in cõm. dicit, terminum morborum peracutorum exactè esse tertium diem: Hippocrates tamen 5. aphorismorum 6. loquens de quodam morbo peracuto exactè idest de conuulsione dicit, terminum esse quartũ diem his verbis „ Quicumque distentione, seu cõuulsione corripiuntur, in quattuor dieb. pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt: ergo peracuti exactè possunt terminari quarta die: & nõ tertia, vt dicit Galenus in comm. Immo Erasinus correptus morbo peracuto exactè iudicatus fuit quinto die: ergo sciri non poterit, quisnam sit extremus morbus, & per consequens quænam debeant esse extrema remedia: ergo aphorismus imperfectus.

Respondetur ex Galeno 4. aphorismorum 59. illum esse morbum exactè peracutum, qui potest iudicari tertio, quarto, vel quinto die, qui est vltimus terminus omnium peracutorum exactè, & omnium extremorum morborum, de quibus intelligit Hippocrates in hoc aporismo.

Decimatertia dubitatio: Hippocrates 2. de ratione vic. tex. 1. agens de pleuritide, quæ est morbus extremus, exorditur à fomento, sed sic est quod fomentum est remedium leue, & pleuritis est extremus morbus: ergo extremis morbis non conuenient extrema remedia.

Respondetur, pleuritidem esse duum ge-

generum: aliam leuem: aliã verò magnam: leuis fuit in Anaxione: ideo in ipsa primo vsus est fomentationibus, deinde sanguinem euacuauit. In pleuritide verò magna, & extrema semper exordiuntur Hippocrates & Galenus à sanguinis euacuatione, vel à purgatione, quæ sunt duo magna, seu extrema remedia.

APHORISMVS SEPTIMVS.

BI igitur morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu vtendum est. Vbi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior.

Diuiditur hic aphorismus in duas partes. Prima infertur ex superiori aphorismo, fitque hic perfectissimus syllogismus: extremis morbis extrema cõueniũt remedia: sed morbus peracutus est extremus: ergo morbo peracuto conuenient extrema remedia. Maior propositio est aphorismus præcedens. Minor probatur ab Hippocrate in prima parte huius aphorismi hoc modo: ille est extremus morbus, qui habet extremos labores, sed morbus peracutus habet extremos labores: ergo est extremus.

Per extremos labores Galenus in comment. intelligit symptomata vehementia, & vehementes accessiones, quæ fieri solent in morbi vigore. Syllogismus est in secunda figura ex duabus affirmatiuis: sed valet, quia maior est conuertibilis, & reducitur ad primam.

Vbi verò non. Hæc est secunda pars, quæ continet aliam conclusionem, quæ est hæc: vbi verò non conuenit victus extremè tenuissimus, sed plenior (ait) tantum cibi esse indulgendum, quantum morbus recedit ab extremis morbis: de qua secunda parte paulò infra.

Quantum attinet ad primam partem, dum dicit quod victus extremè tenuissimus conueniat illis morbis, qui habent extremos labores, probari potest auctoritate, & ratione: auctoritate videlicet aphorismi sequẽtis, vbi dicit „ Quando morbus in suo vigore constiterit, victu tenuissimo vtendum: sed sic est, quod morbi peracuti semper sunt in suo vigore: ergo in ipsis semper victu tenuissimo vtendum.

Ratione quoque probatur: quia Galenus in comm. inquit „ tum propter magnas febres: tum propter magnas phlegmasias idest inflammationes, & ardores natura in vigore est maximè occupata coctioni: ideo cibis non est distrahenda: vel vt verbis Hippocratis loquar, victu extremè tenuissimo est vtendum, idest ieiunio. Accedit, quod in vigore cibus facilè corrũpitur, inde corruptella auget morbum: quo aucto virtus fit debilior, & minus cõcoquit, vt colligitur ex Hipp. 2. acut. 48.

Prima dubitatio occurrit, quia non videtur, quod morbi, dum sunt in vigore, sint tractandi ieiunio, quod sic probatur: dantur acuti non exactè, quorum vigor perdurat per tres dies: quo casu æger est valde debilis, & ieiunium ferre nõ potest: ergo non est verum, quod in vigore acutorum conueniat ieiunium per tres dies.

Respondetur, vigorem diuidi in tres partes, nẽpè in anteriorem, in qua solum vigor est in fieri: in posteriorem, quæ est vigor in facto esse, in qua ægri sunt reficiendi: quia morbus est victus & superatus à natura: quo tempore cibus commodè dari potest: In mediam, in qua vigor partim est in fieri, partim in facto esse. Per vigorem Hippocrates intelligit vigorem in fieri, cuius tempus est breuissimum, vt vix in non exactè acutis contineat vnius diei spatium: quo casu si vires non sint admodum debiles, ferre possunt ieiunium: Dicimus admodum debiles: quia vbi vires non ferunt: cibi pauxillum omni tempore ægrotantibus dari potest.

Secunda dubitatio: Hippocrates & Galenus in comm. tenent, non esse cibandum

in peracutis ob magnas febres, quod præceptum non uidetur tutum, & verum: quia febres magnę exsiccant humidum substantificum, quod debet absque dubio refocilari. Præterea si febris vt febris prohibet alimentum: ergo omnis febris: ergo & hectica: sed sic est, quod hectici sæpè sunt reficiendi.

Respondetur, Hippocratem loqui de peracutis putridis, in quibus abundat sanguis, & in quibus vires permittunt ieiunium. Præterea esto, quod ieiunium aliquod detrimentum afferat, nos tractamus, an maius ex ieiunio colligatur beneficium, quam maleficium: Nos cum Hippocrate & Galeno admittimus (licet ieiuniũ nocuum sit) longe maius afferre beneficium, quam maleficium: supponendum enim est in arte medica, quod dictum est à Galeno lib. de opt. secta ad Trasyb. circa finem, & 11. meth. cap. 11. nullum remedium posse impunè administrari, cum omnia adferant aliquid mali: sed quia maius speratur beneficium, quam maleficium: idcirco tunc remedia esse proponenda.

Tertia dubitatio: inquit Galenus in comm. magnas phlegmasias idest inflammationes prohibere cibum; quod nõ videtur, quia ex Hippocrate 1. de ratione vic. 47. in pleuritide versus vigorem est augenda sorbitio: sed versus vigorem phlegmasiæ sunt maiores: ergo phlegmasiæ non prohibent cibum.

Respondetur, inflammationes esse duum generũ: aliquæ tales, vt reseruentur materiæ, seu peccantia excrementa ad vnicam expulsionem: sicuti dum apostemata suppurantur: facta enim suppuratione tota euacuatur materia: istæ phlegmasiæ versus vigorem cibum omninò prohibent: vel materię euacuantur per multiplices expulsiones; sicuti in illa pleuritide, in qua sputamina à morbi principio vsque ad vigorem euacuantur, itauti versus vigorem ferè tota materia peccans sit expulsa: tunc phlegmasiæ versus vigorem non prohibent cibum: immo cum corpus sit excrementis vacuum, cibus aliqua ex parte augendus est. Hinc dum medici plus iusto perturbant ægros multis medicinis, & multis modis corpus euacuãdo à principio morbi vsque ad vigorẽ, importunè quidẽ (licet in vigore sit omninò abstinendum à cibis ob rationem propositam) sumus coacti aliqua ex parte ægros præter rationem euacuatos nutrire: quamuis satius esset in principio morbi & non in vigore omnia efficere iuxta aphoris. 29. secundæ. sec. „ si quid tibi videtur mouendũ moue in principio: in augmento, & statu quiescendum, quod nostratum plurimi non obseruant.

Quo ad verba Hippocratis: singula ad examen sunt reuocanda. Primum, quid intelligat Hippocrates per morbum peracutum: quid per statim, & quid per extremos labores.

Bresaulus, & plurimi alij putant, Hippocratem intelligere per morbum peracutum non solum morbũ exactè peracutum, qui à Barbaris vocatur perperacutus, sed etiam morbum peracutum non exactè.

Primò fallũtur, quia Hippocrates in hoc aphorismo intelligit de illis peracutis, qui extremos habent labores: sed tales sunt perperacuti idest peracuti exactè, qui terminantur in primo quaternione, & non peracuti non exactè, qui terminantur in secundo quaternione.

Secundò Hippocrates in hac prima parte loquitur de illis peracutis, quibus conuenit ieiunium in toto morbo: sed tales terminantur in primo quaternione: ergo intelligit de peracutis exactè.

Tertiò dicit in aphorismo, hos morbos indigere τῆ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ: articulus τῆ indicat vltimũ terminũ tenuitatis, & talis est ieiunium: ergo intelligit Hippocrates de perperacutis, sicuti sunt illæ anginæ, de quibus Hippocrates 3. Progno. ait plurimum dolorem efficere in faucibus nullo apparente tumore, quæ aliquando prima die strangulant.

In his anginis suffocantibus, omnibus alijs remedijs prius expertis, Galenus in introductorio cap. 13. Holerius, & ante ipsum Rhasis, Auenzoar, & Auicennas secant tracheam arteriam inter secundum & tertium anulum, quod non sine periculo fit. Nos verò tutius, & fælicius vtimur instrumẽto, illud immittendo intra tertium & quartum anulum: ibique detinetur, donec inflammatio superatur: deinde illud ex-

extrahitur nullo vulneris relicto vestigio, atque à periculo strangulatus liberantur dummodo præter anginam pulmo non sit læsus: huius instrumenti iconem in commentarijs Auicennæ posuimus.

Quartò Gal. in hoc comm. per morbos peracutos exponit vltra quos nō sunt alij, supplè acutiores morbi: ergo Hippocrates in hoc aphorismo per morbum peracutum intelligit peracutum exactè, qui à Barbaris vocatur perperacutus.

Quo ad dictionem illam (statim) Galenus per statim vult Hippocratem intelligere quatuor dierum spatium: ergo intelligit de perperacutis, qui terminantur in primo quaternione.

Bresauolus inquit, Galenum per statim Hippocratem intelligere spatium quatuor dierum, vel paulo vlterius. Addit Bresauolus Galenum per paulo vlterius intelligere vsque ad septimum diem.

Decipitur: quia septimus dies non est paulo vlterius, sed multo vlterius. Dicimus Nos per paulo vlterius intelligere quintū diem, qui pertinet ad perperacutos: quod probatur: quia Galenus 3. de crisib. cap. 4. inquit, morbos peracutos exactè terminari in tertio die, & aliquando quinto die.

Addit rarò terminari in quarto: quia acuti fiunt à bile, & bilis mouetur in die impari: Immo Galenus ibidem dicit, semel tantum vidisse peracutum exactè terminasse in quarto. Refertque Archigenem bis tantum vidisse perperacutum terminatum in quarto: ideo ferè semper vel in tertio, vel in quinto. In quinto quando motus est tardior, vt fuit in Erasino. In tertio quando motus est velocior, vt fuit in Phrenetico, qui in tertio die decessit.

Quid verò intelligat Hippocrates per extremos labores colligimus ex Codice Græco: quia dicit πόνυς. Latini non habent vocem, quæ contineat tam multa significata, vt hæc vox pones, quæ significat labores, & omnia mala, quæ oriuntur à morbis perperacutis.

Primo πόνος significat laborem: ideo Hippocrates 2. sec. aphorismorum primo dicit, Vbi somnus laborem facit, lethale dicit πόνον ποιέει.

Secundò ponos significat causam doloris. Hinc Hippocrates in Cranone vocat dolores calidos & frigidos, vtiturque hac voce πόνος.

Tertiò ponos significat tristem sensum ex Hippocrate 2. aphorismorum 6. dum dicit, quicumque dolentes dolores non sentiunt mens ægrotat, per dolentes legitur πονέοντες.

Quartò ponos significat exercitium, defatigationem, & laborem: sic Hippocrates 2. aphorismorum 16. dicit. Vbi fames, laborandum non est.

Quintò ex Hippocrate per ponos 2. aphorismorum 48. intelligitur lassitudo, & motus corporis.

Sextò ex Galeno 8. meth. 3. vbi mentio fit de hoc aphorismo inquit, per extremos labores Hippocratem intelligere maximas accessiones, maximos casus, & maximas irritationes. Quare Hippocrates miro artificio vsus est hac dictione ponos, vt comprehenderet omnia proposita significata, & præcipuè maximas inuasiones, comprehéderetque illa, quæ obseruantur in ipsis inuasionibus, qualia sunt calor insignis, dolores, defatigationes, lassitudines, vigiliæ, conuulsiones, animi deliquia, casus virium, vomitus, difficultas respirandi, & omnia illa, quæ possunt explicari per hanc dictionē ponos, quæ dictio cum tam multa comprehendat, maximè inseruit aphoristicæ doctrinę.

Inde colligimus magna verborū Hipp. mysteria; dum per pluta significata verbi æquiuoci strictim sæpè explicat aphorismorum archana: sic aphorismo 10. dum dicit, quę iudicātur & iudicata sunt ἀρτίως quod aduerbium habet tria significata. Primū ἀρτίως significat integrè: Secundū significat dies pares: Tertium significat nuper inde patet aphorismum ampliari secundū tria significata. Primum quòd in crisi integra non sit mouendum, vel nouādum: Secundum, quod in diebus paribus non sit mouēdum, vel nouādum. Tertiū, quod in crisi nuper facta, imperfecta tamen non sit mouendum, vel nouandum: quia Galenus 3. de crisib. cap. 4. dicit, crisim in idem tempus incidere cum accessione: sed sic est quod in accessione abstinere oportet à re-

medijs & à cibis: ratio traditur à Galeno 3. de crisib. cap. 2. vbi ait: in crisi sunt difficiles anhelitus, varij dolores, & plura alia mala, quæ debilitant, ideo parumper expectare oportet, vt aliqua ex parte vires recreentur: maximè propterea miramur Hippocratis ingenium, quo inuenerit vocem explicantem tam multa symptomata, quæ superueniunt morbis perperacutis.

Cicero tamen 2. quæst. Tusc. reprehendit linguam Græcam, quod vnica dictione multa declaret, proponit exemplum istius vocis (ponos) Hippocrates tamen ad sydera laudibus extollendus est: quia paucis desiderans explicare omnium symptomatum varietatem, inuenit hanc vocem, quam si in thesauris linguæ Græcæ quæsiuisset, aliam tam mirabilem vocem, præter hanc certè non inuenisset.

Plura relinquuntur quærenda pro intelligentia primæ partis: primum an in omnibus morbis perperacutis conueniat victus extremè tenuissimus, idest ieiuniũ. Secũdum à quibus causis fiant acuti morbi. Tertium an febres semper annexæ sint morbis acutis. Quartum an vigor morbi differat à vigore symptomatum.

QVÆST. XXV.

An in omnibus peracutis conueniat ieiunium.

PRima facie nõ videtur, ꝙ in omnibus peracutis cõueniat ieiunium; quia peste correpti benè nutriuntur: tamen pestis est morbus perperacutus, ergo in perperacutis victus extremè tenuissimus idest ieiunium non conueniet. Præterea Galenus 3. epid. 3. 58. mentionem faciens de famosa quadam pestilentia testatur, solum illos euasisse, qui sibi ipsis vim inferentes cibum sumebant. Idem quoque mutuatus Auicennas 1. quarti tract. 4. cap. 4. dixit, quod in febribus pestilẽtibus, dum cadit appetitus, cogantur ad comestionem, quia solum illi, qui sumunt cibum in morbo illo sæuissimo & acutissimo sanantur. In illis reuera appetitus adeo cadit ob auram pestilẽtem os ventriculi ferientem, vt potius mortem, quam cibũ eligãt.

Respondent nonnulli, pestilentiam non esse collocandam in numero perperacutorũ: ideo ieiuniũ pestilentię non conuenire.

Primò falluntur: quia & pestilentia & febres pestilentes interdum terminantur tertia vel quinta die: quare si natura non est auocanda à certamine cum morbo, ieiunium conueniet: deinde Galenus in febribus pestilentibus præscribit cibum longè pleniorem, quam sit mulsa. ergo ieiunium non conueniet.

Respondemus ad difficultatem: indicationem cibandi principalissimam esse desumendam à viribus; ideo cum in pestilentia vires cadant, illis ex animo est attendendum. Quod verò in pestilentia vires subito cadant, animaduertit Galenus 3. de præsag. ex pul. vbi inquit, quod caracter febrium pestilentium sit virium casus. Horum vires reficiuntur columborum iusculo, & carne: immo erat in Aegiptiorũ arcanis, quod qui columbis cõtinuo vesci solebant, pestiferis morbis non corriperẽtur. Cõcludimus ergo, quod Hippocrates dum vult in perperacutis esse vtẽdum victu extremè tenuissimo locutus sit de perperacutis, vbi virtus est valida & robusta, quæ possit ieiunium vsque ad vigorem perferre, & non de perperacutis cũ virium casu.

Quinta dubitatio: Hippocrates 2. de rõne vic. 20. vult, mutationẽ in victus rõne acutorum morborum esse cauẽdam: quare transitus ad omnimodam inediam in perperacutis vt docet Hipp. in aphorismo erit cauendus: quia non potest nisi nocere.

Respõdetur omnimodam inediam, siue ieiunium triũ dierũ absque dubio aliquod detrimentum afferre in perperacutis: sed maleficium compensari longè maiori beneficio: quia sine ieiunio ægri ferè semper moriuntur, dum acutissimis morbis corripiuntur, sicuti sunt anginosi, qui spatio duorum vel trium dierum obire possunt ieiunio verò obseruato natura non diuertitur à certamine: ideo vincit morbum, ac licet in vltima parte vigoris æger relinquatur admodum debilis: refici tamen potest sine aliquo vitæ periculo.

Præterea omnia remedia sunt naturæ importuna, vt animaduertit Galenus lib de-

de opt. secta ad Trasyb. cap.41. sed præbenda sunt, dum afferunt plus beneficij, quam maleficij. Hinc Galenus 4. aphoris. comm.67. habet hæc „ Admittenda sunt illa, quæ plus vtilitatis afferunt, quam damnum.

QVÆST. XXVI.

A quibus causis fiant morbi peracuti.

CVm ex Hippocrate in peracutis vtendum sit victu extremè tenuissimo, videndum est à quibus causis fiant morbi peracuti, hoc fine, vt illicò, & bene intelligamus quando victu tenuissimo sit vtendum. De hac re multa dixerunt Iacobus de Partibus, Cardanus in comm. & multi alij: attamen nos morborum peracutorum acutiem reducemus ad quinque causas: quibus præcognitis facilè intelligi poterit, quando victu tenuissimo, seu ieiunio erit vtendum.

Prima morborum acuties fieri potest à febre intensa, cuius internæ causæ sint in venis valde proximis cordi.

Secūda affectuum præter naturam acuties fit à magnitudine affectus: sicuti à dolore colico sæuissimo: vel à dolore aurium, vel à quocumque affectu præter naturam habente magnitudinem ratione propriæ essentiæ, vt colligitur ex Galeno 3. prognost. Addimus quoque à quocumque affectu habente magnitudinem ratione dignitatis.

Tertia fit acuties ab impetu materiæ de membro ad membrum: vel quando materia turget, vel quando materia in thorace transmittitur ad cor: vel quando materia delapsa in pectus occupat lenes arterias, vel aliquo alio modo excrementa mittuntur ad partem principatum obsidentem.

Quarta fit acuties à copia, vt in peripneumonia, quæ deberet esse morbus longus: quia fit à pituita: attamen ratione copiæ est morbus ita acutus, vt vel breui suffocare possit: ideo in ipsa victu tenuissimo vtendum.

Quinta acuties fit à maligna qualitate, de qua mentionem facit Galenus 3. in 3. epid.25.& 26. quæ malignitas quomodo fiat, & cuius naturæ sit, nos ampla rationum serie lib.8. methodi nostræ vitandorum errorum declarauimus.

QVÆST. XXVII.

An febres semper adnexa sint morbis acutis.

QVæritur pro intelligentia peracutorum, an febres semper adnexæ sint morbis acutis. Ex vna parte videtur quod de ratione omnium acutorū morborum sit febris continua: quia Galenus in hoc comm.2. aphoris.19.& 1. de ratione vic.18. inquit „ Natura acutorum morborum est, vt eorum febres sint continuæ.

Sexta dubitatio circa hūc aphoris. ex alia parte sunt auctoritates, & experimēta, quę indicāt, febrem nō esse adnexam omnibus morbis acutis. Primò colligitur ex Hippocrate 6. aphoris.51. vbi habetur hic aphorismus „ Quicumque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit: ex hoc aphorismo colligimus, dari posse morbos acutissimos sine febre. Deinde Galenus exponēs aphorismum 50. quintæ sect. qui est, mulierem grauidam capi morbo acuto, perniciosum. Galenus in comm. dicit, sententiam Hippocratis esse verā, siue intelligatur de acutis cum febre, siue de acutis sine febre, vt est apoplexia, & conuulsio. Idem quoque affirmat Galenus 1. Prognosticorum. 25. Quare dari possunt acuti sine febre.

Præterea patet experientia, dari acutos sine febre, sicuti sunt apoplexiæ, cōuulsiones, & species quędam carcinatis, quę vocatur ignis Sancti Antonij, qui affectus solent esse sine febre. Hinc Galenus 2. aphoris.19. dicit rarò sunt morbi acuti, quibus non adsint febres, vt in apoplexia: ergo acuti stare possunt sine febre.

Pro solutione apparentis contradictionis quidam dicunt, sentētias Hippocratis & Galeni, licet vniuersaliter, & sine limitatione proferantur, esse veras vt plurimum, & non semper. Cæterum isti reijciuntur, quia Hippocrates, & Galenus nos de-

deciperent proponẽdo propositiones vniuersales, quæ nõ semper sint veræ. Deinde licet signa lethalia proposita ab Hippocrate 6. aphoris. 18. Galenus dicat in comm. vt plurimum esse vera, dicimus id accidere ratione virium robustarum non esse lethalia: sed propositiones vniuersaliter prolatas nulla habita relatione ad materiam contingentem circa quam versantur indiuidua, semper esse veras. Præterea sæpissimè obseruamus, morbos acutos sine febre: quia, vt dictum est, apopletici, epileptici, vel conuulsione correpti sine febre interdum inueniuntur.

Quidam alij respondent, acutos sine febre esse ex se, & sua natura morbos chronicos, & non verè acutos: sicuti est epilepsia, & peripneumonia, vt colligitur ex Galeno 6. aphoris. cõm. 47. vbi inquit, conuulsionem, peripneumoniam, & omnes morbos acutos sine febre sua natura esse chronicos: dicuntque ex accidenti esse breues, quatenus natura non possit eorum vehementiam diu sufferre. Quæ responsio non est improbanda.

Nos tamen dicimus, Galenũ nunquam dixisse febrem esse de natura acutorum, & licet Galenus in hoc comm. faciat mentionem de febribus, quæ à morbis acutis sunt inseparabiles: dicimus loqui de illis acutis, qui sunt cum febre, quæ haud dubiè ab illis sunt inseparabiles: non tamen per dicta verba apparet, quod omnibus acutis sit adnexa febris: quemadmodum perpendendo non solum verba Latina, sed etiam Græca colligi potest.

QVÆST. XXVIII.

An quatuor tempora morborum differant à quatuor temporibus symptomatum.

RElinquebatur cõsiderandum, an quatuor tempora morborum differant à quatuor temporibus symptomatum: seu an vigor morbi differat à vigore symptomatum. Occasio istius quæstionis est Galenus, qui in comm. huius aphorismi desfinit vigorem morbi esse summitatem symptomatum, quasi quod velit Galenus principium morbi esse principium symptomatum, augmentum morbi augmentum symptomatum, & vigorem morbi esse vigorem symptomatum.

Plusquamcommentator disputat de hac re in arte medicinali, & tenet, dari quatuor tempora morborum ratione essentiæ morbi, & quatuor tempora ratione symptomatum omninò diuersa: quod probat quatuor argumentis.

Primum argumẽtum plusquamcommẽtatoris est tale. Principium morbi non est principium symptomatum: neque augmentum morbi augmentum symptomatum, nec status morbi status symptomatum: sed principium symptomatum est in augmento morbi, & augmentum symptomatum in statu morbi: ergo quatuor erunt tempora morborum, & quatuor symptomatum.

Secundum argumentũ: morbus, qui est salutaris in principio, ratione essentiæ est acerbissimus, & in peiori statu, quam esse possit: ratione verò symptomatum est mitissimus: E contra euenit in statu, videlicet, morbum in statu esse mitiorẽ, & symptomata sæuiora. Hinc Hippocrates loquens de symptomatis 2. aphorismorum aphorismo 30. dicit „ Circa initia & finem morbi omnia remissiora, in statu vero sæuiora. Similiter Galenus 3. de ratione vic. comm. vlt. loquens de morbis salutaribus dicit, morbum salutarem in statu esse mitiorem, quam in principio, non tamen esse mitiorem quo ad symptomata.

Tertium: dantur febres malignissimæ, quæ in principio videntur esse adeo paruæ ratione symptomatum, vt sæpissimè decipiant medicos versatissimos: qui eas parui faciunt: tamen in augmento, vel statu symptomata incipiunt adeo grauia, & sæua, vt improuiso æger propter illa ex humanis decedat: quare tempora morborum, & symptomatum erunt diuersa.

Quartum argumentum: Galenus primo de crisib. 13. & Auicennas 1. quarti tract. 1. c. 4. distingunt symptomata, quod aliqua sint quę insequuntur morborum tempora, vt vmbra corpus: aliqua verò non insequi morborum tempora. Symptomata, quæ insequũtur morborũ tempora, sunt, sicuti in principio morbi vrinæ crudæ, sputa cruda.

da. Symptomata verò, quæ insequuntur augmentũ, sunt quædã coctionis rudimenta, quæ, si de vrinis loquamur, obseruantur in vrinæ substãtia, in cõtentis, & in coloribus. Symptomata verò quæ insequuntur statum, sunt signa perfectæ coctionis, vt puta, si de vrina loquamur, quod eius nubecula sit alba, vnita, & æqualis: si de substãtia, quod neque crassa, neque tenuis sit: si de colore, quod sit cittina. Eadem signa maioris vel minoris coctionis obseruantur in pleuriticorum sputis. Insuper dantur alia symptomata, quæ non insequuntur quatuor tempora morborum: de his loquens plusquamcommentator dicit, illa pertinere ad quattuor tempora symptomatum: infertque dari quatuor tempora morborũ, & quatuor tempora symptomatũ, quæ non insequuntur morbum.

Pro decisione istius difficultatis primò dicimus cũ Galeno 3. de crisib. 4. in morbis quatuor esse consideranda, nempe ideam, magnitudinem, motum & morem: ita ut vna ex his quatuor conditionibus non sit de ratione alterius: quia vna potest stare sine alia.

Secũdò dicimus, quatuor tempora morborum, quæ à motu sensibili mensurantur, non conuenire ideæ morbi, vt est idea: quia omnibus ideis conueniret, quod dici non potest: quia quatuor tempora morborum non conueniunt hecticæ, vel ephimeræ febri: nec morbis, qui sunt immateriales, qui videlicet carent causa humorali: Immo hæc quatuor tempora neque conuenient morbis materialibus quando facti sunt, & non amplius fiunt, sicuti sunt gummi, podagra nodosa, condylomata, carnis excrescentia, catarrhacta perfecta, polypus, pterygium, fistulæ confirmatæ, & infiniti alij affectus, qui non amplius sunt in fieri, sed solum in facto esse.

Hinc irridendi sunt illi medici, qui putant decocto guaiaci, vel salsæ auferri posse gummos capitis confirmatos, fistulas confirmatas, condylommata, & reliquos affectus in facto esse, qui non amplius fiunt, quippe qui non tolluntur ad ablationem causæ antecedentis. Idem confirmatur per ipsam practicã, quia dũ factus est morbus, sicuti sunt gummi, & alij propositi affectus non causam auferendo sanantur, sed aperiendo ferro, vel caustico, vel phænigmate: Si verò ossis corruptella adesset remedijs auferentibus ipsum affectum, & non ipsam causam, in curatione progredimur.

Tertiò non solum Idea morbi quatenus est Idea diuidi potest in quatuor tempora, sed neque magnitudo, neque mos diuisibilia sunt in quatuor tempora. Patet de morbi magnitudine ob afflictæ partis præstantiam, veluti si de corde, & pulmone loquamur, tabidus affectus non diuiditur in quatuor tempora. Patet de magnitudine morbi ob cacoethiam: quia dantur vlcera maligna, quæ nõ amplius fiunt, quæ non habent quatuor tempora. Patet de magnitudine ratione propriæ essentiæ: quia febris hectica est magna ratione proprię essentię, tamen non habet quatuor tempora: ideo solus motus humorum est diuisibilis in quatuor tempora, quę sola coctionem humorum respiciunt, non idea, non magnitudo, vel mos ad coctionem pertinent. Hinc quando Galenus 3. de ratione vic. vlt. dixit morbum salutarem in statu esse mitiorem, & symptomata esse sæuiora, dicendum est esse mitiorem ratione Ideæ, vel moris, sed non ratione motus: sic quando Hippocrates 2. aphorismorum 30. dixit circa initia, & finem omnia leuiora, intellexit ratione motus, non ratione ideæ, magnitudinis, & moris. Parimodo febres malignissimæ in principio sunt paruæ ratione motus: sunt tamen in excessu ratione moris, & Ideæ: ideo medici prudentes non debent solum symptomata ad motum pertinentia perpendere: sed etiam illa quæ non insequuntur motum, sicuti sunt illa, quæ pertinent ad ideã, magnitudinem, & malignitatem.

Sed vera ratio, cur idea, mos, & magnitudo morbi non diuidantur in quatuor tempora, est, quia idea, magnitudo, & mos pertinent ad prædicamentum qualitatis, nempè ad habitũ, & dispositionem: tempora verò morborum non ad qualitatem, sed ad prædicamentum quantitatis, in quo est motus cõtinuus, & motus augmenti, & decrementi. Continuus est in quantitate ratione fluxus: quia ex Aristotele 3. Phys. cap.

cap.1.motus est de genere continuorum.

Praeterea cum tempus sit in praedicamēto quantitatis, & non qualitatis: ideaque morbi, magnitudo, & mos pertineant ad praedicamentum qualitatis videlicet ad habitum & dispositionem, sequetur quod qui diuidēt ideam morbi, magnitudinem, & morem in quatuor tempora facient transitum de genere in genus, videlicet à Praedicamento qualitatis ad praedicamentum quantitatis, quod non est admittendum, quia & praedicamenta sunt impermiscibilia, & illorum differentiae multo magis: quia ex Aristotele in ante praedicamentis: „ Diuersorum generum non subalternatim positorum diuersae sunt species, & differentiae: quare qui dicunt, dari quatuor tempora symptomatum prodeuntium ab idea, magnitudine, vel more attribuunt proprietatem quantitatis ipsi qualitati, quod in Philosophia est erratum non ferendum: Tempus enim est mensura motus: haec mensura est in quantitate, & non in qualitate. Tempus morbi ex Galeno lib. de totius morbi temp. cap.1. dicitur morbi aetas: quare sicut aetates sunt quatuor: sic morborū tempora sunt quatuor, videlicet principium, augmentum, status, & declinatio.

Insuper tempus morbi tripliciter consideratur: vel penes motus materiae, videlicet bilis, pituitae, vel melancholiae putridae: motus efficit quatuor tempora manifestissima, de quibus modo loquimur: vel consideratur tempus morbi penes motus essentiae, seu gradus caloris praeter naturam, vel alterius qualitatis: vel tertiò considerantur quatuor tempora ratione symptomatum: si verò considerentur quatuor tempora penes motus materiae videlicet bilis, pituitae, vel melancholiae putridae: hoc tempus morbi est manifestissimum, & sensibus valde apertum: hocque duplex est, aliud vniuersale, & aliud particulare: vniuersale totam morbi latitudinem complectitur, à principio videlicet vsque ad finem: diuiditurque in quatuor tempora, nempè in principium, augmentum, statum & declinationem.

Tempus verò particulare ipsius est illud quod consideratur in vnico paroxysmo, quod similiter habet principium, augmentum, statum, & declinationem: haecque tempora tam vniuersalia, quam particularia, quae sunt omnibus manifesta conueniunt solum illis morbis, qui partim sunt in fieri, & partim in facto esse, qui morbi vocantur materiales, à causis scilicet antecedentibus prodeuntes: sicuti sunt febres putridae.

Si verò consideretur tempus morbi penes motū essentiae, seu gradus caloris, vel alterius qualitatis praeter naturam, negari non potest, quod quatuor morborum tempora aliquo modo, & per quandam similitudinem conuenire possint omnibus morbis in facto esse: sic dicimus febrem hecticam primi gradus habere haec quatuor tempora: principium erit quando calor naturalis ita incipiet absumere humiditatem roridam, vt efferuescat, sed non exsiccetur, de qua efferuescentia loquitur Galenus 1.de diff.feb.cap.9. Augmentum verò hecticae primi gradus erit quando humiditas rorida incipiet exsiccari: status erit, quando humiditas rorida erit magna ex parte exsiccata: declinatio verò ad salutem erit quando ista humiditas rorida incipiet instaurari.

Similiter dantur quatuor tempora secundi vel tertij gradus hecticae febris, sed non sunt ita sensibilia, & manifesta: quia non dependent à causa antecedente, sed ab actione eiusdem caloris, qui formaliter non differt à febre hectica: ideo haec quatuor tempora dicuntur secundum essentiam, & non secundum materiam.

Idem dicimus de quolibet subiecto alterabili, sit animatum, vel inanimatum, quod possit mensurari, per quatuor tempora videlicet per principium, augmentum, statum, & declinationem.

Demum dantur quatuor tempora ratione symptomatum, quae incipiunt, & desinunt cū morbo: sicuti sunt symptomata morbi pathognomonica, quae indicant cruditatem, vel coctionem, sed haec quatuor tempora symptomatum coincidunt cum quatuor morbi temporibus: quia haec symptomata insequuntur morbum vt vmbra corpus.

Dan-

Dantur quoque alia symptomata, quæ similiter insequuntur morbum aliquem superuenientem, & vmbra corpus: quia valet hæc; est symptoma: ergo est morbus: symptoma dicitur accidens morbi: accidens vocatur συμβεβηκός, quod significat simul veniens cum morbo: atque licet Galenus 3. de ratione vic. vlt. dicat, morbum in statu esse mitiorem, & symptomata vehementia, dicimus morbum esse mitiorem: quia vel breui sanitatem prænunciat: symptomata verò sunt vehementia, quia etiam morbus in statu est vehemens, siquidem symptoma, vt symptoma semper sequitur morbum, vt vmbra corpus: hacque responsione facilè tolluntur argumēta proposita. Idem patet ex Galeni exemplo ibidem proposito de inflammatione: dum pus conficitur, inflammatio est mitior: symptomata tamen sæua fiunt: quia augetur fæbris: sæua sunt, quia sequuntur febrem, quæ sæuior est, & nō inflammationem, quæ mitior est: symptoma sæuum sequitur morbum sæuum, mite sequitur mitem.

Ad Argumēta plusquamcōmentatoris, ex dictis facilè solui possunt. Ad primum quod scilicet principiū morbi nō sit principium symptomatum: neque augmētum morbi sit augmentum symptomatum: ergo quatuor erunt tempora morborum, & quatuor symptomatum: consequentia est falsa: quia symptomata variantur non ex se: sed quia ipsi morbi variantur ob materiam: siue ob humores magis vel minus grauantes: symptoma ex se, neque habet augmentum, neque decremētum: quia eius esse consistit in hoc, vt semper insequatur morbum, vt vmbra corpus.

Ad secundum argumentum parimodo respondetur, symptomata mitiora, vel sæuiora esse, quia morbus, & eius causæ sunt sæuiores, vel mitiores. Neque admittimus morbum in principio ratione essentiæ esse in peiori statu: Galenus enim lib. de totius morbi temporibus cap. 3. & 4. dicit „ incipit morbus cum exigua humoris quantitate, & tandem ad summum venit: quia ipse cibus ex Hipp. sectione aphorismo 65. ægrotanti morbus fit. Similiter in morbi principio, dum incipit putredo, illa exigua est, tñ tamquam scintilla auget putredinem: quare ratione essentiæ febris putrida non est acerba in principio, sed semper magis fit acerba, donec natura ipsam discutit, quod fit in fine status, seu in principio declinationis.

Ad tertium respondemus, licet in febribus malignis symptomata sint parua in principio & sæua in augmēto & statu: non propterea sequitur, quod illa tempora sint symptomatū, quia sunt tēpora morbi maligni, à quo symptomata prodeūt, quę insequuntur morbi cōditiones, vt vmbra insequitur corpus: itaut si magis sæua fiat malignitas in augmento, & statu, magis sæua fiant symptomata: quia ipsi morbi sunt illi, qui variantur, & dum variantur variantur symptomata: quare non dantur quatuor tempora symptomatum, sed omnia tempora respiciunt ipsum morbum.

Ad quartum negamus, dari symptomata, quæ non insequantur morbū: sed omnia dicimus illum insequi, qui dum variatur, varia quoque obseruantur symptomata, quę semper insequuntur morbum, vt vmbra insequitur corpus: quare non dantur quatuor tempora symptomatum diuersa à quatuor morborum temporibus.

QVÆST. XXIX.

An morbus in principio sit maior, quam in statu.

Hippocrates in aphorismo dicit, vbi est morbus peracutus, statim habet extremos labores. Quærunt Expositores, an morbus in principio sit maior, quam in statu. Plusquācōmentator in arte med. considerans hunc aphorismum probat morbum in principio esse maiorem, quam in statu.

Primum argumentum est tale: Hippocrates in hoc aphorismo ait, quod morbus in principio statim habeat summos labores: ergo morbus erit maior in principio, quam in statu. Argumentum est vanissimum: quia Hippocrates intelligit de perperacutis, qui parum durant, & in toto morbo habent summos labores: itaut

M per-

perperacutus morbus fit, quasi vnus paroxysmus trium dierum, vel paulo vlterius, vt dicit Galenus in hoc comm.

Secundum argumentum: quo probat Plusquamcommentator, morbum esse maiorem in principio, tale est. Morbus eo tempore est maior, quo materia est magis copiosa, & magis cruda: sed in principio materia est magis copiosa, & magis cruda; ergo in principio morbi erit maior.

Respondetur, falsam esse maiorem, & minorem propositionem: maior est falsa: quia morbus magnus nō sumitur à quantitate humoris: In plethoricis, qui optima gaudent sanitate, multa est humoris quantitas: tamen non vexantur morbis: neque in principio morbi est maior cruditas: Galenus enim lib. de totius morbi temporibus cap. 3. & 4. inquit „ Incipit morbus cum exigua quantitate, supple humoris, & tādem ad summum venit: cur? quia ipse cibus, vt docet Hippocrates 7. sec. aphorismorum aphorismo 65. febricitanti morbus fit: quia propter morbum, vel propter febrem natura diuertitur à cōcoctione, vnde cibus malè concoctus degenerat in causam morbificam.

Sic dū incipit putredo in morbi principio, exigua quidem est: mox ita exigua, tāquā scintilla auget putredinē in augmēto, & statu: ratio proponitur à Galeno 1. de diff. feb. 4. vbi dicit, quod tāgitur à putrido putrescit: sic Galenus 2. de diff. feb. vltimo inquit, in omnium putridarū febrium principijs confluere calorem naturalem cum spiritibus ad fomitem putredinis, & inde in sanguine putredinem augeri. Hinc in morbi principio interdum maioris putredinis occasio aufertur, quod non potest fieri in augmento. & statu: quemadmodum obseruatur in vinis: dum incipiunt corrumpi, quæ si cito euētentur, uina in aliud dolium commutādo, redeūt: si verò putredo, vel corruptella sit progressa, vt vina in acetum, vel vapam redant, non amplius fient bona: quare nullo modo cōcedimus in principio morbi esse maiorem cruditatem & peiorem qualitatem. Præterea esto, quod in principio esset maior cruditas, dicimus illam esse adeo paucæ malitiæ, vt respectu materiæ, quæ reperitur in augmento non sit comparāda: quare minor propositio quoque falsa est, ꝙ scilicet materia in principio sit magis copiosa, & peioris qualitatis.

Tertium argumentum: tunc morbus est minor, quādo à natura vincitur, sed in statu vincitur, ergo tunc est minor. Respondetur vinci morbum in declinatione, vel in postrema parte status. Præterea negamus vinci morbum in statu, quia in statu est finis victoriæ: dicimus vinci in principio & augmento, quia tunc virtus est fortior, & magis disponit passum, quā in statu: sic centum guttæ cadentes non excauant saxum, vnica tamen guttula minor omnibus alijs excauat: quia ab alijs guttis materia est disposita: dicere nō possumus, guttulam postremam minimamque vincere, & excauare, sed alias disponēdo sensim vincere. Hinc in principio & augmento magis vincitur morbus, quam in statu.

Quartum argumentum, tunc maior est morbus, quando symptomata sunt summa: sed in apostematis principio, & augmento, dum fit pus, symptomata sunt summa: ergo in principio, & augmento maior erit morbus, quam in statu.

Respondetur, morbos materiales esse duum generum: aliquos esse in quibus reseruatur materia peccans ad vnicam expulsionem criticam, & tunc morbus maior est in statu: aliquos verò esse in quibus materia peccans in morbi principio incipit expelli: itaut circa finem augmenti euacuatio cessare incipiat, sicut in pleuritidis principio per tussim, sputamina euacuantur, & in fine augmenti expulsio seu euacuatio cessare incipit, itaut in vigore pleuritidis ferè tota materia peccans sit expulsa: in his summitas symptomatum est in principio, & non in vigore.

Idem dicimus de omnibus morbis, in quibus natura, vel medicus in principio, vel augmento maximè euacuat: in his certè expulsio non omninò seruatur ad vnicam expulsionem criticam. De his loquēs Hippocrates 1. de ratione vic. dicit: in pleuritide, in qua non seruatur expulsio humoris peccantis ad vnicā expulsionem; dandam esse totam ptissanam: in principio

pio verò, dum natura est grauata, & in expulsione occupata, non totam ptisanam; sed tantum eius cremorem dandum esse.

Dantur quoque alij morbi, qui leniter, & molliter incipiũt sine euacuatione: deinde augentur, reseruanturque exceremẽta versus statum ad vnicam expulsionem: de his loquens Hippocr. 1. epid. sec. 3. tex. 10. habet hæc verba „ Quidam morbi leniter, & molliter incipiũt, & postea adaugẽtur, & tandem summi sunt: dicimus in istis materiam peccantem reseruari ad vnicam criticam expulsionem, & in his, morbi sũmitatem esse summitatem symptomaticã: de his Galenus in hoc comm. intelligit, & Hippocrates in aphorismo dum dicit „ Vbi morbus peracutus est, extremos habet labores toto morbo perseuerantes: quia de perperacutis loquitur, in quibus materia peccans reseruatur ad vnicam criticam expulsionem.

Quæritur: an Hippocrates loquatur in hoc aphorismo tam de morbis salubribus, quam de lethalibus. In quæstione sequenti considerabimus, an in omnibus salubribus morbis ægri solum sanentur in morbi declinatione, ita vt sit necessariũ ad sanitatem recuperandam ægros transire per quatuor morborum tempora. Quantum attinet ad primum dicimus Hippocratem intelligere de morbis salubribus: quia proponit remedium, quo morbi per acuti sanentur, quod est victus extremè tenuissimus, nempè ieiunium.

In morbis, in quibus omninò est adempta spes, neque Hippocrates, neque Galenus aliquod proponunt remedium: Hippocrates enim 1. præsag. tex. 4. habet hanc sententiam „ Morituros prænoscens prænuncians que culpa vacabit.

Galenus 2. aphorismorum 29. asserit, desperatos nõ esse curandos, sed solo prognostico relinquendos. Immo 11. meth. cap. 9. habet hæc verba „ In quo omninò desperata salus est imprudẽtis consilij fuerit apud vulgum infamare remedia, quæ multis alijs fuere saluti. Quare cum Hippocrates in hoc aphorismo proponat remedium peracutorum morborum, dicendum est, Hippocratem loqui de ægris salubribus, qui videlicet remedio ab eo proposito in aphorismo possint restitui sanitati.

QVAEST. XXX.

An vt ægri sanentur debeant transire per quatuor morborum tempora.

QVæritur, an sit necessarium, quod, vt ægri sanentur, pertrãseant per quatuor morborum tempora: ita vt non possint sanari, nisi in morbi declinatione, in quo tempore nemo vnquam moritur: nisi casu quo in ipsa declinatione nouus alius morbus superueniat, qui possit ægrum interimere.

Nos probare possumus auctoritate, & experientia, quod ęgri possint sanari, non solum in declinatione, vt omnes putant, sed in principio & augmento. Gal. 9. meth. 4. refert se venæ sectione vsque ad animi deliquium facta in principio morbi iugulasse febrem: ergo non est necessarium, vt in omnibus morbis salubribus ægri percurrant quatuor tempora.

Parimodo Galenus 13. meth. cap. 11. dicit in principio ophtalmiæ per medicamentum purgans ophtalmiam sanasse: id potest cõtingere, si in toto corpore materia esset cocta, & in parte tantum esset cruda: quo casu facta coctæ materiæ euacuatione fluxio ad oculos cesset, & confluxa cito euanescat.

Dubium est de febre synocha: quia non videtur, quod post principium sequatur augmentum, & status: quia paracmastica, quæ est illa febris synocha, quæ semper declinat, carere videtur augmento, & statu. Similiter homotona febris est illa, quæ caret augmento, & declinatione: quia semper manet in eodem statu: quare non videtur, quod morbi materiales, qui partim fiunt, & partim facti sunt, semper habeant quatuor tempora.

Respondent nonnulli, paracmasticam, & homotonam habere augmẽtum, & statum, sed insensibilem. Nos dicimus quatuor tempora esse sensibilia: sed non considerari respectu nostri tactus: quo non distinguimus in pulsu, vel calore differentiam sensibilem: sed considerari respe-

ctu concoctionis, quę in vrina apparet, ex qua sensibiliter colligimus principiũ, augmẽtum, statũ, & declinationẽ, intelligẽdo de synocha putrida quæ partim est in fieri, & partim in facto esse. De hac quoque credimus, sanguinis missione, & alijs remedijs posse sanari nõ solũ in statu, & declinatione, sed ẽt in principio, vel augmẽto.

VBi vero nõ. Hęc est secũda pars aphorismi, in qua proponit hãc cõclusionem: quod quãto morbus magis recedat à morbo extremo, seu à vigore, tãtò plenior debeat esse cibus: quantò verò minus recedat, tantò tenuior: ita vt sicuti vigor est norma diætandi, sic virtus sit norma permittendi remedia, hac lege, vt virtus quantò validior sit, tantò validius admittat remedium, & quantò debilior, tantò lenius, & mitius.

Septima dubitatio Bresaulus, & nonnulli alij dicũt, hãc conclusionem Hippocratis propositã in secũda particula istius aphorismi non esse veram in omnibus peracutis, tum quia in illa pestilentia, de qua mẽtionem fecit Hippocrates 3. epid. 3. § 8. peste affecti magis nutriebantur in vigore, quam alijs temporibus: nihilominus sanabantur: tum quia ex Galeno 8. meth. pichrocoli nutriuntur in principio paroxysmi, & in ipso vigore, alioquin in febrem hecticam labuntur.

Bresaulus, & alij non possunt defendi: quia Galenus in cõm. 11. aphorismi huius sectionis inquit, sententiam Hippocratis in hoc loco propositam nõ solum esse veram in peracutis, sed in omnibus morbis: per omnes morbos intelligit acutos, tum quia Hippocrates hic loquitur de acutis: tum quia in chronicis non conuenit victus tenuis, sed medioeris, de quo mediocri victu non agitur in his aphorismis.

Ad instantias respondemus, quod peste coinquinati, & pichrocoli debent magis nutriri in vigore: quia magis potest virtus cum siccitate coniuncta ad indicandum cibum, quam morbus ad prohibendum: virtus enim in peste facilè cadit: immo Galenus 3. de præsag. ex puls 3. ait, quod character pestis sit virium casus: dum vires cadunt, iacta est alea, nisi statim reficiantur.

Quo ad pichrocolos dicimus, quod magis possit periculum, ne pichrocoli in hecticam labantur, quam vigor paroxysmi, & morbi ad prohibendum cibum: quia nisi illo tempore nutriantur, in hecticam cadunt.

Quare in omni morbo expedit videre, quisnam scopus præualeat, an ille qui est desumptus à viribus: an ille qui est desumptus à morbo: Notandum tamen, tunc præualere scopum desumptum à viribus, quando cum illis viribus æger non potest perdurare vsque ad finem vigoris: quia licet vires sint debiles, dummodo possint durare vsque ad finem vigoris, non indicant reficientia. Hinc Galenus comm. 4. huius sectionis habet hæc verba „ Si conseruaremus vires in acutis, quales accepimus in principio morbi, fieret additio ad morbum: ideo Medicus, vt Hippocratis preceptis obsequens sit, in acutis ita tenui victu vti debet, vt vires quoque languidæ conseruentur, hac lege tamen, vt possint durare ad finem status: quia tunc facillimè panis, & vini pauxillo possunt restaurari.

Valeant igitur illi medici, qui volunt conseruare vires, quales erant in principio morbi, & qui in ipso augmento, & in principio vigoris reficiunt ægros ouis, contuso caponis, & similibus: quia faciunt additionem ad morbum: vnde pernities, & mortes magna ex parte sequuntur.

Octaua dubitatio occurrit, dum dicit Hippocrates in secunda parte aphorismi tantum cibi esse indulgendum, quantum morbus recedit à vigore, quod videtur esse contra communem vsum: quia dum labimur in ægritudinem, statim prima & secunda die, quæ maximè distant à vigore per regulam Hippocratis, ęgri essent benè nutriendi, tamen minus nutrimur, hocque maximè iuuat.

Respondemus, in principio morbi subtrahi cibum, non ratione maximi recessus à vigore: sed ratione cruditatum, & ratione plenitudinis ventriculi ob cibos præcedentes paulo ante ingestos: quare præceptum Hippocratis erit verum post

ex...

exhibitum leniens medicamentum, cuius auxilio excrementa, quæ sunt in primis vijs sunt euacuata. Deinde plenior, vel tenuior debet esse victus, prout morb. est magis, vel minus acutus, vel (quod idē est) prout magis, vel minus à vigore recedit.

Quatuor sunt morborum acutorum differentiæ, ac quatuor sunt victus tenuis differentiæ. In perperacutis eligitur victus extremè tenuissimus, idest ieiunium. In peracutis extremè tenuis, sicuti est mulsa: sed in vigore extremè tenuissimus. In exactè acutis cremor ptissanæ: in vigore tamen extremè tenuissimus: in acutis non exactè tota ptissana. In vigore, vel extremè tenuissimus, vel mulsa tantummodo. Hæ victus differentiæ obseruantur in virtute robusta: si verò est languida, vt non possit perdurare vsque ad finem status, tunc virtuti attendendum est cibis, qui vires ita reficiant, vt possint perdurare. Quatuor dubitationes occurrunt, quæ vnica solutione tolli poterunt, vt infra.

Nona dubitatio Hippocrates in hoc aphorismo dicit in peracutis summè tenuissimo victu vtendum. In aphorismo 5. magis laudat victum pleniorem: ergo sibi contradicit.

Decima dubitatio: vbi sunt extremi labores, vires prosternuntur, sed vbi vires prosternuntur, cibo sunt reficiendæ: ergo in peracutis, in quibus extremi sunt labores, non erit vtendum victu extremè tenuissimo: quia magis est attendendum viribus, quam morbo.

Vndecima dubitatio: in peste ex Hippocrate 3. epid. 3. 58. qui magis nutriebantur liberabantur peste: sed pestis est morbus peracutus: ergo in morbo pacuto nō conueniet victus extremè tenuissimus.

Decimasecūda dubitatio: ex Galeno passim in methodo, semper magis est attendendum viribus, quam morbo: ergo victus extremè tenuissimus, qui vires diminuit, reprehendendus.

Responsio ad istas quatuor postremas dubitationes vnica est, quā multę alię difficultates tolli possunt, quæ est, quod aphorismus sit verus, vbi vires possunt perdurare sine cibo: vbi verò non possunt perdurare, illis cibis sunt reficiendæ, quibus possint conseruari ita languidæ & debiles, vt sufficiant, ac possint perdurare vsque ad vltimam partem vigoris, in qua parte nullum subest periculum, & in qua parte nemo moritur, nisi nouus superueniat morbus.

APHORISMVS OCTAVVS.

QVando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.

Zechius, Crispus, & multi alij sic connectunt. Cum Hippocrates in superiori aphorismo dixerit, in omnibus morbis peracutis esse vtendum victu extremè tenuissimo, In hoc aphorismo vult in omnibus morbis esse vtendum victu extremè tenuissimo: at non omni tempore, sed solum in morbi vigore.

Hæc connexio non continet veritatem: quia in hoc aphorismo intelligit solum de peracutis, & non de omnibus morbis. Quod sic probatur: Galenus in hoc commdicit, hunc aphorismum non esse saparatum à præcedenti; sed in præcedenti ex consensu omnium intelligit solum de peracutis: ergo non intelliget de omnibus morbis. Deinde Galenus 8. meth. 3. citans hunc aphorismum inquit esse de peracutis, & non de omnibus morbis. Postremò, si in hoc aphorismo intelligeret de omnibus morbis, aphorismus esset falsus: quia dantur morbi chronici, qui sunt adeo longi & diuturni, vt eorum vigor durare possit per mensem. Noui iuuenem laborantem quartana trium annorum cursu, quæ etiam fuit depulsa (vt obiter doceam materiam remedij) puluere radicis assari ad 3.1. & semis in principio accessionis cum vino albo generoso ter in tribus paroxysmis eodem modo sumpto. Certè vigor in hoc Iuuene fuit valde longus, atque sine cibo in toto vigore non perdurasset.

Capiuaceus sic connectit. Cum Hippo-

pocrates superius locutus sit de victu ægrotantium, quatenus victus prohibetur à toto morbo perperacuto. Reliquum erat, vt ageret de victu, quatenus prohibetur non à toto morbo peracuto, sed ab aliqua eius parte. Sed quia pars quæ cibum prohibet duplex est, vniuersalis, vel particularis: vniuersalis est vigor: particularis est paroxysmus: in hoc aphorismo dicit, Hippocratem agere de ratione victus, quatenus prohibetur à parte vniuersali ipsius morbi, videlicet à vigore. In aphorismo verò 11. quatenus prohibetur à parte particulari morbi, idest à paroxysmo: ibi enim inquit „ In accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare nocuum est.

Hæc connexio, nisi esset diminuta, non esset improbanda. Quod verò sit diminuta, patet: quia omittit quæ considerantur ab Hippocrate in secunda parte superioris aphorismi, vbi dicit, cibum esse tenuiorem, vel pleniorem prout magis vel minus recedit à vigore.

Nos sic connectimus. Cum Hippocrates in prima parte superioris aphorismi locutus sit de victu perperacutorum, ac dixerit, in toto morbo perperacutorum vtendum esse victu extremè tenuissimo. Atque in secunda parte superioris aphorismi egerit de victu omnium acutorum, qui obseruari debet in principio, & augmento, dicendo victum debere esse tenuiorem, vel pleniorem, prout morbus magis, vel minus recedit à vigore. In hoc aphorismo vult prohibere victum in vigore omnium acutorum, dicendo in vigore acutorum quando morbus habet maximam vim, non esse dandum cibum, habetque maximam vim in vigore peracutorum, acutorum exactè, & nō exactè.

Pro intelligentia istius aphorismi sex occurrunt consideranda. Primum quid intelligat per morbum. Secundum quid per vigorem. Tertium quid per victum tenuissimum. Quartum, cur Hippocrates iubeat in vigore nihil cibi dandum esse. Quintum an in vigore omnium acutorum liceat vti ieiunio. Sextum an in vigore fieri possit cibi concoctio.

Quo ad primum: quid per morbum Hippocrates intelligat, dicimus intelligere morbum salutarem, & non lethalem. Primò quia agit de morbo, qui potest peruenire ad vigorem, qui non est lethalis. Secundò quia vtitur extremo remedio, nempè ieiunio, quo Hippocrates non vteretur, si per morbum intelligeret lethalem, quia ex Galeno 2. aphoris. 29. lethales solo prognostico sunt relinquendi, atque 11. meth. 9. ait „ In quo omnino salus desperata est, imprudentis consilij fuerit apud vulgum infamare præsidia, quæ multis fuere saluti.

Quod vero Hippocrates vsus sit in morbis lethalibus remedijs leuissimis, & non extremis colligi potest ex historijs ægrotū Hippocratis in epidemicis propositis: ibi in Philisco, qui mortuus est sexto die, non vsus est pharmaco, vel phlebotomia, sed solum 2. die vsus est clystere, & in 5. die glande.

Similiter in Erasino, Hermocrate, vel Alijs morbo lethali correptis non videmus, quod Hippocrates aliquo remedio extremo vsus sit.

Quo ad secundum nempè, quid intelligat Hippocrates per vigorem, an totum vigorem, vel aliquam vigoris partem. sciendum pro intelligentia, vigorem esse tempus morbi diuisibile in tres partes, in priorem, posteriorem, & mediam: prior pars adnectitur fini augmenti, & hæc pars est vigor in fieri tantum: posterior pars adnectitur principio declinationis, & est solum in facto esse. Pars verò media partim est in facto esse, & partim in fieri: de hac parte media Hippocrates intelligit in aphorismo.

Quod verò Hippocrates per vigorem intelligat partem mediam vigoris, patet, quia vtitur dictione νόσημα, & non νόσος: νόσημα significat morbum non solum factum, sed etiam fientem: quia νόσημα est nomen verbale dependens à prima persona præteriti passiui, & omnia huiusmodi verbalia significant rem partim esse in fieri, & partim in facto esse, νόσος verò significat solum partem factam ipsius morbi: quia νόσος formaliter est mala constitutio: at sic est quod de ratione malæ constitutionis est res facta.

Hæc

Hæc tria nomina sunt inter se distincta νόσησις, νόσος, νόσημα: νόσησις significat ægrotationem, idest morbum in abstracto: νόσος significat ideam morbi, quæ est facta, & completa: νόσημα significat morbum in concreto, idest formam morbi iunctam cum materia: sed quia de ratione materiæ est alteratio: ideo νόσημα est pars morbi partim facta, & partim in fieri: quia est idea adhuc in materia. Quare cum Hippocrates in aphorismo vtatur dictione νόσημα, intelligit per vigorem morbi partem mediam, quæ partim est facta, & partem fit.

Præterea si per vigorem intelligeret vltimam partem vigoris, aphorismus esset falsus: quia æger in vltima parte vigoris est in tuto, & tunc est reficiendus: est in tuto: quia morbus tunc est victus, & superatus: est reficiendus, quia victo morbo, vires sunt augendæ.

Quo ad tertium: quid intelligat Hippocrates per victum tenuissimum, qui explicatur per illas dictiones τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ χρῆσθαι.

Prima dubitatio occurrit circa proposita verba: quia Hippocrates videtur sibi contradicere: superius enim dixit, in vigore esse vtendum victu extremè tenuissimo. Hic verò dicit solum tenuissimo sine illa dictione extremè: ideo nõnulli dicunt Hippocratem in hoc aphorismo non intelligere de ieiunio.

Respondetur Hippocratẽ in hoc aphorismo intelligere de victu extremè tenuissimo, idest de ieiunio: quod colligitur ex Græca voce τῇ λεπτοτάτῃ: quia articulus τῇ significat vltimum terminum tenuitatis, qui est ieiunium: articulus enim significat rem completam: sicuti exposuimus in 3. aphorismo ἐν τῷ ἐσχάτῳ nempe articulum τῷ ibi significare vltimum terminum plenitudinis.

Plurimi tenent Hippocratem in hoc aphorismo intelligere de potione, sicuti est mulsa, quia non nominauit victum extremè tenuissimum, qui est ieiunium. Sed aduersantur Galeno, qui in comm inquit, in vigore illorum peracutorum, quæ dicũtur peracuti non exactè, cõuenire victum extremè tenuissimum, at in hoc aphorismo loquitur de vigore. Deinde vt patet ex solutione dubitationis per τῇ λεπτοτάτῃ intelligit vltimum terminum tenuitatis, & hic terminus est ieiunium. Præterea Galenus 19. aphorismo huius sect. dicit, nihil dandum esse ante iudicationẽ: ergo tantò minus in iudicatione: sed sic est, quod in vigore fit iudicatio: ergo in vigore nihil omninò dandum, neque ipsa mulsa, contra multos, qui per tenuissimum victum intelligebant mulsam.

Nonnulli alij, vt Crispus dicunt Hippocratem in hoc aphorismo intelligere de vigore omnium morborum tam acutorum, quam chronicorum, dicũtque quod habita relatione ad alia tempora, in vigore vtendum sit victu tenuiori, quam in principio, & augmento. Primò falluntur, quia Hippocrates loquitur in his aphorismis de acutis, & non de chronicis morbis. Deinde, si per tenuissimum intellexisset cibum tenuiorem esse præbendum in vigore, quam in principio, & augmento, non esset locutus modo superlatiuo, sed comparatiuè, dixissetque tenuiori, & non tenuissimo vtendum.

Quo ad quartum: cur scilicet dicat Hippocrates, in vigore esse vtendum victu tenuissimo, tres sunt causæ. Prima proponitur à Galeno in hoc comm his verbis „ In vigore non oportet distrahere naturam ad alteram nouam coctionem: cum eo tempore natura humorum morbos facientium coctioni fortiter vacet.

Secunda causa, cur in vigore nullus cibus conueniat, est, quia tunc natura est adeo occupata morbo, vt cibus non coquatur, sed corrumpatur: deinde cibi corruptella maximè auget morbum.

Tertia causa proponitur ab Hippocrate 2. acutorum tex 48. vbi dicit, quod natura in vigore effecta debilis minus concoquat: ideo victu extremè tenuissimo vtendum: possuntque sine cibo persistere, quia quando sunt in vigore, sunt ferè in fine: ideo possunt per paucas horas sine cibo perdurare

Hinc illi medici, qui copiosius nutriunt vigoris tempore à Dogmaticis Medicis iure merito vocantur carnifices: quia tot in sæuissimo bello non occiduntur, quot ægro-

ægrotantes à cibo exhibito in vigore suffocantur. Arma hostilia, quibus interimunt ægros in ipso vigore, sunt caponis contusa, vel expressa, vel stillatitia illa viscida, iuscula crassa, oua, & quamplurima, quæ ad plenum & non ad tenuem victũ pertinent: facilesque sunt medici imperiti, vt incidant in hunc errorem, quia vident mulieres hac via incedere nempè ad miserimi ægrotantis perniciem. Nec valet, dum dicunt, ægros in vigore esse admodum debiles, quia ex Galeni præcepto comm.4. huius aphorismi habentur hæc verba „ Ægri sunt conseruandi debiles vsque ad finem vigoris, secus fieret additio ad morbum.

Deinde non distinguunt, quinam sint illi debiles, qui indigent cibo, quemadmodum Hippocrates, & Galenus 2. de ratione vic.48. distinguunt, his ferè verbis, quæ aureis litteris in cordibus nostris essent inscribenda „ Qui sunt debiles ob innanitionem vasorum egent alimento: qui verò sunt debiles ob dolores prægressos, & morbi vehementiam, non egent alimento, sed potius euacuatione.

QVÆST. XXXI.

Cur in principio morbi robusta virtus non vincat morbum: in vigore languida vincat.

AVerroes 4. coll.cap.33. quærit, cur natura in vigore, in quo est valde debilis, possit morbum vincere, cum non potuerit illum vincere in principio, vel augmento morbi, quando ipsa virtus erat robustissima.

Respondet Auerroes hoc accidere, quia actus actiuorum fiunt in patiente bene disposito, quæ sententia est Aristotelis 2. de anima 24.

Humores in principio morbi sunt rebelles, in augmento verò minus rebelles: sed in media parte vigoris sunt ita dispositi, vt à virtute debilissima & languidissima, nisi cibis distrahatur, possint vinci & superari.

De dispositione, ob quam introducuntur formæ substantiales, & accidentales locutus est Aristoteles primo Physicorũ tex.67. vbi resoluit, agentia non agere in contrarium, sed in subiectum contrarij. Ibi enim habet hæc verba „ à se inuicem contraria pati est impossibile: inde colligimus, nostras medicinas non agere in morbos, sed in subiecta viscera: inde quoque colligimus, spagiricos, qui putant suis medicinis vincere morbos, à veris medicinæ scopis lógè abesse, & quod deterrimũ est superando morbos lædere viscera, & introducere affectum contrariũ, qui est primo deterior: dirigenda est igitur actio medica in materiam: seu in subiecta viscera ea disponendo, & non in formas morbificas, alioqui actum esset de re medica. Hinc Aristoteles 8. Physi.tex. 23. disputans contra Heraclitum dicentem omnia semper moueri, dicit ante augmẽtationem & diminutionem prius fieri dispositiones, quibus effectis solum fieri augmentationem, & diminutionem: quod principium summè necessarium pro efficienda mutatione substantiali, & quauis alia accidentali: Aristoteles eodem tex. idem declarat quatuor exemplis huic contemplationi accomodatissimis. Primum est de aquarũ guttis cadentibus, & excauantibus lapidem: dicendo aliquas disponere, & aliquas paucas excauare. Secũdũ exemplũ est de arbore, quæ ex lapide nascitur, quippe quæ cursu temporis, dũ arbor augetur, disponat lapidem ad scisionem: & dispositũ vnico momento scindat. Tertium est de aquarum congelatione, quæ non fit sine præcedenti dispositione. Quartum exemplum pertinet ad nostrum propositum, atque est de ægroto tendente in sanitatem, vbi dicit, prius disponi subiecta viscera, nempè in principio, & augmento, & in prima & secunda parte vigoris: deinde post dispositionem à virtute quoque languida, & imbecilli sanitatem introduci.

Similiter post dispositiones in visceribus diu conceptas fiunt morbi, & febres curatu difficiles: dicimus curatu difficiles: quia vt colligitur ex Galeno 1. ad Glauc. cap. 2. 4. de ratione vict. comm. 115. & in historia Sileni in epidemicis propter erata

rata externa sine præcedenti viscerum dispositione: possunt quidem fieri febres diariæ, sed non febres putridæ, vel hecticæ, vel morbi curatu difficiles. Hinc Hippocrates 4. de morbis ait „ morbos diu conceptos ἀθρόος ἐκλάμψειν idest subito erumpere. Galenus verò in historia Sileni, qui propter potationes, & intempestiua exercitia incidit in affectum lethalem, habet hæc verba „ Vtique Silenus non incidisset in grauissimum affectum propter illa errata externa, nisi antea fuissent præparata viscera. Hæ sunt rationes, cur post leuissima errata, corpora multo ante malè disposita incurrant in morbos curatu difficiles, & interdum lethales. Hę quoque sunt rationes, cur in statu, natura existente debili, sanentur ægroti, quia scilicet materia tunc maximè est ad expulsionem disposita.

QVÆST. XXXII.

An in vigore omnium acutorum nihil cibi dandum sit, vt iubet aphorismus.

QVærebatur tādem, an in vigore omnium peracutorum, & acutorum seuerè vtendum sit ieiunio, vt dicit aphorismus. Respondemus, acutos esse duum generum, aliquos, in quibus reseruatur materia peccans ad vnicā expulsionem: aliquos verò in quibus natura in principio, & augmento morbi ita expellat excrementa, vt quando morbus sit in vigore, omnia accidentia sint remissa, sicuti euenit in pleuritide, in qua nō in vigore fit sputaminum expulsio, sed in principio & augmento. Posita hac distinctione dicimus aphorismum Hippocratis, qui docet in vigore esse vtendum victu tenuissimo, esse intelligendum de acutis, in quibus reseruatur materia peccans ad vnicam expulsionē & non de illis, in quibus à principio vsque ad statum excernitur materia peccans. Hæc doctrina est Hippocratis primo de ratione vic. tex. 23. & 25. vbi loquens de pleuritide habet hæc verba „ Quoties sputamina excernūtur qualia, & qualiter excerni debeāt, augenda est sorbitionis quantitas. Addimus, sed in statu seu vigore, quod idem est, expulsa sunt copiosa excrementa, ergo in vigore vtendum est pleniori cibo, quam in principio & augmento: quia in illis roborata natura in vigoris principio aliqua tenui sorbitione, quod reliquum est, ab ipsa facilius vincitur.

Præceptum Hippocratis potest etiam ampliari ad euacuationem factā ab arte: quādo videlicet in principio, & augmento medici importunè vexant ægros euacuantibus reiterādo bis, & ter non solum sanguinis missionem, sed etiam lenientia & purgantia: tunc si ægri in prima parte uigoris post hanc importunam euacuationem sunt admodum debiles absque dubio augenda est sorbitio.

Præterea est profectò prudentis consilij in principio morbi euacuare: deinde in augmento, & statu quiescere iuxta aphorismum Hippocratis 29. secundæ sec. „ si quid tibi uidetur mouendum moue in principio: in augmento uerò & statu quiescendum, quia concocta sunt medicanda, non cruda ex Hippocrate 22. aphorismo primæ sect. nam mouēdo cruda innumerabilia mala suboriuntur, sicuti explicabimus in aphorismo 22. huius sectionis.

Petrus Crispus, & nonnulli Alij dicūt, aphorismum Hippocratis esse uerum in omni morbo, & in pleuritide & alijs similibus, in quibus nō reseruatur materia ad unicam expulsionem in morbis ex bile (dicunt) nullo excepto in uigore utendum esse uictu extremè tenuissimo.

Ad Hippocratem dicentem in uigore pleuritidis esse augendam sorbitionem. Respondent esse augendam, non pro nutritione, sed ut fauces madefiant, hoc fine, ut facilius sputa reijciantur. Cæterum Crispus non tollit dubitationem: quia aliud est madefacere fauces, & aliud sorbere & deglutire. Hippocrates pro madefaciendis faucibus proposuisset ἐκλείγματα idest lambitiua, & gargarismata quæ statim expuuntur, & non sorbitionem.

QVÆST. XXXIII.

An in vigore fiat perfecta coctio.

RElinquebatur considerandum, an in vigore fiat perfecta cócoctio. Auerroes 3. coll. cap. 9. inquit: quando cessat concoctio, cessat augmentum: ergo in augmento fiet perfecta concoctio, & non in vigore: ergo in augmento erit vtendũ victu extremè tenuissimo, & nó in vigore.

Galenus verò in hoc comm. dicit, perfectam concoctioné fieri in vigore: primo de crisib. cap. 17. & 18. loquens de concoctione puris, dicit perfectum pus fieri in vigore. Similiter Hippocrates 2. de ratione vic. 48. & alibi, & in hoc aphorismo, ne diuertatur natura à concoctione, ægros non esse cibandos in vigore.

Nonnulli respódent Auerroem fuisse deceptum ab ęthimologia huius dictionis status, quasi quod status dicatur, quia natura stet, & quiescat ab omni operatione.

Nos dicimus, coctionem fieri in augmento, sed perfici in prima parte status seu vigoris, quod Auerroes non negasset. Deinde in secunda parte vigoris naturam separare humorem iam concoctum. In tertia naturam efficere expulsionem, & in declinatione perficere eandem excrementorum expulsionem: quare si natura in prima parte vigoris distrahatur cibis à morbi concoctione: in secunda parte humor noxius non separabitur ab innoxio, ac inde facilè recrudescet: si verò in tertia vigoris parte impediretur expulsio, crisis nó fieret, & sic æger morbo non liberaretur. Ad crisim bonã Galenus 4. aphorismorum 22. docet tria requiri, primo concoctionem, post concoctionem, separationem, & post separationem euacuationem.

Dubitatio Hippocrates videtur asserere in hoc aphorismo, victus rationem sumendam esse à morbi uigore: tamen primo de ratione uic. in ac. 44. Galenus docet, morbum prohibere cibum, atque solam uirtutem cibum indicare: cibus enim ex Hippocrate 7. aphorismorum 65. ægrotanti morbus fit.

Respondetur uigorem morbi prohibere, & non indicare cibum, ideo Hippocrates in aphorismo dicit, in uigore uel tenuissimo esse utendum cibo: hæcque est causa, quod tenuior, uel plenior cibus dandus sit, prout uidelicet tempus cibandi magis, uel minus distat à uigore: plenior, si multum distat: tenuior, si tempus cibandi à uigore parum distet: quia in uigore acutorum nihil dandum est. Idem est dicere in uigore utẽdum esse uictu extremè tenuissimo, ac dicere in uigore nihil cibi dandum esse.

APHORISMVS NONVS.

ONIECTARI *autem oportet, an ager cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat; & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vt morbus ante deficiat atque hebetescat.*

Nonuulli connectunt hunc aphorismum cum superiori hoc modo. Cum Hippocrates superius locutus sit de uictus quantitate sumpta indicatione à morbi uigore. In hoc aphorismo similiter loquitur de uictus quantitate, sed sumpta indicatione à uiribus.

Hęc connexio uidetur pulchra, facilis, & breuis: tamen continet falsitatem, & reluctatur ipsi Galeno. Continet falsitatem: quia Hippocrates in hoc aphorismo intelligit de maiori, uel minori tenuitate uictus: sed sic est, quod maior uel minor tenuitas pertinet ad qualitatem, & non ad quantitatem uictus, ergo agit de qualitate uictus, & non de quantitate.

Reluctatur Galeno, qa lib. de opt. secta. ad Trasyb. cap. 39. inquit „ Quãdo Hippocrates dixit in 8. aphorismo, in vigore vtẽdum esse victu tenuissimo, locutus est de qualitate, & nó de quantitate victus. Decepti fuerunt: quia videtũt Galenum

in

in comm.16. aphorismi huius sectionis, qui est victus humidus febricitantibus confert, dixisse Hippocratem in precedentibus aphorismis egisse de quantitate victus, inde putarunt, omnes præcedentes fuisse de quantitate victus: tamen solum aphorismi, qui sunt post duodecimum vsque ad decimumsextum exclusiuè, sunt de quantitate victus, & non isti precedentes, quos exposuimus.

Dicimus igitur nos, Hippocratem superius egisse de ratione victus sumpta indicatione à toto morbo perperacuto, & à vigore peracuti. In hoc aphorismo verò agere de ratione victus sumpta indicatione morbo acuto, & ab ipsa virtute: à morbo quatenus prohibet cibum: quia morbus à quantò maior est, tantò magis prohibet victum, atque quantò minor, tantò minus illum prohibet: à virtute non vt indicante cibum, sed vt coindicante, & non contraindicante: virtus verò coindicans potest comparari dupliciter ad morbum acutum: vel ad morbum acutum, in quo reseruatur materia peccās ad vnicam expulsionem criticam, de quo morbo egit superius: vel comparari potest ad morbū acutum, in quo non reseruatur materia peccans ad vnicam expulsionem: atque de his acutis in hoc aphorismo intelligit in secunda parte: sicque tractatus de ratione victus erit completus.

Sed pro intelligentia aphorismi tria sunt consideranda. Primum quid sit indicans, quid coindicans, & quid contraindicans.

Secundum in quibus casibus virtus coindicet.

Tertium in quibus casibus virtus contraindicet.

Quo ad primum dicimus, quod indicans, vel consideratur ratione morbi, vel ratione virtutis: si consideretur ratione morbi, dicimus morbum magnum indicare remedium magnum: morbum paruum remedium paruum: morbum calidum remedium frigidum, & sic de alijs: si verò consideretur indicans ratione virtutis: tunc virtus, vel consideratur in sanis, vel in ægris: si in sanis virtus robusta semper indicat cibum plenum quo ad qualitatem, & quo ad quantitatem, quæ tamen non excedat vires; virtus debilis indicat victum tenuem quo ad qualitatem, & quo ad quantitatem.

Si verò consideretur virtus in ægris, tunc virtus non amplius indicat, sed vel coindicat, vel contraindicat: coindicat, dum permittit quod indicatur à morbo: permittit, dum potest perdurare vsque ad vigorem, tunc in ægris virtus vel est robusta, vel debilis: si robusta, quantò est robustior, tantò tenuiorem victum indicat: si debilis, vel potest perdurare vsque ad vigorem, vel non: si potest perdurare, ita debilis virtus est conseruanda: si non potest perdurare non coindicat, sed contraindicat, & tunc pleniori cibo est vtēdum: quia magis potest illa virtus ad indicandum cibum, quam morbus ad prohibendum. Hinc Galenus 11.meth.cap.5. loquens de virtute quatenus est coindicans, & contraindicans protulit hæc verba „ Quoties vires ferunt, exhibendus est cibus conueniens ratione morbi: quoties verò non ferunt, augendus est victus, qualis esse potest cōueniēs ratione virium robustarum: in morbis acutis cibus est propositus à Galeno comm.4. & 7. huius sectionis, vbi dicit, in perperacutis proponendum esse ieiunium: in peracutis mulsam: in exactè acutis cremorem ptissanæ: in acutis non exactè totam ptissanam.

Quo ad secundum quod erat considerandum, in quibus casibus videlicet virtus coindicet. Sciendum in tribus casibus virtutem coindicare. In primo dum virtus est robusta, quæ semper coindicat, idest permittit quod indicatur à morbo. In secūdo dum virtus est debilis, quia sit suffocata, quo casu melius coindicat, quam virtus robusta: quia ita suffocata melius suffert ieiuniū, quam robusta. In tertio casu, dum virtus est debilis, possit tamen ita debilis perdurare vsque ad vigorem: Galenus.n. in comm.4. huius sec. habet hæc verba „ sufficit, vt virtus cōseruetur debilis vsque ad vigorem: quia in postrema parte vigoris æger est in tuto, & tuto refici potest: si verò non potest perdurare, contraindicat, indicando videlicet victum contrarium morbo, & sic spernitur etiam in perpera-

 cutis

cutis ieiunium, quo casu præberi potest prissanæ cremor.

Quo ad tertium, quod erat considerandum, nempè in quibus casibus virtus contraindicet: sciendum est, virtutem in octo casibus præcipuè contraindicare, idest non posse perdurare vsque ad vigorem sine alimento. Primus, in alimenti defectu, sicuti in valde senibus, in lienteria, in cæliaca passione, & in aliqua maxima hemorrhagia. Secundus in assuetis copiosis cibis. Tertius, in æstiuis temporibus, seu in locis calidis. Quartus, ieiunium non est obseruandum in illis, qui patiuntur lumbricos: docet enim Galenus lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 13. vbi sunt lumbrici, corpus extenuari: quia ingestum alimentum depascuntur, ipsosque lumbricos mordere, & terebrare i testina illorum, quorum ventriculus cibis vacuus est. Quintus, in ætate puerili, vel decrepita: in puerili, quia eorum corpora facilè resoluuntur: in decrepita, quia cibus magna ex parte conuertitur in pituitam vitream, quæ illos non nutrit. Sextus est imbecillitas oris ventriculi, ob quam facili de causa ob inediam fit morsus, vt accidere solebat Diodoro Grãmatico (de quo Galenus 5. de loc. aff. 6.) qui ob ieiuniũ sæpè in grauia accidẽtia epilepsiæ incidebat. Septimus, in peste coinquinatis: Galenus enim 3. de præsag. expul. 3. habet, Quod caracter pestis, & febris pestilentis, vel malignæ sit virium casus, ideo cibo reficiẽdi. Octauus in picrocholis, qui ob ieiunium incidũt in hecticam, & nisi opportunè nutriantur, moriuntur: ideo Galenus 10. meth. admonet, picrocholos in principio paroxysmi quoque esse nutriendos, tum ne incidant in febrem hecticam: tum vt humectentur cibo: quia hoc modo hecticæ periculo facilius liberantur. De his casibus mentionem facit Galenus 1. de ratione victus 44. secundo de ratione vic. 45. & alijs in locis.

Diuiditur hic aphorismus in duas partes. In prima dicit, habendam esse coniecturam de viribus ægrotantis, an possit cum victu tenuissimo perdurare vsque ad uigorem: intelligitque de uictu sumpta indicatione à uirtute comparata ad illos acutos, de quibus egit superius, in quibus reseruatur materia peccans ad unicam expulsionem. In secunda parte dicit habendam esse coniecturam de ægro, an scilicet cum uictu tenuissimo sanari possit, intelligit de victu sumpta indicatione à uirtute comparata ad illos acutos, de quibus egit 1. de ratione uic. 23. & 25. ubi dicit „ tales acutos ante uigorem deficere & hebescere, ubi Hippocrates ait tales esse interdum pleuritides, in quarum vigore dari potest tota ptissana. Parimodo dum fiunt plurimæ euacuationes à natura vel à medico in principio, & augmento, itaut morbus hebescat, ægri tunc erunt magis nutriendi in vigore, quam in principio.

Quoad uerba: dicit Hippocrates, habendam esse coniecturam supple de quantitate uirtutis ægrotantis, an possit cum præscripto uictu perdurare usque ad uigorem, quod certè solum coniectura assequi potest, sicuti animaduertit Galenus 1. ad Glauc. in principio, & 3 meth. cap. 3. dicens quantitatem assequi coniectura, illamque nec scribi, nec dici posse.

Quantitates igitur, quæ faciunt artem coniecturalem, sunt quantitates remediorum, inter quæ remedia cibi quantitas etiam collocatur, quam nos coniectura assequimur, illamque utimur in præscribendo uictu: similiter quantitas uirtutis, & quantitas morborum concurrunt ad faciendam artem coniecturalem. Præterea sunt etiam aliæ duæ quantitates, quæ faciunt eandem coniecturam, quæ ad propositum nostrum non faciunt in explicatione istius aphorismi, quæ sunt conditiones indiuiduantes, & idiosyncrisia; de qua Galenus 3. meth. 7. habet hæc verba „ si naturam propriam, quam idiosyncrisiam vocant, exquisitè cognoscerem, talem me putarem, qualem mente concipio fuisse Æsculapium.

Sed Hippocrates in aphorismo dicit, habendam esse coniecturam quantitatis virtutis, & morborum, & per consequens remediorum. Primo habenda est coniectura de quantitate virtutis: quia nisi sciamus quanta sit uirtus, scire non possumus quantum debeat esse remedium diæteticum, chirurgicum, & pharmacæuticum.

cum. Dum Hippocrates 4. de ratione vic. 19. vult, in mittendo sanguine tres scopos concurrere, nempe morbum vehementem, virium robur, & ætatem florentem, dicimus dictos scopos conspirare quoque in præscribendo victu tenuissimo.

Similiter ex Hippocrate quantitas morbi facit artem coniecturalem, quæ morbi quantitas nihil aliud est, vt docet Galenus 9. meth. 14. nisi illa certa mensura quantitatis recessus, à quo medici debent colligere remedij quantitatem: inde Galenus lib. de curandi ratione per sang. miss. cap. 12. inquit, quantitatem remedij efficere artem coniecturalem. Hippocrates igitur in aphorismo dicit, habendam esse cõiecturam supple quantitatis virtutis, & per consequens quantitatis recessus à statu naturali factus in ægro, & remediorum: quia reuera istæ quantitates solum coniectura, & nõ certa scientia dignosci possunt: quopacto verò per artificiosam coniecturam prædictæ quantitates dignosci possint, paulo infra declarabimus.

In codice Græco legitur συντεκμαίρεσθαι, idest simul esse faciendam coniecturam de viribus, & de morbis: quia duo sunt scopi: alter qui desumitur à viribus: alter, qui desumitur à morbo tamquam prohibente ipsum cibum: ideo semper videndum est, quis ex duobus scopis præualeat, ne incidamus in erratum methodicorum, qui à morborum temporibus cibandi indicationem desumebant, decepti, vt ait Galenus lib. de opt. sec. ad Trasyb. 39. à praua intelligẽtia superioris aphorismi, qui est: quando morbus in suo vigore constiterit vel tenuissimo victu vtendum: qui aphorismus est de prohibente cibum, & non de indicante: si esset facienda coniectura solum de viribus, dixisset τεκμαίρεσθαι, & non συντεκμαίρεσθαι. Deinde aphorismus nõ explicasset hoc eximium preceptum, quod scilicet simul, & eodem tempore sit necessarium vires, & morbũ perpendere: quia non valet, vires sunt debiles, ergo cibis sunt augendæ: quia si esset aliqua angina acutissima & breuissima: licet vires essent debiles, non essent augendæ, nec corroborandæ cibis: quia ita debiles possent sufficere vsque ad vigorem, qui post primam, vel secundam diem succederet: quo adepto, vel incipiente declinatione ægri ad libitum nutriri possunt, quia ex Galeno 3. de crisib. 5. & 9. in postrema parte vigoris, & in declinatione nemo moritur.

Dicit „ *an æger cum præscripto victu perduret ad vigorem*: dicit, an æger: quia in ægro duo continentur scopi, alter desumendus à viribus: alter à morbo: ideo non dixit, an virtus, sed an æger perduret: quando virtus potest perdurare vsque ad vigorem præualet scopus desumptus à morbo: quando verò non potest perdurare, præualet scopus desumptus à viribus, & merito quidem: quia indicatio desumpta à viribus obscurat omnes alias indicationes: ideo dixit coniectari oportet, nempè qualis videlicet scopus præualeat: quare vires vel possunt durare sine cibo vsque ad vigorem peracutorum, vel non possunt: si possunt, nihil cibi dandum: si non possunt, in principio, & augmento nutriendum, hac lege, vt quo magis morbus approximetur vigori, eo magis de cibo aliquid detrahatur: dum verò morbus est in vigore, summa inedia est obseruanda: si verò accidat, vt ante vigorem æger non sit nutritus, & cogatur in ipso vigore nutriri, inquit Hippocrates 2. de ratione vic. esse valde malum coactè ægros nutrire in summo morbi vigore: tamen si vires non sufficiant, & illo tempore cadere videantur, cibi ita pauxillum dandum est, vt non diuertat naturam ab opere suo: quia dum vigor est in postrema parte, itaut non amplius possit crescere, cibus tutius exhibetur: quia tunc morbus victus est.

„ *An ne prius deficiat, & cum tali victu non possit perdurare.*

Prima dubitatio: hæc est secunda pars, in qua videtur Hippocrates ponere verba superflua: immo Triuerius non intelligens verborum Hippocratis mysteria dicit, Hippocratem esse superfluum incidereque in manifestissimam tautologiam:

giam: quia Triuerius asserit idem esse deficere,& non posse perdurare.

Respondemus deficere, & non posse perdurare esse verba diuersa: non enim valet consequentia,vires deficiunt, ergo non possunt perdurare: quia vires quoque deficientes interdum possunt perdurare vsque ad vigorem: sicuti in illis,qui detinentur angina, quippe qui non possunt deglutire per tres dies: deficiunt quidem vires, sed tamen perdurant, & sanantur.

Præterea deficere indicat defectum, non omnimodam extinctionem. Insuper Hippocrates non sine aliquo misterio addit „ an prius deficiant: voluit enim admonere in morbis peracutis sufficere virtutem debilem, talemque esse conseruandam vsque ad vigorem: quæ doctrina est Galeni com.m.4. huius sectionis, vbi alimentum acutorum morborum appellat minuens vires,non conseruans,neque augens ipsas vires. Quod certè non animaduertunt Medici Plebei, qui non solum vires in acutis volunt conseruare, sed etiam augere, nó sine magna ægrotantium pernicie. Idem confirmat Galen.experiētia 10.meth.cap.13. quod scilicet vires valdè deficientes cibi pauxillo illico restaurentur, si tempore opportuno nutriantur: ibi ostendit exemplo cuiusdam iuuenis febricitantis,cuius vires ieiunio importuno à diatritarijs præscripto erant ferè extinctæ: ibi dicit Galenus, panis pauxillum cum uino tenui iuuenem sumendo statim oculos sustulisse, astantes cognouisse, & uires illicò fuisse restitutas.

Vel morbus ante deficiat, & hebescat, idest ante uigorem: Hippocrates 1.epid. 3. tex.10. inquit, dari morbos, qui in principio augentur, & deinde sub iudicio morbi mites fiunt.

Secunda dubitatio: sed quomodo morbus ante uigorem poterit deficere & hebescere? hoc certè non conuenit augmento,quod est ante uigorem,sed solum declinationi, in qua morbi deficere,& hebescere solent.

Respondetur Hippocratem addidisse hæc postrema uerba propter illos morbos,in quibus natura non conseruat totam materiam peccantem ad unicam expulsionem: sicuti obseruatur in pleuritide, in cuius principio,& augmento per tussim expellitur materia peccans. Idem obseruatur ab Hippocrate 1. de ratione uictus 23.& 25.in morbis acutis. Hique sunt,qui ante uigorem deficiunt, & hebescunt: quo casu in statu seu uigore plenius nutriri oportet, quam in augmento.

Hinc obseruamus ob tres causas ante statū, seu ante vigorem, morbū deficere, & hebescere posse. Prima ob euacuationem à medico factā in morbi principio, & augmēto satis copiosam. Eadem ratione Galen.1.ad Glauc. refert,se in principio iugulasse febrem sanguinis missione vsque ad animi deliquium. Secunda causa,dum natura expellit materiam à parte nobili,ad ignobilem. Tertia,quando materia peccans non reseruatur ad vnicam expulsionem: quando videlicet præcesserunt euacuationes per crises imperfectas, per vrinam, sudorem, per aluum, vomitum,vel per insensibilem euacuationem, quæ maior est (vt probauimus in staticis) quam omnes sensibiles euacuationes simul vnitæ. Inde fit quod Galenus 3. de crisib. cap.6. dicit in fine augmenti interdum expelli materiam coctam: deinde morbum mitiorem reddi,idest deficere, & hebescere.

Tertia dubitatio occurrit: quia interdum morbi ante vigorem ob multas euacuationes deficiunt & hebescunt, tamen in principio vigoris interimūt: ergo non valet: deficiunt & hebescunt morbi, ergo sunt salutares.

Respondemus, morbum post multas euacuationes criticas imperfectas deficere, & hebescere posse: deinde eundem morbum interimere: idque ob quatuor causas. Prima: quia materia peccans,licet pauca sit, trāsferatur ad partem nobiliorem. Secunda, quia sit delata ad locum angustiorem,in quo fiat inuincibilis. Tertia,quia vires redditæ propter præcedentes euacuationes debiles minus possint resistere. Quarta,quia humor occultet arma hostilia: quia non sit adhuc benè fermen-

mentatus: nulla enim putredo, vel malignitas ante fermentationem se ostendit.

Cæterum pro intelligentia aphorismi tria adhuc occurrunt consideranda. Primum, dũ dicit Hippocrates an æger cum præscripto victu perduret vsque ad vigorem, supponit, neminem mori posse in vigore, tamen infiniti moriuntur in vigore: Galenus enim 3. de crisib. 5. & 9. dicit hanc esse prærogatiuam solius declinationis, vt in ipsa nemo moriatur. Secundum quod est considerandum, inquit Galenus si vires sint imbecilles, & nõ possint perdurare, esse reficiendas. Quæritur de qua viriũ imbecillitate intelligat, an de illa, quæ prouenit à labore, & vehementia morbi: vel de illa imbecillitate, quæ prouenit à vasorum inanitione, quæ sine dubio ante vigorem est cibis reficienda. Tertium quomodo præcognosci, & ex quibus fontibus colligi possit, quando vires valeant, vel non valeant perdurare vsque ad vigorem: quæ consideratio est magni momenti: quia si in hac re committitur error, id in ægrotantis perniciem succedit.

Quo ad primum, dum supponit Hippocrates in hoc aphorismo, neminẽ mori posse in vigore: sciendum est, solutionem difficultatis à Græca dictione desumi: quia dicit in aphorismo πρὸς τὴν ἀκμὴν: particula τὴν significat vltimam partem, vigoris, quæ est in facto esse, & non amplius fit, in qua parte morbus est superatus: & uictus: tres sunt partes uigoris, vt dictum est: si dixisset πρὸς ἀκμὴν sine articulo, sententia esset falsa: quia infiniti possunt in prima parte vigoris, & in media ex humanis decedere: in postrema verò quæ adnectitur declinationi nemo moritur: quia æger adeptus est victoriam, & lata est sententia de bona salute ęgrotantis. Ratio quoque est: quia in postrema parte vigoris amplius non fit motus, nec morbus vltra progreditur depascendo, vel putrefaciendo: vbi non fit motus, ibi non potest fieri mutatio, vbi non potest fieri mutatio, non potest fieri corruptio, vbi non potest fieri corruptio, non potest fieri mors: quia mors est mutatio, & corruptio: immo mors supponit mutatum & corruptum esse.

Quarta dubitatio ex dictis suboritur, quia non videtur valere hæc consequẽtia: morbus est factus, & non amplius fit: ergo est victus, & superatus: quare licet postrema pars vigoris sit in facto esse, & nõ amplius fiat, non propterea morbus erit superatus, & victus: quod confirmatur experientia: quia febris hectica est in facto esse, & non amplius fit: ergo morbus est victus, & superatus, non valet, quia hectica primi vel secundi gradus potest humidum naturale depascere, & vlterius progredi.

Respondetur in vltima parte vigoris non solum morbum esse victum, & superatum, sed non amplius coinquinare, vel depascere: quia illa pars postrema immediatè adnectitur declinationi, quæ mutatio est in melius, & non in peius: ideo ęgri tunc sunt in tuto: hectici verò non sic, quoniam hectica tabes depascit exsiccando in dies magis, nisi arte infrænetur humectantibus, & refrigerantibus.

Quo ad secundum: cũ dicat Hippocrates: si vires sint ita imbecilles, vt non possint perdurare, quæritur de qua imbecillitate intelligat. Respondet Galenus 2. de ratione vic. 48. vires deficere ob duas causas, nempe uel ob defectum alimenti, quo casu, nisi reficiantur, non perdurant, sed breui spacio exoluuntur, & ægri moriuntur: vel ob laborem & vehementiam morbi nulla tamen existente vasorũ inanitione, hoc casu non exhibetur cibus. Hinc Hippocrates 2. de ratione uic. citato habet hæc verba „ ingens malum est dare potum, & sorbitionem corpori debilitato ob laborem, & acumen morbi. Ecce non valere consequentiam, vires sũt debiles ob laborem, & vim morbi, ergo reficiendæ sunt cibis: Galenus in prædicto comm. 48. habet hæc verba „ sæpè ægri ob dolorem sine pulsu redduntur, & animi defectione vrgentur ob morbi vehemẽtiam, in his non est danda sorbitio, nisi accidat, quod illa imbecillitas pẽdeat à vasorum inanitione: hæc accidentia, vt asfixia, quę est pulsus amissio, & animi defectus fieri possunt, vel ex repletione, vel ex veneficis qualitatibus prodeũtibus ab

vtero, vel ab alijs partibus: quare hæc corpora propter hæc accidentia reddita imbecillia, & admodum languida, cibis non sunt reficienda, nisi casu, quo vasa sint inanita. Valeant igitur nostratum plurimi, qui non distinguunt imbecillitatem prodeuntem à vasorum inanitione ab illa quæ pendet à dolore, vel morbi vehementia.

Notandum, vasorum inanitionem (ut perfectè illam dignoscamus) à sex causis fieri posse. Prima ab euacuatione sensibili facta à medico, uel à natura, cuiusmodi est aliqua insignis hemorrhagia, uel fluxus, uel nimij sudores.

Secunda ab euacuatione insensibili, quæ præcipuè fit in corporibus rari habitus, qui facillimè resoluuntur. Hæc insensibilis euacuatio solet esse longè plenior, quam omnes sensibiles simul unitæ ut declarauimus in aphorismo 4.1. sect. staticæ nostræ.

Tertia à longa inedia fit uasorum inanitio.

Quarta à laboribus præcedentibus.

Quinta à præcedentibus uigilijs, cui iuncta sit inedia.

Sexta à maximo, & diuturno morbi labore, cui unita sit parimodo aliqua inedia: in his casibus, cibis uirtus est reficienda.

Insuper reficienda est, dum adsunt contraindicantia, quæ satis superque declarauimus, cuiusmodi sunt alimenti defectus, consuetudo multorum ciborum: æstiua tempora, ætas puerilis, uel senilis, lumbrici, morsus oris uentriculi, qualis erat in Diodoro Grammatico: pictrocholi, & peste affecti.

QVÆST. XXXIV.

Ex quibus signis colligitur, an vires possint perdurare ad finem status.

QVomodo uerò præcognoscatur, atque ex quibus signorum fontibus colligi possit, an uires possint uel non possit perdurare usque ad finem status: paucis explicabimus.

Primo sciendum, tres esse uirtutes corporis nostri custodiendas, nempè animales, naturales, & vitales, & præcipuè vitales, quia in hoc aphorismo de his intelligit: Galenus enim 1. de ratione vic. 44. dixit, vitalem facultatem esse respiciendam, dum cibamus, & purgamus: subdit „ ope facultatis vitalis sani edimus, bibimus, cætera omnia vitæ munia exercemus: propter hanc nos ægros nutrimus.

Quo ad animales virtutes, dicimus facilè perdurare posse, quod cognoscitur ex commoda inspiratione, quæ maximè ad vitalem virtutem confert: non enim vt cognoscatur virtus animalis imperamus ægrotantibus vt ambulent, vel eant saltatum, quia (vt dixi) commoda, & quieta inspiratio est signum sufficiens, quod facultas animalis perdurare possit. Deinde animales sunt istius conditionis, vt morbo depulso facilè reficiantur.

Parimodo naturales virtutes facilè perdurant, nisi cibis multis opprimantur: ideo Hippocrates in hoc aphorismo præcipuè intelligit de virtute vitali, sine qua neque animales, neque naturales refici possunt.

Quo ad vitales, ex quibus signis videlicet possint præcognosci, an possint perdurare cum victu tenuissimo vsque ad uigorem. Nos confugimus ad quinque signorum fontes.

Quorum primus desumitur à resistentia arteriæ: resistentia uerò cognoscitur, dum quatuor digitis comprimitur, & compressa resistit: in plurimis ægrotis pulsus videtur debilis, tamen illum comprimendo resistit, ille certè non est debilis.

Secundus fons desumitur à pulsus æqualitate, itaut ualeat consequentia, pulsus est æqualis, ergo non est debilis, quia omnis pulsus factus iusto debilior est inæqualis.

Deinde inæqualitas pulsus distinguitur hoc modo: uel consideratur in unica pulsatione, uel in pluribus, quæ dicitur sistematica idest collectiua: inæqualitas in unica pulsatione solet efficere tres pulsus inæquales: quorum primus est intercisus, idest inæqualiter excur-

currens. Secundus est dicrotus idest bis feriens. Tertius est transiens à celeritate ad tarditatem, vel vice versa. Si verò consideretur inæqualitas in sistematica, idest in pluribus pulsationibus; tunc arteriæ occursatio non est similis; quia oriuntur decem tales differentię inæqualitatis pulsus, quæ sunt istę, nempe in magnitudine, paruitate, duritie, mollitie, vehementia, humilitate, crebritate, raritate, tarditate, & frequentia.

Tertius fons desumitur à differentia inter pulsum humilem, & debilem, quam differentiam nos ex pulsilogio sic comprehendimus: si pulsus ægrotantis tactui nostro occurēs videatur debilior, quam fuerit die antecedenti; inueniatur tamen cum aliqua minori frequentia, perceptibili per nostrum pulsilogium: ille pulsus nullo modo erit debilis, sed humilis: fitque humilis, quia vehementia causarum morbificarum remissa sit, qua remissa, virtus vitalis commodè potest perdurare vsque ad vigorem.

Quartus fons, siue quartū signum indicans virtutem posse perdurare desumitur à pulsu resistente. Cognoscitur resistentia, si saltem semel ipsum tangendo vehementius feriat digitos.

Quintum signum, si pulsus modo eleuetur, modo vix eleuetur significat oppressionem, & suffocationem virtutis: hæc virtus ita oppressa est illa, quæ magis potest cum ieiunio perdurare, quam robusta: quia robusta per ieiunium minuitur: suffocata verò per ieiunium augetur.

Quo ad naturalem virtutem, hæc est apprimè necessaria, sed non in omni morbo, sed solum in morbis materialibus, qui concoctione superantur. Hinc Galenus 4. de præsag. expul. cap. 12. vult, facultatem naturalem in morbis materialibus esse principalem; sequi deinde vitalem, & deinceps animalem: vult esse principalem habita relatione ad concoctionem, sed non ad vitam protrahendam, quod non naturali, non animali, sed principaliter debetur vitali.

Colligimus ex tribus fontibus signorum, an naturalis cum victu tenuissimo possit perdurare vsque ad vigorem.

Primus fons colligitur ex concoctione, & humorum malorum separatione, quæ omnia obseruantur præcipuè in vrinæ nubecula, hoc modo: si versus fundum vergat, indicat magna ex parte ipsum statum: si verò in superiori parte persistat, indicat principium augmenti: si in medio, finem augmenti: si versus fundum detineatur, ipsum statum significat. In alijs quoque euacuationibus, quæ per aluum, & per tussim fiunt: idem quoque, si alia signa consentiant, indicare possunt; habemus enim ex Galeno 4. aphoris. comm. 22. ad crisim tria esse necessaria, nempè concoctionem, separationem, & expulsionem.

Secundus fons signorum indicantium vires naturales robustas desumitur ex appetentia: quia Galenus 3. epid. 3. comm. 72. habet, facultatem naturalem imbecillam cognosci ex inappetentia: robustam verò ex appetentia naturali; ibi loquitur Galenus de Pario, qui mortuus est die 120. præcognouit Hippocrates ex Parij inappetentia facultates naturales vsque ad vigorem nō duraturas, & propterea moriturum.

Tertius fons desumitur à perspiratione insensibili, estque præcipuus, quia perspiratio, si debita & solita quantitate, & solito tempore fiat, certè indicat facultatem naturalem esse robustam. Quopacto vero facillimè in sanis, & ægris possimus dimetiri perspirationem, in staticis nostris, & in commentarijs supra Auicennam docuimus.

APHORISMVS DECIMVS.

QVIBVS *igitur statim morbus consistit, his statim tenuis victus adhibendus est: quibus verò posterius debet consistere, his, & ipso consistendi tempore, & parum ante.*

O illud,

illud, cibus subtrahendus, prius verò vberius agendum, vt æger sufficiat.

Hic aphorismus adeo facilis visus est, vt à multis non fuerit iudicatus dignus expositione: nihilominus nonnulla pauca in ipso scitu digna obseruari possunt.

Nonnulli dicunt, Hippocratem in hoc aphorismo colligere per epilogum, quæ hactenus dicta sunt de victus ratione: itaut hic aphorismus sit præcedentium epilogus. Hocque probant ratione, & auctoritate Hippocratis & Galeni. Ratione, quia in hoc aphorismo proponit victum tenuem, & tenuissimum: sed de victu tenui, & tenuissimo superius egit: ergo est epilogus. Confirmant quoque auctoritate Hippocratis, quia vtitur his vocibus (quibus igitur) bis repetens has voces: quare inferunt esse epilogum. Idem cõfirmant auctoritate Galeni: quia in comm. habet hæc verba „ In hoc aphorismo Hippocrates habet eundem sermonem cum sermone, quem habuit superius.

Ex alia parte nos defendimus, non esse epilogum, quia Hippocratis grauitas, & dicendi breuitas non admittunt epilogum. Præterea epilogus in aphoristica doctrina non est necessarius, ac quando esset necessarius, esset ponẽdus in fine huius sectionis, & non paulo post principiũ. Demum nunquam inuenietis epilogum in operibus Hippocratis, neque in fine huius sec. neque in fine septimæ sectionis, neque in fine aliorum librorum: pepigit enim hoc ab initio, dum dixit (vita breuis,) nullam proferre syllabam sine summo artificio: quare adduci non possum, vt credam, hunc aphorismum esse epilogum.

Ad instantias, dum dicebant, Hippocratem loqui in hoc aphorismo de victu tenui, & tenuissimo, de quo egit superius. Respondemus, Hippocratem in hoc aphorismo, nec victum tenuem, vel tenuissimum nominasse, sed solum dixisse λεπτῶς, idest tenuiter esse alendum.

Ad argumentum desumptum à verbis Hippocratis qui bis repetit (quibus igitur) ex qua repetitione colligũt, aphorismum esse illatum ex superioribus, & propterea esse epilogum. Respondemus, quod hac ratione sequeretur, omnes libros Euclidis esse epilogum primi libri, quia demonstrationes omnium librorum tandem inferũtur ex primis principijs, de quib. egit in primo libro. Præterea epilogus non infertur ex superioribus, sed breuiter repetit quæ dicta sunt in toto libro.

Ad Galenum dicentem Hippocratem habere eundem sermonem cum sermone superiori, respondemus esse eundem sermonem, sed sermonem superiorem esse magis particularem, hunc verò esse magis vniuersalem: superius intellexit solum de peracutis exactè, & non exactè; hic verò aphorismus potest ampliari ad acutos exactè, & non exactè, ad acutos ex decidentia, & ad chronicos, quod *scilicet* in ipso vigore omnium morborum tenuiter sit alendum. Demum mirãdum est, quomodo multi dicant, hunc aphorismum esse repetitionem septimi & octaui quod nullo modo defendi potest. Non est repetitio septimi: quia in septimo vult esse vtendum in toto morbo victu extremè tenuissimo: in hoc verò aphorismo de hoc victu ne verbum quidem: non est repetitio octaui, quia in octauo vult esse vtendum victu extremè tenuissimo in vigore peracuti: in hoc verò aphorismo vult in vigore omnium morborum tenuiter esse alendum.

Intentio igitur Hippocratis in hoc aphorismo est docere modum, ordinem, & progressum, qui obseruari debet in omni morbo circa rationem victus, itaut iste aphorismus sit omnium aphorismorum regula de victus ratione in quolibet morbo obseruanda.

Diuiditur aphorismus in tres partes. In prima docet ordinem cibandi, qui debet obseruari in morbis, qui statim vigent: dicitque tenuiter in his esse alendũ. In secunda docet ordinem obseruandum in morbis, qui non statim vigent, dicitque in ipso vigore, & paulo ante esse demendum cibum. In tertia dicit (antea) idest in principio & augmento morbi plenius esse alendum.

Quo

Quo ad primam partem ait „ *Quibus vigor statim futurus est tenuiter esse alendum*: ergo non intelligit de perperacutis: quia in perperacutis nihil dandum est: non intelligit de peracutis, vt multi putant, quia in peracutis non tenuiter, sed tenuissimè est alendum: ergo intelligit de acutis exactè, & de acutis non exactè, in quibus vtimur victu tenui, vel tenuiter nutrimus, quod idem est.

Quo ad secundam partem „ *Quibus verò posterius*: non dicit parum posterius, vt præceptum possit ampliari ad acutos ex decidentia, & ad chronicos, in quorũ vigore paulo ante est demendus cibus: quæ quidem sententia non conuenit acutis quia in acutis in vigore ipso non parum, sed multum cibi est demendum.

Quo ad tertiam partem per se est clarissima. Declarauit Galenus in 5. comm. huius sectionis, cibum diuidi in tres differentias, videlicet in tenuem, qui dicitur minuens, in mediocrem, & in plenum. Tenuis conuenit acutis: mediocris acutis ex decidentia, & chronicis: plenus verò conuenit sanis robustis: in hoc aphorismo intelligit de tenui, & mediocri.

Dicit *in principio plenius esse alendum*: quia Hippocrates 2. de rõne vic. tex. 15. habet „ melius est sorbere in principio, quam inanitis venis, quia tunc est tempus iudicij, quod per cibum impeditur.

Prima dubitatio occurrit non spernenda: quia Hippocrates videtur desumere indicationem cibandi, & euacuãdi à morborum temporibus, quod in arte medica nõ admittitur: cibandi, quia in hoc aphorismo inquit. in vigore tenuiter esse alendum. Paulo ante vigorẽ cibũ esse demendum: in principio & augmento plenius esse alendum: ergo indicationem cibandi desumit à morborum temporibus. Euacuandi, quia 2. sect. aphorismorum 29. dicit Hippocrates „ Si quid tibi videtur mouendum mouè: cum verò consistit, & viget morbus ab euacuatione quiescẽdũ. Hęc doctrina aduersatur Galeno lib. de optima secta ad Trasyb. vbi ostendit, nullam indicationem cibandi, vel euacuandi esse desumendam à morborum temporibus. Non cibandi: quia ex Galeno 5. aphorismorum 64. & 1. de ratione vic. 44. indicatio cibandi desumitur à viribus. Non euacuandi: quia indicatio euacuandi desumitur ab humoribus præter naturam.

Respondemus tempora morborum secundario, & per accidens indicare & cibum, & euacuationem. Sic dicimus principium morbi per accidens indicare cibum pleniorem: quia natura tunc non certat cum morbo. Similiter principium morbi indicat esse euacuandum; quia in principio natura non est occupata morbo.

Sed pro intelligẽtia aphorismi duo occurrunt consideranda. Primum an sit vera Hippocratis sententia, quod versus statum cibus sit subtrahendus. Secundum cum dicat Hippocrates ante statũ cibum esse demendum, cur non dicat etiam statim post statũ, idest in declinatione parũ cibi esse dandum: quemadmodum, & ipse Hippocrates & Gal. 1. de ratione vic. 25. de nutriendo ægro in declinatione obseruant: quia natura valde abhoret saltum ab extremo ad extremum, ideo si nihil in vigore dandum sit, in declinatione non multum, sed parum cibi exhibendum.

Secunda dubitatio: quo ad primum, non videtur ante statum cibum subtrahendum esse: quia Hippocrates 1. de ratione vic. 23. in quibusdam acutis in principio dat cremorem ptissanæ: in statu totam ptissanam: ergo versus statum, & in statu ipso non solum cibus est subtrahendus, sed augendus. Deinde Auicennas lib. 3. fen. 16. tract. 2. cap. 7. agens de dysenteria iubet primis duobus diebus à cibo abstinendum, deinde esse alendum: similiter in angina Auicennas primo dat oxymel, & aquam hordei: deinde auget cibum præbendo oui vitellum. Demum secundum communẽ vsum in acutis prima & secunda die ferè nihil damus: deinde summo cum beneficio tenuiter nutrimus, quod valde iuuat: ergo versus statum in acutis cibus non est subtrahendus.

Ad Hippocratem respondemus, ipsum dedisse versus statum integram ptissanam in pleuritide: quia pleuritis versus statũ incipit deficere, & hebescerẽ: quia materia peccans vt plurimum in pleuritide

non reseruatur ad vnicam expulsionem: ideo pleuritici versus statum, & in principio status sunt minus grauati, quam in principio, & augmento morbi. Aphorismi verò Hippocratis sunt de acutis, in quibus reseruatur materia peccãs ad vnicam expulsionem. Ipse Galenus 3. de ratione vic. vlt. proponit hãc distinctionem de acutis, quod aliqui sint, in quibus tota materia morbifica ad vnicam expulsionem reseruatur, de quibus locutus est Hippocrates in aphorismis præcedẽtibus: aliqui verò sunt, in quibus non reseruatur materia morbifica ad unicam expulsionem, sed in principio, & augmento semper euacuatur: itaut morbi in statu incipiant deficere, & hebescere: sicuti sunt pleuritides multæ, anginç, & febres, in quibus natura vel medicus plus debito, & importunè euacuat in principio, & augmẽto: ideo in statu ægri minus grauati morbo pleniori tractantur cibo.

Ad Auicennam respondemus multis modis. Primò dicimus in dysenteria, angina & alijs inflammationibus parcius esse alendum in principio nõ ratione morbi, sed vt prohibeatur fluxio: isti enim morbi in principio propter fluxionẽ maximè augentur, nisi paucis cibis tractentur: ideo fluxio magis potest ad prohibendum cibum, quam ad permittendum.

Secundò respondemus in dysenteria, angina, & phrenitide primis diebus esse cibos amouendos gratia præseruationis: quia isti morbi primis diebus valde augentur. Tertiò in principio vtimur omnimoda inedia in his affectibus: quia ventriculus, & venæ meseraicæ sunt refertæ pituita alimentali, quæ supplet vices alimenti: ideo à cibo abstinendum. Quartò in dysenteria à cibis abstinemus: quia remedia pro dysenteria magna ex parte habent vim nutriendi. In dysenterico affectu vtimur loricantibus, sicuti est iusculum pedum vituli, quod habet vim loricandi, & nutriendi: deinde vtimur euacuãtibus, & refrigerantibus humores mordaces, quæ aliquomodo nutriunt, sicuti sunt tamarindi, diapruna sine scamoneo ad drachmas quatuor cum sero lactis chalibeato, quod medicamentum euacuat, refrigerat, corroborat, & aliquomodo nutrit.

Præterea diuertimus fluxionem ab intestinis diureticis, cuiusmodi sunt lac amygd. dulc. seminum melonum cum aqua vilensi conuersa in iusculum paruæ pulæ. Demum vtimur astringentibus, & corroborantibus, sicuti sunt diasorbon, diamespillum cum pauxillo seminum acaciæ, diacitonium, offa panis in succo citoniorum, vinum ex prunis siluestribus, & in casu difficili caseus antiquus dulcis lotus & decoctus in miua citoniorum, est Auicennæ præstantissimum quidem: itaut ipsa remedia dysenteriæ ferè omnia nutriant: clysteres ipsi loricantes ex iusculo intestinorum cum sæuo hyrcino cum oui vitello & albumine cum vncia litargirij, quippe qui tollunt tenesmum, sanant vlcera, & aliqua ex parte nutrire possunt. Propter has causas in principio, & toto morbo in dysenteria cibus subtrahendus est.

Ad experientiam desumptam ab vsu communi, quod scilicet prima & secunda die maximè iuuet, si cibus non sumatur. Respondemus non ratione morbi iuuare, sed quia primis diebus corpora sunt repleta cruditatibus, quæ per ieiunium in nutrimentum conuerti possunt.

Postremò respondemus ad omnes difficultates: regulas Hippocratis non verificari, quando virtus contraindicat: dum enim dicit, in perperacutis nihil dandum regula non tenet, si virtus vt debilis contraindicat. Similiter dum dicit, in vigore peracutorum nihil cibi dandum, non debet obseruari, si virtus contraindicet: contraindicat vero in octo casibus, quos superius distinctè recitauimus.

Tertia dubitatio: quo ad secundum cur Hippocrates nihil dicat quid sit agẽdum statim post statum, videlicet in ipsa declinatione, sicuti docuit primo de ratione vic. 25. Respondent multi Hippocratem dum dicit (sub vigore) comprehendere quoque declinationem: quia præpositio (sub) significat paulò ante, & paulo post vigorem.

Hæc interpretatio est nimis violenta: quia

quia in Græco legitur πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον, ideſt ante ipſum parum auferendum, & non ſub ipſo; apud Græcos nunquam præpoſitio πρὸ ſignificat ſub, quare dum interpretantur ſub ipſo, efficiunt textum mendoſum, legendum enim eſt ante ipſum.

Dicimus igitur nos, Hippocratem in hoc loco non agere de ratione victus obſeruanda in declinatione, ſed de ratione vic. habita relatione ad vigorem: quia dum morbi ſunt in declinatione, nemo moritur, vt animaduertit Galenus 3. de criſibus c.5.& 9. ideo conſideratio declinationis ad hos aphoriſmos nō pertinet.

APHORISMVS VNDECIMVS.

In acceſſionibus abſtinere oportet, nā cibum dare nocuum eſt, et quibus per circuitum fiunt ceſſiones, in ipſa acceſſione abſtinere oportet.

In illis aphoriſmis Græcis, in quibus inuenitur dictio δὲ ideſt autem: cōtinuatur hic aphoriſmus cum poſtremis verbis præcedentis aphoriſmi hoc modo: poſtrema verba ſunt „ antea verò plenius alendum videlicet in principio & augmento; ne quis igitur crederet in omni tempore principij, & omni tempore augmenti ægros eſſe alendos, Hippocrates ſtatim in hoc aphoriſmo excludit tempus paroxyſmi, quod in principio, augmento, & ſtatu morbi fieri ſolet: hæc continuatio eſt Philothei; habet enim hæc formalia verba „ Cum docuerit Hippocrates in ſuperiori aphoriſmo, quando oportet nutrire; nunc docet quando non oportet.

Sed quia dictio δὲ ideſt autem non eſt in cod. Galeni: ideo conectemus aphoriſmum non cum vltimis verbis præcedentis aphoriſmi, ſed cum alijs aphoriſmis ſuperioribus, hoc modo. Cum Hippocrates ſuperius egerit de victu ægrotantium quatenus à toto morbo peracuto prohibetur. Reliquum erat vt ageret de victu ægrotantium, quatenus prohibetur à parte morbi: ſed quia pars morbi cibum prohibens duplex eſt, alia vniuerſalis, & alia particularis: de vniuerſali ideſt de vigore egit quoque in aphoriſmo ſuperiori, dum dixit in vigore tenuiter eſſe alendos ægros: relinquebatur, vt ageret de victu ægrotantium, quatenus prohibetur à parte particulari, quæ eſt paroxyſmus: ideo inquit in hoc aphoriſmo, in ipſis paroxyſmis, ideſt in ipſis acceſſionibus cibum adimere oportet.

Cardanus ſic connectit, & rectè: cibus prohibetur ſolum ab his tribus, nempè à morbi genere, à tempore, & ab acceſſione: de morbi genere intellexit, dum dixit, in toto morbo perperacuto nihil cibi dandum: de tempore prohibente cibum intellexit, dum dixit in vigore peracutorum, vel tenuiſſimo cibo vtendum: de acceſſione in hoc aphoriſmo, dum dixit, in ipſis acceſſionibus cibum adimere oportet.

Eandem doctrinam Hippocrates manifeſtius, & clarius docet 1. de ratione vic. 46. & 4. de ratione vic. 39. dicimus manifeſtius, & clarius: quia non ſolum docet cibum eſſe adimendum in acceſſionibus, ſed docet, quando ægri ſint cibandi his verbis „ Cum pedes fuerint frigidi, non ſolum à ſorbitione, ſed etiam à potu eſſe maximè temperādum, ſed cum caliditas ad pedes deſcenderit, & reliquerit cor, & thoracem, dandum eſſe cibum.

Hic aphoriſmus ad purgationem, venæ ſectionem, & ad quoduis aliud præſidium ampliari poteſt: immo concluditur argumento à minori efficaciſſimo, quod in acceſſionibus, vel paroxyſmis non conueniant remedia chirurgica, nec pharmaceutica: argumentum enim ſic deducitur: ſi de quo minus videtur ineſſe & ineſt, ergo de quo magis, nempè ſi cibus non eſt dandus in acceſſionibus, tanto minus erunt adminiſtranda remedia chirurgica, vel pharmaceutica: quia hæc, naturam à certamine cum morbo

magis distrahunt, quam cibus. O quoties nostratum plurimi non animaduertentes an pedes sint calidi, vel frigidi, dant cibum, dantque medicamenta, venam secant, quando adhuc extremæ partes frigescunt: vnde fit, quod sæpissimè ægrotantes intertimant.

Diuiditur aphorismus in duas partes. In prima docet, non esse dandum cibum in paroxysmis: quia cibum dare noxium est. In secunda non esse dandum cibum in paroxysmis, seu in accessionibus, quod idem est, illorum morborum qui habent circuitus.

Ex hoc aphorismo colligi solet hæc demonstratio. Abstinendum est ab omnibus his, quæ nocent ægroto: sed cibum dare in accessionibus nocet ægroto: ergo in accessionibus à cibo abstinendum. Parimodo Galenus lib. 12. meth. in principio & lib. 14. eiusdem inquit, officium medici esse cito, tuto, & iucundè sanare. Hi tres scopi propositi fuerunt ante Galenum ab ipso Asclepiade. Similiter Hippocrates lib. 1. epid. sec. 2. tex. 50. inquit his verbis „ te ita exercito in morbis vt prosis, aut ne quid noceas.

Sed quia idem videtur esse quod dicit in prima parte, & in secunda: in prima dicit „ in accessionibus abstinere oportet. In secunda in accessionibus, quæ redeunt per circuitus: sed sic est, quod morbi qui habent paroxysmos sunt illi, qui redeunt per circuitus: ergo superfluus est Hippocrates. Auctores valde laborarunt in declarando quid intelligat Hippocrates in prima, & quid in secunda parte.

Philotheus asserit, Hippocratẽ in prima parte intelligere de paroxysmis omnium febrium. In secunda de paroxysmis omnium morborum, qui redeũt per circuitus.

Oribasius vult, Hippocratem in prima parte intelligere de paroxysmis febrium, & omnium morborum. In secunda addit aphorismo Hippocratis dictionem paulò ante, dicens, aphorismum esse legendum hoc modo, non esse nutriẽdum paulò ante paroxysmos, itaut Hippocrates faciat mentionem de morbis, qui habent certos circuitus, in quibus facilè cognosci potest, quando sit cibandum paulo ante accessionem.

Ambo aduersantur Galeno: quia in comm. vult in prima parte Hippocratem intelligere de paroxysmis omniũ febrium continuarum. In secunda de paroxysmis febrium intermittentium, & omnium morborum, qui redeũt per circuitus, sicuti sunt apoplexiæ, asthma, collicus dolor, catarrhus, hæmicranea, hęmorrhagia, lienosus affectus, mania, melancholia hypocondriaca, nephritis, podagra, vertigo: Demum omnes affectus hæreditarios, qui redeunt per circuitus, amplexus est.

Quod verò Galenus in prima parte intelligat de paroxysmis continuarum febrium, & in secunda de paraxysmis intermittentium, & aliorum morborũ, qui redeũt per circuitus, patet, quia habet hæc verba „ In accessionibus licet dare cibũ, vel quando declinant, vel quando cessant paroxysmi. Dum dicit, vel quando declinant intelligit de paroxysmis continuarum febrium: dum dicit, vel quando cessant, intelligit de paroxysmis intermittẽtium, qui redeunt per circuitus. Deinde confirmatur, quia in superioribus egit de continuis febribus, ideo prius de ipsis intelligere debet. Quare reijciendi sunt Oribasius, & Saluus Sclanus, qui addunt verba aphorismo Hippocratis dicentes, legendum esse paulo ante accessionem, cum nihil dicat.

Quo ad verba dicit in accessionibus abstinere oportet. Per accessiones intelligit quatuor tempora accessionis siue paroxysmi, videlicet principium, inæqualitatem, augmentum & statum accessionis, in quibus temporibus à cibo abstinẽdum est: declinatio verò propriè non est pars accessionis: idem enim significat accessio, & paroxysmus, sed est reuera pars circuitus.

Deinde notandum ex Galeni cóm. 19. per accessiones, in quibus non est dandus cibus, esse intelligendas accessiones ordinatas, & non inordinatas: quia in accessionibus inordinatis non habemus regulam de victu exhibendo.

Præterea notandum est præceptũ Hippo-

pocratis, dum dicit, non esse cibandum in paroxysmis, limitandum esse, quod non habeat locum in contraindicantibus, sicuti in picrocholis, qui ex Galeno 10. meth. 3. nisi in principio paroxysmi cibo humectentur, incidunt in hecticam febrem. Parimodo præceptũ Hippocratis non habet locum in his octo casibus, de quibus etiam superius, videlicet in alimenti defectu, in corporibus qui multis, & copiosissimis cibis sunt assueti, in ætate puerili, vel senili, in morsu oris ventriculi, in peste affectis, in locis calidissimis, in quibus facilè corpora resoluuntur, & in habitu bilioso, sicuti sunt picrocholi, qui etiam in accessionibus sunt cibandi.

Insuper ægri non sunt cibandi in paroxysmis aliorum morborum, vt in dolore collico, nephritico, & alijs doloribus, secus dolores fierent sæuissimi: causa verò, cur neque in accessionibus, neque in ipsis doloribus, neque paulo ante ægri sint cibandi, colligitur ex Galeno 3. de diebus decret. cap. 8. dicente paroxysmos esse quasi stimulos incitantes naturam ad pugnam: additque in paroxysmis fieri crisim: ideo cibis naturam non esse diuertendam à certamine cum morbo.

Notandum quoque est, Hippocratem per cibum intelligere cibum solidum ad differentiam potus, quia potus alterantes, vt syrupi, vel iuscula tenuissima in statu morbi, quando calor ad pedes descenderit, non prohibentur.

Et quibus per circuitum. Circuitus Gręcè dicitur periodus: circuitus differt à typo: quia periodus (vt exemplis illustremus) quotidianæ febris est 24. horarum, tertianæ 48. quartanæ 72. typus verò significat ordinem ipsum: hinc dicitur typus quotidianus, tertianus, & quartanus: vltra hos ordines medici in praxi non cognoscunt alios typos: quamuis Hippocrates 1. epid. 3. tex. 2. clarè dicat, dari quintanam, septimanam, & nonanam febrem: Galenus verò in illo comm. solum fatetur, se obseruasse obscuras quasdam quintanas. Ibidem Galenus laudat Dioclem: quia contradixit Hippocrati de septimanis, & nonanis febribus. Quare ego suspicor hanc opinionem de septimanis & nonanis febribus non fuisse Hippocratis: sed fuisse additam ab aliquo antiquissimo Auctore: ratio quæ me mouet est, quia Hippocrates in alijs suis operibus nunquam facit mentionem de alijs febribus intermittentibus, quam de tertianis & quartanis.

Sed varia occurrunt consideranda pro intelligentia istius aphorismi. Primum quomodo fiant paroxysmi febriles: quia illi sunt euidentiores, quam sint paroxysmi aliorum morborum; hoc cognito facilius intelligemus, cur in accessionibus abstinendum sit à cibis. Secundum quot sint tempora vniuersalia morborum, & quæ sint, & quomodo cognoscantur, & quot sint tempora particularia, quæ conueniunt circuitibus, de quibus loquitur in aphorismo. Tertium quando, & quomodo cibus sit ægris nocuus. Quartum quando ægris sit dandus cibus.

QVÆSTIO XXXV.

Quomodo fiant paroxysmi febriles.

QVomodo verò fiant paroxysmi febriles. Primò sciendum ex Galeno 1. de diff. feb. cap. 1. febrilem paroxysmum cõsistere in accẽssione cordis: deinde, calorem febrilem diffundi, vel in omnes partes, vel solùm in nobiliores, vt inquit Galenus 1. in 6. epid. 28. dicit: vel solum in nobiliores: quia febris interdum non diffunditur ad cutim: itaut febris non semper sit morbus totius.

Secundò sciendum, aliud esse principium accessionis, & aliud principium febris: principium accessionis non est principium febris: quia in principio accessionis calor in corde non est adhuc accensus: Ideo errauit Altimatus, qui dixit, primum calorem esse accensum in corde. Aliud enim est calor accensus in fonte putredinis: & aliud in corde, ob cuius accessionem solum fit febris: neque vlla febris fit, nisi calor putredinis comquinet cor, & constituat cor in calefacto esse.

Ter-

Tertiò sciendum, si partes solidæ cordis sint accensæ, fieri febrem hecticam: si humores, putridam; si spiritus, diariam. Præterea si solidæ sint accensæ, non necessario eo vsque accenduntur humores, vel spiritus, quousque fiat febris putrida, vel diaria: hoc docet Galenus 8. meth. cap. 1. exemplo lignorum igni appositorum, quę prius incalescunt, deinde accenduntur: Accedit, quod partes solidæ cordis, licet essent frigidæ, possunt incalescere: cognoscitur caliditas cordis ex Galeno 4. de præsag. expul. 5. ex pulsu paruo, languido, & tardo. Exemplū est opium, si igni apponatur, potest incalescere, manente eius substantia adhuc frigida: sic solidæ cordis partes quo ad substantiam possunt incalescere, frigidasque conseruari, humores tamen, vel spiritus esse accensos.

Sed sumamus pro exemplo illa, quæ inseruiunt proposito nostro. Putredo, siue accensio, vel fit in humoribus cordis: vel in humoribus extra cor: si in humoribus cordis, fit accensio ex putredine, fit febris pestilens, vt docet Galenus 3. de præsag. expul. 3. & 2. de diff. feb. cap. 4. & in hac febre non fiunt paroxysmi: quia ipsa febris est vnicus paroxysmus. Vel accensio fit ab humoribus extra cor, quo casu accenduntur humores cordis per fuligines, quæ vt efficiant febres, oportet, vt coinquinent cor, & vincant, secus non fit febris: quia quando cor solum incalescit, & non fit coinquinatum, & secundum aliquam partem victum, seu positum in calefacto esse, febris nullo modo fieri potest.

Deinde fuligines, vel eleuantur à sanguinis efferuescentia sine putredine, vel ab adusta bile sine putredine, vel à putredine bilis, pituitæ, vel melancholiæ: si à sanguinis efferuescentia sine putredine eleuentur, fit synochus, quæ potest esse vel homotona, vel epacmastica, vel paracmastica: Homotona fit quando tanta est perspiratio, quæ euaporat, quanta est illa, quæ retinetur: epacmastica quando plus est quod remanet, quam illud quod exhalat, proceditque augendo: paracmastica quando plus est quod exhalat, quam illud quod retinetur, quia semper procedit decrescendo.

Si verò fuligines eleuentur ex bile adusta sine putredine, fit quædam periodus de tertio in tertium, de qua Galenus agit lib. 10. meth. 6. & votatur synochus. Idem sentit Valesius quinto contro. 19. quod detur synochus ex bile adusta sine putredine, quæ efficit periodum de tertio in tertium, quod non admittit Iulius Alexandrinus, qui de hac re loquens, impugnat Nicolaum Florentinum, & ipsum Valesium.

Si verò eleuentur fuligines ex bile, melancholia, & pituita putrida, varij fiunt circuitus: quoniam ille qui fit à pituita est 24. horarum ad summum: Circuitus, qui fit à bile est 48. horarum, à melancholia 72. horarum.

Præterea, sicuti ex Galeno 3. in 1. *epid.* 5. dantur tres differentiæ tertianarum intermittentium, videlicet exquisita, cuius paroxysmus non excedit duodecim horas. Absoluta, cuius paroxysmus non excedit 24. & producta, cuius paroxysmus non excedit 36. additur quarta differentia idest enormis, quæ normam videlicet excedit, cuius paroxysmus excedit 36. quæ tamen adhuc est intermittens: sic dari possunt quatuor differentiæ febris quartanæ intermittentis, & quatuor quotidianæ intermittentis: eadem tamen seruata proportione, hoc modo: si paroxysmus exquisitæ tertianæ non excedit duodecim horas, sic paroxysmus exquisitæ quartanæ non excedet 18. horas. Parimodo si absoluta tertiana non excedit 24. horas, sic paroxysmus absolutæ quartanæ non excedet 36. horas: si paroxysmus productæ tertianę non excedit 36. horas, sic paroxysmus productæ quartanæ non excedet 54. horas. Similiter si enormis tertiana excedit 35. horas: sic enormis quartana excedet 54. horas. Ad eundem modum, si quotidiana exquisita non excedit sex horas, absoluta non excedet 12. producta non excedet 18. Enormis verò excedet.

Qui igitur non præcognoscit, an intermittentes sint exquisitæ, absolutæ, productæ, vel enormes, vt dictum est, ne-

nescient certè, qua hora sit cibandus æger, nec quando sint purgandi, vel alterandi humores, & vt summatim dicã, his non prçcognitis, medicus fortuitò, & casu incedet non sine magno ægrotãtis discrimine: ideo dum Hippocrates in aphorismo dicit, in ipsis accessionibus cibum dare nocuum est, & abstinere oportet, supponit, nos distinctè intelligere longitudinem, vel breuitatem paroxysmorum omnium febrium.

QVÆST. XXXVI.

Ostenditur, nec cibos, nec alia remedia conuenire in paroxysmis.

QVare vt aphorismus rectè obseruetur, quando videlicet dandus sit cibus: primum præceptum obseruandum colligitur ex Hippocrate lib. 1. de ratione vic. in ac. 46. & 4. de ratione vic. 39. vbi admonet, cibum dandum non esse, nisi calor febrilis reliquerit cor, & ad pedes descenderit, subdit „ cum pedes fuerint frigidi non solum à sorbitione, sed etiam à potu maximè esse temperandum: Prohibet etiam omnem potionem, quæ habeat vim alterandi: quia habet hæc verba quarto de ratione vic. citato „ nisi calor ad pedes descenderit, & reliquerit cor, nec sorbitionem, ne aliud quidquam dato, itaut excludat non solum iuscula, sed & serum lactis, aquam hordei, & si quid leuius istis inueniri possit: quoniam aliquid etiam tenuissimum exhibendo, natura à certamine cum morbo diuertitur.

Insuper cibandi sunt ægri hac lege, vt in principio paroxysmi facta sit in ventriculo prima concoctio: de secunda nihil dicitur, quia ita cito fit, vt in ipsa celebranda à certamine cum morbo natura non diuertatur. Si verò paroxysmi sint ita continui, vt nulla appareat declinatio, tunc parum pro vice ægri sunt nutriendi. Si verò vires sint imbecilles, & pedes maneant semper frigidi, & morbus longior sit, quam peracutus, ferè semper moriuntur, isti parum, & sæpè nutriuntur, ne vires omninò cadant.

DEmum notandum circa hunc aphorismum, nõ solũ à cibo in paroxysmis abstinendum: sed à purgatione, venæ sectione, & alijs remedijs chirurgicis, vel pharmaceuticis, quæ certè in paroxysmis non habent locum, quod potest probari argumento à minori, quia si in paroxysmis cibus aliquis tenuis quoque nocet, quia diuertit naturam à certamine cum morbo: quantò magis remedia, quæ sunt omnia præter naturam diuertent ipsam à certamine cum ipso morbo? Hic notatur error multorum, qui sæpissimè dant cibũ ægrotantibus, licet pedes sint adhuc frigidi, & quod peius est, vtuntur phlebotomia, purgationibus, & alijs remedijs eo tempore, quo natura est maximè occupata morbo, vnde & febres malignæ, & mortes ob medicorum inscitiam facilè succedunt.

QVÆST. XXXVII.

Ostenditur, & quæ sint & quot sint tempora vniuersalia, & particularia febrium.

QVantum attinet ad secundum: quot scilicet sint tempora vniuersalia, & quæ sint. Cum igitur morborum tempora, alia sint vniuersalia, & alia particularia, loquẽs Galenus lib. de morborum temporibus cap. 1. de temporibus vniuersalibus, inquit esse certas morborũ ætates, sicuti sunt ætates in animalibus: hæc verò tempora vniuersalia ex Galeno lib. de opt. sec. ad Trasyb. cap. 37. distinguuntur ex motione causarum morbificarum, & ex symptomatum vehementia: sunt hæc quatuor: principium, augmentum, status, & declinatio. Principium morbi habet duas conditiones: prima ut symptomata habeat leuiora, quæ cõditio proponitur ab Hippocr. 2. aphorismorũ 30. vbi dicit „ In principio, & fine omnia leuiora: Secunda conditio est, vt in vrinis nullum appareat signũ coctionis.

Augmentum similiter habet duas conditiones: prima vt symptomata notabiliter incipiant ægrum vexare: Secunda vt appareat in vrinis signum coctionis, itavt natura incipiat separare contenta

ob ipsa substantia efficiendo vel nubeculam, vel hypostasim saltem imperfectam.

Obiter tamen notandum est hoc, quod maximè confert ad prognosticum, quod si symptomata incipiant notabiliter vexare, & ex alia parte nullum appareat signum coctionis, vt plurimum moriũtur.

Status habet duas conditiones: prima vt symptomata sint ad summum aucta: secunda vt appareant signa perfectæ coctionis: quæ si non appareant, quando ad summum aucta sunt symptomata, signum est victoriam se tenere ex parte morbi, & inde ægrum non amplius conualiturum.

Declinatio parimodo habet duas conditiones: prima, vt symptomata sint facta leuiora: secunda, vt natura incipiat expellere, nisi verò incipiat expellere, quando symptomata facta sunt leuiora, impendet periculum recidiuæ, quod signum nunquam nos decepit.

Quo ad tempora particularia, quę côueniunt circuitibus ex Galeno lib. de morb. temp. cap. 3. sunt sex: videlicet principium paroxysmi, inæqualitas, augmentum, status, declinatio, & interuallum, quod dicitur integritas seu infebricitatio.

Principium circuitus est donec perdurat rigor, vel extremarum partium frigiditas: quo tempore ex Galeno 4. de ratione vic. 5. calor recurrit ad cor.

Inæqualitas est post rigorem, sed antequã augeatur caliditas, quod est inter finem rigoris, & principium accessionis.

Augmẽtum est, dum calor diffunditur ad partes extremas, quo tempore partes extremæ non sunt amplius frigidæ, sed incipiunt incalescere.

Status est quando caliditas extremarum partiũ sit æqualis caliditati thoracis.

Declinatio est, dũ calor incipit relinquere cor, vt admonet Galenus loco citato.

Interuallum seu integritas est omnimoda infebricitatio. Hæc sunt illa tempora: quæ conueniunt circuitibus omnium febrium intermittentium.

Notandum tamen est, febres continuas habere solum quinque tempora, quia carent interuallo, seu integritate, id est infebricitatione.

Cognitis temporibus particularibus colligimus nõ esse cibandos ægros in paroxysmis, intelligẽdo per paroxysm͂os hæc quatuor tẽpora, nempè principium, inæqualitatem, augmentum, & statum: nihil dicimus de declinatione: quia declinatio non est pars paroxysmi.

Prima dubitatio oritur circa aphorismum Hippocratis: quia Galenus lib. de morborum temp. cap. 5. & 6. & primo de crisib. 3. vult, paroxysmos habere declinationem: ergo si in accessionibus cibum dare nocuum est, per hunc aphorismum neque in declinatione ægri erunt cibandi: ergo nunquam.

Responderi potest huic instantiæ: paroxysmum reuera nõ habere declinationem: quia Galenus lib. de morb. tẽporib. c. 6. diuidit circuitum in accessionem, & remissionem: deinde diuidit accessionem in quatuor tempora, videlicet in principium, inæqualitatem, augmẽtum, & statum: remissionem verò in declinationem, & interuallum: ideo Galenus lib. de morb. temp. & Auicennas cap. de horis febrium definiunt paroxysmũ, quod sit deterior pars periodi: ergo declinatio non pertinebit ad paroxysmum. Deinde respondemus, statum paroxysmi diuidi in partem anteriorem, mediam, & posteriorem: quæ pars posterior est pars facta: ad quam, si ægri perueniant extra lutum pedes habent: quia non amplius impendet vitæ periculum: sicuti asserit Hippocrates dum vult, vt ægri perdurent cum cibo tenui vsque ad vigorem, idest vsque ad vltimam partem vigoris, in qua nemo moritur: quia in illa parte, si cibis reficiantur, non propterea natura diuertitur à certamine: siquidem morbus tũc est victus, & superatus.

QVÆST. XXXVIII.

Ostenditur quando, & quomodò cibus sit ægris nocuus.

Quo ad cibum quando, & quomodo sit nocuus ægris. Primò dicimus, cibum esse nocuum ægris quatenus sunt ægri. Secundò quatenus sunt in

in vigore morbi. Tertiò quatenus sunt in principio accessionis, in inæqualitate, in augmento, & quatenus sunt in vigore accessionis: Quartò est nocuus ægris, quatenus sunt propè accessiones.

Quod cibus sit nocuus ægris, quatenus sunt ægri, confirmatur ratione, & auctoritate Hippocratis,& Galeni. Ratione: quia ægri nullo vtuntur exercitio. Quod verò ob hanc rationem sit nocuus ægris, probatur argumento à minori hoc modo: si cibus est nocuus ægris, quando nullo vtuntur exercitio, quantò magis erit nocuus ægris in lecto iacentibus? Secundò est nocuus: quia cibus semper distrahit naturam à certamine: ideo Galenus in comm.8. huius sec. habet hæc verba „ non oportet naturam cibo distrahere ad alteram coctionem, quando vacat coctioni humorum morbum efficientium. Deinde morbus vt morbus contraindicat cibum, vt probatum est superius. Præterea auctoritate Hippocratis 2. aphoris.9. idem confirmatur, dum dicit „ impura corpora, quantò magis nutries, tantò magis lædes: ergo cibus ægris, quorum corpora sunt impura, nocuus erit. Similiter 7. aphorismorũ 65. Hippocrates habet nũc aphorismum „ cibus febricitantibus morbus fit. Galenus 1. ad Glauc. 10. videns cibum esse adeo nocuum ægris, vult in tertiana notha, ægros non quotidie, sed solum alternis diebus nutriendos esse.

Insuper dicimus, cibum esse nocuum ægris quatenus sunt in statu vniuersali, seu in vigore morbi, esseque magis nocuum in statu, quam in principio & augmento. Primò quia Hippocrates aphoris.8. huius, loquens de peracutis nõ exactè ait, peracuti non exactè dicuntur qui terminantur in secundo quaternione dicẽdo „ quando morb. est in vigore, vel tenuissimo victu, idest ieiunio vtendum,& in 10. aphorismo nuper declarato loquens de acutis ex decidentia, & de chronicis vult in statu tenuiter esse alendum: antea verò idest in principio, & augmento plenius alendum, quam in statu: ideo cibus præcipuè in statu ægris est maximè contrarius.

Secunda dubitatio ex dictis consurgit, quia videtur, quod cibus sit magis nocuus in principio, quam in statu: contra id quod dictum est: idque probatur duabus rationibus. Prima ratio est, quia in principio corpora sunt magis impura, quam in statu: ergo magis nutriendum in statu. Secunda ratio: sicuti se habet æger in temporibus particularibus morbi: sic se debet habere in vniuersalibus: sed in tempore particulari idest in paroxysmi vigore plus cibi dandum est, quam in principio, & augmento paroxysmi: ergo etiam in vigore vniuersali morbi plus cibi dandum erit, quam in principio,& augmento particulari.

Respondetur ad primam rationem negando, quod in principio morbi corpora sint magis impura: tunc enim sunt magis impura, quãdo putredo est magis fermẽtata: sed in statu est magis fermentata, quam in principio, vel augmento.

Ad secundam rationem respondemus non valere similitudinem inter tempora vniuersalia, & particularia: quia in principio vniuersali materia quiescit, atque est omninò incocta: in principio particulari paroxysmi materia est in motu, & concoquitur: in principio vniuersali omnia accidentia sunt remissa, vt docet Hippocrates 2. aphoris. 30. In particulari verò omnia sunt in summa agitatione. In principio vniuersali conueniunt lenientia, & phlebotomia: in particulari verò nec lenientia, nec phlebotomia: sola enim quies est illa, quæ in principio paroxysmi conuenire potest.

Demum dicimus, cibum esse nocuum ægris, quatenus sunt in principio paroxysmi. Quod confirmatur ratione, & auctoritate Galeni,& Hippocratis. Ratione, quia in principio paroxysmi cibus impedit, ne fiat transmissio humoris procantis à venis maioribus ad minores, & à minoribus ad extra venas: modò febres, quæ sunt intermittentes ob hanc impeditam transmissionem fiunt continuæ,& continuæ fiunt malignæ,& ma-

lignæ mortales, sicuti contigit filiæ Philonis, & ægro inominato, qui ægrotantes ob cænam intempestiuam, vt dicit Hippocrates, mortui sunt. Intermittentes fiunt continuæ, dum à cibo impeditur transmissio, quia humor peccans non transmittitur extra venas, & statim putrescit in venis.

Gentilis tenet, intermittentes fieri, dum humor peccans actu putridus in venis expellitur ad extra venas.

Communis opinio est, quod dum expellitur ad extra venas adhuc non sit actu putridus: quia coinquinaret sanguinem, & febris fieret continua.

Fernelius rectius sentit in hoc, dum tenet, continuas fieri ex humoribus sanguini permixtis: intermittentes verò ex humoribus sine sanguine. Sed quid quid sit, cibus in principio paroxysmi semper impedit, ne à venis ad extra venas fiat transmisio. Causa est, quia in principio paroxysmi calor est contractus ad ima: inde propter cibum perseuerat multò magis contractus: quo casu febris non se ostēdit, & tales sunt malignæ.

Cæterum, quia dictum est, probari posse auctoritate Hippocratis & Galeni cibum esse nocuum ægris, quatenus sunt in principio accessionis: ideo cōfugiendū est primo ad Hippocratem qui 1. de ratione vic. 46. & 4. de ratione vic. 39. loquens de statu ægrorum existentium in principio accessionis, & de nocumento cibi (si tunc exhibeatur,) habet hæc verba „ Venter de necessitate calet, fastiditque cibum, intēditur hypocondrium: subdit, dolet æger, lancinatur, vellicatur, & vomere affectat. Subdit expedit dare sorbitionem, dum calor ad pedes descēderit, secus sorbitio euadit perniciosa.

Idem confirmatur auctoritate Galeni, quod scilicet cibus sit valde noxius in principio accessionis: quia lib. de morborum temp. cap. 3. & 3. de præsag. 3. inquit: virtus in principio est suffocata, & à cibo multò magis suffocatur.

Preterea cibus est nocuus ægris, quatenus sunt in augmento: quia tunc augetur calor febrilis, & cibus redditur acris, & tandem corrumpitur, ob quam corruptellam febris multò magis intenditur.

Diximus quoque cibum esse nocuum ægris, quatenus sunt in statu paroxysmi, quia calor adhuc non reliquit cor: non tamen est ita nocuus, sicuti est in principio, & augmento paroxysmi: tum quia in principio & augmento calor febrilis non est adhuc diffusus: tum quia (& hæc est precipua causa) nocumēta principij, & augmenti communicātur vigori, sed non vice versa: quia præsens malum nō potest communicari præterito, sed solum futuro, & futura declinatio non est capax nocumenti præteriti: ideo nocumenta vigoris non communicantur alijs: quia statim sequitur declinatio, in qua ægri sunt in tuto, & in ipsa nemo moritur.

Qvo ad tempus cibādi ægros, Hippocrates docuit in accessionibus non esse dandū cibum. Relinquitur ergo, vt cibus exhibeatur, vel in declinatione, vel interuallo, vel multo ante principiū paroxysmi, vel paulò ante. Galen. 11. meth. c. vltimo omnia docet. Primò docet quando multo ante paroxysmum sit dandus cibus, his verbis „ si iecur, aut vētriculus patiatur inflammationem: vel in corpore sit adeo magna humorum redundantia, vt pedes diu conseruentur frigidi, vel somnus in principio paroxysmi sit profundus, cauenda est cibatio paulò ante paroxysmum, vt res perniciosissima: tunc enim adeo ante paroxysmum est æger cibandus, vt cibus in principio paroxysmi sit omninò conuersus in chylum. Secundò Galenus docet loco citato quando paulò ante paroxysmum sit dandus cibus, his verbis „ Si verò non fuerit inflammatio, vel succorum redundantia, vel somnus profundus, corpusque sit siccum, paulò ante: immo in ipso paroxysmo corpora sicca, vt picrochola cibo sunt humectanda, ne in hecticam cadant: quia in his cibus siccitatem corrigit.

Sex igitur sunt consideranda, vt rectè intelligamus, quando sit dandus cibus, videlicet pars affecta: affectus: natura principij paroxysmi: natura ægrotantis: quantitas, & qualitas cibi.

Pars

Pars affecta, quia Galenus 11. meth. citato inquit ,, si iecur, vel ventriculus sit valde læsus, multo ante paroxysmum nutriendum est. Affectus est considerãdus: quia in omni graui affectu: nisi sint contraindicantia multò ante paroxysmum æger nutriendus est. Dum verò morbus est vniformis, vt in homotona, ex Galeno 11. meth. cap. 5. ad duo confugimus, videlicet ad consuetudinem, & ad faciliorem tolerantiam: quia si æger solet cibari hora decimaoctaua vel alia, illa est eligenda.

Insuper natura principij paroxysmi est consideranda: quia si diu partes extremæ conseruẽtur frigidæ, somnusque sit profundus in principio ipsius paroxysmi: tũc multò ante paroxysmũ est cibãdum. i. in fine status præteriti paroxysmi: immo, & in statu ipso potius, quam paulò ante.

Porrò natura ægrotãtis est cõsiderãda: pituitosi. n. & sanguinei multò ante: biliosi verò paulò ante, & in ipso principio.

Demum quantitas, & qualitas cibi: quia si cito digeritur ratione qualitatis, & quantitatis paulò ante, si tardè, multo ante: ideo Auicennas prima 4. de his inquit ,, Ita esse ægros cibandos, vt aduentante paroxysmo ventriculus sit vacuus.

Tertia dubitatio occurrit, Galenus dixit aliquando ægros esse cibandos in principio, & aliquando in statu: tamen nihil dixit de augmento: immo semper prohibuit cibum in augmento, quod nostratum plurimi non obseruant.

Responsio facilis est, quia in augmento incipiunt praua symptomata: ideo si in augmento cibarentur sine dubio in statu fierent sæuiora accidentia. Hinc Cornelius Celsus lib. 3. cap. 5. habet hæc verba ,, si propter necessitatem vrgeat cibandi necessitas, satius est consistente febre aliquid cibi offerre, quam increscente, & satius est instante, quam incipiente. Valeant igitur triuiales Medici, qui post quinque horas circiter à principio paroxysmi, quando pedes non sunt omninò calidi, dant ouum, vel iusculum cum caponis stillatitio crasso, & coctu difficili: quo nihil est perniciosius.

Quarta dubitatio Hippocrates in hoc aphorismo dicit, in accessionibus nihil dare oportet: idẽ quoque repetit aphoris. 19. ergo est superfluus.

Respondetur: Hippocratem in hoc aphorismo intelligere de ciborum quantitate. In aphorismo verò 19. de modo vtendi ipsis cibis. Deinde in aphorismo 9. non solum de cibo prohibendo in accessione: sed etiam ante accessionem: quare varia in varijs locis est Hippocratis intentio. Nonnulli respondent ad dubium, hoc loco Hippocratem in hoc aphorismo prohibere cibum, in 19. verò cibum & potum: sed prior solutio magis probatur.

APHORISMVS DVODECIMVS.

CCESSIONES *verò & constitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed & ex his, quæ mox apparent, indicia sumuntur: quemadmodum in morbo laterali si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat: si verò postea appareat, producit. Et vrinæ, & alui excrementa, & sudores, quæcumque apparuerint, vel bonam morborum indicationem, vel malam, vel breues, aut longos fore morbos ostendunt.*

Hic aphorismus est maximè vtilis: quia tradit methodum præcognoscendi futuros paroxysmos, & constitutiones, siue futuros vigores, sine quibus victus ratio institui non potest. Agit de signis

non

non demonstratiuis, sed prognosticis, & est primus aphorismus, qui agit de hac re.

Connectitur cum superiori aphorismo, vt docet Galenus in comm. hoc modo: tria sunt necessario consideranda in victu instituendo, primò vires ægrotantis: secundò accessiones: tertiò constitutiones, seu vigores, an scilicet morbus sit futurus longus, vel breuis.

Primò sunt considerandæ vires, quia vires per se primo indicãt alimentum, vt docet Galen. 1. de ratione vic. 44. de viribus mentionem fecit Hippocrates aphoris. 9. dum dixit coniectari autem oportet, & in fine aphoris. 10. dixit „ antea verò plenius alendum, vt ægrotus perferre queat.

Secundò oportet considerare accessiones, seu paroxysmos, tamquam illos, qui prohibent cibum, de quibus in aphorismo superiori.

Demum oportet considerare constitutiones, seu vigores, à quibus norma diætandi dependet, non tamquam indicantes, sed tamquam prohibentes ipsum cibum; de quibus vigoribus egit habita tamen varia consideratione in aphoris. 4. 7. 8. & 10. huius sectionis.

Cum igitur hæc tria proposita absoluant tractatum de instituendo victu. Reliquum erat, vt in hoc aphorismo Hippocrates doceret, qua arte & quo ingenio possint præcognosci futuri paroxysmi, an longi, vel breues, & qua arte possint præcognosci vigores, an tardè, vel citò sint aduentaturi, seu constitutiones, an scilicet morbi sint futuri longi, vel breues. Quod vt faciat, in hoc aphorismo Hippocrates tradit quatuor fontes signorum indicantium futuros paroxysmos, & futuros morborũ vigores, quorum primus continet signa, quæ desumuntur à morbis ipsis. Secundus fons continet signa, quæ colliguntur ex anni temporibus. Tertius continet successiua incrementa. Quartus verò continet signa mox apparentia.

Quo ad diuisionem, Philotheus diuidit hũc aphorismũ in duos aphorismos, quæ diuisio videtur esse Galeni, qui volẽs exponere illa verba „ & circuituum successiua incrementa dixit: hæc verba esse finem aphorismi: ergo sequentia verba pertinebunt ad alium aphorismum, & sic aphorismus erit duplus.

In primo aphorismo, vel in prima parte huius aphorismi proponit tres fontes indicantes paroxysmos, & futuros morbi vigores, qui sunt morbi, anni tempora, & circuituum successiua incrementa. In secundo aphorismo vel in secunda parte tradit signa mox apparentia indicantia futuros paroxysmos, an longi, vel breues, & futuros morborum vigores, an scilicet tardè, vel citò sint aduentaturi, quod idem est, ac diceret, si morbus esset longus, vel breuis, vel an constitutiones pertineant ad morbos acutos, vel ad chronicos.

In prima parte Hippocrates primò ponit morbos. Galenus verò in comm. dat exemplũ de febribus intermittentibus, & de continuis. De intermittentibus dicit, tertianam supple exquisitam indicare bilem, & per consequẽs paroxysmos breues futuros, & vigorem cito aduentaturum: nam Hippocrates 4. aphorismorum 59. inquit „ septem circuitibus, quod longissimum est, hanc tertianam terminari: ad differentiam tertianæ nothæ, quæ ex bile iuncta cum pituita, vel melancholia fit: hæc longos paroxysmos, & tardos vigores prænunciat. Quartanam ait indicare melancholiam, quæ longos paroxysmos, & tardum vigorem indicat. Quotidianam pituitam, quæ tardum morbi vigore prænunciat.

Deinde Galenus in comm. dat exemplum de continuis: diuiditque febres continuas in tres differentias, nempe in incendentes, quas vocat causodes idest ardentes: in succendentes, quas vocat typhodes, quæ vocantur etiam elodes, idest humidæ, quæ statim prima die sudare incipiunt absque vllo beneficio, tales indicant morbi longitudinem, & hemitriteos idest semitertianas. Facta diuisione dicit Galenus incendentes indicare paroxysmos breues, & vigorem citò aduentaturum: hæ sunt duum generum: quædam habent accessionem, sicuti tertianæ continuæ: quædam non habent accessio-

cessionem, vt sunt synochæ febres. Succendentes (ait) paroxysmos longos, & tardum vigorem: quia hæ febres fiunt, vel à pituita, vel à melancholia. Semitertianas (ait) indicare medium statum idest nec longos paroxysmos, nec tardos vigores: quia fiunt ex bile, & pituita.

Sed, quia Galenus in comm. mentionem facit de hæmitriteo, aliquid dicendum est de hæmitriteo. Dantur quatuor species hæmitritei. Quædam componitur ex tertiana continua, & quotidiana continua: hæmitriteus sanè ex Galeno 2. de diff. feb. est febris composita ex tertiana, & quotidiana. Secunda species hæmitritei fit ex tertiana intermittente & quotidiana continua. Tertia species ex quotidiana intermittente, & tertiana continua. Quarta ex quotidiana intermittente, & tertiana intermittente.

Insuper obiter notandum, hæmitriteum esse morbũ compositum per complicationem, & non per confusionem: morbus verò compositus per confusionem est quando duo humores inuicem confunduntur, atque ita miscentur, vt fiat vnica massa, sicuti euenit in tertiana notha, in qua pituita sequitur motum bilis, bilis tamen omninò prædominatur. Morbus verò per complicationẽ est duũ generum: quorum primum est quando sunt duo humores, qui faciunt duos morbos, sed non per confusionem, vt dictum est, quamuis in eadem parte peccent varij humores. Secundum genus morbi per complicationem est, quando ex vno humore putrefacto in diuersis locis fiunt duo morbi, sicuti sunt duæ tertianæ, vna scilicet ex bile putrescente in vna parte, & alia ex bile similiter putrescente in alia parte. Hæmitriteus igitur est febris composita per complicationem, itaut sint duæ febres, vna quotidiana, quæ ex pituita fit, & alia tertiana, quæ ex bile.

Sed quia quatuor modis sumitur hæmitriteus, dicimus exactũ hæmitriteum ex Hippocrate 3. in quintum epid. 5. & ex Galeno 2. de diff. feb. 8. & alibi esse febrem horificam.

Prima dubitatio: disputant tamen plurimi, quomodo hæmitriteus sit febris horifica: quia non videtur, quod sit horifica: tertiana enim facit rigores, & non horores: ergo non erit horifica.

Respondemus Nos ad hāc instantiam, hæmitriteum fieri horificum, quãdo vna & eadem hora simul tertiana, & quotidiana inuadunt: ideo Galenus dicit, hæmitriteum esse febrem horificam in reduplicatione, quando vna, & eadem hora duæ accessiones fiunt: fitque horor, quia bilis flaua eodem tempore agitata ita obtunditur à pituita, vt fiat horor, & non rigor.

Deinde Hippocrates proponit secundum fontem signorũ, in quo continentur anni tempora: quia morbi non sufficiunt ad præcognoscendos futuros paroxysmos & futuros vigores; sed requiritur syndrome quatuor signorum, videlicet morborum, temporum, circuituum, & signorum mox apparentium.

Dicit, anni tempora indicare paroxysmos futuros, & futuros morborum vigores: quia anni tempora indicant humores peccantes, & per consequens, an futuri paroxysmi breues, & an morborum vigores cito, vel tardè sint aduentaturi. Hinc morbi, qui fiunt in vere vt plurimum fiunt à sanguine, qui efficit febres synochas, quæ breues sunt: immo morbi, qui fiunt in vere magna ex parte sunt breues. Morbi verò qui fiunt in æstate, vt plurimum fiunt à bile quæ similiter prænunciat paroxysmos breues, & vigores citissimè aduentaturos: immo à quacumque causa fiant morbi, in æstate semper euadunt breuiores: ideo Hippocrates secundo aphorismorum 25. loquens de quartana, quæ sua natura longa est, inquit æstiuas quartanas breues, autumnales verò longas, & maximè quæ hyemem attingunt. Morbi verò, qui fiunt in autumno, vt plurimum fiunt à melancholia, quę indicat morbos longos: sed a quacumque causa fiant morbi in autumno sunt longi, & periculosi, tum quia illa temporis inæqualitas prohibet illorum morborum resolutionem: tũ quia autumnus recipit humores tempore æstatis superassatos. Morbi denique,

que, qui fiunt hyeme, vt plurimum fiunt à pituita, quæ & paroxyſmos longos, & tardum vigorem prænunciant: immo à quacumque cauſa fiant morbi, hyberno tempore ſunt longi, quia ob frigus tarda eſt morbificatum cauſarum reſolutio.

Notat Galenus in comm. dum Hippocrates facit mentionem de anni temporibus intelligendum eſſe de ætate, de temperamento, de cõſuetudine, de regione, & de cęli ſtatu: quia ſi morbi in æſtate ſunt breuiores, idem dicendum eſt, in iuuentute, morbos eſſe breuiores, in ſenectute longiores; & ſic de alijs temperaturis.

Circuituum ſucceſſiua incrementa: dicit Hippocrates indicare paroxyſmos, & vigores. Hinc periodus de tertia in tertiam indicat peccare bilem, inde paroxyſmos & vigores fore breuiores. Periodus vero de quarta in quartam indicat melancholiam, quæ lõgitudinem ſignificat.

Periodus quotidiana indicat pituitam, quæ parimodo paroxyſmos, & vigores tardos prænunciat.

Sed circa hanc primã partem aphoriſmi quatuor occurrunt conſideranda. Primum examinabimus verba Hippocratis.

Secundum conſiderabimus, cur Hippocrates inter ſigna indicantia paroxyſmos, & vigores non propoſuerit in hoc aphoriſmo virtutem: non ne ex Galeno 2. de diff. feb. vlt. habetur, virtutem imbecillem prænunciare paroxyſmos longos, & tardos vigores? & virtutis validitatem indicare breues forè paroxyſmos, & vigores cito aduentaturos?

Tertium cõſiderabimus quomodo circuituum ſucceſſiua incrementa poſſint prænunciare futuros vigores. Res ſanè non videtur ita facilis, quia dantur febres ex Galeno primo de criſibus 3. quarum paroxyſmi vſque ad finem morbi ſemper anteponunt: & dantur febres, quarum paroxyſmi vſque ad finem poſponunt: qũo igitur circuituum ſucceſſiua incrementa indicare poterũt futuros vigores?

Quartum quæ nam ſit cauſa immediata periodorum conſiderabimus: videlicet qua de cauſa pituita quotidie excitet paroxyſmos, bilis alternis diebus, & melancholia de quarto in quartum.

Quo ad verba aphoriſmi, Hippocrates in hac parte vult docere, morbos, anni tempora, & ſucceſſiua circuituum incrementa, ſeu periodorum (quod idem eſt) indicare futuros paroxyſmos, & futuros morbi vigores: hæc ſunt verba „ τοὺς παροξυσμὺς καὶ τὰς καλαςάσιας: per cataſtaſias, & ipſe Galenus & ferè omnes alij interpretantur conſtitutiones: ita vt vellint, quod Hippocrates dicat, morbos indicare conſtitutiones. Cæterum hæc expoſitio mentẽ Hippocratis reuera non explicat: immo reddit hunc artificioſum aphoriſmum omninò inartificioſum: quia ſecundum illorum interpretationem Hippocrates diceret, quod morbi ſignificent conſtitutionem: quæ conſtitutio eſt genus proxymum morbi: quod artificium eſſet Hippocratis, quod morbi ſignificarent ſuum genus? veluti quod homo ſignificaret animal: ecquæ vtilitas eſt in medicina, quod morbus ſignificet ſuum genus?

Deinde conſtitutio, quæ eſt idea morbi non vocatur καλάςασις, ſed vocatur καλαςκευὴ ſeu diateſis: quis dixit hoc? ipſe Galenus 1. de diff. ſymp. cap. 1. vbi ſic definit morbum „ νόσος ἐςὶ καλαςκευὴ παραφύσις.

Inſuper morbi non poſſunt oſtendere conſtitutionem: quia in oſtenſione fieret petitio principij, procederetque Hippocrates per ignotiora: vniuerſalia enim ſunt nobis notiora: ideo conſtitutio eſt nobis notior, quam morbus: quare quod eſt minus notum non poteſt indicare magis notum: ideo per καλαςάσιας debemus interpretari vigores, ſicuti interpretatur Cenomanus, & non conſtitutiones.

Præterea colligitur ex Græca obſeruatione καλάςασιν ſignificare ſtatum, & vigorem morbi: quia apud Herodotum rerũ ſtatus dicitur καλάςασις πραγμάλων.

Addit Hippocrates „ ſiue quotidiè ſiue alternis diebus, ſiue per maiora interualla fiant. Dicit quotidiè alludendo ad quotidianam, cuius paroxyſmus quotidiè fit. Dicit alternis diebus ſignificando tertianam: addit per maiora interualla:

non

non dixit de quarto in quartum, vt comprehenderet non solum quartanam, sed quintanam, septimanam, & nonanam, de quibus interuallis Hippocrates loqui videtur 1. epid. sec. 3. tex. 2. 7. & 9. quamuis Galenus ibidem fateatur, se non vidisse, nisi obscuram quandam quintanam: immo laudat loco citato Dioclem: quia contradixit Hippocrati credenti dari quintanam, septimanam, & nonanam.

Probat Galenus non dari, nisi tres circuitus, his rationibus, quarum prima hæc est: si darentur plures circuitus, quam tres propositi: ergo præter pituitam, bilem, & melancoliam darentur alij humores, ex quibus quintanæ, septimanæ, & nonanæ febres fierent.

Secunda ratio Galeni est: si darentur alij circuitus præter tres propositos, obseruarentur quotidiè ab omnibus: sed (addit) ego nunquam obseruaui, nisi obscuram quintanam, quæ ex praua viuendi ratione, & casu acciderit: quare rectè dicit Galenus aliquē addidisse in epidemicis illas quintanas, septimanas, & nonanas: quia nunquā Hippocrates, neque in aphorismis, neque in prognosticis, neque alibi de illis circuitibus mentionem fecit.

Secunda dubitatio quo ad virtutem: cūr Hippocrates inter signa proposita non collocauerit uirtutem, ex qua facilè præcognoscimus, an longi, vel breues sint futuri paroxysmi, & morbi vigores, vt colligitur ex Galeno 2. de diff. feb. vlt. Accedit, quod à virtute principalissima, dictandi indicatio desumitur.

Respondet Galenus in comm. vires facilè dignosci ex pulsibus, & ex ijs quæ scripsit Hippocrates in Prognosticis: ideo proposuit solum illos fontes, qui poterant satis superque nobis declarare futuros paroxysmos, & an morbi vigores breues vel longi sint futuri.

QVÆST. XXXIX.

An Hippocrates doctrinam de pulsibus calluerit.

IN hoc loco nonnulli dicunt, Hippocratem de pulsibus nihil dixisse: quia doctrinam de pulsibus non calebat: referunt quoque, Hippocratem nunquam tetigisse pulsus suis ægris, quæ calumnia certè non est ferenda. Galenus enim primo de diff. pulsuum cap. 2. habet hæc verba „ omnium primus fuit Hippocrates, qui nomē pulsus litteris prodidit, & artis de pulsibus non fuit ignarus.

Deinde Hippocrates 7. de morbis popul. in principio loquēs de grauissimis accidētibus febris continuæ Pithodori dicit pulsus ei nō defecisse: ideo fuisse liberatū, quamuis habuerit refrigerationes totius corporis, exceptis temporibus: dicit exceptis temporibus: quia quando tempora sunt refrigerata, in quibus sunt arteriæ visceribus vicinæ, signum est, cerebrum & cor esse refrigeratum, vnde cita mors.

Præterea Hippocrates 4. de morbis popul. refert, pulsus zoili fabri fuisse tardos, & tremulos.

Insuper Hippocrates lib. de alimentis circa finem vult, signa salutis, & mortis esse desumenda à venarum pulsationibus id est à pulsibus.

Amplius lib. 2. de morbis mulierum loquens de pulsu habet hæc verba „ pulsus ad manus accelerantes, debiles, deficientes esse mortis indicia.

Demum in coacis prænot tex. 25. ait, letargicos habere pulsus tepidos, tardos, & sepultos. Valeant igitur illi, qui dicunt, Hippocratem non tetigisse pulsus.

Porrò in his pulsuum differētijs propositis ab Hippocrate locis citatis miro artificio continentur ferè omnes differentiæ pulsuum: quia tangit illas differentias, quæ pertinent ad hæc tria capita, à quibus omnia, quæ sciri possunt de pulsibus, desumuntur, nempe ad motum, ad corpus arteriæ, & ad virtutem vitalem.

CAusa verò cur Hippocrates in hoc aphor. nihil dicat de pulsibus, est, quia sufficiēter futuri paroxysmi, & futuri morborū vigores colligi possunt ex morbis, anni tēporibus, ex circuituum successiuis incrementis, & ex signis mox apparentibus.

Neque est mirandū, nihil dixisse de virtute, quia reliquit etiam locos affectos, qui indicant breues, vel longos morbos, sicuti sunt apoplexia, vel epilepsia, qui affectus

fiunt à crassis humoribus; hac ratione humorũ crassorũ illi affectus essent longissimi, tardique essent vigores, tamen ratione loci affecti. i. ratione capitis, vnde facultas expultrix validissima prodit, affectus fiunt breuissimi. Hinc Galenus 2. de symp. causis cap. vlt. dicit, epilepsiam fieri à multitudine pituitæ aceruatæ in ventriculis cerebri: ideo eius solutionem esse subitaneam: quia paroxysmi epileptici non fiunt ab intemperie, sed à materia, quę est solutu facilis. Ecce, quod vbi malum non fit ab intemperie, discussio facilis est. In hoc loco Hippocrates solum de illis sermonem fecit, quæ sufficienter prænunciare possunt futuros paroxysmos, & futuros vigores.

QVÆST. XL.

Quomodo successiua circuituum incrementa prænuncient paroxysmos, & morbos longos, vel breues.

QVomodo circuituum successiua incrementa indicare possint futuros vigores, & futuros paroxysmos. Primò sciendum est, futuros vigores non solum indicari à successiuis periodorum incrementis: sed etiam ab alijs signis simul vnitis, seu per syndromen collectis.

Secundò sciendum est ex Galeno 1. de crisibus 3. 16. & 17. hæc tria esse obseruãda pro vigoris præcognitione. Primò antepositionem, & postpositionem paroxysmi antecedentis: Secundò longitudinem, & breuitatem antecedentis: Tertiò vehementiam, & debilitatem symptomatum: quare si viderimus paroxysmum anteponi, & simul fieri longiorem, & symptomata fieri vehementiora; inde colligemus paroxysmos futuros longiores, & vigores tardius aduentaturos. Hæc tria simul vnita requiruntur: quia nec antepositio sola, nec postpositio sufficiunt pro cognitione futuri vigoris: non enim valet: fit antepositio paroxysmi: ergo morbus est in augmento: quia antepositio interdum fit, quãdo morbus est in ipsa declinatione: requiruntur igitur alia duo, nempè longitudo, & breuitas paroxysmi: ac vehementia, & debilitas symptomatum.

Parimodo si viderimus paroxysmum postponi, & simul esse breuiorem, ac symptomata esse debiliora: inde colligemus paroxysmos & breuiores futuros, & vigores celerius aduentaturos. Præterea si fieret antepositio paroxysmi, & paroxysmus esset breuior, & symptomata debiliora, dicere poterimus, vigorem quoque cito aduentaturum: si verò eadem hora paroxysmi inuadant, tardus erit vigor, & morbus erit longus & solutu difficilis, quod colligitur ex Hippocrate 4. aphorismorum 30. vbi habetur „ Quib. accessiones fiunt quacumque hora febris dimiserit, eadem si cras repetat, iudicium habet difficile: Galenus interpretatur difficulter solubile: ideo inuasionis, seu paroxysmi æqualitas indicat & tardum vigorem, & solutu difficilem: quia ex Galeni comm. significat materiæ fixionem.

Causæ verò, cur paroxysmi fiant longiores, & breuiores, & vigores tardiores, aut velociores, proponuntur à Galeno 2. de diff. feb. vlt. 2. de crisib. 11. & 2. præsag. 28. vbi habetur „ longas accessiones fieri propter 11. causas, videlicet vel ob copiam, vel lętorem, vel crassitiem humoris, vel ob meatuum angustiam, vel ob virtutis imbecillitatem, uel ob particulam internã malè affectam, vel ob errata commissa, vel ob locum affectum frigidum, vel ob morbum frigidũ, uel ob ętatem senilem & demum ob anni tempus frigidum. Breues uerò accessiones fieri à contrarijs causis: quia contrariorum eadem est disciplina: nempè ob materiæ paucitatem: uel ob materiæ tenuitatem: ob uirtutem ualidam: ob meatuum apertionem, & ob alias causas oppositas.

Addi potest ex Galeno 3. Prognost. 32. & 2. de diff. feb. 3. paroxysmos celeriores, & tardiores fieri à veluti cinere præteriti paroxysmi: cinis enim est finis putredinis, & in quolibet paroxysmo fit: hic cinis habet vim fermentatiuam putredinis: ex Galeno enim 3. prognost. 32. & 2. de diff. feb. 3. habetur, quod hic cinis magis, vel minus copiosus in corpore detentus possit efficere paroxysmos longiores, & breuiores, & vigores velociores, & tardiores: habetque hæc verba „ si natura illum

illum veluti cinerem humorum supra modum adustorum euacuare non anteuerterit, ille rursus in corpore manens, & calefactus excitabit de nouo aliam febrem. & efficiet non solum tardum vigorem, sed etiam recidiuam. Cognoscitur, hunc cinerem in corpore detineri, & non euacuari, dum in vrinæ nubecula nõ conspicitur. Hic cinis distinguitur ab arenulis: quia in nube manet, nec petit fundũ, vt arenulę.

QVÆST. XLI.

De causa immediata periodicationis.

PRo aphorismi intelligentia agendum est de causa immediata periodicationis, cur scilicet pituita quotidiè accendatur: bilis alternis diebus, & melancholia de quarto in quartum. Primò opiniones aliorum: deinde nostram proponemus.

Auerroes 4. coll. 27. vult, periodos fieri à natura, & à calido innato. Ratio præcipua est, quia proprium est naturæ, & calidi innati mouere, attrahere, coquere, & retinere amicum, & familiarem succũ, & expellere inimicum. Non accipitur hæc opinio: quia pituita ex Auerroe, vt crassa, deberet tardius moueri à calido innato, & non velocius bile: pituita enim quotidie, bilis solum alternis diebus mouetur.

Conciliator differentia 88. inquit, periodos à motu lunæ, & ab humorum forma pendere: Primò dicit, pituitam à luna citius moueri, quam alij humores moueantur: quia luna præest aquæ, & alijs humiditatibus: pituita verò est magis humida, quam alij humores: hinc dicit fluxũ, & refluxum maris fieri propter lunam. Deinde confirmat, pituitam moueri à luna: quia sicuti in quotidiana modica quies comprehenditur, seu modica pausa, vt ipse dicit: sic in luna ob Epicycli paruitatem non percipitur lunæ statio, & retrogradatio: itaut pauca pausa quotidianæ dependeat à pauca pausa ipsius lunæ.

Refellitur Conciliator, tum quia vnius rei vnica est causa, & non duæ; ipse verò ponit lunam, & formam humorum tamquam causas proximas periodicationis: tum quia dicit esse modicam pausam in quotidiana, eo quia in luna ob epicycli paruitatem sit ita pauca pausa, vt non percipiatur lunæ statio, & retrogradatio.

Valde errat Conciliator: quia supponit, lunã esse posse retrogradam, & stationariam, alioquin modicã quietem pituitæ in quotidiana ex luna colligere non potuisset: quod suppositum est falsum: quia Ecentricus lunæ ferens epicyclum mouetur 27. diebus: Epicyclus verò 32. diebus: quo posito implicat dicere, Ecentricum esse velociorem, & epicyclum tardiorem, & lunam habere paucam pausam: quia nulla est & nullo pacto esse potest retrograda, & stationaria. Soliti sumus dare exemplum de homine speciante in naui contrario motu, quando nauis velocius homine spaciante moueatur, tunc certè in illo non daretur statio, vel retrogradatio.

Fernelius lib. 4. de febribus cap. 11. dicit, causam periodorum esse naturam & qualitatem contractæ putredinis. Non potest accipi hæc opinio: quia non reddit causam, cur pituita putrida citius, & bilis tardius moueatur. Deinde sequeretur, quod paroxysmi fierent post factam putredinem, & non quando fit putredo. Demum peto à Fernelio de causa primi paroxysmi, quando adhuc non est contracta putredo.

Gentilis & Arculanus dicunt, periodos fieri à proprietatibus occultis. Reiecimus hanc opinionem, 8. methodi nostræ vitand. errorum: ostendimusque non dari qualitates occultas, quas dicunt esse substantias immediatè operatrices. Deinde Galenus 3. de præsag. ex pul. cap. 5. contra Erasistratum habet hanc sententiam „ qui nihil sciunt ad alterum de duobus confugiunt, vel ad nomina ignota, vel ad qualitates occultas.

Nec rectè sentit Eugenius meus Præcessor, dum dicebat, sciri nõ posse causam periodicationis: solebat enim confugere ad hęc duo carmina Dãtis Aldigeri Poetę celeberrimi, qui in ore sæpè habebat „ *stassi ciò nel poter della natura. Ella el fece, ella el sà sol da se stessa.* Sed his carminibus omnes lites facilè dirimi possent: Galenus enim 1. meth. 5. inquit, nullam esse scientiam perfectiorem, quam illam, quæ habe-

tur per causam. Idem admonet Aristoteles 1. Physic. tex. 1. vbi inquit „ Tunc enim putamus vnumquodque cognoscere cũ causas primas, principiaque prima & vsque ad elementa cognoscimus: quare qui relinquunt difficultates insolutas, quando causæ possunt inueniri, sunt & illi relinquendi.

Valesius lib. 5. contro. cap. 25. & plurimi Recentiores dicunt, periodos varias fieri ab humorum maiori, vel minori copia. Sic dicunt, pituitam velocius moueri efficereque quotidianam: quia in corpore est copiosior alijs humoribus: melancholiam verò tardius: quia est in minori quantitate: bilem verò esse quidem in maiori quantitate, quam sit melancholia: sed in minori quam sit pituita: ideo moueri de tertio in tertium.

Hæc opinio Valesij, fuit Alexandri Aphrodisei 2. probl. deinde illam secutus est Argenterius lib. de causis morborum. Contra istos est experientia: quia si copia efficeret varias periodos, sequeretur, quod bilis in maxima copia extra venas existens citius moueretur, quam si esset in pauca, quod non videtur, quia tertiana semper seruat eandem periodum de tertia in tertiam diem, sit multa, vel pauca bilis. Præterea ex Auerroe 3. cæli 67. & ex ipso Aristotele quantitas nullo modo esse potest principium actiuum: ideo actiones non sunt in prædicamento quantitatis.

Nonnulli Recentiores, inter quos fuit Thomas Minadous, tenent, causam periodorum esse inquinamenta cinerulenta. Fundamentum pro hac opinione desumunt à Galeno 2. de diff. feb. 4. vbi ait „ In pituitosa febre relinqui plurimum inquinamenti: ideo pituitam celerius accendi. Addunt in tertiana non quotidiè accendi: quia in fine putredinis bilis parum inquinamenti relinquitur: in quartana verò minus.

Hæc opinio Minadoi patitur instantias insolubiles: nec respondet quæsito: quia quærimus causam periodicationis in communi, & non in febribus tantum. At sic est, quod inquinamenta cinerulenta in nephritico, in podagrico, & in lue gallica affectis, febre putrida destitutis dolores periodicè vexant: ergo inquinamenta cinerulenta non erunt causæ adequatæ periodicationis. Si loquamur de lue gallica: hæc solet quotidie horis vespertinis inuadere: deinde post mediam noctem cessare: die sequenti verò iisdem horis vespertinis periodicè redire: ergo inquinamenta cinerulenta, quæ solum in putrida febre obseruantur, non erunt causæ adequatæ periodicationis.

Præterea, si inquinamenta cinerulenta essent causæ periodicationis in febribus putridis: ego peterem ab illis de primo paroxysmo febris putridæ, à quo inquinamento excitetur, cum nullum fiat cinerulentum, nisi post primum paroxysmum: omnia enim cinerulenta in putridis febribus fiunt in fine paroxysmi, & non antea. Nos admittimus ex Galeno hæc cinerulenta augere accessiones: negamus tamen esse causas periodorum immediatas.

Nos verò (vt diximus in methodo nostra) varias membrorum dispositiones esse causas periodicationis in communi. Hæc opinio videtur esse Galeni secũdo de diff. feb. vlt. vbi habet hæc verba „ Quæcumque per circuitus accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent. Quod verò humores putridi non efficiant periodos patet, quia vbicumque essent humores putridi, ibi semper efficerent periodos: sed hoc non apparet: bilis enim putrida extra venas facit tertianam: eadem bilis in venis proximis cordi non tertianam, sed ardentem, in qua nulla periodus obseruatur. Amplius ex Galeno tertio de symp. causis secundo si bilis peccat in toto ambitu corporis facit icterum: si in parte peccet bilis, fit erisypellas: ibique putrescit sine periodicatione. Parimodo dicimus de pituita, & melancholia, qui humores si erumpant in cutim pedum, & ratione putredinis efficiant vlcuscula, nulla inde sequitur periodus quotidiana, vel quartana: ergo ab humoribus non fient periodicationes. Relinquitur ergo, quod periodicationes fiant (vt colligitur ex Galeno loco citato) ex membrorum dispositionibus. Cæterum quænam sint istæ membrorum dispositiones, non omnes animaduertunt.

Nos

No, credimus, membra vario modo disponi & vario modo operari ob varias mēbrorū conditiones, vid licet vel ob varium situm partium, ob meatus, magnitudinē, figuram, substātiam, temperaturam, compositionem, connexum, ob vasorum progressum, vel ob vasorum exordium, & officium ipsorum membrorum, meritò quarum dispositionum in membris sanitas, ægritudo, & omnes alij affectus generantur.

Quo ad febres putridas: quanto magis læsa viscera erunt in situ magis distanti à corde, tanto periodus tardior erit: hæc est Galeni opinio primo ad Glauc. vbi dicit, quotidianam fieri in ventriculo, tertianam in iecore, quartanam in liene: hinc pituita putrefacta in ventriculo quotidiè inuadit; quia est cordi proximior: bilis putrefacta in iecore vel circa iecur alternis diebus inuadit: quia post uentrinculum iecur est cordi proximius: melancholia putrefacta in liene facit quartanam, quia magis distat à corde, quam iecur: quando verò humores putrescunt in locis valde distantibus à corde, vt in pedibus & brachijs, tunc nulla obseruatur periodus febrilis.

Præterea possunt ob mēbrorum situm, & ob alias conditiones alias periodos obseruari. In nephritica passione ob arenulas, vel lapillum conglobatum, vt plurimum obseruatur periodus sex mensium, plus minus ve ob varias renum dispositiones, vel quia papillæ ita occludunt vreteres, vt non possit lapillus egredi, nisi aliqua ex illis rumpatur. In hæmorrhagia è naribus, vel hemorrhoidibus, vel vtero, varia obseruatur periodicatio, prout meatus magis vel minus sunt aperti, & prout sunt maiores, vel minores, magisque vel minus densi, vel prout viscera sunt magis, vel minus intemperata: variusque sit vasorum progressus, & prout connexio vasorum sit magis vel minus compacta, & prout pars læsa magis vel minus sit proxima cordi. In arthritide fiunt periodi, vel annuatim semel, vel bis, prout articuli ad recipiendos humores confluxos sint magis, vel minus dispositi, & prout partes mandantes plus minusvè participant illis dispositionibus, quæ concurrunt ad tardam, aut velocem excrementorum expulsionem. Dispositiones articulorum sunt cauitas maior, vel minor; intemperies articulorū magis, vel minus frigida & eà vel acquisita, vel hereditaria. Idem dicimus de parte mandante, quæ magis, vel minus promptè propellit excrementum, prout magis, vel minus est intemperata: quare prout varia sunt corpora, variantur periodicationes, quæ per se dependent à varijs membrorum dispositionibus, & non ab humoribus per se primo.

Secunda dubitatio oritur ex dictis: quia periodi videntur primo & per se fieri ab humoribus, & non à varijs membrorum dispositionibus: ita ut in praxi valeat hæc consequentia: in febribus obseruatur periodus de tertio in tertium, ergo peccat bilis: de quarto in quartum, ergo melancholia: ergo causæ proximę periodorum erunt humores, & non membrorum dispositiones.

Responderi potest, periodos indicare humores peccantes quo ad existentiam humorum, idest quo ad quod, sed non quo ad propter quid: quia humores sunt causæ remotæ periodorum, & non proximæ: causæ verò remotæ ex Aristotele 1. post. tex. 30. dant solum quod, sed non propter quid: valet quidem, periodus est quotidiana: ergo pituita in ventriculo putrescit: sed propter quid fiat periodus quotidiana, dum pituita putrescit in ventriculo, & non fiat tertiana, vel quartana, hoc non desumitur à pituita putrescente, sed à membrorum dispositionibus, idest à situ ventriculi, qui est cordi valde vicinus: immo neque absolutè valet: sunt periodi: ergo dantur humores putridi prædominantes: quia dantur periodi, quæ fiunt ab humoribus non putridis, vt ab arenulis, à lue gallica, à lapillis & ab alijs causis.

Demū si humores essent causæ proximæ periodorū, ipsa periodus non solum indicaret existentiam humorum, sed etiam intrinsecam, & essentialem humorum naturam: quia proprij affectus declarant rei naturam: humores igitur erunt causæ remotæ periodorum: at sic est, quod ex causis remotis nihil concluditur affirmatiuè: quia ex Aristotele 1. post. citato, ex causa

remota non potest fieri nisi argumentum in camestres, quod est negatiuum, & vt tale dare non potest ipsum propter quid, sed solum ipsum quod, idest existentiam rei: ideo concedimus, bilem putrescentem indicare posse febrem tertianam, pituitam putrescentem quotidianam, & melancholiam putrescentem quartanam: sed cur ex istis humoribus putridis fiant istæ periodicationes, ex humoribus certè colligi non potest, sed solum ex varijs membrorum dispositionibus tamquam ex causis proximis, vt dictum est.

,, SEd ex his quæ mox apparẽt indicia. Hęc est secunda pars aphorismi, in qua Hippocrates proponit signa mox apparentia, quæ longum, vel breuem morbum prænunciant: datque exemplum prius de sputo, quod scilicet in principio pleuritidis apparens breuiet morbum: postea verò apparens producat: deinde dat exempla de vrinis, de alui excrementis, & sudoribus, quæ vel bonam, vel malam crisim indicant: vel breues, vel longos morbos prænunciant: hic est sensus secundę partis.

QVÆST. XLII.

De Methodo præcognoscendi paroxysmos, & vigores tardos, seu longos, vel breues.

METhodus, quam proposuit Hippocrates in hoc aphorismo pro præcognoscendis paroxysmis, & vigoribus, an longi, vel breues sint futuri, constat ex quatuor fontibus, videlicet ex morbis, anni temporibus, & circuituum successiuis incrementis, & ex signis mox apparentibus: de quibus fontibus in hac secunda parte. Hæc methodus est pulchra, & artificiosa, aphoristica tamen. Nos verò præter hanc, aliam methodum magis locupletem ab his, & ab alijs Hippocratis & Galeni locis desumpsimus, quæ maximè respondet practicæ medicinæ, constatque ex octo locis.

Primus desumitur à velocitate, vel tarditate motus principij ipsius morbi, vel à tarditate, aut velocitate symptomatum: valet enim consequentia, principium morbi est velox: ergo morbus erit breuis: principium est tardum, ergo longus. Similiter simptomata grauissima apparẽt in primo quaternione; ergo breuis erit morbus. Hic locus obseruatur in ægrotãtibus Hippocratis, sicuti in Philisco, & Anaxione & omnibus alijs: duo tamen isti propositi casus sũt famosi. De Philisco Galenus quærit in comm. quomodo Hippocrates poterat in principio prænoscere morbum esse breuẽ, concludit id colligi posse ex velocitate principij, & symptomatum: habet enim Galenus hæc verba ,, Vbi tertius & quartus dies habent grauia symptomata, breui exspectabis iudicium, quia morbus breuis est. De Anaxione Pleuritico, Hippocrates prænouit pleuritidem illam foré longam ex tarditate principij: in octaua enim die tussis adhuc erat sicca, & omnino cruda: quia nisi incipiat concoctio, non incipit augmentum: atque in die octaua Hippocrates secuit cubitum, ideo fuit solum liberatus 34. die.

Secundus locus desumitur à determinatis horis diei: quia sicuti ex Hippocrate lib. de natura humana, & alibi quatuor elementa respondent quatuor humoribus, & quatuor humores quatuor anni temporibus, & quatuor anni tempora quatuor ætatibus, videlicet pueritiæ, adolescentiæ, iuuentuti, & senectuti: sic quatuor humores respondent quatuor diei partibus: ideo in meridie dominatur, & mouetur bilis: horis vespertinis vsque ad mediam noctẽ melãcholia: post mediam noctem pituita, siue catarrhus, & horis matutinis sanguis: quare si moueantur symptomata in meridie, breues erunt accessiones, & vigores cito erunt aduentaturi: quia in meridie indicatur bilis, quæ morbos, & accessiones breuiat: si vesperi dominatur melancholia, vnde longi paroxysmi, & morbi diuturni fiunt: si media nocte symptomata moueãtur, indicatur pituita, vnde affectus lõgus: si horis matutinis symptomata fiãt, sanguis mouetur, & per cõsequens affectus breuis: hinc omnes synochæ sunt breues.

Tertius locus desumitur ab imbecillitate loci affecti, quæ imbecillitas si ante morbum fuerit, morbus, qui occupat illam partem, longus erit. Hippocrates 4. aphorismo-

morum 33. habet hunc aphorismum notatu dignum „ si qua ante morbum pars laborauerit, ibi morbi sedes: hæc pars igitur debilis, dum morbo corripitur, prænũciat morbum longum: quia vt debilis non potest nisi longo temporis spacio morbũ vincere: quia facultas expultrix debilis est. Quod verò partes, quæ ante morbum sint imbecilles, indicent morbi longitudinem, patet ex Galeno 2. de diff. feb. vlt. vbi proponit quinque causas longitudinis morbi, & paroxysmi. videlicet humorum copiam viscositatem, crassitiem, meatuum angustiam, & virium imbecillitatem.

Quartus locus desumitur à natura & cõditione paroxysmorum: hinc Galenus 11. meth. vlt. & 2. de diff. feb. 8. docet, si rigores paroxysmorũ diu durẽt, vel diu durẽt partium extremarum refrigerationes, vel accidat, quod somnus in principio paroxysmi sit profundus, dicit indicari excrementorum redundantiam, quæ & longos paroxysmos, & morbos diuturnos prænunciat: è contra verò vbi rigores, & frigiditas extremarum partium parum durant, nec somnus sit profundus, morbus breuis, & paroxysmi breues significantur.

Insuper Auicennas prima 4. trac. 1. cap. 4. loquẽs de paroxysmis indicantibus breuitatem, vel longitudinem proponit præceptum quoddam Diuinum, quod est: si in fine accessionis sequetur aliqua euacuatio, & deinde accessio, quæ subsequitur, mitior fiat: inquit indicari morbi breuitatẽ: subdit: Si vero subsequens accessio post factã euacuationem nõ fiat mitior, sed sit omninò similis præcedentibus, nihil colligi potest: si verò sæuior: signum est, euacuationem illam præcedentem fuisse merè symptomaticam, quæ vel mortem, vel morbi longitudinem prænunciat; quæ doctrina maximè consentit Hippocrati & Galeno hæc dicentibus in Philisco „ Decretoria non iudicantia esse lethalia, vel difficilis iudicij, lethalia, si iungantur cum aliquo signo lethali: parimodo euacuatio symptomatica est decretorium non iudicans, & ferè semper malum prænunciat: nihilominus medicus debet inspicere alios locos, & videre an simul consentiant: quoniam singuli propositi loci seorsum sumpti nos facile possunt fallere: sed per syndromen vniti æquiualent demonstrationi quia: vnum. n. tollit seu expurgat alterius contingentiam: sic præceptum Auicennæ alioquin vtile interdum nos fallit, quoniã accessiones tempore crisis post factã optimam euacuationem fieri solent sęuiores, tamen sunt omnino salutares,

Quintus locus desumitur à situ, seu loco, vbi stabulantur humores. Hinc bilis extra venas efficit morbum longiorem, quam si eadem bilis peccaret in venis: namque bilis extra venas efficit tertianam, quæ si est exquisita ex Hippocrate terminari solet 14. diebus, quod longissimum est. Eadem bilis in venis efficit ardẽtem, quæ septem diebus terminatur: quia ex Galeno 3. in primum epid. comm. 17. in tertiana exquisita loco accessionum enumerantur dies: sic lib. de differentijs feb. & alibi vnica dies febris ardentis proportionatur vnico circuitui tertianæ. similiter ex Galeno 3. de symp. causis cap. 2. si bilis in toto ambitu corporis peccat facit icterum, qui morbus longus est, & per consequens vigor tardus: si eadem bilis in parte peccat faciet erisypellas, cuius vigor velox est: ratio diuersitatis est, quia bilis effusa in totum ambitum è capillaribus exudat: bilis vero quæ facit erisypellas per vasa maiora reijcitur: vnde calidior, & resolutioni accommodatior: idem dicimus de omnibus alijs succis.

Cæterum accedamus ad alia exempla, vt res melius intelligatur: Galenus 6. aphorismorum 53. dicit mucum mordacem in cerebro efficere maniam, cuius vigor interdum tardus est: attamen si idem succus mordax esset in cute, efficeret non maniã, sed exiguum pruritum, vel vlcusculum, cuius vigor velocissimus est. similiter si catarrhus contineatur in cerebri ventriculis efficere potest epilepsiam, quæ est velox: si idem catarrhus in pectus decumbat efficiet asthma, cuius vigor tardus est: si in articulos, efficiet podagram, vel alium articularem morbum, qui longissimus est. Si melancholia peccet in cerebro efficiet affectum melancholicum per essentiam, cuius vigor tardus & morbus tardus, & valde longus fit. Si in

ete

ore ventriculi excitat intensam famem, cuius vigor in propinqua cœna superatur. Denique ipse flatus ob varios situs, & breues, & longos morbos efficere potest. Hinc dum occupat cor efficit palpitationem, cuius vigor interdum tardus est: si idem flatus occupat ventriculi cauitatem, ructum; si intestinum rectum, crepitum, cuius vigor est ventus velocissimus: si occupat penem efficiet priapismum, cuius vigor ob partis densitatem non est ita velox: quare qui inquirunt humores peccantes, omisso aliorum locorum examine, sæpissimè decipiuntur. Hinc Galenus damnat imperitos medicos, qui à specificis non desumunt remedia: sicuti lib. de opt. sect. ad Trasyb. cap. 9. vbi reicit illos, qui oleum applicant oculis dolentibus, quib. est maximè inimicum: causa erroris est, quia vident oleum esse anodynum in alijs partibus: inde colligunt ex hoc communi conceptu, oleum quoque oculos iuuaturum. Hæc ratio communis in praxi est omnium errorum origo, vt docet Galenus 3. meth. 7. & 1. ad Glauc. cap. 1. Hinc Galenus huius methodi nunquam oblitus, quod videlicet solum remedia à specifica indicatione desumpta sanare possint, 5. meth. vlt. cum omnium admiratione illico sanauit penis cariem siccis remedijs proportionatis, quam medicus Thesalicus tamquam incurabilem reliquit, quam sanationem miratus Thesalicus erupit in hæc verba „ non tantum lętatus sum de salute hominis, quam tristatus, quod in mala secta fuerim educatus: inde Galenus colligit, & loco citato & 1. ad Glauc. 1. remedia generica, & subalterna esse vanissima, solumque illa sanare, quæ à specifico affectu desumuntur.

Sextus locus desumitur à symptomate grauitatis, aut leuitatis: valet enim symptoma est cum sensu grauitatis: ergo morbus longus: quia indicat humorum frigidorum redundantiam, vt obseruatur in oedemate, in scyrrhis, in apostematibus, in dolore grauatiuo, & in plurimis alijs affectibus. Similiter valet: morbus est cum symptomate leuitatis: ergo morbus breuis.

Septimus locus desumitur à varietate partium læsarum, nam si læsus est lien, peccat melancholia: ergo morbus longus: si glandulæ, ergo affectus longus, tum ratione humoris crassi, & viscidi, quo facilè implentur, tum ratione imbecillitatis facultatis naturalis glandularum, & præcipuè expultricis, nulla enim est corporis pars, quæ obtineat facultates naturales imbecilliores, quam ipsæ glandulæ. Si læsæ sint membranæ quò ad partem internam, vt pleura, dura mater, & aliæ omnes: signum est peccare bilem: ergo affectus breuis. Quod vero membranæ læsæ indicent, bilem esse causam læsionis, patet ex Hippocrate 6. aphoris. 33. vbi habet „ qui acidum eructant non valde fiunt pleuritici: Galenus in comm. reddit hanc rationem, quia qui acidum eructant sunt pituitosi, & pituita quatenus crassa non potest membranæ densitatem penetrare: ergo membranorum morbus vt plurimum erit biliosus, & breuis.

Octauus locus desumitur à signis mox apparentibus de quibus Hippocrates in secunda parte huius aphorismi mentionem facit. Signa mox apparentia sunt illa, quæ neque necessario incipiunt cum morbo; neque necessario desinunt cum morbo: quia hæc signa mox apparentia nõ sequuntur naturam, & essentiam morbi.

„ *SEd & ex iis quæ mox apparent.* Hippocrates in hac 2. parte aphorismi declarat, quænam sint signa mox apparentia: sumitque in exemplum pleuritidem, cuius signa mox apparentia dicit esse hæc tria, sputamina, sudores, & vrinas, quæ proponuntur ab Hippocrate ad differentiam signorum pathognomonicorum, quę sunt illa, quæ semper comitantur morbum, vt vmbra corpus. Signa pathognomonica pleuritidis proponuntur à Galeno in hoc comm. suntque hæc quatuor tussis, difficultas respirandi, dolor lateris pungitiuus, & febris continua: hæc quatuor signa incipiunt, & desinunt cum pleuritide; immo, si vnicum ex quatuor propositis deficiat non est pleuritis: immo si omnia quatuor adessent, & dolor non esset pungitiuus, sed grauatius non esset pleuræ inflammatio, sed vinculorum hepatis,

patis,

patis, in qua tussis sicca, difficultas respirandi, febris continua, & dolor grauatiuus obseruantur.

Signa mox apparentia, quæ vocantur ab Hippocrate epiphenomena continent sub se quatuor signorum differētias, nempè signa assidentia, signa coctionis, & cruditatis, signa critica, & symptomatica, & signa salutis, & mortis.

QVÆST. XLIII.

De signis assidentibus.

QVo ad signa assidentia primò sciendum, interdum reduci ad mox apparentia: interdum non esse mox apparētia, sed inuadere cum morbo, quod patet: quia ipse Galenus in comm. laudat Praxagoram, qui in vno libro locutus est de signis assidentibus, & in alio de mox apparentibus: si idem essent hęc duo signa, non esset laudādus Praxagoras: ideo dicimus signa assidentia aliquando mox apparere, & aliquādo inuadere cū ipso morbo.

Cæterum signa assidentia sumuntur pro illis signis ab Hippocrate in hoc aphorismo, quæ sunt mox apparentia, & quæ non comitantur naturam morbi, sed situm partium affectarum, idest indicant morbum esse vel in parte dextra, vel sinistra, vel anteriori, vel posteriori, interiori, vel exteriori, in superiori, vel inferiori: veluti in pleuritide dolor circa iugulum, quod signum à Galeno in comm. vocatur assidens: quia ostendit partem superiorem pleuræ esse læsam. Similiter dolor circa hypocondrium ex Galeno indicat partem inferiorem pleuræ esse inflammatam. Item decubitus facilis supra latus lęsum est signum assidens: quia significat pleuram esse læsam versus cauitatem thoracis. Decubitus verò difficilis significat pleuram esse inflammatam versus costas, & musculos intercostales: quo casu æger in latere opposito melius decumbit.

Hinc quatuor ortæ sunt differētiæ pleuritidis, prout varius est situs ipsius pleuræ. Prima pleuritis dicitur intercostalis, quæ fit à ramo venarum excurrentium per musculos intercostales. Secunda dicitur pleuritis hypocōdriaca, quæ fit à vena sine pari. Tertia dicitur pleuritis antica, quæ fit à venis mammarijs. Quarta est dorsalis, quæ fit à venis excurrentibus per pleuram dorsi, quæ nullo modo fieri potest à vena sine pari: quare nescio quo pacto possit defendi Vesalius, dum tenet, pleuritidem solum fieri à vena sine pari: & quia vena sine pari oritur à parte dextra venæ cauæ, vult in omni pleuritide venam basilicam esse secandam in dextro cubito. Sed in methodis vitandorum errorū satis superque hāc Vesalij opinionem reiecimus.

Præterea non solum inflammatio membranæ, quæ communiter dicitur pleura efficit pleuritidem, sed etiam quælibet inflammatio lateris manente illæsa (si fieri posset) ipsa membrana, vocabitur pleuritis: quia pleura propriè non significat membranam: Quis dixit hoc? Galenus 3. de articulis comm. 37. vbi dicit, quod etiam costæ vocentur πλευραὶ: Similiter Gaza in Arist. per pleuram vertit costam, quia costæ efficiunt latus: sic latus nauis ab omnibus vocatur pleura: quare, qui putant pleurā solum significare membranam, falluntur: quia inflammatio pleuræ propriè est inflammatio lateris, sit in membrana, sit in costis, vel in musculis intercostalibus. Hinc quælibet pars lateris habebit signa assidentia, quatenus latus habet octo differentias positionis partium, à quarum situ diuerso oriuntur signa assidentia diuersa, quæ indicant locum affectum.

Insuper notandum est, signa assidentia in omni morbo esse consideranda: quia quælibet corporis pars habet omnes differētias positionis, licet partes affectæ non semper secundum omnes partes sint læsæ: quare in omni morbo sunt perquirenda signa assidentia, vt intelligamus vbi sit morbus.

Hinc Galenus loquens de vario situ ipsius hepatis 5. de loc. aff. 7. dicit hepar interdum esse læsum in parte concaua, interdum in parte conuexa, atque prout in vario situ hepar est læsum, sic varia proponuntur medicamenta: si verò membrum sit totaliter læsum, nempè secundum omnes partes, læsio non potest auferri, affectusque redditur insanabilis: quia opifex

R sani-

sanitatis non potest esse, nisi pars sana ipsius membri: quare si nullibi est sana, morbus sanari non poterit.

Sic Galenus in arte med. in 3. parte, vbi agit de vlceribus, & 4. meth. cap. 1. habet „ nec vlcus, nec vulnus sanari potest, nisi caro subiecta sana sit. Diuus Thomas loquens de hac re 2. de anima 58. habet hanc sententiam „ sanitas non potest alicui reddi, nisi aliqua pars sana sit: ratio est, quia reuera sanitas introducitur à parte sana vicina virtute proprij calidi innati: quia operationes formaliter pendent à calido innato: & non à corde, nisi materialiter: quia calor influens cordis est pabulum, & materia caloris innati.

Oppositum tamen tenent Peripatetici, nempè omnes operationes omnium partium corporis in virtute cordis formaliter à calore influente pendere: materialiter verò à calido innato.

Quod hæc opinio peripateticorum ab Auerroe explicata 5. coll. cap. 2. non respódeat veritati, & experiétiæ: Patet: quia cor robustissimum sanare non potest perexiguum alicuius infimæ partis corporis affectum: sed calor innatus singularum partium est ille, qui est sanitatis opifex. Exemplum si vepres, seu spina infixa sit alicui parti infimæ certè virtute cordis non separabitur, sed virtute calidi natiui illius partis: idem dici potest de quolibet alio affectu exiguo, licet sit infimarum partium.

QVÆST. XLIIII.

Cur Hippocrates solum octauo die secauerit venam in Anaxione pleuritico.

CÆterum antequam ad signa coctionis accedamus, Expositores quærunt in hoc aphorismo, cur Hippocrates secauerit venam in Anaxione octaua die, & non in principio, quod est contra aphorismum Hippocratis 2. sect. aphoris. 29. vbi ait, si quid tibi videtur mouendum, moue in principio.

Casus Anaxionis, qui est de pleuritide consideratur à Galeno in hoc comm. & mirantur Expositores, cur Hippocrates non incæperit curationem pleuritidis à sanguinis missione: sed hoc remedium adeo necessarium ad octauum diem distulerit.

Quidam dicunt, Hippocratem in casu Anaxionis fuisse solum vocatum septima die, sed non tollunt dubitationem: quia Hippocrates refert illam historiam à prima die, deinde vsus fuit sexta die fomentationibus.

Manardus lib. 12. epist. prima asserit Hippocratem misisse sanguinem in octaua, quia fuit dubius, an sanguinis missio, vel potius purgatio conueniret. Addit: quando vidit Hippocrates in septima omnia apparuisse deteriora, in octaua sanguinem esse mittendum statuisse.

Fallitur Manardus: quia Hippocrates in ipso principio pleuritidis prænouit, morbum illum esse magnum. Præterea Galenus 2. de ratione vic. vndecimo inquit „ In pleuritide, licet dolor ad hypocondriũ veniat, & phlebotomia illo casu sit auxilium minus, quam purgatio: attamen Galenus dicit, tutius esse phlebotomare, quam purgare: addit, quia ex venæ sectione nullum periculũ impendet: ex pharmaco maximũ: quia periculũ est, vt plus, vel minus per pharmacum euacues, quam par sit: de phlebotomia hoc dici nõ potest, quia euacuamus quantum volumus: quare Hippocrates non videtur, quod possit defendi.

Altimarus tenet, non omnem pleuritidem postulare venæ sectioné, quia in exigua nõ fit phlebotomia: sicuti erat in Anaxione: ideo inquit, non fuisse sectam venã, sed quod Hippocrates errauerit, non est admittendum. Accedit, quod in principio illius pleuritidis erat febris, tussis, difficultas respirandi, & dolor lateris pungitiuus: ideo sanguis non erat omittendus.

Montanus dixit, Hippocratem distulisse phlebotomiam ad octauum diem: quia prius voluit fométationibus dolorem mitigare: sed poterat Hippocrates primis diebus anodynis dolorem sedare, & eodem tempore venam secare.

Nos credimus, Hippocratem in Anaxione non solum sanguinem misisse in octaua die, sed etiam in secunda, aut tertia, itaut bis sanguinem euacuauerit: omisit tamen rela-

relationẽ primæ phlebotomiæ: quia sicuti admonet Galenus, nõ scripsit illos casus, vt nos remedia, sed solum prognostica doceret, idest dies criticos, & ea quæ rarò accidunt: rarò autem contingit, quod in pleuritico vena octaua die sit secanda.

Ideo Hippocrates 2. de ratione vic. in principio inquit, in pleuritide statim incipiendum à fomentationibus ex tex. 9. si fomenta non iuuent, statim sanguinem esse euacuandum.

Causa verò, cur in pleuritide sit incipiẽdum à fomentis, est, vt mitigetur dolor: quia dolor est vrgẽs, & est causa fluxionis: dicit ad partem dolentem transmitti sanguinem: ideo ante alias reuulsiones, dolorem prius esse mitigandum.

Hinc Auicennas prima quarti: tract. 1. cap. 20. ait „ antequam ad contrariam partem detrahes, & reuelles, dolorem mitigato.

Nos ostendimus ex Galeno lib. 15. meth. nostræ, qui est de indicantium æquilibrio, ante morbum, ante impedimenta, & ante causas morborum principales esse attendendum vrgentibus, ostendimusque dolorem inter vrgentia collocari.

Demum Galenus in Anaxionis historia dicit, Hippocratem facere mentionem de phlebotomia facta in octauo die, vt reprehẽderet illos medicos qui habent pro lege vltra quartũ diem venam nõ esse secãdam.

Hinc Galenus 9. meth. 5. ait non esse dierum numerum inspiciendum, sed virium robur. quia (addit) & 6 & 7. & sequentibus diebus sanguis mitti potest, dummodo vires permittant.

HIppocrates in aphorismo docuit morbos, anni tẽpora, successiua circuituũ incrementa, & signa mox apparentia indicare longitudinem, vel breuitatem affectus. Nos superius diuisimus signa mox apparentia in signa assidentia, in signa coctionis, & cruditatis, in critica & symptomatica, & in signa salutis, & mortis. Declarauimus signa assidentia pleuritidis exemplo proposito ab Hippocrate in aphorismo & alijs quamplurimis exemplis. Reliquum est, vt ad alia signa declaranda accedamus.

QVÆST. XLV.

De signis coctionis.

QVo ad signa coctionis hæc sunt semper fida, & secura: ideo Hippocrates 1. epid. 2. tex. 45 & 3. de crisibus cap. 4. habet „ coctionem iudicationis celeritatem, & salutis securitatẽ indicare. tex. verò 46. subdit Hippocrates „ cruda & incocta ostendere vel futuros abscessus, vel morbi longitudinem, vel mortem, vel recidiuas: primo verò de crisibus cap. 15. ait „ signa coctionis fidam, & certam præbere salutis præcognitionem.

Notandum tamen ex Galeno in comm. signa cruditatis suscipere magis, & minus: addit in comm. „ Maximè cruda, si à vi morbi expellantur, finem malum, & interdum exitiosum prænunciare, non tamen ratione cruditatis esse finem exitiosum: quia cruditas in principio morbi, vt probauimus in nostra arte parua, est signum neutrum per negationem extremorum, idest neque esse signum bonum, neque malum: sed ratione motus symptomatici, dum cruda mouentur, esse signum perniciosum: quia tunc indicat victoriam se tenere ex parte morbi, & non ex parte naturæ: quia indicatur maxima humorum acrimonia, quæ non potest à natura vinci, & superari.

Galenus in comm. loquens de pleuritide mentionem facit de gradibus cruditatis pleuritidis. Primus gradus (ait) est nihil penitus expuere: tunc est pleuritis in prima parte principij: quæ cruditas, neque est bonum, neque est malum signum: ideo dicitur signum neutrum per negationem extremorum.

Secundus gradus est, dum expuitur ichor tenuis peccantis humoris, qui pertinet ad secundam partem principij: ad hunc gradum pertinent sputa subrussa, & subflaua, si tenuia sint.

Tertius gradus, dum expuitur humor crassus, & crudus.

Quartus, dum expuitur crassum coctum quod pertinet ad augmentum.

Addit Galenus in comm. si expuantur, flaua, vel viridia syncera nõ permixta indi-

cari mortem, & multò magis si liuida: & nigra sint: namque ex Galeno 2. Prognog. 38. omnes sinceri colores deterrimi sunt, quia validissimas intemperaturas indicāt: permixti verò non sunt ita mali. Hæc signa non pertinēt ad coctionem, vel cruditatem, sed ad morem, idest ad malignitatem, & ad mortem.

QVÆST. XLVI.

De signis criticis.

QVo ad signa critica: hæc differunt à signis coctionis, & cruditatis: quia signa coctionis sunt fida, & semper bona: signa verò decretoria non semper fida: quia interdū salutem, interdum mortem, vel longitudinem significant.

Insuper signa decretoria sunt in duplici differentia: quædam sunt signa solum: quædam sunt signa & causæ: signa solum sunt sicuti nox sine ratione molesta, quod signum proponitur ab Hippocrate 2. sect. aphorismorum 13. dicente „ Quibuscūque crisis idest iudicatio fit, his nox grauis ante accessionem. Præterea dolor repente inuadens caput, difficultas respirandi præter rationem crisim præcedunt, de quibus signis Galenus egit 3. de crisibus 11.

Decretoria verò, quæ sunt signa, & causæ, sunt vrinæ, alui profluuia, sudores, hæmorrhagiæ, vomitus, & abscessus.

Hęc decretoria quæ sunt signa, & causæ, vel sunt cum signis coctionis, vel sine signis coctionis: si cum signis coctionis, salutem: Si verò sine signis coctionis vocantur decretoria non iudicantia, quæ ex Galeno 1. de crisibus cap. 8. indicat longitudinem, vel recidiuam: si verò æger debilis sit & cum signo lethali indicat mortem.

Demum decretoria vel apparent in statu, vel declinatione, & hæc sunt fida & salutaria: vel apparēt ante statum, videlicet ante coctionem: hæc non sunt fida: quia (vt optimè docet Galenus 3. de crisib. 6.) fiūt ab aliquo irritamento: hinc Galenus 3. de crisib. cap. 6. de crisi habet hanc sententiam „ crisis tantò deterior est, quantò magis anticipat statum.

De ratione optimæ crisis sunt hæc tria munia à Galeno proposita quarto aphorismorum comm. 21. coctio, separatio, & euacuatio.

Præterea septem conditiones perfectissimæ crisis proponuntur à Galeno: sex enumerantur in comm. 20. aphorismi huius sectionis; quarum prima est, vt crisis fiat per euacuationem inferiorem, idest per aluum, per vrinam, & per sudorē partium extremarum, & non per abscessum.

Secunda vt humor peccans totus, & solus euacuetur, idest non permixtus alijs humoribus non peccantibus.

Tertia vt euacuatio fiat κατ' ὀρθὸν id est secundum rectitudinem.

Quarta vt fiat cum tolerantia.

Quința quod humores, qui euacuantur, sint concocti.

Sexta vt euacuatio fiat in die critica.

Septima, quæ colligitur ex Galeno 3. de crisib. 6. qđ fiat in fine statusipsius morbi.

Vnica ex his conditionibus deficiente, crisis non erit integra. Sed vocabitur infida, obscura, & cum periculo recidiuæ.

QVÆST. XLVII.

De signis mortis.

QVo ad signa mortis à nobis in praxi non semel obseruata, & collecta ex Galeno 1. & 2. Prognost. & ex alijs locis reduci possunt ad hæc quattuor capita, nempè ad læsas partes ad vitam necessarias, ad excrementa, ad corporis dispositiones, & ad actiones vitales, animales, & naturales.

Ad læsas partes vulneratas, sunt partes quæ proponūtur ab Hippocrate 6. aphorismorum 18. quibus vulneratis, sequitur mors, hic est aphorismus „ secto cerebro pulmone, corde, septo transuerso, ventriculo, intestino tenui, hepate, & vesica, lethale. Sed possunt addi aliæ partes, vt potè sectis renibus, liene, trachea, arterijs, & venis iugularibus, vena & arteria magna, venis pulmonis, & si quæ alię sint ex maioribus venis, & arterijs, neruorum surculis, lethale. Galenus in comm. huius aphorismi per lethale intelligit non necessariò lethale, sed vt plurimum & ferè semper lethale.

Quo ad signa lethalia, quæ desumuntur ab excrementis, quæ vt plurimum mortem prænunciant, hæc quindecim à nobis in praxi non semel fuerũt obseruata: prius tamen inuenta in Hippocrate & Galeno.

Quorum primum est vrina nigra quo ad substantiam, & non quo ad contenta.

Dicimus non quo ad contenta, sed quo ad substantiam, quia in passione nephritica, & in muliere menstruata vrinæ contenta semper apparent nigra.

Nigra vrinæ substantia fuit obseruata lethalis ab Hippocrate in Pythione, Philisco, & multis alijs: non tamen semper est lethalis: quia in Heropito, in Horofonte, in Melidia, in Nicodemo, & in vxore epicratis non fuit lethalis.

Secundum signum lethale est dum in vrina apparet quædam corona nigricans crassa in nube quadã circulari, hoc significat humores esse combustos, & vt tales propter igneum spiritum petere partes superiores nempè cor, vel cerebrum & interimere.

Tertium signum est vrina destituta omni odore, & est Auicennæ secunda primi doc.3.cap.4. significat in hepate esse ablatam coctionem.

Notandum tamen est Auicennæ præceptum secunda primi doc. tertia cap.3. vbi ait, tunc in vrina signa esse verè mala, si perseueret mala, quod præceptum desumpsit ab ipso Galeno 2. præsag.26. vbi dicit ,, si inter coctas vrinas nulla cruda inciderit, ea optima est.

Præterea perseuerantia requiritur non solum in signis, quæ desumuntur ab vrina sed in omnibus alijs signis, in malis malum confirmatur: parimodo in bonis perseuerantia confirmat signum esse salutare.

Quartum signum sunt colliquationes in vrinis, quę indicant liquefieri pinguedinem, & resolui humidum radicale.

Quintum, sputamina nigra ex Hippocrate 4. aphorismorum aphorismo 22.

Sextum, vomitus atræ bilis ex Hippocrate loco citato.

Septimum, excrementa alui nigra vt pix ex quarta aphorismorum 21.

Octauum fæces biliosissimæ & fætidissimæ ex quarta aphorismorum 47. & 2. Prognost.20. addit etiam liquidissimas esse exitiosas.

Nonum, sudores frigidi. Hinc Hippocrates 1. Prognost. tex 30. (ait) sudores frigidos circa caput, collum, & vultum in acutis mortem significare, in mitiori febre morbi longitudinem. Parimodo 4. aphorismorum 37. sudores frigidi indicant mortem: quia ex Galeno in comm. indicant tantam esse frigiditatem, vt neque à calore natiuo, neque à febrili possint calefieri. Idem docet Aristoteles in problematibus loquens de sudoribus. Præterea calidi sudores in principio morbi, si continui sint, indicant mortem, vt obseruauit Hippocrates in Erasino, & hoc non semel in praxi obseruauimus.

Decimum, stillæ meri sanguinis, quæ indicarunt mortem in vxore Dromedæ.

Vndecimum, excrementa aurium dulcia indicant humidum radicale ipsius cerebri liquescere, quod est lethale: est Hippocratis 6. epid. 5. tex. 19.

Duodecimum, lachrimæ inuoluntariæ, est Hippocratis 4. aphorismorum 52. Galenus enim primo in sextum epid. comm. 21. habet hæc verba ,, lachrimæ in acutis uoluntariæ bonæ: inuoluntariæ malæ: quia moribundis non fiunt lachrimæ: ergo dum fiunt inuoluntariæ sunt lethales.

Decimumtertium, lentores circa dẽtes, vt plurimum minantur finem exitiosum ex Hippocrate 4. aphorismorum 53. habetur, fortes febres in his ægrotantibus fieri.

Decimumquartum, viscositas circa cutim signum est exitiosum: quia tunc resoluitur humidum natiuum.

Decimumquintum, excrementa pauca, & praua ex Galeno 2. prorreth. 47. siue per vterum, siue per aluum, vel alias partes excernantur: Galenus in comm. inquit, dum praua, & pauca excernuntur alterum de duobus indicari, vel naturam non posse tolerare morbi magnitudinem, vel esse valde imbecillam. Similiter Hippocrates 3. coac. præsag. sec. 3. tex. 8. inquit, dum pauca apparent veluti stillæ sanguinis meri, vrinæ paucæ, vomitus, & excrementa alia pauca, & praua omninò malum est, & pessimum, si de proximo se consequantur.

Similiter Hippocrates 1. prorrer. sec. 3. tex.

tex.42. „ dicit sanguinis eruptiones vehementes sunt pessimæ: quia fit. ἰατρχργσις quam dicit esse metuendam.

AD corporis dispositiones octo lethalia signa reducuntur. Primum est facies hippocratica, quæ describitur à Galeno 12.meth 6.quod scilicet nares sint acutæ,oculi concaui,& tempora collapsa: fit talis facies: quia flacescunt venæ & arteriæ,& exiccatur humiditas musculorum exiguorum faciei:quare si in partibus istis remotis vasa,& musculi flacescunt, quantò magis erunt flacidæ partes internæ ipsorum viscerum, in quibus morbus altas agit radices?

Secundum signum est florida facies, & æger tristis valde: hoc signum in acutis febribus minatur delirium, & est Hippocratis 2. prædict.14. Notandum, colorem floridum non esse solũ in summitate genarum, vt in tabidis, & peripneumonicis, sed in tota facie.

Tertium signum: dormiunt vt hiantes, est Hippocratis 6. aphoris.52. & ex Galeno indicat ęgros magna indigere inspiratione ob cordis incendium.

Quartum,durities circa cutem frontis: est Galeni 3. in 6. epid.29. quod significat ab incendio interno corpus exsiccari: hoc signum prænunciauit mortem in Adolescente melibeæ die 25. hoc signum frequenter obseruatur à mulieribus Vngaricis: quæ comprimunt digitis cutem frontis: si post compressam non redit cutis ad proprium situm,prænunciant ægrum moriturum: quod sanè frequenter contingit.

Quintum,suspensa hypocondria, est Hippocratis signum obseruatum lethale in pluribus ægrotantibus in Epidemicis: quia omnia excrementa ad viscera retrahuntur,vnde facilè opprimuntur.

Sextum,sunt digiti denigrati, quod signum erat in Adolescente decumbente in foro mendacium. Galenus in illo comm. dicit, digitos denigratos alterum de duobus significare, vel emori natiuum calorem,vel inflammationem viscerum.

Septimum, maculæ violaceæ, & nigræ, seu peticulæ nigræ indicant mortem ob eandem causam,ob quam digiti,& vngues liuidi fiunt.

Octauum, stertores indicant subsidentiam vasorum pulmonis ob virium casum, ac nemo cum hoc signo euadit.

AD actiones actuales rectrices, sex lethalia signa,eaque pręcipua reducuntur. Primum est delirium cum permutatione ad peius: hoc signum proponitur ab Hippocrate 1. in 3. protet.26. Galenus in comm. declarans quid intelligat cum permutatione ad peius,inquit esse permutationes ad peius, si prius delirent cum risu, & deinde cum rixa: vel prius delirium sit intermittens, & deinde continuum.

Secundum,dum æger non credit se valde ægrotare, licet febre acuta sit correptus. Hoc signum indicat interna instrumenta iudicij seu raciocinationis facultatis esse victa.

Tertium est,dum æger ex timido fit audax,& è contra, hoc indicat ipsum cor, & naturam propriam corrumpi: hæc omnia signa magna ex parte desumpsimus ab Hippocrate locis citatis.

Quartum signum est amissio memoriæ rei notissimæ,vt pote nominis alicuius familiaris amici,est Hippocratis 2.in 1. prædic.30. indicat calidum natiuum cerebri valde resolui.

Quintum est oblitio cum rigore, quæ indicat calorem natiuum vinci, vt animaduertit Galenus in illo comm.2. in 1. prædic.30.

Sextum sopor cum lassitudine in declinatione morbi, est Hippocratis secunda aphorismorum primo: indicat enim futuram recidiuam,quæ erit peior radice.

AD actiones sensitiuas reducuntur octo signa: ac præcipua desumuntur ab oculis: Hippocrates enim 4. in sextum epid.tex.28.dicit „ Oculi,vt valent, ita & totum corpus. Plinius lib.7. historiarum naturalium cap.51.inquit signa lethalia in oculorum & narium aspectu esse indubitata.

Primum signum est dum ægri distrahũt palpebram inferiorem in supernam palpebram,

bram: sicuti fieri solet, dum aliquid incidit in oculos, quod signum fuit obseruatum ab Hippocrate in Cidis filio, qui apparente hoc signo breui ex human.s decessit.

Secundum, oculi semiaperti dum dormiunt, est Hippocratis 6. aphorismorum 52. nisi tamen id post alui fluxionem fiat; indicat hoc signum totum corpus à magno viscerum incendio exsiccari.

Tertium venulæ oculorum si paleant, vel nigricent est lethale ex Galeno 1. præsag. 10.

Quartum surditas superueniens in acutis febribus indicat mortem: est Hippocratis 4. aphoris. 49. Idem habetur 1. Prognost. 31. sed clarius 4. aphoris. 49. vbi Hippocrates alia plura signa lethalia proponit: hic est aphorismus „ In febre non intermittente, si labium, aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertatur, si non videt, non audit, imbecillo iam corpore, in propinquo mors: causa est, quia dum partes peruertuntur, id fit per conuulsionem, quæ superueniens febribus acutis prænunciat mortem.

Quintum, odor cadauerosus.

Sextum vox glangosa ex 2. prædic. 13. est ex Galeno loco citato à siccitate orta à nimia inflammatione, & est principium stertoris.

Septimum, commesta vt lutus, est malum signum: quia indicat abolitionem gustus.

Octauum: dum ægri non sitiunt cum lingua arrida, vt in Hermocrate: Galenus in illa historia dicit, vel significare mentis alienationem, vel emori natiuum calorem, vtrumque indicat mortem.

AD actiones motrices animales reducuntur nouem signa. Primum respiratio magna & rara, vt in Sileno: Galenus in comm. vult hoc signum indicare mentis alienationem.

Secundum, respiratio frequens vt pulsus: natura enim visum ita auctum sufferre non potest.

Tertium signum, si in respiratione moueantur scapulæ, & pinæ narium ob debilitatem moriuntur, quia indicatur talis debilitas, qualis morbum vincere non pôt.

Quartum, motus conuulsiui, qui vt plurimum mortem pænunciant.

Quintum, singultus ex inanitione.

Sextum signum malum est, dum æger vult sæpè residere, ex 1. præsag. 2. colligitur significari internum angorem

Septimum, dum ægris omnes situs sunt molesti, est Galeni 1. præsag. 16. Si hoc signum est continuum, mortem significat, vide Galenum 3. præsag. 13.

Octauum 1. Prognost. 25. „ stridere dentibus in febribus, quibus non est consuetum, insaniam & mortem significat.

Nonum colligitur ex 7. epid. 28. de Pherecide vlt. dicit quod habebat signum mortale: quia in lecto decumbens vix poterat se conuertere.

AD operationes vitales reducuntur Septem signa desumpta ab Hippocrate 2. de morbis mulierum. Primum, pulsus admodum contracti perseuerantes sunt exitiosi.

Secundum pulsus intercidentes.

Tertium valde debiles.

Quartum deficientes, veluti asfixia.

Quintum conuulsiui pulsus.

Sextum minimi.

Septimum ad manum maximè accellerantes. Valeant, qui putant Hippocratem non tetigisse pulsus.

AD operationes naturales octo signa lethalia reducuntur. Primum desumitur à decretorijs non indicantibus: ideo Galenus in Philisco, & passim lib. de crisibus nobis reliquit hanc sententiam „ Decretoria non iudicantia aut lethalia, aut difficilis iudicij: lethalia si iungantur, cum aliquo signo lethali: difficilis iudicij, si nullũ aliud appareat signum exitiosum.

Hæc decretoria non iudicantia obseruantur, dum in acutis, & malignis febribus in morbi principio vel augmento excitantur sudores copiosi, frigidi, vel calidi, vel alui fluxus, vel aliæ euacuationes.

Hæc decretoria non iudicantia vocantur motus symptomatici: qui sunt duum generum: aliqui sunt symptomatici ratione excuntis, veluti dum in morbo melancholico euacuatur bilis, in bilioso pituita, vel melancholia, & tales motus sunt symptomatici perniciosi. Aliqui verò sunt motus symptomatici ratione temporis,

di m

dum scilicet in morbo biliosо euacuatur bilis, in principio morbi, & in pituitoso pituita, & isti non sunt ita mali.

Secundum signum exitiosum est, si in febribus fiant maximi rigores sine vlla euacuatione per aluum, vel vrinam, vel sudores, vel per vomitum, vel per hæmorrhagiam: hoc signum est Galeni 4. aphoris. 46.

Tertium, rigores maximi sine consecutione caloris partium extremarum: hoc signum fuit obseruatum in muliere decumbente in foro mendacium, quod fuit lethale.

Quartum, rigores maximi in debilibus, febre non deficiente: est Hippocratis 4. aphoris. 46.

Quintum, rigores in principio febrium ardentium est signum malignitatis, vt colligitur ex Galeno 2. in 1. epid. 75. atque ex Hippocrate 2. epid. 1. significat bilem vellicare membranas viscerum, & ipsa viscera opprimere.

Sextum signum est, dum concoctrix est ablata, sit prima concoctio quæ fit in ventriculo, vel secunda, quæ fit in hepate, vel tertia, quæ fit præcipuè in visceribus obtinentibus principatum: est Galeni 3. de crisibus sexto & tertio de symp. causis cap. 1. vbi vult: si ventriculus nihil concoquat fieri lienteriam, vel tympanitem: si coctio in hepate deficiat, fieri ascitem: si tertia coctio est ablata, fieri anasarcam, qui affectus indicat finem exitiosum.

Septimum, est passio diabetica in febre maligna, quæ est certum mortis indicium: quia fit à retentrice ablata (sed non ob intemperiem frigidam, vt dicit Auicennas, vbi agit de diabete: quia in viuo non est tanta frigiditas) & fit vt dicit Galenus 6. de loc. aff. 3. ab attractrice renum deprauata à materia calida in ipsis febribus: addimus quoque fieri à concoctione ferè extincta sæpè ob gangrænam, quæ læsiones enunciant finem exitiosum.

Octauum signum est, si in statu adsit summitas symptomatum cum vrina cruda, est lethale: quia de ratione status sunt duo signa: quorum primum est summitas symptomatum, secundum est perfectissima coctio, si primum est sine secundo, est lethale. Hæc de signis lethalibus.

QVÆST. XLVIII.

De sputo, & sputamine.

IN secunda parte aphorismi loquēs Galenus de signis mox apparentibus mētionem facit de sputo, dicendo quod si statim appareat circa morbi initium breuem fore morbum, intelligens per initium, tres primos dies, vt infra declarabitur, si posterius, vt in Anaxione, longū fore morbum. Concludit deinde vrinas, alui excrementa, & sudores longum vel breuem prænunciare morbum, sed de his distinctius.

Quo ad sputum, notandum ex Galeno 1. de crisib. cap. 5. sputum differre à sputamine: sputum enim est illud naturale quod tempore sanitatis expuitur: sputamen verò est, dum cum sputo proicitur aliquid morbificæ substantiæ. Hippocrates in aphorismo per sputum intelligit sputamen. Galenus in comm. de sputamine habet hæc verba: si sputamina in pleuritide apparuerint statim idest in tertia die, pleuritis terminabitur decimaquarta: si ante tertiam diem apparuerint terminabitur in septima, & ad summum vndecima eadem proportione dici potest, quod si sputamina apparuerint in sexta, terminaturam pleuritidem, in 27. si post octauam in 34. die, vt in Anaxione. Galenus in comm. istius aphorismi facit mentionem exemplo sputorum de gradibus cruditatis pleuritidis, dicens primum cruditatis gradum esse quando nihil omninò expuitur, quod indicat pleuritidem esse in prima parte principij: in Anaxione non solum tertia dies, sed etiam octaua ad primam partem principij pertinebat: quia tunc nihil expuebat.

Secundus gradus cruditatis pleuritidis est dum expuitur pituita cruda: tuncque morbus est in secunda parte principij.

Tertius gradus est dum expuitur tenue sputum cum aliqua tātum obscura coctione, & cum aliqua facilitate: tuncque morbus est in fine principij, quod colligitur ex Galeno primo de crisibus cap. 18. & ex hoc comm.

Quartus gradus est dum sputum crassum est obscurè coctum: dicimus obscurè: quia

quia appareat inæquale, videlicet partim coctum, & partim crudum: tuncque pleuritis est in augmento.

Quintus gradus cruditatis est, dum sputamina reijciũtur flaua, viridia, cruenta, & syncera, quæ non solum indicant cruditatem, sed malignitatem.

Hinc Hippocrates, & Galenus 2. Prognost. 38. & 40. dicunt, colores synceros. Semper malos, & deterrimos: quia indicant calidissimas dyscrasias: dum verò isti colores sunt permixti aliorum humorum caloribus non sunt ita mali: quia non est à temperatura naturali tã insignis lapsus. Cæterum, qualiscumque sit lapsus in pleuritide, dummodo vires sint robustæ, venæ sectio semper conueniet: ideo Hippocrates in Anaxione die octaua à morbi principio phlebotomiam non abhoruit.

Dubitatio: cum Galenus in hoc comm. mentionem faciat de sputis rufis, flauis, nigris, & liuidis synceris, quod scilicet sint deteriora, quam permixta alijs humorum coloribus, videndum est, cur huiusmodi excrementa sint ita mala: quod prima facie non videtur: quia sequeretur quod deterior esset tertiana exquisita, quæ à syncera bile fit, quam hæmitritæus, qui simul fit à bile, & pituita. Nihilominus optimi sputi conditiones sunt ex Hippocrate & Galeno in comm. & alibi quod sint cocta, sintque alba, læuia, & æqualia: alba: quia tunc reddita sunt partibus solidis similia: læuia ex Galeno 1. acut. 15. dicũtur læuigata, idest non aspera, nec diuulsa: taliaque sunt à natura superata: æqualia ex Galeno 2. Prognost. 28. sunt illa quę vbique sunt vniformia, neque sunt in vna parte crassa, & in alia tenuia, neque in alia alba, ac in alia rubra, vel alterius coloris.

Insuper notandum ex Hippocrate 2. Prognost. 26. quod de ratione sputi optimi sit trium propositarum conditionum perseuerantia: namque si vnica die sputa essent æqualia, altera verò die inæqualia, alterum de duobus indicarent, vel humores peccantes varios esse, vel à patiente esse commissum erratum in sex rebus non naturalibus. Addit Galenus in comm. præter tres optimi sputi conditiones, quod scilicet sint alba, læuia, æqualia, habeat prætcrea, quod sputa neque nimis crassa, neque nimis tenuia sint.

Tertia dubitatio: quo ad difficultatem propositam, cur scilicet sputa syncera, flaua, vel alterius coloris synceri sint deteriora, quam si essent alijs excremẽtis commixta: instantia erat de tertiana exquisita quæ fit à syncera bile, quæ reuera non est deterior hęmitriteo à bile, & pituita facto.

Primò respondemus in tertiana exquisita bilem synceram transmitti extra venas: ibique ab alijs humoribus eius acrimoniam obtundi, secus in euacuatione per aluum efficeret diarrhæam, & dysenteriam. Vel dicimus, si eadem bilis quæ facit tertianam exquisitã esset in venis proximis cordi efficeret ardentem, & malignam febrem.

Præterea bilis syncera depulsa ad ventriculum, intestina, & mesenterium facilè vincitur: quia in his partibus & maxima est virtus concoquendi, & maxima commoditas expellendi prauos humores: qui si essent in pleura statim interrimerent.

Quod verò maxima vis transmutandi, & concoquendi sit in ventriculo, intestinis, & mesenterio patet experiẽtia: quia in his partibus maxima ciborum, & potuum moles breui spacio in aliam substantiam transmutatur. Hinc superius diximus, humores in varijs partibus varios affectus producere; namque mucus mordax in cerebro ex Galeno loco citato efficit maniam: in cute pruritum, qui est affectus minimus respectu maniæ: flatus in corde palpitationem: idem flatus in ventriculo ructum; in recto intestino crepitum, & sic de alijs.

Quarta dubitatio: quo ad instantiam de hæmitriteo quod non deberet esse affectus sæuior, quam sit tertianã exquisita, quia non constat ex synceris humoribus, sed ex bile, & pituita.

Respondemus, hæmitritæum, seu semitertianam legitimam esse compositionem ex tertiana intermittente, & quotidiana continua: sed hanc compositionem non esse per humorum confusionem, sed per complicationem: declaro per cõfusionem est, quando bilis permiscetur pituitæ, & ex hac permixtione vnica massa putrescens

fit; quæ febris est simplex: quia prouenit à putredine vnius massæ in qua humores inuicem se attemperant, licet ita mixti consecuti sint ferè vnam formam: quia illa massa, neque est bilis, neque pituita, sed quoddam mixtum à putredine corruptum per humorum confusionem. Per complicationem verò est quãdo humores non simul miscentur, sed vnus humor est in vna parte, & alius in alia, itaut vnus alium non attemperet. Parimodo componuntur morbi per cõfusionem, veluti de pleuritide, quę est tumor inflammatorius pleuræ, sicuti in pleura est intemperies, soluta vnitas ipsius pleuræ, & magnitudo aucta; vel componuntur morbi per complicationem, veluti dum varij sunt morbi in varijs corporis partibus: medicus igitur in morborum complicatione debet hanc distinctionem animaduertere: quia modus mędendi morbis complicatis per confusionem est valde diuersus à modo medendi morbis complicatis per compositionem.

Sed redeamus vnde digressi sumus de semitertiana, quæ fit per complicationem: quæ est deterior: quia pituita putrescit in venis: syncera bilis extra venas. Accedit quod pituita separata à bile non potest acrimoniam bilis retundere: ideo hæmitriteus est febris mali moris, non solum, quia syncera bilis non contemperatur à pituita, verum etiam, quia pituita non iuuatur à bile: dum verò bilis cum pituita confunditur inuicem se remittunt, & maximè iuuantur.

QVÆST. XLIX.

De vrinis.

CVm Hippocrates in aphorismo inter signa mox apparentia collocet vrinas, alui fæces, & sudores: de his aliquid dicendum. Hippocrates 6. epid. 8. tex. 7. diuidit totum corpus, in continentia, contenta, & impetum facientia: inde ad reparandas has tres corporis partes tria sunt necessaria: nempe cibus, qui est necessarius pro continentibus, quæ sunt partes solidæ: potus pro contentis, idest humoribus, & aer pro spiritibus, qui vocantur impetum facientes: sic tria resultant excrementa, nempè alui fæces à cibo: vrinę à potu: sudores, & excrementa insensibilia ab excrementis tertiæ coctionis. Alui excrementa, quæ sunt mox apparẽtia, primò significant statum ipsius ventriculi, & intestinorum: secundariò statum ipsius hepatis, quatenus bilis, vel sanguis fęcibus permiscetur, vel quatenus melancholia & catarrhus cum alui excrementis excernuntur, quæ lienen vel cerebum indicare possunt.

Similiter vrinæ primariò significant renes, venas, & arterias magnas & hepatis gibbam: secundariò possunt significare statum omnium læsarum partium, quatenus ab omnibus partibus possunt excrementa deduci ad venam cauam, & inde per emulgentes ad renes, & vesicam.

Sudores, & halitus insensibiles primariò indicant excrementa tertiæ coctionis: secundariò conditionem aliarum partium, idque præcipuè ostenditur per halitus: qui nostra arte statica perpenduntur.

Quantum igitur attinet ad vrinam, tria in ipsa considerantur nempè continentia, substantia, & contenta. Per continentia medici intelligunt vrinarum colores. Per substantiam intelligunt crassitiem, & tenuitatem. Per contenta intelligunt, & hypostasim idest sedimentum, & suspensum quod dicitur ἐναιώρημα quod in medio firmatur, & nubeculam quæ non consistit in medio, sed tendit ad summitatem: similiter inter contenta ponuntur omnia, quæ vrinæ supernatant, sicuti sunt spumæ, gutæ oleaginosæ, corona, quæ à Græcis dicitur ἅλως, & tellæ araneæ cum circulis maioribus, & minoribus cum lineis à centro ad circumferentiam. Hæc omnia inter mox apparentia collocantur, de quibus omnibus Hippocrates intelligit in aphorismo.

Quantum attinet ad continentia videlicet ad colores: sciendum est ex Galeno primo de crisibus cap. 12. quod omnes vrinæ remissioris coloris, quam sit color subflauus, indicant defectum caliditatis: vrinæ verò intensioris coloris indicant excessum caloris.

Per vrinam subflauam Galenus intelligit palearem, quæ est modicè pallida: de hac

hac loquens Galenus 2. de tuen. sani. 2. habet hæc verba ,, Vrina modicè pallida est indicium perfectæ coctionis.

Præterea notandum est, colores remissiores subflauo in ipsis vrinis esse albos, & valde pallidos: Intensioris verò coloris esse flauos, subrubros, impensè rubros, oleosos, cæruleos, virides, & nigros, quamuis dentur multi alij colores intensiores subflauo, sicuti sunt vrinæ spiceæ, aureæ, & croceæ: de quibus Actuarius lib. de vrinis: omnes tamen ad prędictos reducuntur.

Sed quomodo fiant colores albi, nigri, & medij dependentes, vel independentes, legenda est nostra digressio quadragessima octaua in comm. artis paruæ & in Auicenna quæst. propria, licet apud nos vnica inspectione & hęc omnia per experimenta illicò intelligantur, & quomodo fiant colores medij independentes, & quomodo fiant dependentes.

Quid verò vrinæ albæ & valde pallidæ, quę sunt infra subflauum, indicent: primò cõfugimus ad Auicennam lib. 1. fen. 2. doc. 3. cap. 2. vbi dicit, vrinas albas perseuerãtes cũ eadem albedine indicare priuationem digestionis: dicit perseuerãtes: quia nisi ita albæ perseuerent per plures dies non indicabũt priuationem digestionis: quia reddi possunt albæ ex tribus causis nempè ex nimio potu, ex vigilia, vel ex nimio coitu.

Hinc duæ conditiones sunt obseruãdæ, vt vrinæ albæ indicent priuationem digestionis. Prima vt sint albæ, & perseuerantes: secunda vt non sint splendidæ, seu valde lucidæ: ideo Galenus 2. præsag. 26. habet hæc verba ,, si inter coctas vrinas nulla inciderit cruda, ea optima est (addit) si aliquando apparuerit cocta, aliquando cruda, illa indicat in varijs locis humores peccare: itaut in vna parte sint cocti, & in alia crudi: ideo solum vrinæ perseuerantes verè possunt indicare omnes humores esse coctos, vel crudos.

Deinde vrinæ albæ, & pellucidę, sunt valde malæ, de quibus Hippocrates 4. aphorismorum 72. protulit hunc aphorismum ,, Pellucidæ & albæ vrinę pręsertim in phreniticis, si superueniant, malæ. Immo Hippocrates 3. epid. prænouit ęgrũ quartum moriturum quinta die ex vrinis pellucidis albis, & tenuibus: in hoc ægro in secũda die apparuit suspensum paucum geniturę humanæ simile, signum quidem perniciosum: prænouit Hippocrates ægrũ quinta die moriturum: quia secunda die apparuerunt quoque vrinæ albæ, & lucidæ vnde factus etiam fuit surdus, & delirauit.

Prænouit quoque Hippocrates, ex vrinis albis, & pellucidis tenuibusque vxorẽ Dealcis in phrenitidem lapsuram, & tandem die vigesima morituram.

Quinta dubitatio ex dictis exoritur, quomodo vrinæ albæ, & lucidæ, quæ sunt infra colorem subflauum indicare possint ægros præ nimio calore febrili morituros? non ne confirmatum est ex Galeno, vrinas albas indicare defectum caloris?

Respondetur, vrinas albas per se non indicare phrenitidem, sed ex accidenti quatenus scilicet indicant vrinæ turbidum, & crassum deleterium quidẽ, quod erat euacuandum per vrinam, in corpore detineri, & detentum inuadere cor & præcipuè cerebrum: vnde phrenitis.

Insuper respondemus, vrinas albas indicare summam cruditatem: luciditatem verò magnum incendium, ratione cuius fieri potest phrenitis. Propter hanc causam in Sileno prius secutæ sunt vrinæ crassæ, & subiugales; deinde lucidæ, & tenues, deinceps cantus, risus, delirium, & inde mors.

Quod verò vrinæ lucidæ postquam fuerunt subiugales, & crassæ prænuncient finem exitiosum, probari potest argumento à minori hoc modo: si illud crassum, & turbulentum vrinæ, dum euacuatur, est adeo naturæ hostile, vt indicet perniciem; quantò magis erit naturæ hostile, quando in corpore detinebitur?

Hoc argumentum confirmatur per experimenta Hippocratis. Primò patet per historiam vxoris Philini, quæ (vt refert Hippocrates) filiam pepererat cum vrinis subiugalibus; inde delirauit, & paulò post mortua est.

Deinde confirmatur per casum famulæ Eualcidæ phreneticæ, quæ perijt: quia in toto morbo vrinas habuit turbatas.

Confirmatur quoque per casum Polyphanti, qui cum vrinis subiugalibus mori-

tur conuulsus. Quare si ita crassæ, & turbidæ sunt malæ, erunt peiores quando erunt pellucidæ, & tenues: quia illud crassum, & turbulentum naturæ inimicum in corpore detentum, & non euacuatum lethalia symptomata efficere solet.

Notandum ex Galeno 1. de crisibus 12. triplicem esse differentiam vrinarum turbidarum. Primam ait, esse dum mictæ paulò post resident, & has esse mitiores. Secunda differentia est, dum semper turbidæ manent. Tertia dum puræ minguntur, & deinde turbantur.

Sexta dubitatio oritur circa vltimam differentiam: quia sæpè in sanis hominibus puræ minguntur, & deinde turbantur: quomodo igitur istæ erunt deteriores subiugalibus? quæ solum in ægris minguntur.

Respondetur, Galenum loco citato loqui de turbidis, & subiugalibus: hæc sunt verba Galeni „ triplex est vrinarum turbidarum differentia: istæ quæ vocantur puræ à Galeno sunt illæ puræ: quæ intus relinquunt crassum, quod est deleterium: ideo sunt deteriores: hæ certè non conueniunt sanis.

Quo ad vrinæ colores, qui sunt intensiores, quam sit palearis, & subflauus, dicimus tantò esse peiores, quantò magis approximantur vrinis nigris: quia nigra excrementa omnia ex Hippocrate 4. aphoris. 21. & 22. mortem prænunciant.

Duo tamen de vrinis nigris sunt notanda: vnum ex Galeno 1. de crisibus 12. habetur, vrinam nigram significare vel magnum incendium, vel caloris extinctionem: atque ambo mortem portendere.

Secundum notandum est de vrinis nigris esse intelligendum quo ad substantiam, & nó quo ad sedimentum: quia vrina nigra quo ad sedimentum in quinque casibus nihil mali significat. Primus casus est dum in nephritico rumpitur aliqua renum papilla à lapillo ingrediente vreteres, quo casu statim vrinę sedimentum fit nigrum ob sanguinis pauxillum, quamuis vrinæ substantia omni nigritudine sit destituta.

Secundus casus nigredinis vrinarum obseruatur in mulieribus menstruatis.

Tertius in suppressis menstruis, vt notat Galenus in muliere morosa, vbi dicit vrinam nigram in ipsa muliere non fuisse periculosam, quia menses erant suppressi.

Quartus casus post epotum elleborum superuenire solet nigrum vrinæ sedimentum, vt refert Actuarius de seruo suo in lib. de iudicijs vrinarum.

Quintus dum splen depletur per vrinam, vrinæ apparent nigræ quo ad sedimentum: quia euacuatur humor melancholicus.

An verò splen depleri possit per vasa vrinaria: à multis non creditur, quia Galenus 12. meth. cap. 17. ait, nulla est via à liene, vt per vrinam superfluum possit euacuari. Attamen ex Hippocrate 2. epid. 2. tex. 27. in historia Bionis habetur, Bionem habentem splenen elatum, & tumidum, vrinæ profluuio fuisse liberatum. Insuper Galenus 2. ad Glauc 2. docet splenen interdum depleri per vrinæ profluuium: sed per quæ vasa non docet. Ego autem puto, vt in sectione corporum obseruaui, splené euacuari posse per vrinam per duos surculos arteriales prodeuntes ab arterijs splenis, qui deinde implantantur in arterias emulgentes. Quo pacto verò apparens contradictio in Galeno tolli possit, non est ita facile: sed nos alibi satis superque de hac contradictione scripsimus.

Colores verò qui sunt supra vrinas subflauas tendentes ad nigrum sunt subrubri, valde rubri, oleosi, cærulei, & virides: vrinæ subrubræ ex Hippocrate 2. præsag. 27. indicant securitatem & morbi longitudinem, sed eo modo, quo intelligit Galenus 4. aphoris. comm. 71. vbi citans Hippocratem dicentem vrinam subrubram esse salutarem dicit, esse intelligendum de sedimento rubro, quod scilicet indicet securitatem & morbi longitudinem.

Hinc in Cleonactide in die 40. minxit vrinam rubram & morbus prorogatus est ad 80. diem, in quo factum est iudicium ad salutem per sudorem, vrinæ sedimento existente rubro, & læui.

Vrina verò rubra indicat securitatem, quia affectus est in sanguine. Indicat longitudinem, quia indicat sanguinem esse

fa-

factum tenuem, & per consequens incoctum, vt dicit Galenus in comm. longo tamen temporis spacio concoquitur: quia ferè tota massa patitur illam cruditatem, quando vrinæ tales sunt: quia vrinę deplent venam cauam, quæ est venarum truncus maximus.

Vrinæ verò impensè rubræ ex Galeno 1. prædic. 2. comm. 25. sunt valde crudæ: ideo indicant maiorem longitudinem, & vnà securitatem.

Si verò rubedo sit in sedimento, indicatur maior longitudo, & maior iecoris imbecillitas: quia significat maiorem recessum à statu naturali.

Fernelius vult, vrinam impēsè rubram non reddi ex sola imbecillitate alteratricis iecoris, nisi renes quoque affecti sint: quia dum sanguinolenta transeunt per renes, nutriuntur illa portione sanguinis, quæ in serositate est dispersa: quare cum vrinæ sint sanguinolentæ, renes non nutriuntur, & per consequens sunt malæ affecti. Valeant igitur Saxonia, & nonnulli alij qui contra Fernelium dicunt vrinam sanguinolentam illæsis renibus reddi posse: id probant, quia etiam hepaticus fluxus lotiuus fieri potest, illæsis intestinis. Falluntur quia non est par ratio de renibus & intestinis: quia intestina sanguine lotiuo non nutriuntur.

Quod verò vrina rubra absque sedimento rubro nō indicet securitatem, confirmatur per Hermocratis casum citatum ab Hippocrate 3. epid. 1. in quo apparuit vrina rubra, quæ indicabat sanguinem adeo crudum, & serosum, vt natura non potuerit illum concoquere: ideo ex humanis Hermocrates decessit.

Oleosæ verò vrinæ ex Galeno 1. de crisibus 12. vel significāt colliquationem, vel in potu fuisse venenum haustum, vt dicit Auicennas, vbi agit de vrinis: ibique addit, si appareat in oleosis aliqua hypostasis de vita sperandum: si minus, valde timendum.

Similiter cæruleæ vrinæ significant ex Auicenna lib. 1. fen. 2. doct. 3. cap. 2. & & mortificationem, & haustum venenum, vt de oleosis dictum est.

Virides ex Galeno 1. de crisibus 12. sunt in via ad nigredinem factam, vel ab incendio, vt in febre ardente, vel à congelatione, vt in valde senibus & mortem significant. Isti igitur sunt colores, qui collocantur inter signa mox apparentia, de quibus Hippocrates in aphorismo intelligit.

Quo ad vrinæ substantiam, quæ similiter ad signa mox apparentia reducitur, duæ sunt conditiones, nempè crassities, & tenuitas, vtraque conditio ex Galeno 1. de crisibus 12. significat cruditatem; tenuitas; quia indicat naturam adhuc non incepisse coctionem: siquidem ex Aristotele 4. Meteor. cap. de coctione, coctio fit incrassando, dum verò incipit concoctio, statim remittitur tenuitas.

Crassities similiter significat cruditatem, quia flatuosi spiritus, vt ibidem docet Galenus, sunt permixti: sicuti permiscentur in vinis nouis, & in vrinis subiugalibus: Hinc Galenus 2. prædic. comm. 40. ait, vrinas crassas, & turbidas fieri, quia agitantur crassi humores à flatuoso spiritu, qui est ille, quippe eleuat partes crassas, ea ratione, qua panis fermentatur, dum in maiorem molem attollitur, vel ea ratione, qua melancholia in terram coniecta eleuat bullas: vel sicuti spiritus in musto, qui reddit vinum turbidum: hæc exempla à Galeno loco citato proponuntur. Similiter 4. aphorismorum comm. 40. habet hæc verba „ tales vrinæ, quales sunt iumentorum, fiunt à materia crassa, ac densa à calore agitata. Hæ siquidem maximè, & ab extrinseca caliditate videntur in spiritum solui, vt bitumen, pix, & resina.

(Addit turbatæ quæ citò sedimem crassum habent, citò morbum solutum iri significant: subdit quod est maximè notatu dignum „ vrinæ quæ non resident in robustis ostendunt longum fore morbum, in debilibus mortem prænunciant. Ecce, quam mirabile præsagium ex vrinis turbidis colligi potest, quod certè nos nunquam fefellit in prædicendo.

Quo ad vrinam tenuem: si ægri febre liberantur cum vrina tenui, expectanda est recidiua, nisi à medico prohibeatur. Accedit, quod si febris fuerit maligna, recidiua esset deterior, & vt plurimum mortalis: quia de ratione recidiuæ ex Auicenna est

hæc

hæc conditio, quod semper sit sua radice deterior: causa est, quia sicuti corpora decidentia sunt robustiora, sic conualescentia sunt debiliora: vnde fit quod sæpè recidiuæ interrimant, sicuti contigit Hermocrati qui decimaquarta die febre maligna liberatur, tamen cæpit decimaseptima apparere vrina tenuis: vnde Hippocrates præuidit Hermocratem in 27. moriturum, quod non contigisset, si vires perdurassent vsque ad vltimam partem vigoris.

Quo ad crassitiem ex Galeno 2. præsag. comm. 26. habetur in fine morbi, vrinam si debito crassior sit, minari recidiuam, intelligendo de crassitie substantiæ ipsius urinæ, non de crassitie contētorū: quia interdum urinæ sunt admodum crassæ, quo ad sedimentum, & sunt bonæ, quando per aliquā crisim ita crassæ redditæ sint: crassities verò vrinæ quo ad substantiam nunquā potest esse per crisim: quia semper significat cruditatem. Dum Galenus primo de crisibus 12. dicit turbidarum vrinarum peiores sunt quæ puræ minguntur, ac deinde turbantur: intelligit quo ad substantiam vrinæ, non quo ad contenta: dum in sanis puræ minguntur, & deinde turbantur sunt tales quo ad contenta: non quo ad substantiam: quia in sanis eadem semper manet vrinarum substantia.

Quo ad contenta mox apparentia quatuor esse possunt, nempè sedimentum, suspensum, aneorima idest nubecula, & quæ supernatant. Quo ad sedimentum siue hypostasim, Hippocrates 7. aphorismorum 31. si fuerit crassum & veluti farina crassius morbi longitudinem significat: sed hac lege vt non sit criticum: quia quando sedimentum, est crassum, & criticum indicat morbi solutionem: sciendum tamen quod sedimentum in vrina sana non inuenitur: inuenitur tamen suspensum.

Quo ad suspensum, quod est illud quod iacet in medio, docet Hippocrates 2. prognost. 26. in sanis debere esse album lene æquale & moderatè crassum.

Notandum quoque est, quod multi falluntur: dum credunt, æqualitatem suspensi significare æqualitatem substantiæ suspensi, quod non est dicendum, quia quando suspensum est lene ex necessitate est æquale: quare per æquale cum Hippocrate & Galeno loco proximè citato intelligimus suspensum album, & lene quod æqualiter perseueret tale, idest multis diebus ita vnitum, non diuulsum, & hoc dicitur æquale: quia nisi perseueret tale, indicatur morbi longitudo, quod confirmatur ab Hippocrate in Historia Cleonactidis, in quo apparebat vrina modo cocta idest cum suspenso albo, & leni, modo cruda idest sine suspenso quod indicabat morbum Cleonactidis fore longum: ideo solum die 80. fuit liberatus à febre, illa enim inæqualitas apparitionis suspēsi indicabat plurimas esse materiæ crudæ portiones, quæ indigebant coctione; sicuti admonet Galenus in comm.

Quo ad nubeculam dicimus, indicare humores seu vapores ad caput excurrentes. Cæterum, si in vrina non appareant aliæ malæ conditiones, nihil mali significatur, quia paulo post, ipsa nubecula in suspensum facilè degenerare solet.

Quo ad ea, quæ supernatant, quæ sunt spumæ, & bullæ, si citò dissoluantur nihil mali indicant: si tardè, affectū pituitosum. Gutæ verò oleoginosæ indicant colliquationem. Telæ araneæ cum circulis, & corona significant perfectam coctionem, & omnimodam separationem.

QVÆST. L.

De alui excrementis & sudoribus.

QVo ad alui excrementa: Galenus in comm. huius aphorismi proponit duas conditiones optimarum fæcum. Prima vt excernantur illa hora, qua tempore sanitatis. Secunda quod neque duræ, neque molles sint, habeantque mollem consistentiam, æqualem, tam in principio, quam in fine excretionis.

Septima dubitatio Hippocrates 2. præsag. 14. videtur diuersus à Galeno: quia dicit alui excrementa debere esse liquida sine strepitu exeuntia, & cum ordine. Galenus verò vult excrementa neque dura neque mollia esse, ergo vel male Galenus, vel Hippocrates.

Re-

Respondemus, Galenum loqui de excrementis significātibus alui coctionem: Hippocratem verò de excrementis significantibus crisim, in qua semper liquida sunt: ratio est, quia per crisim euacuantur excrementa, quę ab internis visceribus prodeunt, quæ sunt liquida.

Præterea sciẽdum est de alui excrementis, quod admonent Hippocrates & Galenus 2. præsag. 23. vbi habent „ quod deiectio excrementorum varia, & diuersa, multas, & curatu difficiles affectiones indicet.

Quo ad sudores criticos duæ sunt præcipuæ cōditiones: prima vt fiant cum signis coctionis. Secunda vt fiant diebus imparibus. Dies impares, in quibus sudores sunt laudandi, recensentur à Galeno 8. in sextum epid. cōm. 9. sunt dies 3. 5. 7. 9. 11. & 14. qui est septimus secundæ septimanæ, 17. & 20. qui est 7. tertiæ septimanæ 27. & 34. qui est post 20. dies 14. Cæteri dies sunt indicia laborum.

In diebus imparibus peccat bilis, quæ facilè soluitur: In paribus mouetur melancholia, quæ naturæ est magis rebellis, & difficile soluitur.

APHORISMVS DECIMVSTERTIVS.



SENES *facillimè ieiunium ferunt: secundo loco qui ætatem consistentem habent: minus adolescentes: omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.*

Cum Hippocrates à 4. aphorismo vsque ad hunc 13. exclusiuè egerit de ratione victus ægrorum. In hoc aphorismo, & in alijs sequentibus vsque ad decimumnonum inclusiuè agit quoque de ratione vic. sanorum: sed in hoc aphorismo de ratione victus sumpta indicatione ab ætate: itaur hic aphorismus sit regula omnium aphorismorum, qui sunt de ratione victus. Quod sic probatur: ex hoc aphorismo colligimus ex ætatum differentia quando parum, quando multum, quando semel, & quando parum & multum, & per plures vices sit cibandum: ergo est regula omnium aphorismorum: vult enim Hippocrates multum & semel in senibus primi senij: multum, & per plures vices in pueris viuidioribus: parum, & sæpè in decrepitis esse cibandum: in medijs ętatibus plus minusue, prout magis, vel minus ad pueritiam, vel senectutem vergunt.

Cum igitur Hippocrates in superiori aphorismo proposuerit quatuor fontes signorum indicantium futuros paroxysmos, & futuros morbi vigores, eo fine, vt illis cognitis facilè dignoscamus, quam victus tenuitatem, & quod ieiunium virtus ferre possit vsque ad vigorem: Ideo in hoc aphorismo declarat quænam ętates facillimè, & quæ difficillimè ieiunium ferant: ac merito in hoc loco de ætatibus: quia superius egit de victu tenui sumpta indicatione à morbo: deinde de victu tenui sumpta indicatione à virtute: reliquum erat, vt ageret de victu tenui sumpta indicatione ab ætate: quod facit in hoc aphorismo.

Similimodo progreditur Hippocrates 4. de ratione vic. tex. 19. dum proponit scopos mittendi sanguinem principalissimos, quos vocat κυριωτάτους vbi agit de ratione curandi per sanguinis missionem sumpta indicatione à morbo, à virtute, & ab ętate, dicens „ sanguinem detrahes, si vehemens fuerit morbus, viriumque robur affuerit, & ętas floruerit. Ecce quam artificiosè Hippocrates in hoc aphorismo quoque progreditur sumendo indicationem primò à morbo, deinde à viribus, & tertiò ab ętate, quod non solum fieri debet in phlebotomia, & in ratione victus, sed in omnibus alijs magnis remedijs.

Hæc connexio est memoriæ consignanda: quia docet quomodo sit procedendum in actu practico, docendo semper esse hæc tria respicienda, morbum, virtutem, & ætatem.

Diuiditur hic aphorismus in quatuor particulas. In prima proponit victum ætatis senilis. In secunda victum ætatis consistentiæ. In tertia victum adolescentium.

tium. In quarta victum puerorum.

Quo ad verborum explicationem, & aphorismi intelligentiam: per senes intelligit senes in primo senio, qui dicuntur γέροντες, vt animaduertit Galenus in côm.

Per ieiunium Galenus in comm. explicat, Hippocratem intelligere omnimodam inediam, quam solum senes, qui sunt in primo senio facilè ferre possunt. Secundum hanc interpretationem aphorismus non est verus de quacumque ætate senili.

Addit Galenus, vel Hippocratem per ieiunium intelligere non omnimodam inediam, sed cibi paucitatem; atque secundum hanc interpretationem aphorismus esset verus de quacumque senectute, & præcipuè de decrepitis, qui pauco, & sæpè exhibito cibo sunt nutriendi.

Nos tamen credimus cum Philotheo, cum Celso, & multis alijs, Hippocratem per ieiunium potius intelligere omnimodam inediam, quam solum γέροντες, qui sunt senes in primo senio, ferre possunt, ad differentiam senum, qui sunt in vltimo senio, qui vocantur πέμπελοι, quæ vox significat senes ad pompam funeralium bene dispositos & præparatos, sicuti sunt decrepiti.

Celsus lib. 1. cap. 3. citans hunc aphorismum Hippocratis habet hæc verba „ Quo ad ætates attinet, ieiunium facillimè ferunt mediæ ætates: minus iuuenes, & minimè pueri, & senectute confecti: quare per senes non intelligit in hoc aphorismo senectute confectos, sed solum illos, qui sunt in primo senio.

Quod verò senes in primo senio facilimè ieiunium ferant patet argumento à contrarijs: primo enim topicorum cap. 8. oppositorum eadem est disciplina: quare si corpora puerorum, quæ sunt calida & humida, difficillimè ieiunium ferunt: corpora contraria quæ sunt frigida, & sicca, sicuti sunt illa, quæ sunt in primo senio facillimè ieiunium ferent: corpora enim decrepita quo ad excrementa sunt frigida & humida, & non sicca.

Prætereà senes nô decrepiti facilè ferunt ieiuniũ ob tres causas: prima quia pituita in ipsis conuertitur in alimentum, quæ in decrepitis conuerti non potest: quia conuertitur cibus in ipsis magna ex parte in pituitam vitream, quæ est omninò nutritioni inepta.

Secunda causa est calor diminutus: in lucerna enim quanto ellychnium maius est, tantò citius oleum absumit; ideo diutius cum cibo aliquo determinato perdurant.

Tertia rô est, quia corpus senũ est rugosum, & dẽsum, vnde fit quod alimentũ cum difficultate penetrat, & cum difficultate resoluitur; vnde non ita promptè appetunt, vt iuuenes. Totum oppositum obseruatur in pueris. Namque Galenus 9. meth. cap. vlt. inquit, puerorum substãtiam omnium facillimè resolui, & difflare: quia est humidissima: Sexto verò de tuen. san. cap. 6. dicit alimentum proportionari difflationi, vultque pluri alimento pueros indigere, quam iuuenes, & longe pluri, quam senes: quia alimentum tantum esse debet, quanta est difflatio: ideo Galenus primo de ratione vic. 44. protulit hãc sententiam „ si nihil efflueret è corpore nostro, nihil cibi daremus: quare cum pueri maximam habeãt difflationem, duo debent à medico obseruari. Primum quod non sint tractandi inedia. secundum (vt docet Galenus 11. meth. 14.) quod pueri non sint euacuandi per medicamenta, vel per venæ sectionem: quia facilimè resoluerentur.

Demum Galenus in sequẽti comm. probat exemplo aquæ, olei, picis, & ferri ad solem appositorum, corpora humidiora facilius resolui, sicciora verò difficilius. Inde colligimus, quod vbi est facilior resolutio, & difflatio, vt obseruatur in pueris, ibi plus cibi dandum sit: vbi verò difficilior est resolutio & difflatio, sicuti in senibus, ibi minus cibi exhibendum. In decrepitis verò licet resolutio, & difflatio minima sit, parum, & sæpè nutriendum, ac magis quam in senibus primi senij: quia in decrepitis (vt dictum est) pituita fit vitrea, quæ est in ipsis omninò nutritioni inepta.

Deinde dicit Hippocrates εὐφορώτατα idest facillimè, & non facillima: quia neutra pluralia, vt εὐφορώτατα, sine articulis transeunt in naturam aduerbiorum, vt probauimus in explicatione 2. aphorismi

huius

huius sect. Poterat dicere Hippocrates εὐφόρως idest tolerabiliter: sed dixit εὐφορώτατα quod neutrum prolatum sine articulo ab Hippocrate semper sumitur aduerbialiter.

Deinde dicit ,, *secundo loco qui ætatem consistentē habent, minus adolescentes.* Quæritur cur Hippocrates omiserit iuuenes. Galenus in comm. Respondet omisisse iuuenes, quia medio modo se habent inter adolescētes, & ætate consistentes, idest mediomodo se habent in ferendo ieiunio: namque non ita ferunt ieiunium, sicuti illi, qui sunt in ætate consistentiæ: ferūt tamen magis ieiunium, quam adolescentes, quorum ætas maximè propinqua est pueritiæ.

Subdit Hippocrates ,, *Omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.* Galenus affert duas rationes, cur pueri indigeant pluri alimento: prima est, quia crescunt: secunda est quia præditi sunt maiori calore.

Sed Hippocrates mira breuitate explicat, cur pueri viuidiores minimè omnium possint pati ieiunium, dum dicit προθυμότερα quod verbum continet in se duas conditiones, primo comprehendit ætatis viuacitatem, & promptitudinem ad agendum: ex Galeno enim in arte parua cap. 29. habetur, promptitudinem ad agendum esse certissimum caliditatis indicium: ea verò quæ sunt prompta ad agendum, sunt quoque prōpta ad resoluēdum alimētum.

Secundo προθυμότερα comprehendit etiam calorem: quia θυμὸς non solum significat animum, sed iram, & feruorem, & per consequens calorem ad differentiam iracūdiæ, quæ dicitur oxythimia, quæ non calorem, sed frigiditatem indicat: hinc irati viri magis difflant, & resoluunt, atque maiori indigent ciborum quantitate, quam iracundi: quare cum pueri sint maiori calore, & maiori humiditate donati, & per consequens magis resolubiles, erunt magis nutriendi.

Post pueros sequuntur adolescentes: deinde iuuenes: post iuuenes sunt ætate consistentes, & postremò senes in primo senio, qui minimè omnium sunt nutriendi. De decrepitis nihil dicitur, quia in sequentibus dubitationibus declarabitur.

Prima dubitatio occurrit, quia dictum est, senes decrepitos pati non posse ieiunium, quod videtur rationi aduersari, quia eorum corpora tardius difflantur & resoluuntur & tardius famescunt. Ex alia parte Galenus 5. de tuen. san. 4. ait sæpè cibādos esse decrepitos, alioqui resoluuntur, & moriuntur.

Respondetur, in decrepitis difflationem minorem quidem esse: sed quia eorum pituita fit vitrea, quæ non conuertitur in alimentum, sicuti conuertitur in senibus primi senij, necessitate coacti debēt parum & sæpè cibari: vnde fit, quod si decrepiti in febrem leuissimam incidant facillimè moriantur: quia coacti sunt in ipsis paroxismis, ne resoluātur, cibum sumere: vnde facilè à morbo interimuntur: Eorum calor assimilatur lucernæ, quæ est propè extinctionem, quæ indiget continua, & paulatim facta olei adiectione: dicimus paulatim, quia si affatim oleum infundatur, extinguitur: sic in ipsis pauco vtimur cibo, ne calor suffocetur, ac sæpè exhibetur, ne resoluatur.

Secunda dubitatio: Hippocrates inquit, pueros difficilius ferre ieiunium, quā adolescentes, & iuuenes. Contra hoc habemus in comm. sequēti, & in Auicenna prima primi, caliditatem iuuenum, & adolescētium esse æqualem caliditati puerorum: ergo æqualis erit difflatio: ergo iuuenes, & adolescentes æquè ferent ieiunium, ac pueri.

Respondetur caliditatem natiuam puerorum quoad substantiam esse maiorem, quam iuuenum: esse vero æqualem quo ad qualitatem, licet humiditas puerorum efficiat caliditatem halituosam, itaut tactus noster non animaduertat caliditatis acrimoniam.

Deinde respondetur, quod licet caliditas puerorum sit æqualis caliditati iuuenum, non tamen est æqualis difflatio, & alimenti resolutio: quia pueri sunt humidiores, & vt tales longè magis difflant, & resoluunt, quam iuuenes, qui sunt calidi, & sicci. Sic Galenus in comm. sequenti dat exemplum de ferro ignito, & de oleo: dicit, ferrum ignitum esse calidissimum nihilominus ratione siccitatis non resoluitur:

si verò eadem ferri caliditas esset in oleo, & aqua, quammaximè oleum, & aquam resolueret, & exsiccaret: difflatio enim seu vapor eleuatur ab humido, & non à sicco. Quare cum cibus ex Galeno 6.de tuen.san. sexto & primo de ratione vic. comm.44. proportionetur difflationi, plus cibi dandum erit pueris, quam iuuenibus.

Causa verò cur Galenus dixerit, cibum debere proportionari difflationi, & non euacuationi sensibili, est, quia, vt probauimus in staticis, euacuatio insensibilis sola est longè plenior, quam omnes sensibiles simul vnitæ.

Tertia dubitatio. Galenus 2.de temperamētis cap.4. inquit, ꝙ qui habent venas latiores facilius ferāt ieiunium, quam illi, qui habent venas strictas. Totum oppositum asserit Galenus in arte parua vbi loquens de hepate calido inquit, istos habere venas latas, esseque calidi hepatis: sed sic est, quod calidi difficilè ferunt ieiunium: ergo Galenus sibi contradicit. Hæc dubitatio proposita est ab Argenterio in hoc loco, & à Triuerio contra ipsum Galenum.

Respondent tamen Triuerius & Argenterius, locum Galeni 2. de temp. esse mendosum, vel Galenum esse deceptum.

Respondent Alij, & rectè quidem, venas esse latas vel ob sanguinis copiam, vt in Athletis, quorū corpora ob sanguinis plenitudinem habebant venas latas & tales facilè ferre ieiunium. vel venas esse latas à natura: ac tales homines esse calidos, & ieiunium ferre non posse.

Similiter dicunt, venas angustas esse vel ob nimias euacuationes, quo casu ieiunium ferri non potest, vel esse angustas à natura, talesque esse frigidos, propterea facilè ieiunium ferre: quia in his pauca est difflatio.

Quarta dubitatio: dictum est, senes ratione siccitatis inediam ferre: tamen Galenus 2.de ratione vic.29. & 10. meth.5. inquit corpora sicca inediam ferre non posse.

Respondetur, corpora sicca vel esse coniuncta cum caliditate, vel frigiditate: primo modo inediam ferre non possunt: sicuti picrocholi, qui calidi sunt & sicci, de quibus Galenus locis citatis intellexit: secundo nempè corpora sicca iuncta cum frigiditate ieiunium facilè ferre posse.

Quinta dubitatio nō videtur, quod corpora sicca ratione frigiditatis inediam ferant: quia Galenus in arte parua cap.62.& 63. asserit, ventriculum frigidiorem magis appetere, ergo minus inediam ferre.

Respondetur, Galenum in arte parua comparasse appetitum concoctioni dicentem, ventriculum frigidiorem plus appetere quam concoquere, sed nō absolutè, *quod* scilicet concoctio in frigido maior sit, quā in calido: quia vult in frigido facta comparatione inter virtutem concoquendi, & appetēdi maiorem esse virtutem appetendi, quam concoquendi, quod non est contra Galenum: & Hippocratem.

Sexta dubitatio: dictum est ab Hippocrate in aphorismo: senes, qui sūt, in primo senio facillimè *ieiunium* ferre: ꝙ videtur reluctari experientiæ: quia senes decrepiti tardius famescunt & tardius eorum corpora difflantur, & resoluuntur: ergo faciliores erunt in ferendo ieiunio, quam senes in primo senio.

Respondeo, ꝙ ferre ieiunium intelligatur dupliciter, vel quod tardius famescant, vel quod facilius ferant cibi paucitatem. Decrepiti tardius famescunt, & difficilius difflantur eorum corpora: tamen non ferunt facilius ieiunium: quia nisi cibo pauco, & sæpè exhibito succurantur, resoluuntur, & moriuntur ob causas superius allatas.

Septima dubitatio non videtur, quod semper pueri plus appetant, quam adolescentes, & adolescentes plus quam iuuenes: quia inueniuntur iuuenes qui duplo magis appetunt, & concoquūt, quam pueri: ergo aphorismus non erit semper verus.

Respondemus, Hippocratem in aphorismo fecisse comparationem respectu vnius indiuidui, nempè quod Socrates puer difficilius ferat ieiunium, quam dum erat adolescens, vel iuuenis: quia facta comparatione ad diuersa indiuidua, aphorismus esset falsus: potest enim contingere, quod Socrates puer facilius ferat ieiunium, quam Plato adolescens.

Deinde respondemus per facilè ferre ieiunium Hippocratem intelligere, quod facilè tolerent ieiunium, & ab ipso non offe-

offendantur, non quod non appetant: quia corpora picrochola ob intemperiem calidam & siccam, & ob bilis copiam non appetunt quidem cibum, tamen quam maximè à ieiunio offenduntur.

QVÆST. LI.

Ostenditur, quæ corpora sint magis vel minus disposita ad ieiunium.

SEd tria occurrunt adhuc consideranda pro intelligentia aphorismi, primū quænam sint corpora magis, & minus disposita ad ieiunium. Secundum, cur Hippocrates & Galenus fuerint adeo soliciti in dignoscendis ætatibus. Tertium in sequenti quæstione: quæ sint, & quot sint ætates.

Quoad primum: ad memoriam reuocandæ sunt decem conditiones, quæ patefaciunt corpora magis vel minus disposita ad ieiunium: prima conditio est complexio calida & humida, quæ maximè resoluit: vnde redditur corpus ineptissimum ad ieiunium; sicuti sunt corpora puerorum sua natura calida & humida, quæ difficilimè ieiunium ferunt: sed quia oppositorum eadem est disciplina: corpora opposita sunt frigida, & sicca, hæc erunt aptissima ad ferendam inediam.

Secunda conditio corporis minus dispositi ad ieiunium est corporis raritas: quia Galenus lib. de cibis boni, & mali succi cap. 10. & lib. de salubri diæta 29. asserit, corpora rara magis resolui: densa verò minus: ideo densa esse magis disposita ad ieiunium: rara verò minus: vbi enim multa est difflatio, ibi est multa resolutio, vbi est multa resolutio, ibi difficilius ieiunium ferri potest: quia vt dictum est à Galeno 6. de tuen. sanit. 6. cibus proportionatur difflationi.

Tertia conditio est consuetudo multi cibi. Hinc Galenus 1. ad Glauc. cap. de tertiana concedit oua, & carnes ijs qui multis cibis sunt assueti: quia ob prauam multorum ciborum consuetudinem minus apti sunt ad ferendum ieiunium: tantum enim potest consuetudo, vt Hippocrates 2. de ratione vic. in ac. tex. 23. habeat hæc verba „ ter in die repleri, nihil mali si fuerint assueti.

Quarta conditio est regio calida, in qua multa fit difflatio.

Quinta os ventriculi validum, & non ita facile dissolubile, sicuti erat dissolubile illud Diodori Grammatici, qui ex Galeno lib. de venæ sect. ventriculo cibis vacuo existente, bilis os vellicabat, & in epilepsiam statim incidebat: sumpto cibo, omne malum summouebat.

Sexta conditio est vsus alimenti coctu facilis. Exemplum proponitur de Hispanis, qui in propria regione parum comedunt: in Italia verò & Germania, licet à mane ad vesperas cibum sumant, vix satiantur: causa est, quia in Hispania ob terræ arriditatem, vinum, & reliqua, quibus pro alimento vtuntur, sunt coctu difficilia: apud nos verò ob terræ humiditatem omnia sunt coctu facilia: quare apud nos Hispani ferre non possunt ieiunium. Idem dicendū est de alijs regionib. valde calidis.

Septima conditio est ætas puerilis, & decrepita, quorum corpora ad ieiunium non sunt disposita, vt dictum est superius.

Octaua: dum venæ sunt exinanitæ indicant corpora non esse ad ieiunium apta: ideo Galenus 2. de temp. 4. inquit, qui habent venas latas, & multum sanguinis, magis ferre possunt ieiunium, quam qui habent venas angustas: hinc Galenus 1. de ratione vic. in ac. comm. 44. & alibi dicit „ Qui habent vasa plena, & lata minus esse nutriendos, ergo tales apti sunt ad ieiunium.

Nona conditio est virtus facilè resolubilis, quæ ieiunium ferre non potest.

Decima conditio: illi sunt ad ieiunium inepti, qui pluribus laboribus, & exercitijs vtuntur.

QVo ad secundum, cur Hippocrates & Galenus fuerint adeo diligentes in dignoscēdis ætatibus, vt hic & alibi de hac re egerunt. Ratio est, quia regula cibandi desumitur à vario temperamenti statu. Isti verò varij temperamenti status seu mutationes sensibiles sunt ipsæ ætates. Temperamentum natiuum acquisitum in vtero matris est calidissimum & humidissimum:

dum verò nascimur, quotidiè vsque ad obitum exsiccamur, & demum refrigeramur; quoties autem obseruatur aliqua sensibilis temperamenti mutatio, vnica constituitur ætas: sic pueri cum sint, & calidissimi & humidissimi constituunt hanc determinatam ætatem, vt sint ita resolubiles, vt nullo modo ieiunium ferre possint. Deinde sequuntur aliæ ætates, semper minus resolubiles, tum ob defectum humiditatis, tum caliditatis, vnde minor difflatio. Præterea Medici ab ætatibus desumunt remediorum quantitatem: quia ex Galeno 9. meth. 14. tantum debet esse remedium, quantus est recessus à naturali statu, status verò naturalis varius est, prout variæ sunt ætates.

QVÆST. LII.

De AEtatibus.

QVo ad ætates, nempè quę sint, & quot sint. Primo sciendum, ętates certo annorum numero describi non posse: Galenus enim 3. pręsag. comm. 28. habet hæc verba „ Non quilibet certo tempore explet dentes, pubescit, floret, aut declinat. Similiter Galenus 6. de tuen. sanit. cap. 2. inquit, vnam annorum mensuram cunctis non conuenire. Immo Aristoteles 7. Polit. cap. 17. damnat illos, qui ætates per septimanas diuidunt: ac merito, quia ætates variæ sunt prout varia est actio caloris in humidum substantificum. Hinc factum est, quod variæ traditæ sint ætatum diuisiones ab Aristotele, Hippocrate, Galeno, & Astrologis habita varia rerum consideratione.

Ab Aristotele: duæ traduntur ætatum diuisiones, prout vario modo corpora viuentia considerantur. Prima ætatum diuisio traditur 3. de anima tex. 59. vbi dicit tres esse ætates, nempè increscentem, consistentem, & decrescẽtem: habita hac consideratione, quod omne genitũ habeat principium, statum, & declinationem, seu principium, medium, & finem: vel quia nutrimentum maius apponatur, vel æquetur, vel sit minus quam oportet.

Secunda diuisio proponitur ab Aristotele lib. de iuuẽtute, & senec. quæ est in duas ętates, videlicet in iuuentutem, & senectutem: quæ diuisio fuit Hippocratis lib. de salubri diæta tex. 7. habita hac consideratione, quia sub orbe lunæ omnia vel augentur, vel decrescunt: non enim datur status seu quies. Hinc nonnulli: vt Curcius, negant dari ætatem consistentiæ quo ad sensum, sed solũ dari quo ad rationem.

Aliqui tamen subtiles parum in philosophia versati dicunt, dari ætatem consistentiæ, quia inter duos motus oppositos mediat quies.

Sed falluntur valde: quia hęc ætas consistentiæ esset momentanea, & per consequens chimerica. Præterea iuuentus, & senectus, non sunt motus oppositi: quia motus exsiccationis in viuentibus est continuus, & in motu continuo non mediat quies.

Ab Hippocrate parimodo duæ traduntur ætatũ diuisiones: prima legitur in hoc aphorismo: & primo de diæta, lib. qui inscribitur breuis adnotatio dogmatũ Hippocratis (referente Galeno) & lib. de natura humana, vbi facit quatuor ætates respõdentes quatuor anni temporibus, quatuor humoribus, quatuor elementis, & quatuor diei partibus.

Prima ætas est puerilis, quæ respondet aeri, veri, sanguini, & horis matutinis.

Secunda est iuuentus, quæ respondet igni, æstati, bili, & horis meridiei.

Tertia est ætas consistentię, quæ respondet autumno, melancholiæ, terræ, & horis vespertinis: senectus quæ respondet hyemi, pituitæ, aquæ & horis nocturnis.

Secunda diuisio traditur ab Hippocrate lib. de carnibus, & lib. de septimestri partu vbi ætates septenario numero distinguit.

Prima ætas est dum dentes fiunt, quæ consistit in primo septenario.

Secunda est pueritia, quæ consistit in secundo septenario, excurritque vsque ad annum 14.

Tertia est adolescentia: quam dicit excurrere vsque ad annum 21.

Quarta est iuuentus, quæ continet duas septimanas, producitur que vsque ad annum 35.

Quinta est ætas consistentiæ, quæ similiter

ter continet duas annorum septimanas,& excurrit vsque ad 49. sexta est primum senium, quod parimodo continet duas septimanas,& producitur vsque ad annum 63. Septima est vltimum senium quod vsque ad obitum extenditur.

A Galeno quatuor traduntur ætatum diuisiones.

Prima legitur lib. de salubri diæta, vbi diuidit ætates secundum diuisionem quatuor primarum qualitatum.

Secunda ætatum diuisio habetur 2. de natura humana comm.13.14.& 15.vbi diuidit ætatem in incrementum, & decrementum:vt fecit Aristoteles lib.de iuuentute, & senectute, & Hippocrates lib. de salubri diæta.

Tertia diuisio proponitur à Galeno 3. aphorismor.comm.30.vbi diuidit ętatem, in increscentem, consistentem, & decrescentem: deinde subdiuidit decrescentem cum manifesto virium lapsu, & sine manifesto virium lapsu, quam ætatum distinctionem desumpsit ab Aristotele 3. de anima tex.59. eandem diuisionem Auicennas proponit in prima primi cap.de ætatibus.

Demum ætatum diuisio proponitur à Galeno in sex ætates.

Prima est pueritia,quæ ex lib.6.de tuen. sanit. cap.2. extenditur vsque ad annum quartumdecimum.

Secunda est pubertas, quæ ex Galeno 3. aphoris. comm.27. extenditur vsque ad annum decimumoctauum.

Tertia est adolescentia, quæ ex Galeno 5. aphoris.comm.9. durat vsque annū 25.

Quarta est iuuentus, quæ producitur, vt docet Galenus 3. aphoris. comm.30. ab anno 25.vsque ad 35.

Quinta est ætas consistentiæ,quę dicitur ἀνδρεία: dicitur quoque καθεστηκυῖα, idest cōstantię potius quam consistentię,vt nonnulli interpretantur: quia consistere potius pertinet ad ętatem iuuentutis, quam ad virilem.

Quod verò ętas consistentię non debeat vocari consistentiæ patet, quia à Galeno 3. aphoris.30. vocatur declinans: quomodo igitur erit ętas consistentię, & declinans? hæc certè implicant: potest dici constantię: quia constantia respicit potius animi, quam corporis vires, virilis ętas profectò animi constantiam obseruat: hęcque ętas extenditur vsque ad annum 49.

Sexta est senectus, quam Galenus in hoc comm.diuidit in senectutem crudam,quæ vocatur senectus viridis,& in decrepitam, qui senes vocantur à Gręcis πέμπελοι, quę vox significat senes ad pompā funeralium accomodatos, præparatos,& bene dispositos atque orcho quamcitissime demandandos.

Octaua dubitatio ex dictis oritur, quia in hoc comm. Galenus diuidit senectutem in viridem,& decrepitam, ita vt nihil dicat de secundo senio. Insuper Galenus 5. de tuen.sani.cap.4. & vltimo agens de gerocomica idest de illa medicinæ parte,quę pertinet ad senes,subdiuidit ętatem decrepitam in duas partes: itaut senectus triplex sit,alia quæ dicitur cruda seu viridis, & dicitur primum senium, quod excurrit vsque ad annum 63. secunda senectus est media quæ continet duas septimanas, & dicitur senium, quod excurrit vsque ad annum 77. Tertia verò senectus est decrepita quæ à 77. vsque ad obitum producitur: ergo Galenus in hoc comm. diuidens senectutem in viridem, & decrepitam est diminutus.

Respondere potest,mediam senectutem subticuisse: quia hæc media modo vergit ad crudam, seu viridem, modo ad decrepitam: itaut sit media,seu neutra per participationem extremorum: vel dicimus fuisse in vsu apud Galenum, & Hippocratem interdum nominare solum extrema: quia media subintelliguntur.

Galenus tamen 5. de tuen.sanit. citato subdiuidit ætatem decrepitam in duas differentias,prout duplex est victus ratio: idque declarat exemplo Antiochi Medici senis 80. annorum, & Thelephi qui parum distabat ab anno 100. Ambo erant decrepiti: sed quia victus ratio erat diuersa: ideo diuersa debet constitui ætas decrepita.

Diuersa erat victus ratio in Anthioco, & Thelepho: quia Antiochus (vt refert Galenus) quotidie vtebatur balneo. Telephus solum bis vel ter in mense. Antiochus ante ientaculum ęgros visi-

visitando pedibus conficiebat quasi trium stadiorum spacium. Thelephus verò longè minori exercitio vtebatur. Antiochus semper pisces saxatiles, vel illos qui in alto mari degunt, in prandio sumebat. Thelephus interdum pisces, interdum auem ex iure comedebat, itaut victus ratio erat diuersa, ob quam diuersitatem duplex ætas decrepita constituta est ab ipso Galeno.

Conueniebant isti duo senes (ait) quia ambo ante ientaculum fricabantur, prius aluo deiecta. Ambo hora tertia sumebant ientaculum ex melle atico cocto, panem, vel alcam sumendo: ambo hora septima habebant prandium, prius sumendo, quæ reddunt aluum lubricam, cuiusmodi sunt pruna damascena, Hyspanica, vel mercurialis. Ambo (ait Galenus) in cęna non pisces, sed auem ex iure sumebant.

Demum sunt Astrologi, qui similiter faciunt septem ætates, vt refert Proclus, & Plotinus in lib. de anima, & dæmone; ac vnicuique ætati attribuunt vnum planetam. Infantiæ attribuunt lunam, quia infantes, & luna sunt corpora humida.

Pueritiæ attribuunt mercurium magiæ inuentorem: quo tempore pueri tam multa cognoscunt naturalia, quod si in alijs ætatibus tanta perciperent, facti senes essent veluti Dij terrestres.

Pubertati, venerem, quia membra genitalia in hac ætate incipiunt fieri robusta. Hinc Aristoteles 5. de historia animalium cap. 14. ait „ hanc ætatem declarari vocis mutatione, testium magnitudine, & ortu pilorum circa pubem; tuncque incipiunt sæpissimè pudendis admouere manus.

Adolescentiæ perfectæ attribuunt solem: quia in hac ætate est magnanimitas, & animi splendor, in qua ætate, si pecuniæ essent in illorum potestate, profusè admodum impenderent.

Ætati vigoris attribuunt Martem: quia in hac ætate arma concupiscunt.

Ætati consistentiæ, quæ ab Hippocrate vocatur καθεστηκεῖα attribuunt Iouem: in hac ætate trahimur ad studium veritatis.

Senectuti dicunt præesse Saturnum: quia hæc ætas est frigida & sicca, & per accidens humida: Ecce quod corpora nostra vario modo considerata ab Auctoribus distinguuntur in varias ætates.

Commoda tamen, & ex rei natura inuenta est ab Hippocrate in hoc aphorismo diuisio in quatuor ætates, nempè in senilem consistentem, adolescentem, & puerilem: quia victus ratio in qualibet ex istis debet esse valde diuersa, nutriendo semper magis illos, qui sunt proximiores primæ generationi, sicuti sunt pueri: deinde minus Adolescẽtes, atque minimè omnium senes, tam sanitatis, quam ægritudinis tempore.

APHORISMVS XIV.

„ 

VI crescunt plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur: senibus verò parum calidi innati inest, paucis propterea fomitibus egent: quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus.

In hoc aphorismo Hippocrates reddit rationem, cur senes facillimè, & pueri difficillimè ieiunium ferant, quæ est: quia qui crescunt plurimum habent calidi innati, plurimoque egent alimento: itaut ex mente Galeni, & Philothei hic non sit nouus aphorismus: sed sit ratio præcedentis.

Diuiditur aphorismus in duas partes. In prima reddit rationem, cur pueri difficillimè ieiunium ferant, dicendo, qui crescunt plurimum habent calidi innati: at sic est, quod qui plurimum habent calidi innati plurimum resoluunt, & qui plurimum resoluunt plurimo egent alimento: quia ex Galeno 6. de tuen. sanit. 6. & alibi, alimentum debet proportionari difflationi: quare si multa est difflatio, multus cibus, si pauca paucus conuenire debet. Plurimo

rimo egent alimento, quia plurimum resoluunt per insensibilem perspirationem, quæ perspiratio, vt probauimus in staticis longè magis euacuat, & resoluit, quam omnes euacuationes sensibiles.

In secunda parte reddit rationem, cur senes facillimè ieiunium ferant, quæ est, quia paucum habent calidi innati. Confirmat Hippocrates quod senes habeant modicum calidi innati: quia non ita facilè febricitant, vt iuuenes. Suffulta est hæc Hippocratis ratio hoc fundamento, nempè quod caliditas febrilis differat ab innata caliditate solum gradu, & non specie: secus vanissima esset Hippocratis ratio: quia si caliditas febrilis à caliditate innata differret specie, non valeret hæc cõsequentia: senes habent modicum calidi innati: ergo minus febricitant: quia, si caliditas natiua differret specie à febrili, senes possent multum febricitare, & modicum calidi innati habere, ac versa vice, posset quis plurimum habere calidi innati, & nunquam febricitare.

Quo ad verborum explicationem: dicit *qui crescunt*. Notandum per incrementum Hippocratem intelligere illud quod in qualibet corporis parte fit secundum tres dimensiones, quod certè primò pueris, deinde Adolescentibus conuenit: dum enim adulti fiunt pinguiores, & crassiores non verè augentur: quia non augentur secundum omnes dimensiones, videlicet secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ideo illa pinguedinis, & carnium augmentatio propriè dicitur iuxtapositio, & non augmentatio.

Immo si præter modum pinguedo crescat euadit morbosa, atque indicat sui ablationem: medici enim illam excedentem remedijs diminuunt, cuiusmodi est linimentum ex oleo, auripigmento, & melle, quo abdomine illinito statim facultas generatrix ipsius pinguedinis diminuitur, sine tamen aliarum partium iactura.

Dicit (*plurimum*) quid intelligat Hippocrates per plurimum calidi innati non conueniunt Expositores.

Plurimi putant, Hippocratem intelligere in pueris esse plurimum calidi innati quo ad substantiam, sed non quo ad qualitatem & robur natiui caloris: quia vident in iuuenibus esse plus caliditatis, & plus roboris, quam in pueris.

Lycus (referente Galeno in comm. & libello aduersus Lycum) reprehendit Hippocratem, probatque triplici argumento esse in iuuenibus plus calidi natiui, quam in pueris, hoc modo: Hippocrates vel intelligit per plurimum calidi natiui plurimum secundum substantiam, vel secundum qualitatem, vel secundum robur: addit: sed in pueris neque est maior substantia calidi natiui, neque intensior qualitas, neque maius robur quam in iuuenibus: ergo pueri nullo modo habẽt plurimum calidi innati, vt tenet Hippocrates.

Primum argumentum quo probat Lycus, in pueris non esse copiosiorem substantiam calidi innati, est, quia in maiori corpore calido est copiosior caloris substantia, quam in minori: infert: ergo in iuuenibus, quorum corpora sunt maiora, erit plus calidi innati, quam in pueris.

Secundò probat de qualitate: ex eo quia sensu patet, iuuenes esse calidiores, ad motum vegetiores, & cibos concoquere duriores, quam pueros. Additur, Hippocratem errare in voce: quia qualitates non dicuntur plurimæ, vel paucæ, sed intensæ, vel remissæ.

Tertiò probat de robore: quia iuuenes sunt robustiores, quam pueri.

Addit Lycus, Hippocratem similiter errare in voce, quia esto, quod puerorum robur maius sit, non debet dici plurimum, sed validum: & quia validum robur non consistit in plurimo calido, sed in maximè temperato: Ergo non rectè Hippocrates: dum dixit qui crescunt plurimum habent calidi innati.

Ad primum argumentum Lyci dicẽtis, in pueris non esse copiosiorem substantiam calidi innati: quia eorum corpora sunt minora.

Primò respondemus ex Galeni comm. distinguendam esse caloris substantiam, quod videlicet alia sit substantia natiui caloris, alia ascititij: substantia natiui est aerea, & aquea: hæcque maior est in pueris, ascititij verò est terrea & ignea, quæ certè maior est in iuuenibus, & longè maior in febri-

febricitantibus. Hac posita distinctione dicimus, Hippocratem in aphorismo intelligere de natiua, non de ascititia; quare qui non distinguunt natiuum ab ascititio non loquantur de calore: quia à nemine intelligentur.

Dum dicunt in maiori corpore calido esse copiosiorem calorem natiuum: argumentum valeret, si dum corpora augentur, eodem modo etiam natiuus calor cresceret: vtinam hoc esset: tantum enim abest quod natiuus calor suscipiat augmentum, vt quotidiè magis decrescat, & magis ascititius fiat. Hinc Galenus 2. de temp. 2. ait „ animal recenter editum esse calidissimum intelligendo de natiuo calore: deinde in dies magis natiuum fieri acrem, & semper decrescendo progredi: ideo Galenus in comm. loquens de natiuo, ait pueros habere calorem abundantiorem: iuuenes verò acriorem.

Præterea ridicula est hæc consequentia: corpus calidum est maioris molis: ergo est calidius corpore calido minoris: quia in minori corpore potest esse calor abundantior, quam in maiori, quod non solum est verum in corpore mixto, sed etiam in simplici: sic in doliolo vini generosi potest esse calor abundantior, quam in magno dolio vini oligophori: parimodo natiuus in pueris est abundantior, quam in adultis.

Insuper Galenus lib. aduersus Lycũ cap. 7. confirmat exemplis pulcherrimis in pueris esse copiosiorem calorem, quam in iuuenibus. Primum exemplum est de tetrapharmaco, taleque est: si aliquis medicamento tetrapharmaco, quod ex cera, adipe, pice, & resina ęqua portione conflatur, duplum picis aliorum proportione indat, certè in tetrapharmaco erit plus picis, non solum quo ad substantiam, sed quo ad qualitatem, & robur.

Secundum exemplum est de medicamento composito ex Aristolochia: ait Galenus si in medicamẽto ex Aristolochia facto ex thure, mirrha, farina orobi, esset aristolochia in longe maiori copia, certè sine vlla hæsitatione in hoc medicamento esset plurimũ aristolochiæ quo ad substantiam, qualitatem, & robur. Parimodo in pueris calidum natiuum non solum ad aliarum proportionem erit plurimum quo ad substantiam, qualitatem, & robur, sed etiam absolutè intelligendo de aerea substantia, quam immediatè temperamentum essentiale insequitur.

Ad secundum Lyci argumentum, quod erat iuuenes sunt calidiores pueris: quia sunt ad motum vegetiores. Respondemus concludere de calore ascititio acri, mordaci, & igneo; sed nõ de natiuo suaui & temperato: itaque non debemus confundere natiuum calorem cũ ascititio, vt Lycus faciebat, secus cogeremur fateri febricitãtes habere abundantiorem calorem natiuum, quam pueros inculpata sanitate præditos.

Præterea si pueri habent calidi innati substantiam abundãtiorem, vt probatum est, habebunt quoque illas qualitates, quæ necessario dependent à substantia, ipsamque necessario comitantur, vegetiores.

Galenus in hoc comm. fusa oratione declarat differẽtiam inter calorem natiuum, & ascititium, dicens, natiuum habere suaues euaporationes similes illis, quæ fiunt ex aqua tepida: ascititium verò habere euaporationes mordaces illis similes, quæ eleuantur è corpore sicco excalefacto, sicuti à ferro ignito, & alijs similibus ignitis rebus in commento Galeni propositis.

Hinc calor natiuus magis concoquit, & magis resoluit in pueris, quam in adultis; quia eorum corpora sunt calida & humida, taliaque certè non habent iuuenes. Pro huius doctrinæ confirmatione pergit Galenus in commento dicens, de ratione euaporationis duas requiri conditiones, altera quod corpus sit calidum: altera quod sit humidum, & non siccum, quia halitus seu vapores non eleuantur à sicco, quod his verbis Galenus in comm. confirmat „ si ad solem ardentem aquam & ferrum pari pondere exponas: deinde sequenti die perpendas aquam, & ferrum, inuenies aquam multo seipsa minorem effectam: ferrum verò pristinum pondus conseruare: inde quoque apparet, pueros esse calidiores & humidiores intelligendo de calore natiuo, cuius essentia præcipuè consistit in temperatura calida & humida, & non in illa calida & sicca, quam possident iuuenes.

Dum dicunt, iuuenes esse vegetiores ad motum.

Respondemus motum velocem à calore igneo, & ascititio prouenire: sic maniaci sunt ad motum vegetiores ratione caloris acris, & mordacis, & non natiui, qui consistit in calido & humido temperato.

Ad Lycũ dicentẽ, iuuenes esse calidiores pueris, quia magis concoquũt cibos duros.

Respondemus Lycum, & qui illum sequuntur, non intellexisse differentiam inter coctionem, & digestionem: admittimus iuuenes magis digerere cibos duros: pueros verò magis concoquere: concoctio quidem est mutatio vnius substantiæ in aliam, vt lactucæ in sanguinem, & sanguinis in ossa: digestio verò non est mutatio, sed est solum delatio, seu transmissio cibi vel alimẽti ab vna ad aliam partem. Hinc Galenus 12. meth. cap. 3. tradens aliquam differentiam inter coctionem & digestionem, inquit coctionem fieri per somnum, digestionem verò per vigiliam: dicit cõcoctionem fieri per somnum: quia per somnum calor dispersus per sensiteria retrahitur, ad imas partes, & cum calido innato viscerum vnitur, & geminatur, ac ita geminatus tantæ est virtutis, quantæ possit substantias transmutare: dicit digestionem fieri per vigiliam, quia in vigilia calor influens seiunctus ab innato non potest quidem conuertere, vel transmutare cibum in chylum, & chylum in sanguinem: potest tamen digerere, seu transferre, vel transmittere alimentum ad venas, & à venis ad partes nutriendas, & excrementa foras expellere.

Quod verò pueri sint calidiores, & magis concoquant, facilè colligi potest ex incremento, quod maximam supponit præcedere concoctionem: ideo Galenus 1. de Vsu P. 7. dicit, pueros ob incrementũ valde concoquere, quod in adultis non fit. Quomodo verò pueri magis concoquant, quam iuuenes, nos satis superque ostẽdimus contra Conciliatorem quæst. 57. in commẽtarijs nostris in primam primi Auicennæ.

Ad tertium Lyci Argumentum probans, pueros quo ad robur nõ habere plurimum calidi innati, ex eo quia iuuenes sint longè robustiores pueris.

Respõdemus Hippocratem loqui de illo robore, quod solum prouenit à calido natiuo, quod maximè obseruatur in concoctione, & augmẽtatione, quæ duæ actiones sũt maximè omniũ difficiles, & quæ in pueris sunt longè calidiores, quam in iuuenibus.

Quod verò iuuenes ex Lyco sint robustiores.

Respondemus quo ad motum voluntarium esse robustos; tum quia eorum instrumenta ad motum destinata sunt vndequaque perfecta, quæ in pueris adhuc non sunt stabilia: tum quia motus voluntarij iuuenum non parum iuuantur à calore ascititio, quales interdum obseruantur in phreneticis, qui paulo ante obitum possunt efficere motus ita validos, vt vix plures homines sani, & robusti possint vnum phreneticum sternere, & infrenare. Ecce igitur quam vana sit hæc consequentia, motus sunt validiores: ergo plurimum habent natiui caloris.

Insuper vbi plurimum est substantiæ calidi natiui, ibi certè erit plurimum qualitatis, & roboris ipsius calidi natiui: Sed in pueris, vt probatum est ex Galeno libello citato exemplo terrapharmaci, & medicamenti ex aristolochia plurimum est quantitatis substantiæ: ergo erit quoque plurimum illius qualitatis, & roboris.

Præterea, vbi actiones caloris sunt validiores, & efficatiores, ibi quoque caloris robur est validius, & efficacius: sed in pueris actiones caloris sunt huiusmodi, quia in ipsis est vna augmẽtatio, quę superat oẽs alias actiones: hæc certè non est in adultis.

Demum in pueris omnia membra sunt sanguinea: in senibus verò exanguia: quare si oppositorum eadem est disciplina, vt videlicet senes, quo magis sunt exangues, eo magis sunt & calore, & robore destituti: ergo pueri quorum membra maximè omnium sunt sanguinea, plurimum habebunt calidi innati, & quo ad substantiam, qualitatem, & quo ad robur.

Accedit, quod illi sunt calidiores, qui sunt proximiores fonti caloris: ideo Galenus 2. de temp. 2. animal recenter editum est calidissimum: idcirco pueri omni modo sunt calidiores iuuenibus, nempè quo ad substantiam, qualitatem & robur.

Ex his colligimus Hippocratem non errasse in re, vt Lycus temerè imprudenter, & sine vlla ratione attribuit Hippocrati dicenti qui crescunt plurimum habent calidi natiui.

Præterea Lycus in errorem venia indignum prolabitur, dicens, Hippocratem errasse quoque in voce, dum vsus est hoc vocabulo (plurimũ) quia nec substantię calidi innati, nec qualitati, nec robori applicari potest: non substantiæ: quia hæc vox plurimum pertinet ad quantitatem: non ad qualitatem: quia qualitas dicitur intensa, vel remissa, non plurima, multa vel pauca: non ad robur; quia robur dicitur validum, vel inualidum, & non plurimum, vel paucum. Insuper robur plurimum dependet à calido maximè temperato, & non à plurimo: inquit Lycus, Hippocratem abusum fuisse vocabulo, & errasse in voce.

Sed vnica responsione hæc Lyci obiecta tolluntur à Galeno in comm. dicente, quod tempore Hippocratis: vt refert Teophrastus, in lib. de calido & frigido fuerit maximè in vsu, quod calidum dicatur plurimum, vel multum, vel paucum, tam referendo ad quantitatem substantiæ calidi, quã ad qualitatem, & robur: ideo cõmunis vsus loquendi nõ erat ab Hippocrate relinquendus: quia Auctores debent vti vocibus, quæ sunt in vsu, & quæ facilè intelliguntur: sic & Nos loquentes de ægritudinibus, quæ pertinent ad qualitatem dicimus esse magnas, vel paruas: sic dicimus apoplexiam esse magnam, vel paruam, & omnes alios morbos esse magnos, vel paruos, quamuis morbi sint qualitates & non quantitates, similimodo de robore, seu virtute, dicimus esse magnam, vel paruam, finitam, vel infinitam: quamuis omnis virtus sit qualitas, & non quantitas.

Præterea vt omninò reijciatur Lycus. Respondemus quod licet (plurimum) significet quantitatem, attamen applicari potest substantiæ, qualitati, & robori. substantiæ: quia in prædicamento substantiæ genus generalissimum est corpus generabile: qualitati, & robori, quia ex communi vsu loquendi virtus potest dici multa, & plurima: licet virtus sit qualitas: ergo potest dici robur quoque plurimum: quare Hippocrates neque in re, neque in voce errauit.

Cæsar Cremoninus in Patauino Gymnasio celeberrimus partim laudat Lycum partim damnat. laudat dum contradicit Hippocrati dicenti. quod in pueris sit plurimum calidi innati sumendo calidum pro ratione substantiæ: quia vnã cum Lyco tenet in maiori corpore esse maiorem calidi substantiam, colligitque in adultis, & non in ijs qui crescunt esse plurimum calidi innati ratione substantiæ.

Laudat quoque Lycum, quod dicat calidum sumptum pro qualitatis intensione esse maius in iuuenibus, quam in pueris; quia iuuenes sunt ad motum vegetiores, & res duras magis concoquunt.

Damnat Lycum dicentem, Hippocratem errasse in re, & in voce: si intelligat per plurimum calidi, quod pueri quo ad robur habeant plurimum calidi innati, & sint robustiores iuuenibus. In re, quia robur plurimum consistit in maximè temperato calore, & non in plurimo. In voce, quia abutitur vocabulo plurimum: quia nõ dicitur plurimum robur: sed validum robur: in hoc (Cremoninus defendit Hippocratem: & rectè: quia tempore Hippocratis (vt refert Galenus in hoc comm. ex Teophrasto) hic modus loquendi nimirum plurimum robur erat vocabulum vsitatum. Similiter Aristoteles, vt dictum est, vocat virtutem finitam, vel infinitam, quare dici potest plurimum robur: eadem ratione Cremoninus poterat laudare Galenũ quod posset dici plurimũ ratione qualitatis, quia & ipsa virtus est qualitas.

Quod verò Hippocrates dum dicit, qui crescunt plurimum habent calidi intelligat solum de robore, seu de vi agendi, & non de substantia, & qualitate calidi, probat Cremoninus hoc modo: Dicit Hippocrates, qui crescunt habent plurimum calidi: ideo egent plurimo alimento, alioquin corpus absumitur. Addit sed sic est quod illud absumi pertinet ad robur agẽdi, non ad qualitatem, quasi quod robur, seu virtus non sit qualitas: nos quærimus ab illo, cur illud absumi non pertinet quoque ab substantiam ? Immo magis propriè ad substantiam: quia substantia est illa,

la, quæ absumitur, & ipsa qualitas quatenus necessariò subiectum comitatur.

Præterea comprobat, quod intelligat solum de robore agendi ex sequentibus verbis, quæ sunt ,, *senibus inest parum calidi: ideo paucis egent succendiculis: quia à multis extinguitur* infert Cremoninus: sed sic est, quod ista extinctio nihil aliud est, quam actionis impedimentum.

Ego respondeo, quod illa extinctio nihil aliud est quam substantiæ, qualitatis, & tandem roboris amissio, itaque ex fundamentis ipsius colligimus, Hippocratem per plurimum calidi principaliter intelligere quo ad substantiam, vt dicit Galenus in comm. consecutiuè verò intelligere quo ad qualitatem, & robur natiui caloris, quæ omnia satis superque probauimus contra Lycum, neque est, vt eadem in hoc loco repetamus.

Plurimo igitur egent alimento. Quatuor possunt esse causæ, cur pueri copiosiori egent alimento.

Prima quia eorum caliditas, quæ maxima est, maximè quoque in humidum agit, illud resoluendo, & exsiccando. Accedit quod calidum innatum habet duplicem motum; vnum deorsum versus alimentum gratia conseruationis seu noui ignis generationis: alterum sursum ad instar flammæ: vterque in puero est velocioris: ideo copiosiori eget alimento: quia in motu velociori velocius absumitur alimentum.

Secūda causa est perpetuum alimentalis substantię effluuium, quod in pueris maximum est, tum ratione caloris, tum ratione humidi aerei maximè resolubilis: ob quam causam Galenus 9 meth. 17. ait, pueris non conuenire euacuationem artificialem, quæ fit per medicamenta, & per sanguinis missionem: quia eius insensibilis perspiratio quam maxima est, vt nos quoque in staticis probauimus. Hinc Galenus in comm. proponit duas causas difflationis, nempe caliditatem, quæ sola reuera non sufficit: quia ait in commento, ferrum ignitū habere intensam caliditatem, tamen nō efficere difflationem, vel perspirationē insensibilem: quia ex ferro ignito non eleuantur vapores, si eleuerētur aliquid amitteret sui ponderis, & fieret leuius: ideo proponit secundam causam, quæ est humiditas, quæ maxima est in pueris, ob quam causam maiorem habent difflationem, & inde egent copiosiori alimento: Galenus enim 7. de tuen. sani. 6. vult alimentum proportionari difflationi, ac quantitatem nutritionis à quantitate difflationis coindicari.

Tertia causa, cur pueri egeant copiosiori alimento, est, quia maximè augentur.

Quarta est, quia magis concoquunt, ac meritò quia concoctio est elixatio, & elixatio fit à calido & humido, non à calido, & sicco.

Alioquin corpus absumitur: calor quinque modis consumitur, videlicet à nimio calore: vnde Hippocrates 2. Prognost. 1. à febre acuta hydrops. A defectu alimenti. A frigido positiuo. A frigido potentiali, vt ab opio, & à suffocatione ob nimium alimentum: sed ex Aristotele libello de vita & morte caloris extinctio ad duos modos reducitur: primus modus est per resolutionem: secundus per suffocationem: si pueri non tractarentur copioso alimento, calor ageret in adipem: deinceps in carnosam substantiam, & tandem in membranosam: hac ratione per resolutionem tabescerent, & interirent.

Senibus verò parū calidi innati inest: paucis propterea fomitibus egent. Inest senibus caloris parum: quia eorum humiditas natiua, quæ est caloris subiectum, est ferè resoluta seu exsiccata ab ipso calore: Calor enim innatus ex Philotheo semper in agēdo est occupatus, idest in absumendo humidum, ideo in senibus non solum est parum caloris, sed etiam parum humiditatis propriæ & natiuæ: sed cum qualitas actiua non exhallet sine passiua, nec passiua sine actiua: ideo vtraque magna ex parte in senibus exhalauit: propterea in ipsis parum inest caloris natiui quo ad substantiam, qualitatem, & robur.

Deinde senes egent paucis fomitibus, seu alimentis: quia sicuti exiguus lucernæ ignis olei multitudine facilè extinguitur: sic senum calor multis cibis facilè extingui potest.

Hippocrates in hoc aphorismo tangit duas causas mortis senum: altera quæ fit per resolutionem humidi: dum dicit ,,

 alio-

alioquin corpus absumitur: alterà quæ fit per suffocationem caloris, dum dicit ,, quia à multis cibis extinguitur: senes verò sunt proximi morti, tum ratione pauci caloris, cum suo exiguo humido natiuo facilè resolubili: tum ratione suffocationis: immo si credēdum est Aristoteli lib. de vita, & morte cap. 14. senes vltimi senij moriuntur omnes per suffocationem & non per resolutionem; habet enim hanc sententiam ,, senum instrumēta inspirationi destinata adeo exsiccantur, vt non possint eleuari: vnde fit quod ille paucus ignis per suffocationem marcescat.

Quod verò in senibus sit exigua substantia calidi innati, exigua qualitas, & exiguum robur, declaratur à Galeno & Marsilio Ficino pulcherrimis exemplis.

A Galeno lib. aduersus Lycum, vbi proponit hoc exemplum. Accipiatur dolium, & cyathum aqua plenū, in vtroque sit vncia meri, dicimus eandem esse quantitatem vini in dolio, & cyatho: dicunt tamen in cyatho esse plus substantiæ, plus qualitatis & roboris vini, quam in Dolio: sic in senibus calor natiuus est veluti vini vncia, quæ est in dolio aqua pleno: ideo exiguus est in substantia, qualitate, & robore. Hoc exemplum inseruit Manardo, & Nonnullis alijs asserentibus, calidum implantatum totum conseruari vsque ad obitum, eiusque substantiam non minui, sed reddi aquosam, vt in senibus. Nos verò credimus calidum natiuum minui, eo modo, quo oleum in lucerna.

A Marsilio Ficino in Athlantico Platonis proponitur hoc exemplum: si esset dolium mero refertum, & multoties in die vini ephiala extraheretur, & vicissim per foramem supernum alia aquæ ephiala infunderetur, certè breui spatio vinum redderetur pauxillum in substantia, qualitate, & robore. Id potest applicari calido innato puerorum, & senum; calidum puerorum erit vinum merum: senum erit vinum dilutum. Hoc exemplum inseruit illis, qui putant, calidum natiuum non conseruari tale in quantitate vsque ad obitum, sed semper minui.

Hanc etiam ob causam febres senibus non æquè acutæ accidunt; quia eorum corpus est frigidum. Circa hæc verba Hippocratis primò est notanda causa, cur senes non ita febricitent, vt iuuenes, quę est, quia corpus senum est frigidum: ideo dum senes febricitant, vt plurimum moriuntur, quia causæ, cur in febres incidant sunt vehementissimæ: at sic est, quod causæ vehementissimæ citius senes, quā iuuenes extinguunt.

Secundò notandum, in pueris calorem esse ita copiosum, vt raro dum febricitant, partes extremæ diu frigidæ conseruentur, vt in senibus: quando verò manent diu frigidæ in pueris, vt plurimum moriūtur.

Tertiò notandum: Hippocratem per hoc exemplum de febribus intelligere de qualitate calidi natiui, non de substantia: quia febris non pertinet ad substantiam calidi natiui, sed ad eius qualitatem: substantia sanè ex se est inalterabilis vsque ad obitum: non est capax alterationis: minui tamen potest. Ad quam verò qualitatem pertineat febris infra declarabitur. Sed circa aphorismum in gratiam adolescentium varia dubia proponuntur.

Prima dubitatio: iuuenes sunt calidiores pueris: ergo pueri, qui sunt illi, qui crescunt non habent plurimum calidi innati: probatur antecedens: quia iuuenes sunt vegetiores ad motū: ergo calidiores.

Respondetur, in pueris instrumenta ad motum non esse adhuc stabilia, & perfecta.

Secundò, respondetur, plurimum calidi desumi ab actione calorifica omnium difficillima, quæ est augmentatio, & non à motu, quippe qui potest quoque fieri validissimus ab ascititio calore, sicuti in maniacis, & phreneticis interdum obseruatur.

Secunda dubitatio: adulti magis concoquunt res duras, quam pueri, qui crescunt: ergo adulti, & non qui crescunt, erunt calidiores.

Respondemus, adultos magis digerere: pueros verò magis concoquere: concoctio est transmutatio substantiæ: digestio est transmissio alimenti à ventriculo ad iecur, vel ad intestina, vel ad cutim, & deinde in ambientem aerem sine substantiæ transmutatione. Præterea ex Galeno lib. 1. de fac. nat. cap. 1. nonnulli citius digerunt bubulam carnem; quam pisces saxatiles ob bilem acrem & mordacem in ventriculo exi-

existentem: talis certè in pueris non inuenitur, vt in adultis.

Tertia dubitatio; Hippocrates dicendo,, qui crescunt habent plurimum calidi, facit transitum de genere in genus: quia plurimum pertinet ad quantitatem: calidum verò ad qualitatem, vel substantiam (vt dicit Galenus in comm.) ergo damnandus Hippocrates.

Respondetur ex Galeno in comm. quod hic modus loquendi plurimum calidi erat maximè in vsu tempore Hippocratis. Parimodo Galenus lib. 1. de diff. feb. cap. primo habet hæc verba,, medici vocāt febrem magnam, vel paruā non propriè nomen quanti accommodantes, hæc tamen facere sunt assueti non in febribus tantum, sed in mille alijs rebus. Similiter apud Nos inualuit vsus, dum dicimus, morbus est magnus, vel paruus: magnus & paruus pertinent ad quantitatem: morbus verò ad qualitatem. Preterea, respondetur, per calidum intelligere quoque substantiam, vt probatum est: substantia verò sequitur molem: ideo in prædicamento substantiæ constituitur corpus generabile, & corruptibile pro genere generalissimo: itaut omnia quæ sunt in recta linea prædicamenti substantiæ sint corporea, & per consequens dici possint magna, parua, multa vel plurima.

Quarta dubitatio, si qui crescunt habent plurimum calidi, vel haberent plurimum ratione substantiæ, vel ratione qualitatis, vel ratione roboris: sed sic est, quod nullo modo potest dici plurimum: quia plurimum pertinet ad quantitatem.

Responsio tradita est superius: quia hoc est argumētū Lyci satis superque solutum.

Quinta dubitatio: non videtur, quod pueri egeant copiosiori alimento, quam iuuenes, quia iuuenes duplo magis, quam pueri comedunt.

Respondetur, pueros indigere copiosiori alimento habita relatione ad suum corpus: si enim iuuenes haberent calidum natiuum puerorum, duplo magis comederent.

Sexta dubitatio: si qui crescunt haberent plurimum calidi innati, & adulti haberent minus calidi, sequeretur quod calidum innatum, quod ex ipso Galeno est substantia, susciperet magis, & minus, quod est contra præcepta Aristotelis dicentis, substantiam non suscipere magis & minus.

Respondetur dum substantia est plurima, non propterea est magis substantia, Elephans enim non est magis substantia, quam formica, licet elephantis substantia plurima sit, & formica sit admodū pusilla.

Septima dubitatio: iuuenes tactui calidiores occurrunt: ergo non qui crescunt habebunt plurimum calidi, sed adulti.

Respondetur in pueris calidum esse plurimum respectu caliditatis aereæ: in iuuenibus verò qualitatis igneæ, & ascititiæ. Respōdet quoque Galenus: plurimū calidi esse in pueris habita proportione corporis puerorum ad corpus iuuenum: si enim in iuuenum corpore duplo maiori, quam sit corpus puerile, calidum natiuum esset duplo magis, quam in pueris, non cessaret corporis augmentatio, corporaque iuuenum magis augerent. Demum si plus calidi innati essent in iuuenibus: quia habent calorem mordaciorem, sequeretur, quod in febricitantibus esset plus calidi natiui quam in pueris sanis.

Sed pro intellligentia aphorismi varia occurrunt consideranda. Primum quid sit calor innatus, nimirum ex quibus principijs fiat, an sit substantia, vel accidens? an sit corpus mixtum, an sit cælestis vt Fernelius. An differat specie, vel gradu ab ascititio: de subiecto caloris febrilis: de influente. Postremò cur calor natiuus productus gratia conseruationis nos perducat ad mortem, & de causis mortis.

QVÆST. LII.

De calidi innati principijs.

GAlenus 5. simp. cap. 8. vult confundi calidum natiuum cum spiritu innato, & humidum radicale cum humido seminali. Insuper in hoc comm. & libello aduersu Lycum asserit, hoc calidum innatum fieri ex semine, & sanguine menstruo: in plantis in metalis, & alijs mixtis dicimus fieri ex illis principijs, quibus semen,

men, & sanguis menstruus aliqua proportione, respondent: corrupto calido innato, mixta corrumpũtur, quia à calido innato mixtorum essentia dependet.

Neque Galenus principia cõmunia calidi innati ignorauit, vt quidam putant quia si loquamur de principijs similaritatis, cuius essentia reuera est calidum innatum, Galenus satis superque quarto simplicium cap.2. intellexit: ibi enim asserit quod frigidi proprium sit contrahere, & condensare: calidi fundere, & liquare: deinde similia congregare. Parimodo 17. de Vsup. cap.14. habet hæc verba „ Frigus corpus densat, cogit, & constringit, prohibetque, substantiæ defluuium: calor verò contra, corpora rarefacit, liquat, tenuat, ac digerit. Idem confirmat Hippocrates 3. epid.6. tex. 24. Hæc certè sunt principia communia, quibus fit similaritas: quare nescio qua ratione dici possit, Galenum ignorasse innati caloris, vel similaritatis principia communia.

Neque ignorauit Galenus in omni mixto esse calidum proprium, quo corrupto mixtum corrumpatur. Secundo enim de temp. cap.6. dicit, quod omnia, quæ putrescunt, aduentitio calore sint calida, proprio verò calore sint frigida. Aristoteles verò 4. Meteorum cap.2. defectum natiui caloris appellat frigus, & statim concludit, putrefactionem esse communem passionem frigiditatis propriæ & caliditatis alienæ: ex his colligimus Galenum rectè intellexisse, non solum hominem, sed omnia mixta habere calorem innatum: illudque distinctum ab aduentitio. Valeant igitur, qui sequuntur Lycum dicentem in maiori corpore calido esse plus calidi natiui, cum interdum sit plus natiui interdum plus aduentitij.

Præterea Galenus non ignorauit calidum esse præcipuum agens: frigus verò attemperare: ac humidum esse tamquam glutem. Parimodo Aristoteles 2. de generatione 49. ait, terram sine humido non posse consistere: sic Auicennas, qui profitetur esse Galeni interpretem, inquit in prima primi loquens de terra, siccum terreum concurrere ad retentionem, & fixionem, vt videlicet partes mutuo se comprehendant, & figuras custodiant. Neque ignorauit Galenus quomodo elementa veniant ad mixti compositionem, videlicet per mutuam actionem, & passionem: quomodo duæ qualitates sint actiuæ, & duæ passiuæ, vt declarauimus ex Galeno in comm. nostris artis paruæ: quomodo in plantis, & in his, quæ ex putri fiunt, sit aliquid proportionale semini & sanguini menstruo, & aliquid proportionale hepati, & ventriculo, quod est in radicibus, per quas dispensatur alimentum in omnes surculos.

Neque demum ignorauit, cor esse fontem caloris actualis, seu vitalis, qui per totum corpus diffunditur, discrepans tamen in hoc ab Aristotele, vt declarat Auerroes 3. coll. cap.2. vbi loquens ex sententia Philosophi de calore cordis habet hæc ferè verba „ calor qui transmittitur à corde ad iecur, & ad nonnullas alias partes est sicuti forma partium: calor verò innatus istarum partium est sicuti materia. Medici verò totum oppositum cum Galeno tenent, nimirum calorem cordis esse materiam, seu pabulum caloris innati ipsarum partium similarium: calorem verò harum partium esse sicuti formam, à qua omnes operationes dependent: quare à Peripateticis valde discrepant: quia Peripatetici tenent, omnes calores à corde prouenire: Galenus verò negat, calidum innatum, & implantatum à corde prodire: ideo in arte parua cap.9. dicit, partes aliquas nostri corporis ex se ipsis, & non à corde habere regimen: neque indigere arterijs, & venis, nisi pro vita diuturniori, quatenus calor cordis efficitur pabulum innati ad meliorem vitam.

Idem confirmat Galenus 1. de loc.aff. cap.vlti. quod scilicet facultates naturales sint connatæ, & à corde non proueniant.

Hęc Galeni opinio cõfirmatur experientia: quia in syncope partes corporis priuantur calore influente cordis, tamen viuunt per suũ calidum innatum, quod à corde non venit: sic mulieres ystericæ interdum adeo præfocantur, vt credantur mortuæ, & viuæ sepeliantur: viuunt tamen per suum calidum innatum, & non per calorem cordis: quia tunc neque arteriæ pulsant, neque cor palpitat: ideo Gale-

Galenus & communia, & particularia intellexit,& melius fortasse quam Peripatetici: quare dum præclarus Philosophus reuerenter contra Galenum inuehitur: hęc reuerentia seu modestia est superflua: quia in hoc proposito non habet locum.

QVÆST. LIII.

An calidum innatum sit solus calor temperamenti.

QVo ad naturam calidi innati prius sciendum, calidum innatum aliud esse quod Galenus lib. aduersus Lycum cap. 7. appellat ἀρχήγονον idest principale, idest primo, & immediatè genitum ex semine, & sanguine menstruo, quod calidum innatum in prima constitutione ex Galeno in comm. sequenti omnia membra efformat.

Parimodo Auicennas de hoc calido loquens doctrina sexta cap. 2. primæ fen. dicit in ipso esse duas virtutes, vnam, quam vocat immutatiuam, in qua ressidet alteratrix, quæ est illa, quæ omnibus membris pręber temperaturas: vocatur immutatiua, quia immutat semen in neruos, in membranas, & in alias partes similares: aliā verò virtutem dicit esse ipsam formatricem: quæ non dat temperaturas, sed compositionem, videlicet figuras, situs, meatus, & numerum.

De hac formatrice egimus quæst. 117. in commentarijs nostris Auicennæ, vbi proposuimus nouem opiniones de formatrice: tandemque ostendimus & alteratricem, & formatricem à calido innato archigono prodire, quod viuit, & est vitæ principium: nec valet in vtero non est organicum, ergo non viuit: quia in vtero viuit vita matris effusa per vasa vmbelicalia: dum verò membra, quæ adnascuntur fiunt perfecta, tunc solum vita cordis ipsius fœtus viuere incipiunt. Qui sunt in Anatomia viuorum brutorum fœtum gestantium versati, de hac re non dubitant.

Nerui, membranæ, & cæteræ partes similares, quæ immediatè fiunt à semine, & sanguine menstruo, genitæ sunt cum suo calido innato, quod non est archigonon: quia hoc caret virtute generandi, & efformandi de nouo alias partes: cor enim robustissimum non potest de nouo efformare partem, quamuis vilem, & pauxillam: differt enim hoc innatum partium genitarum ab archigono, vt filius à patre: loquēs igitur Galenus in comm. sequenti de calido innato quatenus prædicatur de innato pendente immediatè à semine, & innato partium seminalium, habet hęc verba „ Nec aliud quicquam ab innitio efformauit animal, adauxit, & ad mortē vsque nutriuit, quam calor innatus, qui est omnium operationum opifex. Idem confirmat 8. de plac. cap. 6.

Præterea Galenus primo ad Glauc. cap. 2. vocat ipsum calidum innatum substantiam ipsam, his verbis „ natiuus calor, vt nōnulli Philosophi, & summi medici putant, existit substātia virtutum: aut saltem primum, & maximè necessarium instrumentum: ac merito, quia Galenus in hoc comm. & 1. de temp. cap. 6. ait „ calidum innatum significare non nudam qualitatem: sed subiectum, & qualitatem simul: sic Aristoteles in prædicamēto qualitatis dicit, album significare qualitatem, & & subiectum: sic nos per calidum non intelligimus calorem solum: ergo calidum innatum non erit solus calor temperamenti: itaque calidum innatum non erit simplex qualitas calida, sed erit mixtum ex quatuor elementis: quia subiectum, ex quo fit, mixtum est: fit ex semine, & sanguine menstruo: sanguis menstruus ex Galeno primo de tuen. sani. cap. 2. respectu seminis est frigidus, & humidus: semen vero respectu sanguinis menstrui est calidum, & siccum. Hinc dum huius mixti pars terrea absumitur, remittitur per cibum, dum aquea per potum, dum aerea, per inspirationem; dum ignea, per pulsum: ergo mixtum est, ergo non erit solus calor temperamenti.

Patet quoque ratione, calidū natiuum esse quoddam mixtum: quia vt docet Galenus in comm. sequenti, & alibi, edit omnes operationes: addimus Nos minorem; sed sic est quod operationes sunt suppositorum, vt docet Aristoteles 2. de anima tex. 24. quod suppositum non est simplex

sed mixtum. Hinc Aristoteles 1. de anima tex.66. vult ipsum intelligere non esse operationem animæ, sed hominis, suffultus hoc principio, quod operationes sint compositorum,& non simplicium.

Demum idem confirmatur per fontem analyticum: eo quia omnes operationes definiuntur per subiecta, quæ sunt compositæ ex materia & forma substantiali, & prædicantur in secundo modo dicendi per se: dicimus definiri per subiecta substantialia: quia accidens ex Aristotele 4.metaphis. tex.14.non est accidentis accidens, sed est accidens solius substantiæ. Quod verò hoc subiectum, de quo prædicantur operationes, sit compositũ, patere potest inductione: quia visio prædicatur de oculo: auditus de auribus in secundo modo & sic de alijs.

Qui verò arbitrantur, calidum innatum esse calorem temperamenti, fortasse lapsi sunt in hanc opinionem, quia tenent, quatuor primas qualitates esse formas substantiales elementorum, alioqui non possent defendere, quod calidum innatum à quo,& esse,& viuere,& operationes dependet, sit qualitas accidentalis: esse enim & viuere à rei forma & substantia, & non ab accidente dependent.

Sed quam vana sit istorum opinio, quod primę qualitates sint elementorum formę substantiales colligitur ex Aristotele pręcipuè 3.metaphi.tex.17. vbi ait, quatuor qualitates esse elementorum passiones, & non substantias. Idem colligitur ex hoc famoso Aristotelis axyomate, quod vni est accidens alteri non potest esse substantia: quare si primæ qualitates sunt passiones, & accidentia, non possunt esse formæ substantiales elementorum.

Respõdent non esse vniuersaliter verum axyoma: quia & figura orbicularis est Cæli forma & substantia: tamen in elementis est accidens. Quibus respondemus figuram orbicularem Cæli differre genere ab orbiculari elementorum: si esset eadem, certè si in Cælo est substantia, esset quoque in elementis.

Demum quod calidum innatum non sit calor temperamenti, ex eo patet, quia calidum hoc innatum non solum habet vim calefaciendi, sed etiam refrigerãdi, humectandi,& exiccandi: si esset calor temperamenti non superaret morbos calidos.

Quod verò superet,& febres & calorem erysipellatis patet euidentissima experientia: quia nisi haberet vim refrigerandi, sed solum calefaciendi illos, qui morbis calidis vexantur, interimeret.

Nec valet dum dicunt, calorem temperamenti resoluendo calidos humores refrigerare: quia dantur intemperies calidę simplices sine vlla materia, quæ ab ipso calido natiuo superantur: ergo nullo modo calidum natiuum erit simplex calor temperamenti.

Præterea idem experientia,& Galeni auctoritate 3.de temp. comprobatur hoc modo: si in ventriculum cibi valde calidi, cuiusmodi sunt cæpæ, allium, vel aromata ingerãtur, nunquam in chilum transmutabuntur, nisi à calido innato superetur actualis,& potentialis cibi caliditas, quod si calidum innatum esset calor temperamenti, certè cibus virtute calidi innati non deponeret actualem,& potentialem caliditatem.

Ideo dum asserunt, calorem temperamenti esse calidum innatum, quia esse,& viuere similaritatis ab ipso calore dependet,& ipso alterato alterari ipsũ esse,& viuere: non rectè dicunt: quia dicemus Nos non solum à calore pendere esse & viuere similaritatis: sed etiam à frigido, ab humido,& à sicco. Addimus, quod qualibet ex his qualitatibus alterata, sit frigida, sicca, vel humida, esse, & viuere similarium partium alteretur: quia vita,& essentia similarium constituitur à quatuor qualitatibus, non ab vna tantum, nam elementa reducuntur ad vnionem, vt fiat pars similaris, non solum ratione caloris, sed etiam ratione frigiditatis, humiditatis, & siccitatis: neque solum est de ratione calidi cõtinere similaritatem, sed frigidi, humidi, & sicci, quare sicuti, dum calor amittendo suam vim destruitur similaritas: sic dum frigus vel siccum, vel humidum, quod est aliarum qualitatum glutem, destruuntur, similaritas destruitur: quia calidum innatũ formaliter est quoddam mixtum resultans ex quatuor primis qualitatibus: ergo non est calor simplex ipsius temperamẽti.

Nec valet dum dicunt, omne calidum innatum, à quo viuere,& ipsa vita immediatè dependet, est calor temperamenti, mediatè verò est influens cordis calor, à quo solum vita dependet,& sine ipso cordis calore temperamenta nec viuunt, nec opera sua obire possunt: ergo calidum innatū erit calor primo cordis, deinde temperamentorum.

Respondetur,negando,quod vita,& esse caloris innati à corde dependeant: quod probatur auctoritate Galeni & ipsa experientia. Auctoritate primo de loc.aff.vlt. & lib.de fætus formatione cap.5. vbi dicit „ facultates partium naturalium esse connatas & ab alio non pendere: ideo calidum natiuum non pendere à corde.

Præterea Galenus lib.de arte parua cap. 9. loquens de cartilagine,& alijs partibus, quæ ex seipsis habent regimen,ait,has partes vitam habere sine cordis auxilio: sic semen habet vitam sine corde.

Similiter probatur experientia: nonne plantæ euulsæ à radice habent vitam antequam inserantur? quare non omnis vita à corde dependet. Similiter in syncope affectis,& in ystericis partes corporis habent vitam absque eo quod pulset cor.

Nec valet,dum dicunt ex Aristotele 2.de part.animalium 3.dicente, aliméti coctionem, & mutationem fieri per caloris vim. Tertio verò de part.animalium 6.calorem obtinere vim agendi: 2. de anima tex.41. ignem esse cumcausam: quia respondemus Aristotelem per calorem intelligere calidum natiuum ex quatuor qualitatibus resultans,quod patet: quia secundo de generatione animalium tertio vult,quod hoc calidum insitum neque sit ignis, neque ex igne:ergo nō erit calor temperaméti: quia hic calor temperamenti saltem est ex igne.

Demum quod Aristoteles per spiritum natiuum nō intelligat solum calorem temperamenti,patet ex 5. de generatione animalium cap.2. vbi dicit,spiritum natiuum in alijs pulsum, in alis spirationem efficere: addit in aure auditum, & in oculo visionem: tunc sic: sed sic est quod visio fit ratione totius tēperamenti ipsius oculi: sic auditus non fit ratione caloris ipsius aeris: sed multò magis ratione frigiditatis, sed adæquatè ratione totius temperamenti instrumenti auditus: ergo hic spiritus natiuus erit temperamentum & non solum calor ipsius temperamenti: sicuti satis superque confirmabimus quæst. paulo infra.

Admittimus tamen in faciendo calidum natiuum, calorem tenere primum locum inter qualitates: sed in calido natiuo facto totum temperamentum esse totum esse rei, & ab ipso operationes pendere.

QVÆST. LIV.

An calidum innatum sit caleste.

QVidam (vt refert Albertus Magnus lib.20. de animalibus) putabant Cæli substantiam reperiri in corporibus animalium, hancque esse ipsorum calidum natiuum. Contra hanc opinionem satis superque dictum est ab Alberto.

Nostrates Alchimistę asserunt,& in animalibus, & in omnibus mixtis inueniri substantiam cælestem, quam ipsi vocant Cælum, seu quintam essentiam: illam dicunt per sublimationem separari posse, hancque esse calidum natiuum, & totum esse ipsorum mistorum: Sed quam vana sit hęc opinio ab Alberto,& ab alijs à scholis est explosa.

Demum Fernelius 4. suæ physiologiæ, & plurimi Alij sustinent,calidum natiuum non esse elementare, sed cæleste. Argumenta præcipua Fernelij & sectatorum hæc sunt.

Primum argumentum desumptum est à viuentibus frigidissimis,taleque est:si calor innatus non esset Cęlestis, mādragora, serpentes,& alia viuentia frigidissima non viuerent: quia in his calor est adeo exiguus, vt non posset regere ipsam mandragoram, & alia id genus viuentia: quia vita, & vitæ actio est prædominantis: ergo si hæc frigida viuunt, viuent per calorem cælestem: qui licet sit exiguus potest prædominari his inferioribus, quatenus constant ex quatuor elementis.

Secundum argumentum:calori vitali ex Aristotele non frigus? sed extinctio opponitur: sicuti tenebræ opponuntur lumini: ergo calor vitalis erit cælestis, & non elemen-

X men-

mentalis: quia elementali calori frigus opponitur.

Tertium argumentum Fernelij desumptum est ab Aristotele 2. de generatione animalium cap. 3. vbi asserit, in semine esse calorem, qui facit semina fœcunda, qui neque est ignis, neque aliquid ex igne: ergo erit Cælestis.

Quartum, Aristoteles 2. de part. animalium 7. & 2. de generatione animalium 3. loquens de calore innato, dicit proportione respondere elemento stellatum: ergo erit Cælestis.

Demum confirmat Fernelius per Hippocratem lib. de carnibus, vbi inquit, calorem innatum esse Cælestem. Hæc sunt fundamenta, quibus tuentur, calorem innatum esse Cælestem.

Cæterum hæc Fernelij opinio reluctatur Hippocrati, Platoni, Aristoteli, Galeno & principijs Philosophiæ naturalis. Hippocrati, qui primo de natura humana comm. 1. tenet, quod omnia, quæ fiunt, fiant ex quatuor elementis: cum igitur calidum natiuum, & fiat, & (vt probatum est superius) sit mixtum, non potest nisi ex quatuor elementis totum constare, esseque elementale, & non Cæleste.

Platoni aduersatur: qui in Timæo tenet, calidum innatum esse quasi igneum, idest ignem refractũ, vt explicat Galenus lib. de decretis Hippocratis & Platonis.

Aristoteli, quia lib. de respiratione cap. 4. asserit animã operari mediante igne. Idem quoque colligitur 2. de anima tex. 41. vbi dicit post animam in corpore esse ignem cum causam augendi, & nutriendi, ergo calor innatus, qui est immediatum animæ instrumentum, non erit Cælestis. Insuper quarto Meteororum c. 2. habet hanc sententiam, quod generatio quæ inest animalibus, & stirpibus proueniat à quatuor virtutibus elementorum: ergo non à calore Cælesti.

Galeno Fernelius aduersatur, qui in hoc comm. & libello aduersus Lycum cap. 7. it, calidum innatum fieri ex semine, & a sanguine menstruo. Patimodo lib. de rigore cap. 6. vult, calidum innatum esse mixtum: ergo non Cæleste. Præterea Galenus clarissimè 8. de plac. cap. 7. asserit, non esse ignem, sed ex ipsomet Hippocrate fieri ex ignis commixtione, & ex alijs elementis resultare.

Ad primum argumentum de serpentibus, & mandragora respondemus, operationem mandragoræ, & aliorum viuentium frigidorum prouenire à temperamento mandragoræ, & non à simplici calore; temperamentumque edere omnes operationes: quare qui dicunt, quod sit priuilegium caloris vincere qualitates passiuas, quo ad regimem, non quo ad graduum intensionem, melius certè dicerent quod vincere qualitates passiua sit priuilegium temperamenti primigenij mandragoræ: quia totum esse mandragorę est temperamentum, & non solus calor: atque à temperamento adæquatè, & non à calore prouenire operationes.

Insuper si calor mandragoræ esset *Cælestis*, mandragora, & Nos cum illa essemus immortales: quia Cælestia sunt immortalia: nisi dicamus esse Cælestem effectiuè seu æquiuocè, vt infra probabimus. Immo addimus, quod hoc temperamentum seu calidum innatum non solum differat à calore Cælesti, sed etiam aliqua ex parte à calore elementali; quia dum generatur, generatur per veram elementorum transmutationem, itaut resultet virtus noua, & ab elementis formaliter diuersa.

Deinde quod hic calor Cælestis, qui gubernat, & regit mandragoram, & serpentes diminuatur, & corrumpatur, non negat Fernelius asserere verò quod aliqua cæli portio sit corruptibilis, non solum est falsum, sed ridiculum.

Præterea non valet, dum dicunt, calidum innatum non esse factum per totalem mutationem seminis, & sanguinis menstrui: quia in infantibus ex Galeno locis citatis adhuc conseruatur semen, & sanguis menstruus, cum ipsa ossa infantium sint adhuc sanguinolenta.

Respondemus, materiam seminalem, & sanguinolẽtam esse quidem in infantibus, sed non eandem numero cum sanguine menstruo matris, & semine patris: sed esse eandem specie: quia dum fit embrio, statim corrumpuntur semen, & sanguis menstruus: deinceps ex calido innato embrio-

brionis sit similis materia seminalis, & sanguinolenta: simile enim generat simile.

Sic Galenus lib. 1. de sem. cap. 16. habet hanc sententiam, quæ nostram opinionem confirmat „ testes efficiunt semen: arterias quoque, & venas (ait) idem efficere, sed non ita multum & exquisitè coctum semen, vt faciunt testes: in infantibus verò spermaticæ partes cum sint feraciores in seminis generatione, & sanguinis generatione, non est mirum, si ossa ipsa, & alia membra spermatica sint sanguinolenta.

Quod verò semē, & sanguis menstruus, dum fit embrio, transmutetur, & in embrione idem numero non relinquatur: probari potest argumento à minori, taleque est: ex Galeno 3. de facul. nat. cap. 7. & ex ipsa experiētia: ipse cibus qui in ore agitur, manifestè mutatur in alteram speciem eadem hora, quamuis ad perfectionem non transformet, vt ijsdem Galeni verbis vtar: quantò magis semina parentum, & sanguis menstruus aliquorum dierum spacio in vtero in generatione embrionis transmutabuntur?

Ad secundum argumētum de calore vitali, quod extinctio, & non frigus opponatur calori vitali, & per consequens esse Cęlestem. Respondemus oppositorum alia esse priuatiua, alia contraria, alia contradictoria, & alia relatiua, vt docet Aristoteles in post Prædicamentis: hoc posito, dicimus, quod caloris extinctio sit oppositum priuatiuum ipsi calori vitali: sicuti tenebræ sunt oppositæ lumini, de hac oppositione dicimus intelligere Aristotelem: frigus verò calori vitali esse oppositum positiuum contrarium.

Præterea calor quinque modis extingui potest, nempè, vel à calore, sicuti dum à calore febris ardentis destruitur hepatis calor: vnde hydrops: est Hippocratis 2. Prognost. tex. 1. vbi habet „ A febre acuta hydrops. Secundo destruitur calor à nimia fluxione: de hoc modo Galenus mentionem facit 2. de facul. nat. 8. Tertio extinguitur à defectu pabuli: hic modus differt à secundo, quia calor extinguitur quoque à nimia puris euacuatione. Quarto à nimia suffocatione: de hoc Hippocrates 6. aphoris. 12. Quinto à nimio frigido actuali, vt à niue, vel à potentiali, ut ab opio.

Ad tertium Fenelij argumētum desumptum ab Aristotele, quod scilicet calor innatus neque sit ignis, neque ex igne. Nonnulli respondent id dixisse: quia calor innatus est aereus, idest calidus & humidus & suauis resultans ex semine, & sanguine menstruo, in quo mixto prædominatur temperamentum calidum & humidum, & non calidum & siccum: ideo neque est ignis, neque ex igne.

Hæc responsio non omninò tollit difficultatem: quia calidum innatum constat ex quatuor elementis: ergo & ex igne.

Respondemus nos, calidum innatum pendere quidem à Cælo tamquam à causa efficiente remota, & accidentali. A semine verò & sanguine menstruo tamquam à causa per se proxima efficiēte, & materiali.

Causa verò cur non sit ignis, neque ex igne est, quia dependet ex refractione luminum solis, & aliorum Astrorum: non tamen dicimus, calorem esse in Cælo, sed per refractionem fieri de nouo in ipsa terra: huncque calorem neque esse ignem, neque fieri ex igne; sed vocari quoque ab ipso Aristotele Cælestem. De hoc loquens secundo de generatione animalium cap. 3. inquit, non esse ignem, vel ex igne, sed corpus magis Diuinum, quam sint elementa; quia ex sole, & astris genitum est.

Parimodo tertio de generatione animalium vndecimo ait, in vniuerso esse calorem animalis, ita vt quodamodo animæ plena sint omnia: Ecce quod calor Solis fit apud Nos ex refractione luminis.

Similiter ex refractione luminis Lunę fit aliquis calor apud nos, qui conducit ad omnes generationes: ideo Aristoteles 4. de generatione animalium decimo dicit, Lunam esse principium caloris propter Solis societatem: hic calor fit apud Nos non tamen demissus à Cælo: talisque, neque est ignis, neque ex igne.

Quātus verò sit hic calor factus in terra à refractione luminis Lunę: & in qua proportione respectu solis, ostendimus in commentarijs nostris Auicennæ quæst. vndecima, vbi proposuimus tria instrumenta, quibus calorem Lunæ dimetiri possumus.

Auerroes 12. metaphys. comm. 18. loquens

quens de hoc calore habet hæc „ semina agunt per calorem, qui est in eis non per calorem igneum: quia calor ignis corrumpit, & non generat; ideo Aristoteles dixit, calorem, qui est in semine, neque esse ignem, neque ex igne: subdit Auerroes „ Aristoteles dixit, homo factus est ex Sole, & homine, & calor factus est ex terra & aqua à calore Solis admixto cum calore aliarum stellarum.

Ecce quod calor diffusus per orbem dici potest Cælestis: non tamen ipse calor est demissus à Sole, vel à Stellis: quia ibi non est calor: sed factus est ex terra & aqua per luminis refractionem. Subdit Auerroes „ calor solis, & stellarum diffusus in aqua, & terra generat animalia ex putrefactione: calor verò ignis, vt reperit Auerroes lib. de substantia orbis cap. 2. corrumpit & destruit entia: calor verò corporum Cælestium (supple factus in terra ex refractione luminum) largitur vitam vegetabilem, sensibilem, & animalem.

Quo pacto verò fiat calor ex refractione luminis, Cæsar Cremoninus Philosophus peripateticus celeberrimus inquit, ex refractione excitari calorem, quia lumen rarefacit: lumenque esse actum perspicui, quæ perspicuitas pertinet ad raritatem, quam raritatem dicit sequi excitationem caloris.

Tot errata, quot verba.

Primum dum inquit, calorem excitari, quia motus Cæli disgregat materiam, dico quod quantò magis disgregat, tantò minus calefacit: hinc ignis in sua sphera, quia est maximè disgregatus, & rarefactus, neque lucet, neque actu calidus est.

Parimodo si lumen rarefaciet: ergo non excitabit calorem.

Demum falsum est, quod perspicuitas pertineat ad raritatem: non ne adamans est perspicuus, tamen est res densissima.

Parimodo aqua est perspicua; tamen dum agitatur in bullas conuertitur vnde fit rarior, & ita rara euadit opaca.

Itidem spongia est rarissima & opacissima; fumus rarus, & opacus, alia quoque exempla proposuimus in nostra arte parua fol. 291. quibus ostendimus, nec raritatem pertinere ad corpus perspicuum, nec opacitatem ad corpus densum.

Hinc astra non sunt opaca, quia sint densa, nec cælum est diaphanum, quia sit rarum. Quopacto verò diaphanum fiat, & opacum: & quomodo diaphanum, & opacum propriè conueniant Cælo, in arte parua satis superque ostendimus: itaut maximè à veritate recedant, qui tenent, quod qualitates primæ eo modo conueniant Cælo, quo raritas, densitas, perspicuitas, & opacitas: quia qualitates primæ neque per prius & posterius, neque vllo modo conueniunt Cælo: perspicuitas verò & opacitas nõ equiuocè, vel per prius & posterius, sed æquè propriè cælo, & elementis conueniunt.

Quo pacto verò calor, vel lux ex refractione luminis fiat, ostendimus ratione, & experientia in commẽtarijs nostris in Auicennam col. 155. nullam lucem, nullumque calorem fieri, nisi ex refractione luminis facta in opaco: quia calor, & lux sunt accidentia corporis opaci & non diaphani.

Si in Cælo essent mille Soles; & terræ globus, & nos essemus diaphani, apud nos nullus esset calor, & nulla lux: quia de ratione lucis, & caloris est radiorum repercussio: repercussio verò radiorum fieri non potest, nisi vbi est corporis opacitas: quare cum supra aerem infra Lunam vbi est ignis, & aer, nulla sit opacitas, nulla lux obseruatur.

Cur quæso crepuscula non apparent secunda vel tertia hora noctis, quo tempore radij solis sunt effusi in aerem supra terram vltra 52. milliaria? quia vapores qui participant aliquam opacitatem, & qui possunt crepuscula efficere vltra 52. milliaria non eleuantur: ideo nullla lux, & nullus calor radiorum solis tunc obseruatur.

Media nocte radij Solis sunt effusi, & per ignis spheram, & per omne Cælũ, sed cur non videntur? quia ibi non duplicantur, cur non duplicantur? quia nulla est opacitas, nisi in Stellis: ideo ipsas solas videmus: in illis tamen nõ fit calor, quia stellarum materia non est capax caloris; nõ est capax, quia non est eiusdem generis cũ materia inferiorum: si esset eiusdem generis duplicatio radiorũ in Luna, & alijs Stellis efficeret calores, & calores vapores, & vapores

pores nubes, & nubes pluuias, & pluuiæ flumina, maria,& animantia, ipsa, quod est omninò à veritate alienũ, quoniam si quis esset in Luna, dum magna Europæ pars niue albescit, videret magnam aspectus mutationem, attamen Nos neque specillo nuper inuento vllam nunquam mutationem in luna videmus: nec valet dum dicũt, materiam Cæli esse sua forma contentam, & satiatam: quia quando esset eiusdem naturę à perpetua radiorum refractione disciparetur, & in vapores, & in reliqua, quæ dicta sunt, resolueretur.

Sed vt redeamus vnde digressi sumus cõcludimus, calorem nostrum vocari posse cælestem, non quia formaliter à Cælo descendat, quia in cælo, nec calor, nec frigus est, sed effectiuè, quatenus astrorum lumen est causa efficiens remota, & accidentalis: quia ex continua luminum refractione facta in terra, & aqua duplicantur radij, & ita duplicati efficiunt calorem, qui dicitur Cælestis, à quo esse & viuere viuentium dependet.

Quopacto vero duplicatio radiorum efficiat calorem facilè intelligunt, qui tenẽt, radios esse corporeos. sed de hac quæst. an sint corporei, vel incorporei, hic non est locus.

Cęsar Cremoninus, qui tenet, calorem innatum esse calorem temperamenti, quærit, cur calor noster innatus ab Aristotele vocetur Cælestis. Respondet: quia est subordinatus Cęlo, agitque quatenus regulatur ab ipso Cælo: addit quod omnia agentia sublunaria quatenus sunt ordinata ab ipso Cælo possint dici Cælestia.

Si esset vera hæc expositio, possemus dicere non solum calorem, sed frigus, humidum, & siccum, & omnia mixta vt agentia vocari posse Cælestia: quia omnia agentia sublunaria, tam calida, quam frigida, sicca, vel humida æquè subordinata sunt superioribus lationibus: sic penis, vulua, clunes, stercus, & si quid vilius istis inueniatur quatenus agentia vocarentur Cælestia; sed certè locutio illa esset nimis impropria. Satius est, vt dicamus, calorem hunc esse Cælestem quatenus ex accidenti prouenit à Sole, & alijs astris, vt dictũ est, ad differentiam caloris ignei, & nõ quatenus subordinatus: quia non solum calida, sed frigida, humida, & sicca vt agentia sunt subordinata, quæ certè à Cælo non proueniunt, & per consequens Cælestia dici non possunt.

Respondemus quoque alio modo, cur calidum innatum non sit ignis, nec fiat ab igne, dicendo, calidum innatum fieri ex sem. & sanguine menstruo post factam totalem mutationem seminis & sanguinis menstrui in calidum innatum, quod edit operationes omninò diuersas ab igne: quia est quoddam mixtum, quod non est ignis, nec pendet ab igne: quia antequam fiat ignis est transmutatus: nisi dicamus ignẽ esse incorruptibilem: credimus enim Nos elementa potentia, & non actu manere in mixto.

Hinc est quod calidum innatum vt mixtum edit operationes diuersas ab operationibus suorum principiorum, & aliquando contrarias.

Quod verò calidum innatum fiat ex mutatione seminis & sanguinis menstrui totius in totum, probari potest experientia, & Galeni auctoritate: Galenus enim secundo de sem. cap. quarto ait „ vt primum semen coniectum est in vterum vna pars in membranam, alia in vasa, & in alias partes conuertitur: ergo dum fit calidum innatum ex semine & sanguine menstruo oportet, vt transmutentur semen & sanguis menstruus totius in totum.

Quod verò mixtum edat operationes diuersas, & contrarias, patet argumento à minori efficacissimo, hoc modo: si medicamentum compositum à Pharmacopola, quod non est verè mixtum, sed iuxtapositum efficit operationes diuersas, & interdum contrarias operationibus suorũ principiorũ: quatò magis mixtum ex quattuor elementis, quod est verè mixtum, cuiusmodi est calidum innatum, edere poterit operationes diuersas? Sic calidum innatum non solum habet vim calefaciendi, sed etiam refrigerandi, vt superius probatum est: hac ratione dicimus, calidum innatum non esse ignem. Hac ratione Galenus octauo de placitis septimo damnat Platonem dicentem, calidum innatum esse ignem, quod si esset, sequeretur (a it

Gale-

Galenus) quod febricitantes melius, quam sani homines concoquerent, quod est, apertè absurdum.

Præterea confirmatur ex Galeno, & experientia, quod non solum mixtum, sed iuxtapositum artificiale edere possit operationes contrarias operationibus suorum principiorum. Ex Galeno enim 3. Meth. cap. secundo habetur, æruginem, ceram, & oleum efficere mixtum, quod est Sarcoticum præstantissimum, quod vlcera caua potest carne implere: tamen oleum, cera, & ærugo seorsum sumpta, & applicata excauant, & non implent vlcera: quare si iuxtaposita non edunt operationes virtute simplicis prædominantis, tantò minus mixta, quæ per alterationem fiunt longè magis diuersa, quam sint iuxtaposita, virtute ignis, vel alterius elementi suas edent operationes.

Experientia quoque confirmatur, operationem mixti artificialis non prouenire à simplicium operatione. An ne stibium vstum, & crisocolla simul vnita efficiunt medicamentum purgans? tamen hæc seorsum sumpta nullam habent vim purgandi. Itidem tetrapharmacum emplastrũ quod fit ex aceto, litargiro, & oleo veteri est sarcoticum: tamen singula separata non sunt Sarcotica. Ceratum de Euforbio maximè, iuuat partes conuulsas, vt Mesues animaduertit: tamen simplicia, quæ componunt hoc ceratum, quæ sunt cera, oleum, & euforbium seorsum sumpta si applicarentur partibus conuulsis valde nocerent.

Demum puluis pyrius est adeo impetuosus, vt per ipsum accensum grauissimæ pillæ ferreæ eant illicò volatum in partes admodum distantes. Simplicia verò, quæ illum componunt sunt sulphur, carbones, & nitrum: hæc nullum impetum faciunt, si seorsum acendantur.

Ex his sic argumentamur: si mixta artificialia edunt operationes à suis simplicibus componentibus ita diuersas, quanto magis naturalia mixta, quorum principia sunt trasmutata id efficient?

Sic mandragora licet sit exiguo calore donata dicimus, operationes non pendere ab illo calore, sed ab eius calido innato, quod est quoddam mixtum resultans ex sem. & sanguine menstruo, & factum de nouo, vt probatum est, quod habet vim non solum calefaciendi, sed etiam refrigerandi, prout opus est.

Valeant igitur qui dicunt, mixta operari mediante igne, nisi per ignem intelligamus calidum innatum: quare si instrumentorum artificialium operationes prodire possunt à mixto, vt mixtum est, & non à simplicibus ipsum mixtum componentibus, tantò magis in mixtis naturalibus, & de nouo genitis operationes prodibunt à natura seu à calido innato, quod continet totam mixti essentiam, quę neque est ignis, neque ex igne: quia ex astrorum calore (vt dictum est) tanquam à causa efficiente remota, & accidentali, natiuus calor originem ducit.

Ad quartum argumẽtum dum dicebant ex Aristotele, calidum natiuum proportione respondere elemento Stellarum: ideo esse Cæleste: dicimus totum oppositum inferendum esse: hoc modo: proportione respondet elemento stellarum: ergo non est Cæleste. Sic sphera lignea proportione respondet spheræ Cælesti: ergo non est Cęlestis. Sic caput nostrum, quod est rotundum proportione quadam respondet Cęlo: tamen non est Cæleste: quæ enim conueniunt proportione, genere differunt.

Calidum natiuum habet proportionem cum Cælesti calore: quia sicuti Cælum non comburit, sed conseruat, sic calor natiuus bene temperatus est ita suauis, & mitis, vt saltem per aliquod tempus non conseruet, & non comburat.

Ad quintum dum dicebant ex Hippocrate calorem nostrum esse Cælestem. Respondemus à refractione luminis solis fieri calorem: hocque modo dici Cælestem: quamuis calor genitus à sole non mittatur à Cælo: quia in Cælo nec calor, nec frigus stare possunt: sed calor fit in terra ex radiorum refractione: ideo habita relatione ad diuersa potest dici terrestris, & Cælestis.

Similiter radij Solis refranguntur quidem in Luna: in ipsa tamen nullus generatur calor: quia Lunæ corpus est ineptum ad generandum calorem: si enim ibi fieret calor, statim, & vapores, & pluuiæ, & niues

niues fierent, quod repugnat experientiæ: quoniam si in aliqua Lunę parte interdum essent niues, nobis apparerent varij Lunæ aspectus, & non vnicus impermutabilis. Si verò nos essemus supra Lunam, & terrę partem aliquam niue circumuentam inspiceremus, aspectus varietatem admiraremur, quam in Luna nemo vnquam obseruauit.

QVÆST. LV.

Quod calidum innatum sit temperamentum & non calor temperamenti.

GAlenus in comm. sequenti, & libello aduersus Lycum cap. 7. dicit quod illa quæ calidum innatum ἀρχήγονον idest primigenium complent sunt sanguis menstruus, & seminalis materia. Addit, ex hac primigenia nostra substantia in prima generatione fieri constitutionem partium videlicet similarium, quæ sunt illæ, in quibus perficitur augmentum, & nutritio vsque ad mortem.

Hinc calidum innatum vel consideratur quatenus immediatè fit ex semine, & sanguine menstruo, quod vocatur ἀρχήγονον seu primi genium: vel quatenus est prima constitutio genita à calido archigono, quæ constitutio est totum esse partium similarium. In primo calido quod est primigenium (vt docet Auicennas doct. 6. in prima primi) continetur alteratrix, quæ præbet temperamentum omnibus partibus similaribus, & formatrix, quæ præbet omnibus partibus compositionem, videlicet situm, numerum, figuram, & meatus.

In secundo calido innato, quod fit à primigenio, nec virtus generatrix, quæ de nouo facit partes, nec formatrix continetur: quia in fœtu formato nulla virtus reperitur, quæ de nouo membra efficere, vel componere possit: in ipso tamen continentur virtus auctrix, nutrix, & cæterę facultates famulantes: neque de hac re Auicennas, Galenus, & Hippocrates vnquam dubitarunt. Quomodo verò calidum innatum primigenium differat à calido innato partium similarium, paulo infra quoque declarabitur.

Quærimus modo quid sit calidum innatum communiter sumptum, quod videlicet prædicatur de primigenio, & de facto à primi genio. Pro intelligentia sciendum, quod calidum aliud est essentiale, & aliud accidentale. Sic Galenus in hoc commento ait, calidum interdum transferri ad qualitatem, interdum ad corpus calidum: citatque Theophrastum dicentem, apud Antiquos in omni vita fuisse in vsu, vt per calidum intelligamus corpus calidum.

Parimodo temperamentum aliud est accidentale, quod solum consideratur in puris qualitatibus: aliud est essentiale, quod consideratur respectu quattuor elementorum efficientium ipsum mixtum.

Cæterum quod vtrumque calidum innatum videlicet primigenium, & à primigenio factum formaliter sit temperamentũ essentiale partium similarium, confirmari potest ratione, auctoritate Hippocratis, Galeni, Aristotelis, & experientia ipsa.

Hac ratione comprobatur, calidum natiuum esse temperamentum. Illud in quo constat esse, & viuere est calidum innatum, sed temperamentum est id in quo constat esse, & viuere: ergo calidum innatum est temperamentum: ergo non est solus calor temperamenti. Maiorem omnes concedunt. Minorem probamus quia totum esse partium similarium non solus est calor temperamenti, sed temperamentum ipsum, quatenus constat ex calido, frigido, humido, & sicco.

Vocatur tamen calidum innatum à præcipua qualitate calida, quæ est maximè omnium actiua: non tantum tollitur, quin calidum innatum constet ex omnibus quatuor qualitatibus: sic piper dicitur calidũ: non propterea sequitur, quod piper non sit quoque frigidum: non tamen vocatur frigidum: quia caliditas, & non frigiditas prædominatur, & denominatio semper fit à qualitate excedente temperatum. Idem dici potest de alijs mixtis.

Dũ dicunt, elementa à calore esse redacta ad homogeneitatem seu similaritatẽ: ergo calor est totũ esse, & viuere similaritatis: non valet: quia ad constituendam partem similarem, incipit quidem calor, sed caloris,

ris actio esset vana, nisi concurreret actio frigiditatis, humiditatis, & siccitatis.

Præterea esto, quod elemēta redacta sint ad similaritatem à solo calore, nos non quęrimus à qua causa similaritas fieri incipiat, sed quęrimus de esse partis similaris, iam factæ, cuius essentia non ex vna, sed ex quatuor qualitatibus essētialibus resultat.

His positis, cessant omnes difficultates: dum dicunt, quodlibet minimum viuit, & nutritur per calidum innatum: ergo calidum innatū in parte similari erit vbique: ergo hoc calidum erit calor temperamenti qui in qualibet mixti parte esse potest.

Nos vero inferrimus hoc modo: quodlibet minimum partis similaris nutritur per calidum innatum: ergo hoc calidum erit temperamētum ipsum: quia temperamentum est in qualibet minima parte: estque totum esse partis similaris, tam in viuentibus, quam in alijs mixtis. Hinc in metallis, vt in argento, & auro temperamentum essentiale (non loquor de accidentali) est totum esse argenti, & auri: illoque destructo, destruuntur metalla: quare calidum innatum erit temperamentum essentiale, & non solus calor temperamenti.

Præterea confirmatur ex Galeno 2. aphoris. 51. vbi dicit „ naturam consistere in elementorum commoderatione: sed hæc commoderatio est ipsum temperamentum. Sed quid intelligit per ipsam naturam? certè intelligit calidum innatum: quia & lib. de marcore, & multis in locis Galenus calidum innatum vocat ipsam naturam.

Insuper Galenus 15. comm. huius primę sec. ait, tria esse corpora, quæ primigeniam nostram substantiam complent, nempè spiritum, sanguinem, & seminalem materiam: sed sic est quod hæc tria sunt illa ex quibus constituitur natura seu temperamentum essentiale: ergo.

Hippocrates verò (referente Galeno 8. de plac. cap. 7.) habet hanc sentētiam à Galeno citatam his verbis „ Hippocrates semper calidum innatum voluit esse auctorem omnium naturaliū operationum: sed sic est, quod temperamētum est auctor omnium naturalium operationum, vt infra quoque patebit: ergo calidum innatum nihil aliud erit, quam temperamentum, repetit quoque Galenus 5. in 6. epid. comm. 5. quod calidum innatum sit naturalium actionum auctor.

Ad hæc calidum innatum est ipsa natura & essentia rei (vt probatum est) sed temperamentum est huiusmodi. Hinc Galenus primo de Vsu P. 9. & in commento sequenti ait, carnis esse est temperamentum carnis, esse ossis temperamētum ossis: ergo ex Gal. temperamentum est calidum innatum partium: sic esse argenti vel auri est temperamentum argenti & auri quod idem est, ac si diceremus esse argenti, & auri esse calidum innatum argenti, & auri. Ostendimus superius ex Aristotele & Galeno omnia mixta esse talia per suum calidum innatum, idest per suum temperamentum essentiale, quo destructo destruuntur mixta.

Insuper patet ex Hippocrate, & Galeno secundo de facul. nat. cap. 9. quod operationes dependeant à rei similaris temperamento: quia ibi refert, Hippocratem asserere, temperamentum actionis causam esse: ideo actionem lædi primario ab intemperie: quare cum esse, & in ipsis viuentibus ipsum viuere, & actiones ipsæ dependeant à calido innato, calidum innatum erit partium temperamentum.

Hinc Galenus 3. de causis pulsuum nono considerans à qua causa fiat ipsa concoctio, quæ est actio ita præcipua, profert hãc sententiam, calor natiuus est qui concoquit: quare si temperatura est causa actionis, temperatura erit ipsum natiuum calidum.

Accedit quod Galen. 4. de Vsu P. 12. considerãs à qua causa proueniat hepatis concoctio, dicit quod auctor coctionis in hepate est propria caro hepatis: sed propria caro talis est propter eius temperamentum: ergo calidum innatum erit temperamentum.

Amplius Galenus 3. de temp. 4. habet hæc verba „ Naturam cum dico intelligo vniuersam substantiam, & ipsam temperiem: sed vniuersa substantia rei est calidum innatum: ergo calidum innatum erit temperamentum & non calor temperamenti.

In-

Insuper Galenus libello aduersus Lycum cap.7. declarat, quomodo fiat partium similarium constitutio à calido innato primigenio, quod vocatur ἀρχήγονον habetque hæc verba „ calidum insitum est corpus, videlicet sanguis menstruus, & semen, supple cum spiritu vitali (addit) ex his fit prima constitutio ! sed addimus nos, non dari aliam primam constitutionem, quam temperaturam , & quamuis constitutio prędicetur non solum de temperatura, sed de compositione, & vnitate : tamen temperatura est prima constitutio: ideo Galenus 1. de Vsu P cap.9. collocat compositionem , & vnitatem inter ea, quæ necessariò accidunt temperaturæ : prima igitur constitutio est temperatura: ergo calidum innatum factum ex sem. & sang. menstruo ex Gal. erit ipsamet temperatura essentialis.

Hinc Galenus 8. de Vsu P. cap. 13. videns operationem pendere à temperatura seu à calido innato loquens de intellectu ait „ intellectum sequi non compositionis varietatem, sed corporis quod cogitat, atque intelligit bonam temperiem: quare si operationes pendent à calido innato : similimodo dicat Galenus pendere à temperatura : calidum innatum erit ipsamet temperatura.

Similiter primo de præsa. ex pulsibus c. 4. dicit Galenus „ essentiam facultatis in commodo temperamento positam esse : quia quælibet pars, si sit temperatissima, obit strenuè suum munus : ecce quod si temperamentum nō esset ipsum calidum innatum, non posset dici, quod essentia facultatis consisteret in commodo tempemento, nec posset dici quod pars, quatenus sit temperatissima, obiret strenuè suum munus.

Parimodo Galenus 3. de symp. causis loquens de prima concoctione, his verbis ostendit à temperatura prodire dicens „ primam ciborum coctionem fieri à quadam temperie ex quatuor elementis facta, quæ proprietatem corporis ventriculi constituit, plurimum ad hanc rem conferente calido elemēto, videlicet calore influente, & actuali : quare si calidum innatum est auctor coctionis, hoc erit ipsum temperamentum.

Qui verò interpretantur per proprietatem corporis ventriculi temperaturam coniunctam cum semine , & sangnine menstruo, quæ ab initio generationis constituit corpus ventriculi, errare videntur toto Cælo : quia ab initio illa substantia menstrualis, & seminalis corrupta est, si verum est hoc axioma, quod generatio vnius sit corruptio alterius.

Si verò dicerent, conseruari in partibus ipsis similaribus substantiam seminalem, & menstrualem : negamus omninò conseruari eandem numero , sed solum eandem specie : quia est omninò à ratione alienum, quod semen, & sanguis mēstruus parentum idem numero conseruetur spacio 70. vel 80. annorum, & vltra in partibus similaribus ab initio genitis.

Demum quod est immediatum animæ instrumentum est calidum innatum : sed temperamentum est immediatum animæ instrumentum : ergo. Maior est Galeni 5. simp. cap. 9. vbi inquit, calidum innatum si non sit animæ essentia, saltem est primum eius instrumentum. Minor patet, quia illud est animæ instrumentum, & primum à quo operationes fiunt : sed operationes fiunt à temperamento ex Galeno lib. de const. art. med. 5. 1. meth. cap. 6. & pluribus alijs in locis superius citatis: ergo calidum innatum erit temperamentum.

Idem quoque colligi potest ex Aristotele quinto de generatione animalium secundo, vbi vult, calidum natiuum in arteria pulsum efficere, in oculo visionem, & in aure auditum : sed sic est quod visio à temperamēto oculorum & auditus à temperamento aeris interni, & aliorum instrumentorum fit : ergo non solum à calore : Immo crystalini, & aeris interni aurium calor minus conspirat in sensorij actionem efficiendam, quam aliæ qualitates : ideo colligimus temperamentum esse calidum innatum, quod est instrumentum facultatis primum , & adæquatum, & non solus calor.

Nec valet argumentum allatum contra Cremoninum , quod nihilominus ei maximè fauet, videlicet Balbum Stoicum dicen-

centem in 2. de natura Deorum, caloris naturam habere vim in se vitalem per omnem mundum pertinētem (addendo) ex terræ cauernis, ex attritu lapidum elici ignem, ex qua Balbi sententia colligi potest. ipsum calorem esse calidum natiuum, & non temperamentum: quia respondemus hunc calorem esse causam efficientem calidi natiui, & non ipsum calidum natiuum: neque implicat dicere esse causam & effectum calidi innati, habita varia consideratione: quia calidum innatum primigenium erit causa: calidum verò secundo genitum erit effectus primi & causa imediata ope rationum.

Denique non deessent experimenta, quibus ostendi posset, calorem temperamenti non esse calidum innatum. Afferatur hoc vnum: si aliqua similaris pars magnoq; deflagret ardore redire potest ad pristinum statum à calido innato, si calidum innatum erit temperamentum: quia temperamentum habet quoque vim refrigerandi, sed si calidum innatum erit solus calor ipsius temperamenti certè nec per se nec per accidens refrigerabit: & præcipuè vbi nihil est quod possit resolui.

Hinc febres hecticæ sæpè sanantur non à simplici calore temperamenti, sed à toto temperamento, quod est calidum innatum, à quo solum omnes operationes dependent.

Posito, quod calidum innatum sit ipsum temperamentum essentiale: instantiæ contra illos, qui arbitrantur, calidum innatum esse corpus concretum ex semine & sang. menstruo contra nos non habent locum, quia dum dicunt, in animalibus ortis ex putredine non esse hoc corpus concretum ex sem. & sanguine: dicimus in his esse quid proportionale, quod habeat tale temperamentum, quod possit partes spermaticas illorum animalium efficere.

Quodnam sit hoc proportionale in ortis ex putredine, & quodnam sit proportionale in generatione plantarum non pertinet ad nos: illud quod proportione respondet menstruo in plantis ex Alberto Magno est humidum pluuiale. Quod verò respondet ortis ex putredine est certè humiditas, quæ caret nomine.

Dum verò quęrunt, vbi sit hoc corpus in viuentibus. Respondemus in viuentibus & in omni mixto hoc corpus esse temperamentum compositum ex quatuor elementis: sic ipsamet caro viuens est hoc corpus: ipsum os viuens est hoc corpus, seu temperamētum, quo abolito cessat vita, & esse ipsarum partium: dicimus esse: quia non solum intelligimus de viuentibus, sed de metallis, & omnibus mixtis, quę talia sunt per suum calidum natiuū idest per suum temperamentum. Hoc igitur posito, non sequitur dari penetrationem corporis: quia hoc calidum innatum est ipsamet essentia partium, quæ essentia, neque diffunditur, neque penetrat suas partes intus foris, nisi per suas qualitates.

Denique ex hoc corpore facto ex sem. & sanguine menstruo resultat calidum innatum viuens.

Nec valet, dum dicunt ex Galeno hoc calidum non esse instrumentarium: quia ex ipso Galeno postea adnascuntur instrumenta: inde colligunt non viuere: quia anima est actus corporis instrumentarij.

Cui instantiæ respondemus, illud calidum archigonon ex sem. & sanguine menstruo factū viuere in vtero vita parentum: sicuti, qui versati sunt in Anatomia viuorum, sciunt: in principio enim fætus per arterias vmbelicales, licet non sint facta instrumenta, in fætum effunditur ipsa vita. Deinde quando facta sunt instrumenta incipiunt infantes vita propria gaudere.

Ex his facilè quoque colligimus, calidum innatum non esse substantiam aeream, pinguem, seu oleosam: quia hæc substantia pinguis, & oleosa talis est per temperamentum.

Prętere a hæc non est viuens: quia est liquida, & inter contenta, vitæ expertia, & non inter continentes & solidas partes est collocanda: vna enim est omnium Philosophorum, & Medicorum vox, quod operationes prodeant à partibus viuentibus, & non à vita carentibus.

Dum verò Galenus dixit, calidum natiuum esse substantiam aeream, & oleosam intellexit de materia ex qua fit calidum natiuum, & non de eius forma.

In-

Insuper si substantia oleosa esset calidum innatum, sequeretur, quod pars viuens, quo magis participaret talem substantiam, diutius viueret: at totum oppositum obseruatur, quia ossa, quæ substantia oleosa ferè sũt destituta, diutius conseruantur: quare dicimus calidum natiuum seu temperamẽtum ex substantia aerea, & oleosa in prima generatione resultare, atque iterum à temperamento substantiam pinguem, & oleosam non dissimilem progigni.

Accedit, quod in mortuis destruitur temperamentum, & calidum ipsum natiuum non tamen illicò destruitur substantia pinguis, & oleosa, qua calidum innatum viuẽs fouebatur: hæc enim in animali statim interfecto eadem remanere, & conseruari videtur.

Dum Albertus lib. de long. & breuit. vitæ dicit humidum pingue, & oleo simile esse subiectum calidi natiui, non intellexit illud humidum formaliter esse calidum natiuum: sed esse subiectũ ex quo fit: proponit enim triplex humidum, videlicet, aqueum, quo mixta sunt mixta: vitale, quo viuentia viuunt, quatenus illo tamquam pabulo aluntur, cuiusmodi est semen, & sanguis menstruus. Tertium est alimentale, quod ex cibo fit, quo quotidie nutrimur. Ecce quod calidum natiuum fit ab humido vitali, idest à sem. & sang. menstruo, quod formaliter calidum natiuũ esse non potest.

Ad hæc calidum natiuum est in omni mixto: quia omne mixtum vt mixtum, est putredini obnoxium, & vt tale habet calidum proprium, & natiuum, vt docet Aristoteles, vbi definit putredinem. Hoc posito dicant mihi vbi sit hæc substantia pinguis, & oleosa, quam putant esse calidum natiuum in argento & alijs metallis? quod verò in quolibet mixto sit temperamentum, certè nemo est qui nesciat.

Denique si substantia aerea pinguis, & oleosa esset calidum natiuum, sequeretur, quod vbi talis substantia esset copiosior, ibi actiones essent vegetiores, & ibi vita esset magis longæua: at sic est, quod copiosior potest esse hæc substantia in puero mortuo quam in sene viuo: ergo nulla ratione dici potest quod formaliter sit calidum natiuum, calidum enim innatum habet hoc priuilegium, quod vbi plurimum sit, ibi actiones sint vegetiores: quare credimus hoc calidum esse temperamentum essentiale, quod à Galeno vocatur essentia partium similarium, quo corrupto cessant operationes, & per consequens ipsa vita.

Andreas Laurentius de cordis temperamento quęst. 14. dicit, calorem natiuum nihil aliud esse quam humidũ primigenium spiritu insito & calore perfusum. Quot verba tot errata: quia humidum nõ est calidum: deinde quæritur adhuc quid sit calor natiuus. Præterea calidum natiuum est res solida & vitam habet, & habet actiones, quas humidum non habet: quare illud debet esse calidum innatum, à quo prouenuint operationes, sed temperamentum est huiusmodi.

Hinc Galenus (vt probatum est) octauo de plac. septimo ait, calidum natiuum esse auctorem omnium naturalium operationum. Tertio verò de causis pulsuum cap. 9. asserit, calorem natiuum esse illum, qui concoquit, & non substantiam oleosam. Parimodo Gal. 2. de facul. nat. 9. dicit temperamentum esse causam operationum: lib. verò de const. artis cap. 5. determinat operationes à temperamento partium similarium primò prodire. Similiter Auicennas cap. 2. doc. 3. in prima fen. loquens de temperamento habet hanc sententiam. Deus dedit temperamentum conueniens suis operationibus: ergo operationes prodeunt à temperamento: ergo calidum innatum, à quo dependẽt operationes (vt dictum est) in idem recidet cũ temperamẽto.

Omisimus alia Galeni, & Hippocratis loca ad disputationis cardinem minimè pertinẽtia, ne incidamus in περιττολογίαν sicuti quæ dicuntur ab Hippocrate de calido innato omnino à veritate aliena lib. de carnibus fortasse inserta ab aliquo Poeta, his ferè verbis: calidum innatum esse immortale, cuncta intelligere, videre, audire, & scire omnia præsentia, & futura, quæ attributa, nec temperamento, nec substantiæ aereæ & oleosæ aptari possunt: ille enim est conceptus & falsus & ridiculus: quia soli Deo omnipotenti illa attributa conueniunt.

Omittimus libenter, quæ in medici-

na non habent locum, sicuti sunt Poetica figmenta, vel quæ rebus, de quibus agitur, offundunt tenebras: Galenus 4. de ratione vic. 18. habet hanc pulcherrimam sententiam „ vt in alijs plerisque manifestò homines peccant: sic in eo, quod gaudent ijs quæ obscurè dicuntur: cum tamen vno ferè ore omnes dicant perspicuitatem esse orationis virtutem: obscuritatem verò vitium. Sed occurrunt nonnulla dubia circa ea, quæ dicta sunt.

Prima dubitatio Auerroes 1. coll. ait, partes agere, & affici à calido innato, qui alius est à temperamento: ergo calidum innatum non erit temperamentum, vt dictum est.

Solutio talis est, quod calor innatus sit alius à temperamento videlicet accidentali à quo actiones non fiunt: quia ex Aristotele 4. metaphy. tex. 14. accidens non est accidentis accidens; fiunt tamen à temperamento essentiali, quod dat esse partibus similaribus.

Secunda dubitatio in comm. isto 14. dicit Galenus, substantiam nostri calidi innati esse aeream & aqueam, seu oleaginosam: ergo non est temperamentum.

Respódemus temperamentũ fieri immediatè ex hac substantia aerea, & aquea: immo ostendimus superius, dum calidum innatũ factum est, illico corrumpi semen, & sanguinem menstruum, seu illã materiam aeream, & aqueam: idem tamen calidum innatum rursus efficere seminalem materiam, sed nó eandem numero, sed eandem specie, quæ est effectus, & non forma calidi innati similarium partium.

Neque fętum totũ (vt aiunt) in suo exordio credimus esse calidum innatum: quia tũc in fœtu sunt sua excrementa, humores, spiritus, influentes, quæ reuera non pertinent ad calidum innatum, quod est initium omnium operationum, & licet ex Galeno in apparente genitura excreta, quam enarrat Hippocrates lib. de natura pueri de Psaltria, sit calidum innatum, antequam ossa, venæ, arteriæ, nerui, tendines, vel ligamenta appareant; tamen non est dicendum, calidum innatum formaliter esse carnem illam mollem, seu illum sanguinis grumum, sed in grumo, seu carne molli esse ipsum calidum innatum, seu temperamentum primigenium: nonne præter temperamentum in grumo illo sunt humores spiritus influentes, & excrementa?

Tertia dubitatio, quomodo calidum innatum potest esse temperamentum (vt ostensum est) si temperamentum est vna qualitas, vt docet Auicennas, resultans ex actione, & passione contrariarum qualitatum? Quæ Auicennæ opinio maximè consentit doctrinæ Galeni in lib. de temperamentis.

Respondetur, temperamentum sumi duobus modis, vel pro qualitate prædominante, quæ qualitas est accidens calidi innati, seu temperamenti essentialis: hoc modo temperamentum est in Prædicamento qualitatis: vel sumitur temperamentum penes subiectum factum ex sem. & saug. menstruo, vnde fit calidum innatum, quod est temperamentum essentiale, & totum esse partium similarium: hoc modo est in prædicamento substantiæ.

De hoc temperamento Galenus 1. de Vsu. P. 9. habet hæc verba „ Qui dicit carnem, dicit totum esse carnis, qui dicit os, dicit totum esse ossis: hoc totum esse ossis, vel carnis dici t esse temperamentum. Nos addimus hoc totum esse partium similarium esse calidum innatum, per quod singulæ partes differunt inter se: sic argentum differt ab auro per suum calidum innatum, seu per eius temperamentum essentiale.

Sic Galenus 2. de fac. naturalibus dicit temperaturam esse causam actionis: tertio verò de causis pulsuum vult calidum innatum esse causam actionis, qui calor innatus est ille qui concoquit, 8. de Placitis septimo dicit, calidum innatum esse causam omnium naturalium actionum: quare calidum innatum in idem recidit cum temperamento.

Hac ratione Galenus 6. de plac. cap. 8. videns temperamentũ esse totum esse partium dicit, si aliqua pars corporis haberet cerebri temperamentum haberet quoque cerebri operationes: quia si haberet cerebri temperamentum haberet ventriculos, & alias cerebri conditiones quæ per-

pertinent ad compositionem: quia compositio seu conformatio collocata est à Galeno 1. de Vsu P. 9. inter ea quæ necessariò accidunt temperamento.

Quarta dubitatio: probatum est superius à Galeno, calorem innatum esse opificem omnium operationum: tamen Galenus 1. de loc. aff. vlt. vult à cerebro, vt lumen à sole, & 2. ad Glauc. cap. 2. vult à corde, iecore, & cerebro facultates in totum corpus defluere, & inde à facultatibus operationes: ergo non à calido innato.

Respondetur à iecore, & corde facultates materialiter, & nó formaliter effundi: dicimus materialiter, quia à Iecore non facultates naturales, sed sanguis tamquam pabulum transmittitur in totum corpus: quia ex Galeno 1. de loc. aff. vlt. facultates naturales sunt connatæ, & non transmittuntur in alias partes.

A corde vero transmittitur spiritus vitalis, vel ipsorum radij in omnes corporis partes, qui sunt calidi innati pabulum: sic vita singularum partium corporis immediatè dependet à calido innato: cor igitur dat mediatè vitam, quatenus dat pabulum calido natiuo, quod inseruit non pro vita, sed pro vita diuturniori, quod non ita benè intellexit Aristoteles, vt Galenus: Aristoteles enim putabat à corde non solum vitam immediatè prodire, sed ab ipso omnes alias operationes.

Deinde respondemus, iecur quoque mittere facultatem sanguificandi omnibus venis, & cor facultatem pulsandi omnibus arterijs: quare cum venæ, & arteriæ per totum corpus sint disseminatæ, non immeritò secundum hunc sensum Galenus dixit iecur, cor, & cerebrum communicare suas facultates toti corpori.

Quod verò quælibet corporis pars viuat proprio, & innato calore, & non calore cordis, vel hepatis, Galenus his verbis primo de loc. aff. vltimo declarat „ si essentia partium esset permanens non indiguisset venis, & arterijs: per quæ verba ostēdit quamlibet partem viuere proprio, & innato calore: viuere vero calore cordis, & iecoris non ad vitam, sed ad longiorem vitam.

Cerebrum verò cōmunicat facultatem sentiendi, & mouendi dependentem ab ipso cerebro, vel spinali medula; itaut à spiritibus animalibus, vel ipsorum radijs, immediatè & effectiuè animales operationes depēdeant: ideo Galenus primo de loc. aff. citato vult, partes præditas sensu & motu recipere facultatem à cerebro, vel à spina, itaut interdum lædatur sensus, vel motus nulla existente mala affectione in ipsis partibus, quod non potest dici de naturalibus facultatibus: semper enim læsio facultatis naturalis supponit affectum esse per essentiam: quia naturalis facultas est conata, neque aliunde venit.

QVÆST. LVI.

Quotuplex sit calidum innatum seu temperamentum innatum.

Restat, vt videamus quotuplex sit calidum innatum seu temperamentum innatum, quod dat esse partibus similaribus. Ex Antiquis Latinis, & tandem ex Hugone Senensi tria dantur tēperamenta.

Primum est temperamentum innatum siue implantatum ab ortu naturæ, quod à Galeno primo aphorismorum com. 15. vocatur vniuersa substantia, quod est initium omnium operationum: per hoc temperamentū (vt docet Galenus primo de Vsu. P. cap. 9.) os est, os, & caro est caro.

Secundum est calidum influens seu temperamentum influens: hoc quoque potest dici innatum, quia licet sit influens habet in se ipso suum innatū calorem: hoc trāsmittitur à corde, & à cerebro in singulas corporis partes, in quibus efficit quandam crasim seu temperamentum, quod dicitur influens, quod non est tamquam forma partium, vt putat Auerroes 4. coll. cap. 2. sed est tamquam materia seu pabulum, quo nutritur calidum insitum, & implantatum hocquè promouet partes ad agendum, alioqui torpent, & feriantur: hoc temperamētum est calidum & humidum, & non siccum, vt nonnulli putant: quod patet ratione, & auctoritate: ratione: quia vita quæ ab hoc calido dependet consistit in humido: auctoritate, quia Arist. lib. de long. & breuit. vitæ idem confirmat.

Quod

Quod verò hoc calidum influens non solum à corde transmittatur in omnes corporis partes, sed etiam à cerebro, probatur experientia: ex eo quia pars corporis paralysi affecta, radijs facultatis animalis destituta exiccatur & refrigeratur, licet cor, & arteriæ partis læsæ nullam prorsus læsionem habeant.

Tertium temperamentum est mixtum ex innato, & influente: ex innato tamquam forma, ex influente tamquam ex pabulo tam nutriente calidum implantatum, quam actiones promouente, atque ad actum ipsum illas reducente.

Ab hoc temperamento sic mixto immediatè, & adæquatè dependent operationes omnium partium corporis: per hoc temperamentum oculi vident, & cæteræ corporis partes exercent sua officia: per hoc cerebrum generat spiritus animales, dum spiritus vitales influunt in plexum mirabilem: vbi ferunt quãdam crasim seu temperamẽtum, quod dicitur influens, ex quo, & ex innato fiunt animales spiritus, quibus exercentur operationes animales.

Sic ventriculus si diminutè chylificat vel ob defectum caloris influentis à corde in ventriculum ob nimium coitum dissipati, vel ob defectum spiritus animalis influentis à cerebro ob nimia studia, & nimias cogitationes, certè tunc non est confugiendum ad stillicidia, vt faciunt Medici Plebei; quoniam tunc esset confugiendum (si defectus esset ratione spiritus cordis ob coitum consumpti) ad cibos, qui facilè augere possent spiritus vitales, quales sunt carnes pulorum, vina odorifera, ad diambram, ad confectionem hiacinthinam, & ad species cordiales. Si verò defectus esset ratione spiritus animalis consumpti ob nimias cogitationes confugiendum esset ad quietem animi, & corporis: ad somnum, qui reuera in gignendis spiritibus vitalibus, & animalibus tenet primum locum. Si verò ob potum frigidæ læderetur chylificatio, tunc iuuarent olea calida, & stillicidia super ventriculi fundum, & alia id genus, quæ ventriculo applicantur.

Sed præter temperamenta proposita dantur duo alia temperamenta: alterum quod conuenit toti indiuiduo: alterum verò quod conuenit alicui particulæ similari, quod solum consistit in mutua actione, & passione quatuor qualitatum accidentalium. Hæc duo temperamenta valde differunt ab innato, ab influente, & à mixto ex his: quia hæc tria respiciunt substantiam: hæc duo postremo proposita respiciunt accidentia.

Quare loquendo de calido innato seu de temperamento innato essentiali dicimus, hoc calidum innatum, seu hoc temperamentum essentiale reperiri in omni mixto vt mixtum est: quod probatur, quia omne mixtum est putredini obnoxium: at sic est, quod ex Aristotele 4. Meteorum de ratione putredinis est corruptio proprij & innati caloris: ergo in omni mixto erit calidum proprium & innatum, quod nos vocamus temperamentum essentiale ipsius mixti.

Sed si loquamur de calido innato, quod pertinet ad No , dicimus quod triplex sit: primum est ἀρχήγονον, quod ex Galeno lib. aduersus Lycum cap. 7. statim fit ex semine, & sanguine menstruo. In hoc calido collocata est virtus alteratrix, quæ de nouo fabricat neruos, membranas, & cæteras partes similares, mox virtus formatrix, quæ componit, datque partibus viuentibus situm, numerum, figuram, & meatus, vt probatum est superius.

Secundum calidum innatum est constitutio partium similarium, seu temperamentum partium similarium, quod dependet ab archigono idest à semine, & sanguine menstruo, vt filius à patre, quod probatur ex Galeno lib. aduersus Lycum loco citato vbi dicit ex semine, & sanguine menstruo fieri constitutionem similarium.

Similiter Galenus 2. de sem. cap. 4. habet hanc sententiam „ vt primum semen coniectum est in vterum, vna pars in membranam, alia in vasa conuertitur. Eadem vasa quoque generant materiam seminalem, sed non ita excoctam, & perfectam (ait Galenus) quod possint de nouo generare partes similares, vt facit illud archigonon, quod statim ex semine & sanguine resultat, antequam genitæ sint similares partes. Ex his colligimus, quod

secundum calidum innatum fiat ex sem. & sanguine menstruo per veram generationem, itaut desinant esse illud semen, & sanguis menstruus, & aliud simile generetur, à secundo calido idest à temperamento similarium facto ab archigono calido, quæ seminalis substãtia specie conuenit, sed non numero cum primo semine efficiente calidum archiognon.

Quare, licet Galenus dicat loco citato, & in hoc comm. quod idem semen perseueret vsque ad obitum, intelligit idem specie, & non numero: ridiculum enim est quod semen parentum perseueret in filio vsque ad obitum: quasi quod esset ingenerabile, & incorruptibile.

Tertium calidum natiuum conuenit sanguini, & spiritibus, quatenus sunt corpora mixta: habent enim suum calidum innatum seu temperamentum essentiale, per quod spiritus sunt spiritus, & sanguis est sanguis. De his tribus duo viuunt, nempè calidum natiuum archigonum, & natiuum partium similarium, quod est ipsum esse, & ipsum viuere illarum; calidum verò innatum humorum, & spirituum non viuit: ideo habet solum vsum, & non actionem: actio enim solum à viuentibus perficitur.

Hinc in corpore ægrotantium duæ obseruantur intemperies: vna in solidis, quæ primariò edit actionem: alia in humoribus, & spiritibus, quę secundariò solum lædit actionem, quatenus scilicet solidarum partium temperamentum, seu calidum innatum officit. Curatio quoque varia est: quia intemperies, quæ primariò est in solidis, alterantibus tollitur: quæ verò est in humoribus, purgantibus, nec non etiam alterantibus.

Hanc distinctionem, quæ est Galeni (vt infra) medici vulgares nõ animaduerrunt: ideo dum medentur sæpè ægrum præcipitant. Hanc distinctionem proponit Galenus 8. de comp. med. secundum locos cap. 7. vbi dicit, dari duas intemperaturas in hepate: vnam in parenchymate: aliam longè diuersam in humoribus contentis in arterijs, venis, & spatijs visceris. Idem dici potest de intemperie omnium partium, quod videlicet alia sit in solidis, alia in humoribus: vnde sæpè sequitur inæqualis intemperies: itaut humorum intemperies sit humida, & solidæ partis sit sicca.

Non enim valet, intemperies in humoribus est humida: ergo est quoque humida in parẽchymate: ideo Gal. 2. de temperamẽti 2. dicit senes quo ad solida sunt sicci; quo ad humores sunt humidi. Parimodo hydropici quoad solida sunt sicci, quo vero ad humores sunt humidi. Quod solida hydropicorum sint sicca patet ex Galeno in arte parua cap. 59. vbi loquens de habitu sicco ait: si caro est dura, & pauca habitus siccus est: sed sic est, quod caro hydropicorum est pauca & dura: ergo quo ad solida sunt sicci: quo ad excrementa sunt humidi.

Nec valet, aqua hydropicorum, cum sit humidissima, ex necessitate intemperiem humidam in solidas partes introducat oportet: quia Galenus 4. aphoris. comm. 13. loquens de aqua habet hæc verba „ aqua neque epota, neque extrinsecus occursans natura apta est solidas animales partes humectare, licet enim aqua madefaciat, non tamen ex necessitate habitum humidum facit. Similiter potest stare catarrhus cum sicca intemperie: quoniam est Galeni 2. de temperamentis vltimo: catarrhum sua natura humidum & pituitosum à sicca intemperie fieri posse: quod Sebastianus Paparella non intellexit.

Dubitatio occurrit circa temperamentum influens à corde, & cerebro: non enim videtur, quod dari possit temperamentum influens: quia temperamentum est constitutio: constitutio est quid in facto esse: influens verò virtus solum est in fieri: ergo implicat dicere esse temperamentum, & esse influens.

Respondetur, quod influens virtus, quatenus est influens, non sit temperamentum formaliter, sed effectiuè, quatenus efficit, dum in aliquam partem influit crasim seu temperamentum quoddam, quod deinde est in facto esse, & est vera constitutio.

QVÆST.

QVÆST. LVII.

An calor innatus differat specie, vel gradu ab ascititio.

AN calor innatus, & ascititius sint duo calores specie, vel solum gradu distincti, duæ vagantur per scholas opiniones. Quidam dicunt, calorem ascititium differre specie ab innato: itaut in corpore animato sint duo calores realiter, & specificè distincti. Quidam verò dicunt, naturalem calorem, & ascititium non differre specie, sed solum gradu, & intensione, quia dum eadem caliditas natiua calidi natiui fit mordax dicitur ascititia, quæ non differt specie à qualitate natiua, sed gradu.

Qui putāt esse duos calores specie distinctos, inter quos erat Rudius amicus ex animo, conantur id probare auctoritate, & ratione. Auctoritate: quia Galenus 1. Prognost.cōm.vltimo dicit, in puris generatione modò apparere indicia natiui caloris vincentis: modò apparere indicia extranei caloris vincentis: ergo erunt duo calores specie distincti. Accedit quod Galenus 2.aphoris.47. dicat, pus fieri à calore mixto ex naturali & præter naturam: ergo erunt duo specie distincti.

Idem confirmant ratione, quod scilicet caliditas natiua, & ascititia specie differant hoc modo. In febribus dantur duo scoppi, alter conseruandi calorem partis, alter verò extinguendi calorem febrilem: hinc dari quoque (dicunt) duo remedia, alterum roborans, & conseruans calorem naturalem, alter verò curatorium, & extinguens calorem extraneum: ergo duo erunt calores specie distincti.

Secunda ratio: si vnum, & idem esset calor febrilis, & innatus, nunquam fieret sanitas, & si fieret, à quo? Postremò addunt; si vnum & idem esset calor febrilis, & innatus: destructa febre destrueretur calor natiuus, & sic omnes febres essent mortales.

Pro solutione argumentorum. Primo notandum, calidum natiuum dupliciter considerari, vel vt est corpus mixtum pertinens ad prædicamentum substantiæ: & vt tale est inalterabile: & vt tale neque effectiuè efficit febrem: quia substantia est inalterabilis: ideo in eius prædicamento neque alterationes, neque potentiæ agendi collocantur: quia & alteratio, & potentiæ agendi pertinent ad prædicamentum qualitatis. Vel consideratur calidi natiui qualitas accidentalis, quæ vt talis pertinet ad prædicamentum qualitatis: hac ratione, & est alterabilis, & suscipit magis & minus. Quando verò Galenus, 1. aphorism. comm. 16. dixit, febrem esse conuersionem natiuæ caliditatis ad igneam intellexit de caliditate, quæ est qualitas calidi natiui, quæ est alterabilis, & suscipit magis, & minus, & non de substantia calidi natiui: dixisset enim esse conuersionem natiui calidi, & non natiuæ caliditatis.

Secundò notandum, quod caliditas, quę est qualitas natiui caloris consideretur, vel vt est moderata, vel immoderata: vt moderata est mitis, suauis, & iucunda, non acris, & fuliginosa: immo quo moderatior eo excellentior est in operatione, idest in concoquendo.

Hic obiter illorum erratum animaduertitur, dum putant, coctionem quæ fit in ventriculo iuuari calidis, & acribus, vt pipere, & similibus, quæ concoctionem maximè perturbant: si verò consideretur, quatenus est qualitas natiui caloris immoderata, tunc est acris, mordax, fuliginosa, & aliquando febrilis: hæc dicitur ascititia, quæ oritur dum siccitas adnectitur calori: quia siccitas est caloris lima. Hæc ascititia solum gradu, & intensione differt à caliditate naturali: quia est eadem caliditas naturalis intensior facta vel ob humidi natiui deperditionem, vel ob calorem extraneum: differt gradu à natiua eo modo, quo differt immoderata caliditas aquæ à caliditate moderata.

Quod verò hæc caliditas ascititia differat gradu à natiua; probari quoque potest auctoritate Hippocratis, Aristotilis, & ratione ab experientiā desumpta. Auctoritate Hippocratis in hoc aphorismo: vbi dicit, senes non æquè in febres acutas incidere, vt iuuenes; quia modicum habent cali-

calidi natiui: argumentum Hippocratis esset vanissimum, si caliditas natiua differet specie à febrili: quia possemus dicere calorem febrilem differre specie à natiuo: ideo argumentum esset vanum: posset enim stare modicum natiui cum multo ascititio, si natiuus differret specie ab ascititio: eatenus valet argumentum Hippocratis, quatenus calor natiuus conueniat specie & differat gradu à febrili & ascititio, & non alio modo.

Probatur quoque auctoritate Aristotelis, quod natiuus non differat specie ab ascititio: quia Aristoteles, dum in secundo de generatione & corruptione tex. 23. per numerum primarum qualitatum concludit quatuor esse elementa, quia quatuor sunt qualitates: argumentum esset vanum, quia si essent duo calores specie inter se distincti, quinque essent primæ qualitates, & sic argumentum Aristotelis concluderet quinque esse elementa, & non quatuor.

Præterea probatur ratione: quia si calor febrilis specie differret à natiuo, cadauera quoque possent febricitare, dum putrescunt.

Demum patet ratione ab experientia desumpta: quia si iste calor ascititius, & febrilis differret specie à natiuo, non auferret morbos perniciosos, nec sanitatem introduceret eodem prorsus modò, sicuti facit natiuus calor.

Quod verò febrilis calor introducere possit sanitatem, perinde ac natiuus calor, confirmatur ex Hippocrate, Platone, & experientia ipsa. Ex Hippocrate 2. aphoris. 26. vbi dicit, calorem febrilem iuuare conuulsos. Similiter 7. aphoris. 52. habet febrem auferre dolorem hepatis vehementem; & licet febrilis calor sit immoderatus, tamen respectu conuulsionis, vel doloris à frigida causa prodeuntis est moderatus.

Ex Platone in Timæo probatur, vbi habetur, febrem sanare distentiones à flatu factas.

Idem cõfirmatur experientia: quia ipsa quartana febris sanat conuulsos, perinde ac natiuus calor: ideo Galenus 5. aphoris. 71. dicit, calorem quartanæ concoquere humores, qui faciunt conuulsionem: si specie differret à natiuo, idem non efficeret.

His positis facile respondemus ad omnia argumenta.

Ad primum dicimus, caliditatem natiuam in vna parte esse posse moderatam: in alia verò immoderatam: quo fit, vt modò appareant indicia caloris moderati, modò immoderati. Sic in apostematibus caliditas natiua potest esse moderata in solidis, vel in aliqua parte solidorum, & immoderata in humoribus, qui debent conuerti in pus: quia fieri non potest, vt aliqua pars habeat calorem moderatum, & immoderatum respectu vnius & eiusdem.

Neque rectè dicunt nonnulli de hepate hydropicorum febricitantium, quod sit frigidum, & calidum, nempè quod habeat intemperiem frigidam & intemperiem calidam respectu vnius, & eiusdem partis hepatis: negamus in natura inueniri duo contradictoria esse simul vera: negantque ipsi Theologi, quod ipse Deus id efficere possit, quia hoc Deo tribuere esset defectus, & non perfectio.

Dicimus nos de hepate hydropicorum febricitantium, quod sit frigidum, & calidum respectu diuersorum, frigidum respectu caliditatis innatæ ipsius hepatis: calidum verò respectu caliditatis influentis: quia febris non est immoderata caliditas calidi natiui ipsius hepatis: quia hæc loco distanti non dimouetur; sed est immoderata caliditas calidi influentis, quæ formaliter est ipsa febris, quia hęc caliditas est illa, quæ à corde communicatur per venas, & arterias omnibus corporis partibus, & non caliditas natiua implantata, quæ à corde non prouenit.

Præterea calor immoderatus, qui conuertit humorem in pus, non est æquè immoderatus in humoribus, & in solidis partibus: quia non fieret conuersio in pus, sed vel fieret corruptela, vel gangræna, vel mors: omnis enim pars, quæ sanatur, ratione partis sanæ sanatur.

Hinc Diuus Thomas 2. de anima tex. 58. protulit hanc sententiam in nostra arte notatu dignam „ Sanitas alicui reddi non potest, nisi aliqua pars sana sit. Pari-

modo Galen. in 3. parte artis med. 90. vbi agit de scopis sanandi vlcera dicit, partem circunstantem sanam sanare ipsa vlcera. Idem 4. meth. cap. 1. habet hæc verba „ Nec vlcus, nec vulnus sanari potest, nisi pars circunstans ipsum vlcus, vel vulnus sana sit.

Sic nos dicimus, dum fit pus, nisi aliqua pars esset sana, pus fieri non posset: sanitas est in parte solida vicina: in humoribus verò, qui debent conuerti in pus, debet esse calor immoderatus: quando verò calor esset æquè immoderatus in humoribus, & in solidis, nullomodo posset fieri in pus conuersio, sed necessario sequeretur vel humorum corruptela, vel gangræna, vel mors.

Quando Rudius dicebat, contraria ab vnico calore non posse prouenire: sed febrilem à calore extraneo, & sanitatem à naturali: istosque calores propterea specie differre.

Respondemus respectu diuersorũ graduum contraria euenire posse: sic coctio fit à caliditate natiua moderata: ab eadem caliditate natiua reddita immoderata fit calor febrilis acris, & mordax.

Dum dicebant, pus fieri à calore mixto, & propterea esse duos calores, duos scopos, & duo remedia.

Respondemus esse duos calores diuersos gradu, & non specie, qui sunt in diuersis partibus, & inde oriri duos scopos, & duo remedia.

Dum dicebant, si vnus esset calor, destructa febre, destrueretur calor natiuus.

Respondemus destructa febre destrui qualitatem immoderatam caloris natiui, & non calidum natiuum, quod est substantia.

QVÆST. LVIII.

Quodnam sit subiectum caloris febrilis, & naturalis.

QVæritur in hoc aphorismo quodnam sit subiectum caloris febrilis, & caloris naturalis. Nos arbitramur, idem esse subiectum caloris naturalis, & caloris febrilis. Primò quia Galenus in comm. 16. huius sect. inquit, febrem esse conuersionem caliditatis natiuæ ad igneam, intelligendo per caliditatem natiuam qualitatem accidentalem calidi natiui, & non substantiam calidi natiui: quia si per caliditatem natiuam intellexisset substantiam, dixisset febrem esse conuersionem calidi natiui, & non caliditatis natiuæ. Deinde per caliditatem natiuam intelligi non potest substantia: quia substantia non alteratur, neque est capax alterationis: alteratio enim pertinet ad prædicamentum qualitatis: quando verò ipsa substantia calidi natiui conuertitur ad igneam, tunc non sequitur febris, sed statim ipsa mors idest ipsa substantialis corruptio, quæ est mutatio totius in totum.

Præterea ex Hippocratis aphorismo intelligimus, idem esse subiectum caloris naturalis, & febrilis: quia, inquit Hippocrates non æquè incidere in febres senes, vt iuuenes, quia senes modicum habent calidi natiui: ratio Hippocratis esset vana si subiectum caloris febrilis esset diuersum à subiecto caloris naturalis, namque posset stare, quod senes haberent modicum calidi natiui, & plurimum caloris ascititij, ob quem essent magis procliues ad febrem, quam iuuenes.

Colligimus ergo, quod subiectum natiuæ caliditatis conuersæ ad igneam sit eadem calidi natiui substantia, quæ sit subiectum immediatum, & adæquatum omnium febrium: ac meritò quidem, quia, dum fit alteratio alicuius qualitatis, illud debet constitui subiectum alterationis, quod est subiectum qualitatis alteratæ: in qualibet enim mutatione, quę fit à contrario in contrarium debet cõstitui medium subiectum, & hoc in febribus est substantia caloris natiui: at quia in omni febre afficitur cor, & deinde totum corpus: ideo primum subiectum febrium erit calidum innatum cordis, & deinde calidum innatum aliarum partium.

Montanus putat, subiectum febrium non esse calidum innatum, sed calidum existens in sanguine, & spiritu: sed quomodo poterit saluare Galenum, qui dicit comm. 16. huius sect. febrem esse conuersionem caliditatis natiuæ ad igneam?

Præ-

Præterea calidum natiuum semper minuitur, & nunquam augetur: caliditas verò sanguinis, & spiritus aliquando augetur, & aliquando minuitur: immo interdum accidit, quod iuuenes talem hæmorrhagiam patiantur, vt ferè totus sanguis, & spiritus resoluantur: relinquantu rque frigidi, & exangues: deinde tamen breui spatio iterum sanguis & spiritus augentur, & corpus incalescat, quod calido innato certè conuenire non potest: quia hoc caldum nunquam augetur: Galenus lib. de marcore habet, si calidum innatum posset augeri, vita reddi posset æterna & immortalis.

Prima dubitatio ex dictis oritur de subiecto febris: quia calidum natiuum subiectum febris certè esse non potest: quia est substantia, & substantia est inalterabilis.

Pro solutione sciendum, quod duplex est calidum natiuum: alterum quod nunquam discedit à parte, in qua est, vt docet Galenus comm. 15. huius primæ sectionis, vbi confirmat iuramento, dicendo, non per Iouem discedere è suis sedibus: quia reuera apud Galenum calidum innatum carnis est ipsum esse carnis, vel eius temperamentum: at esse carnis non discedit à carne, vel ab ipso temperamento, quod idem est, vt alibi ex Galeno ostendimus: ideo hoc calidum natiuum quo ad eius substantiam non pertinet ad rationem formalem ipsius febris.

De hoc calido loquens Galenus lib. de rigore, & palpitatione cap. 6. sic illum definit: calidum innatum est substantia quædam perpetuò mobilis intus extra, & extra intus, quæ calidi definitio cõuenit quoque influenti calori: quia etiam influens habet suum proprium innatum ad differentiam calidi natiui implantati, quod mouetur quidem intus, & extra quo ad qualitatem, nõ tamen facit illum transitum ab vna ad aliam partem, vt facit influens.

Calidum implantatum habet duplicem motum, vnum intus deorsum ad pabulum, quo alitur: alium extra sursum ad ignis sphæram, quod in omni igne obseruatur ad instar ignis lucernæ, sed non mutat locum.

His positis quãdo Galenus dixit, febrem esse conuersionem natiui caloris ad igneam dicimus, hanc definitionem primo esse formaliter veram de caliditate influente: de caliditate vero innata, & implantata esse veram effectiuè, quatenus videlicet est causa efficiens: quia dum caliditas implantata redditur immoderata efficit caliditatem influentem quoque immoderatam, quæ formaliter constituit febrem: ideo soliti sumus sic distinguere: quod illa febris definitio respectu caliditatis implantatæ sit causalis: respectu verò caliditatis influentis sit formalis: quia calor febrilis, qui diffunditur per vniuersum corpus inhęret caliditati influenti, & non innatæ, & implantatæ.

Hac ratione posset aliqua ex parte defendi Montanus dicens, subiectum febris esse calidum exist\u0113s in sanguine, & spiritu.

Illorum tamen sententia, qui dicunt, febrem formaliter esse conuersionem caliditatis natiuæ ad igneam, non potest defendi, quia solum caliditas influentis caloris immoderata est illa, quæ potest diffundi in totum corpus per venas, & arterias, quæ dum redditur immoderata est causa formalis ipsius febris: vel formaliter est ipsa febris: caliditas verò immoderata calidi implantati est causa efficiens ipsius febris.

Secunda dubitatio exoritur ex dictis; non videtur, quod calidum natiuum sit subiectum febris, quia ex Galeno 1. de differentijs morborum in principio, in febre ephemera & putrida spiritus, & humores sunt in calefacto esse: partes verò solidæ quæ à calido natiuo constituuntur, sunt in calefieri: sed sic est, quod de ratione febris est etiam calidum in facto esse.

Respondetur in spiritibus alteratis, & in humoribus putridis non esse formaliter febres, sed solum effectiuè, vt alibi probauimus ex Galeno 11. meth. & tertia parte artis med. formaliter verò febrem putridam & ephemeram esse in solidis.

Quando verò dictum est, in febre ephemera, & putrida partes solidas esse in calefieri id intelligitur respectu hecticæ, quę non solum est in calefacto esse, sed etiam in habitu: Galenus enim lib. de differentijs symp. vult, quod de ratione morbi sit aliquid in facto esse ad differentiam sympto-

matum, quæ sunt in fieri, & insequuntur morbum, vt vmbra corpus: ideo febris ephemera & putrida sunt morbi, quatenus sunt in calefacto esse: quatenus verò sunt in calefieri non dicuntur morbi.

Quoad subiectum caloris ascititij similiter pro subiecto habet calidum natiuum: ascititius enim calor sic fit: dum ex sem. & sanguine menstruo oritur calidum natiuum, tunc in prima generatione est calidissimum & humidissimum, sicuti docet Hippocrates 1. de natura humana 12. his verbis „ Nam hoc scire expedit hominem prima die calidissimum sui ipsius esse, extrema vero die frigidissimum.

Deinde repetit paulo infra, nempè tex. 15. his verbis „ Atque hac ratione homo prima die, quo maius suscipiat incrementum, eo fit calidior. Quo etiam postrema die plus marcescit & frigidior fit necesse est.

Idem calidum natiuum est illud quod efformat prima stamina omnium partium corporis, quibus fabrefactis incipit calor absumere humidum: vnde partes aliquæ duriores, aliquæ molliores redduntur: sic ossa in principio veluti cerea in infantibus apparent: deinde duriora semper vsque ad vltimam senectutem redduntur.

Hinc 115. ossa in infantibus deficiunt: quia calor adhuc sufficienter non exsiccauit. Hæc quæ deficiũt sunt duo ossa bregmatis, quæ in prima infantia adhuc sunt cartilaginea: os ithmoide: duo ossa stilloides: quatuor ossa cocygis: 32. dentes: 48. sesamoidea: 16. ossa carporum: octo tarsorum, & duę patellæ, quæ ossa in adultis inueniuntur: sed in infantibus non sunt: fiunt tamen dum pueri incipiunt exsiccari; Itaque prima exiccatio est primus gradus caloris ascititij, idest acris, & mordacis: quia de ratione ascititij caloris est mordacitas: causa vero, cur dum siccitas adnectitur calido natiuo, fiat caloris mordacitas, est, quia siccitas est lima caloris: hæc mordacitas pertinet ad qualitatem calidi natiui: quare concludimus, idem esse subiectum febrium, & caloris ascititij.

carporum

QVÆST. LIX.

De calore influente, seu de spiritibus.

QVo ad calorem influentem. Medici per calorem influentem intelligunt spiritus, & ipsorum radios, valde tamen dissentiunt de numero spirituum. Quidam dicunt dari tres spiritus, nempè animales, vitales & naturales.

Quidam, vt Manardus, & plurimi alij negant dari spiritus naturales: conceduntque solum animales, & vitales. Similiter Auerroes primo coll. cap. 14. habet hæc verba „ spiritus duo sunt: spiritus apparens in corde, & spiritus apparens in cerebro: sed spiritus in hepate non apparet per viam sensus: ecce quod ex Auerroe sunt solum duo spiritus.

Auicennas verò, an detur hic spiritus naturalis, videtur dubius.

Quidam verò, vt Argenterius, tenẽt dari solum vnum spiritum, huncque esse vitalem, qui dum est in corde exerceat munia vitæ, dum est in cerebro præbeat sensum, & motum cerebro, & vniuerso corpori: propterea negant dari spiritum naturalem, & animalem specie diuersos à vitali.

Sed antequam accedamus ad disputationem, an scilicet detur spiritus naturalis, sciendũ est, omnes Auctores in hãc sententiam conspirare, quod de ratione spiritus quatenus sunt spiritus, sit hæc conditio, vt illico influant, vel per se, vel per radios in singulas partes: si per radios in instanti facultates seu virtutes demandari ab illo viscere, in quo fiunt, in omnes corporis partes relinquendo locum, siue viscus, in quo fiunt, itaut nisi noui spiritus semper fiant, cesset vita, & cessent sensus, & motus.

His positis probabimus auctoritate, & ex experientia non dari spiritum naturalem.

Primum argumentum desumitur à Galeni auctoritate primo de loc. aff. vlt. vbi dicit, virtutes naturales esse conatas partibus, & non esse influentes: inde necessariò colligi posse, non dari ex Galeno spiritum naturalem: ibi enim inquit, virtutem naturalem esse conatam, sicuti virtus magnetis est conata magneti: eius virtus

non

non quotidiè fit, ſed ſemel tantum facta à principio generationis nũquam relinquit magnetem: ſic facultates naturales, nempe attractrix, retẽtrix, cõcoctrix, & expultrix à principio generationis ſemel factæ non amplius fiunt : manentque conatæ partibus, ac nunquam ipſas partes relinquũt.

Quod non poteſt dici de vitali, & animali; nõ de vitali, quia iſta relinquit cor, & mittitur in alias partes: quare niſi cor eueſtigio generaret nouum ſpiritum vitalem, fieret ſyncope, & ceſſaret vita.

Non de animali: quia hæc virtus ſimiliter relinquit cerebrum, ac mittitur per vniuerſum corpus; quare niſi cerebrum illicò generaret nouum ſpiritum, ceſſaret ſenſus & motus, ſtatimque ſuccederet apoplexia: & mors.

Confirmat Galenus 1. de loc. aff. vlt. virtutes naturales non eſſe influentes, ſed ſemper eſſe conatas, eo quia morbi pertinentes ad inſtrumenta naturalia ſemper ſint per eſſentiam, & nunquam per conſenſum. Hoc poteſt probari de intemperie, mala compoſitione, & ſoluta vnitate. Intemperies enim, tumores, & ſolutæ vnitates ſi in ventriculo, vel alijs partibus naturalibus exiſtant abſque dubio euadunt morbi conati illis partibus: quia ab ipſis partibus ſunt inſeparabiles: ergo ibi ſunt per eſſentiam & nunquam per conſenſum. Hinc Gal. habet hæc verba loco citato „ Quoties inſtrumenta naturalia læduntur ſemper primaria affectione laborant: quia actio naturalis eſt conata, & non dependet ab alijs principijs: quod certè dici non poteſt de animalibus: quia partes animales, quæ tales ſunt, quatenus habent ſenſum, & motum, ſæpiſſimè conflictantur morbo per conſenſum.

Galenus pro hac re primo de loc. aff. 6. recitat caſum Pauſaniæ, qui veniens Romã ex caſu è vehiculo percuſſus circa ſeptimam vertebram ceruicis amiſit ſenſum trium digitorum: affectus digitorum erat per conſenſum à ceruice, & nequaquam per eſſentiam in digitis: ideo Galenus applicatis emollientibus ceruici ſanitatem digitis illicò reſtituit. Nos in ſimili caſu feliciter applicauimus ceruici amoniacum diſſolutum in aceto, in quo ebbullierint maluæ, liquiritia, fœnugræcum, & lini ſemina: vnde diſpoſitione ſcirrhoſa ceruicis emollita ſenſum digitis reſtituimus.

Parimodo Galenus 4. de loc. aff. 4. recitat caſum cuiuſdam, qui amiſit ſenſum pericranei primaria affectione exiſtente in ceruice. Ibi Galenus reprehendit quoſdam medicos, qui vt reſtituerent ſenſum pericranio, illud exulcerabant, vt ſenſum reuocarent: Galenus verò vt primum applicauit calida ceruici, ſtatim illum ſanauit: intellexit Galenus illum hominem ſub pluuia, & vento impetuoſo ambulaſſe, & circa ceruicem palium madefactum reddiderit ceruicem ſtupidam: vnde nerui ceruicis, qui excurrunt per pericraneum facti hebetioris ſenſus, in ipſo ſtupor factus eſt.

Secundum argumentum probans non dari ſpiritum naturalem colligitur ex Galeno 3. de facul. naturalibus 14. vbi dicit, de ratione ſpiritus eſſe, vt ſit tenuior vapore: quare ſi ſpiritus naturalis eſſet in venis exhalaret, quia venæ non ſunt denſæ, vt arteriæ, in quibus ſtabulantur ſpiritus vitales. Immo Galenus non vno in loco laudat Herophilum, qui dicebat, arterias eſſe ſextuplo craſſiores venis. Similiter animales ſpiritus ſunt in neruis, qui ſunt valde denſi, vel ſunt in ventriculis cerebri, vel in ſpina, quæ partes ob craſſitiem poſſunt ipſos coercere, ne exhalent.

Tertium argumentum tale eſt. De ratione ſpiritus ex Hippocrate 6. epid. 8. tex. 7. habetur, quod inter ὁρμῶντα, ideſt impetum facientia collocentur: ſed ſic eſt, quod facultates naturales nullum habent impetum: ergo.

Quartum argumentum eſt Manardi, & tale eſt. Non datur locus generationis pro hoc ſpiritu naturali: ergo non datur iſte ſpiritus naturalis. Relinquitur ergo, vt duo tantum ſint ſpiritus, nempè vitalis, & animalis; vitalis fit in ſiniſtro ventriculo cordis : animalis verò in ventriculis cerebri. In hepate quidem nulla eſt cauitas, vbi fieri poſſit hic ſpiritus naturalis: quare ſi non eſt in hepate locus generationis iſtius ſpiritus, nullibi erit: Galenus enim 12. meth. cap. 5. inquit, ſi daretur ſpiritus naturalis eſſet in hepate.

Quo

Quoad Argenterium, qui negat non solum naturalem, sed etiam animalem, conatur probare vnum spiritum vitalem sufficere: habetque duo præcipua argumenta.

Primum est, quia, inquit, in cerebro vix conspici posse plexum retiformem, in quo dicunt Medici magnam generari spirituum animalium copiam; deinde plexus est factus ex arteriolis, & non ex neruis; ergo ille spiritus, qui erit in plexu, erit vitalis, & non animalis.

Secundum argumentum Argenterius desumit à motu dilatationis pupillæ, dicens, dilatationem non fieri à neruis: quia in pupilla non sunt nerui; ergo illa dilatatio fiet ab arteriolis pupillæ: ergo motus proueniet à spiritu vitali, qui defertur per arteriolas. Subdit, non ne clauso alterutro oculo, pupilla dilatatur, sed sic est quod inter pupillam & neruum opticum nullus se interponit neruus, sed solum sunt ipsæ arteriolæ: inde infert, spiritum vitalem non solum inseruire vitæ, sed etiam sensui, & motui.

Ad primum argumentum de plexu retiformi, quod sit ita exiguus, vt vix in anatome conspiciatur, labitur Argenterius in plurima errata.

Primum ostendit se non vidisse humani cerebri anatomen: quia plexus retiformis est maximè conspicuus.

Præterea fallitur, dum putat, Galenum arbitrari, in plexu retiformi fieri spiritus animales, quod nunquam somniauit: quia plexus ex Galeno solum præparat materiam pro spirituum animalium generatione: deinde præparata materia spiritus perficiuntur in cerebri substantia.

Demum vacillat, dum reprehendit Galenum, quod sibi contradicat; quia asserat, spiritum animalem modò fieri ex aere, modò ex spiritu vitali, modò ex sanguine, modò in plexu, modo in ventriculis, & modò in cerebri substantia. Ostendit se non legisse Galenum, qui lib. de plac. & alibi vult fieri spiritum animalem ex aere attracto per processus mamillares: à spiritu vitali, vt à materia proxima: à sanguine, vt à remota: in plexu præparari, & non fieri, sed fieri in ventriculis, & perfici in cerebri substantia.

Ad secundum argumentum de dilatatione pupillæ, dicimus Argenterium fuisse parum versatum in Anatomia: quia causa, cur pupilla dilatetur & constringatur non sunt arteriolæ, sed est tunica ciliaris, quæ est basis omnium aliarū tunicarū videlicet corneæ, schlirodis, vueæ, coroidis, hyaloidis anterioris & posterioris, & araneæ anticæ & posticæ. Hæc tunica pectinibus nigris colligat crystallinum. Hæc illam habet virtutem mouendi modo introrsum, modo extrorsum crystallinum. Hæc aperit, stringit, pupillam retrahit & protrahit crystallinum. Si isti motus cessent vel ob paralys. vel ob alias causas visio vel non fit, vel vix fit, quamuis cæteræ partes sint illæsæ.

Possumus quoque respondere motum illum pupillæ non esse voluntarium: argumentumque nihil probare: quia motus animalis, quem quærimus, est voluntarius, & non naturalis.

Quod verò detur spiritus animalis, Galenus 1. de plac. cap. 5. probat hac experientia: Dum aliquis vulneratur vsque ad cerebri ventriculos eo modo, quo contigit illi Iuueni in Smyrna Ioniæ, quem casum sic refert Galenus 6. aphorism. comm. 18. dum illud vulnus penetratum vsque ad cerebri substantiam aperiebatur, ille iuuenis statim amittebat sensum, & motum: dum verò adducebantur labbia vulneris, atque claudebatur orificium, statim ille incipiebat recuperare sensum & motum: quia detinebantur spiritus animales, quibus detentis, facultas per irradiationem per vniuersum corpus ita velociter in extremas partes diffundebatur, ac in proximas.

Quod verò detur quoque spiritus vitalis, qui irradiatiuè, & in instanti radios effundat per vniuersum corpus, quemadmodum splendor à Sole: probatur à Galeno in lib. quod sanguis in arterijs contineatur cap. 7. euidentissimis experimentis: probato de vitali, facilè colligimus de animali.

Sic de vitali à Galeno probatur: quod in instanti per corpus arteriæ moueatur: si fistula caua in arteriā incisam immittatur, & arteria supra fistulā ligetur, tunc quamuis spiritus cum sanguine arterioso diffluat

fluat ad partem inferiorem, nihilominus arteriæ pars inferior motu pulsus omninò priuatur. Addit Galenus loco citato, si mittatur fistula non caua in arteriam incisam, quæ obstruat totam arteriæ cauitatem, hac lege tamen, vt non ligetur arteria supra fistulam, tunc radij per tunicam in instanti transeunt deorsum, & efficiunt pulsationes in parte inferiori ipsius arteriæ: argumento est, quod non spiritus, sed radij transmissi in instanti sint illi, qui efficiant arteriæ pulsationes.

Præterea, quod vitales facultates per radios transmittantur in instanti à corde: patet, quia ligata arteria inguinis, tollitur statim pulsus digitorum pedis: soluta verò arteria, æquè velociter incipit moueri arteriola alicuius digiti, perinde ac arteria capitis: Argumento est, quod in instanti facultates vitales transmittantur.

QVÆST. LX.

Quomodo calor natiuus perducat nos ad senectutem, & mortem.

QVomodo verò calor natiuus, qui gratia conseruationis productus est, nos ad senectutem, ac mortem perducat, Galenus 1. de elementis cap. 7. lib. de tabe cap. 4. & 1. de tuen. san. cap 2. proponit duas causas necessarias, & ineuitabiles senectutis, ac mortis, quæ à calido innato trahunt originem.

Prima est calor, qui semper agit in humidum exsiccando: sed vsque ad ætatis vigorem summo cum animantiũ beneficio; quia exsiccando superfluam humiditatem partium corporis dat robur ipsis partibus: sed roboratis partibus (proh dolor heu nos miseros) ita perseuerat exsiccando humidum radicale, vt perducat animantia ad senectutem, & ad mortem.

Neque vlla est contradictio in Galeno dum primo de tuenda citato dicit, calidum innatum semper exsiccare proprium humidum, & nos ad mortem perducere: lib. verò de tabe, calorem non assimilari flammæ: sed nos tueri: quia primo de tuenda sanit. intelligit nos exsiccare post quam membra per humidi superflui consumptionem reddita sunt robusta: lib. verò de tabe nos tueri, dum absumit humidum superfluum in ætate puerili.

Non tollunt contradictionem, qui dicunt calorem innatum considerari dupliciter, vel vt innatus, & sic nos tueri, vel vt calor & sic nos ad senectutem perducere, quia calor innatus, vt innatus est ille met calor, qui agit in humidum, consideratus vt calor.

Secunda causa mortis est cõtinuus fluor totius substantiæ ab eodem calore natiuo factus, ob quem fluorem animal vnius diei spatio post ortum interiret, nisi esset inuentus cibus, qui remitteret quod continuo deperditur: sed remissio non est æqualis: vtinam reddi posset æqualis, quia succederet agerasia, & corpora redderentur immortalia.

Auxilia pro euitanda morte, si inuenirentur, duorum alterum respicerent, vel prohiberent, ne calor natiuus exsiccaret humidum radicale, vel tãtum apponerent quantum continuò deperditur.

Spagirici putant se inuenisse remedium pro prima intentione, quod scilicet calor non absumat amplius humidum per vsum auri potabilis: quod est incorruptibile; atque reuera sub orbe Lunæ aliud non inuenitur, quod videatur incorruptibile, nisi aurum: quia in fornacibus, nec vllo alio igne vehementissimo aurum absumitur: quod de alijs rebus dici non potest.

Contra Spagiricos duo sunt argumenta efficacissima desumpta à ratione, & experientia. A ratione, quia alimentum antequam conuertatur in humidum substanticum ter transmutari est operepræcium: aurum verò cum non sit obnoxium corruptioni vel transmutationi erit ineptum pro nutritione. Ab experientia; quia hactenus non est inuentus spagiricus, qui diutius viuat, quam rustici nostrates.

Auxilia verò pro secunda intentione, quæ scilicet tantum possent remittere, quantum deperditur, inueniri non possunt: quia in actu conuersionis, seu nutritionis humidum radicale exsiccatur. Hinc Auicennas prima primi dicit „ si calor naturalis esset infiniti vigoris, nisi quoque humidum esset infinitum, non sufficeret: quia

quia in conuertendo cibum in substantiam, quoduis humidum aliquo spatio exsiccatur.

Auxilia verò pro retardantis ambabus mortis causis consistunt in his duobus. Primum in auferendis impedimentis.

Secundum in eligẽdis humidis alimentis, quę prohibeant: ne citius iusto exsiccetur humidum radicale: sed hæc duo proposita non possunt intelligi, nisi hæc quatuor præsciantur.

Primum an cibus qui ingeritur quammaximè restituat deperditum.

Secundum qua hora iterum sit cibandum.

Tertium qualis debeat esse cibus.

Quartum rectus vsus omnium rerum nonnaturalium, sed hæc quatuor distinctè & particulatim intelligi non possunt, nisi per staticam nostram: sine ipsa quidem sola coniectura satis incerta hæc percipiuntur.

APHORISMVS XV.

ENTRES hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda: etenim tunc calor innatus plurimus est: vnde & pluribus eget alimentis, indicio sunt ætates, & Athletæ.

Cum Hippocrates in aphorismo 13. egerit de victu sanorum sumpta indicatione ab ætatibus, & in 14. tradiderit rationem, cur senes facillimè. & pueri difficillimè ieiunium ferant: reliquum erat vt ageret in hoc aphorismo de ratione victus sanorũ: sumpta indicatione ab anni temporibus, quia, & ætates, & anni tempora sunt signa virtutis indicantis ipsum cibum.

Quod verò agat in hoc aphorismo de victu sanorum, & non ægrorum, patet: quia Galenus 1. de ratione vic. 44. loquens de victu ægrorum dicit totum oppositum, nempè tempore hymis in ægris requiri victum tenuem: tempore vero æstatis victum pleniorem, seu minus tenuem: quia ægri tempore æstiuo non ita facilè possunt vsque ad vigorem perdurare, vt tempore hyberno: est enim Hippocratis sententia aphorismo 9. & 10. quod tantum cibi ægris cõueniat, quantum possint perdurare vsque ad morbi vigorem. Immò ex Galeno in comm. 4. huius sectionis vires ipsorum ægrorum sunt conseruãdæ debiles: quia morbo superato statim reficiuntur: ideo addit in eodem comm. Galenus „ si vires quales accepimus velemus cõseruare, fieret additio ad morbum. In hoc verò aphorismo totum oppositum dicit, nempè tempore hyemis plus cibi: ergo non de victu ægrorum, sed de victu sanorum intelligit.

In hoc aphorismo duo facit, primo proponit hunc aphorismum „ ventres hyeme & vere plus cibi esse dandum. Deinde confirmat aphorismum triplici ratione, & duplici experimento.

Prima ratio est, quia tunc plus cibi dandum est, quando ventres sunt calidiores: sed hyeme & verè sunt calidissimi ergo.

Secunda ratio: quia hyeme somni sunt longissimi per quos maior fit concoctio: ideo plus cibi dandum est.

Tertia ratio aphorismi est: quia hyeme calor natiuus copiosior est, quam alijs temporibus.

Denique confirmat aphorismum duplici experimento. Primum experimentum desumitur à pueris. Secundum ab Athletis: ambo hyeme, & vere egent copiosiori alimento, quam alijs temporibus: tuncque magis auidè appetunt cibum: ciborum enim cupiditas naturalis significat internum robur: quo existente plus cibi requiritur.

Tantum enim valet ciborum cupiditas in significando virium robur, vt Hippocrates in Heropito, quia nunquam amisit appetitum diuinauerit euasurum, licet in ipso essent plurima signa mortalia: die enim 100. à morbi principio liberatur à morbo lethali.

Quo

Quo ad verborum explicationem αἱ κοιλίαι quod propriè significat cauitatem, seu capacitatem: vnde Cælum deductum est, ἀπὸ τοῦ κοίλου quia chilon seu Cœlum significat cauitatem seu capacitatem vniuersi, & non superficiem, seu capacitatis circumferentiam. Dum verò Hippocrates nominat ventrem sine aliqua coarctatione intelligit ventriculum, & intestina: sicuti 6. aphorismorum 14. dum dicit „ Hydrope detento, si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus.

Dum verò per ventrem intelligit alias cauitates, cuiusmodi sunt cauitates thoracis, limitat cum alia dictione, sicuti 7. aphorismorum 38. vbi dicit „ destillationes in vētre superiorem supputant intra 20. dies.

Præterea patet quod in hoc loco per ventrem intelligat ventriculum: quia dictioni vetri appositus est articulus αἱ κοιλίαι qui articulus significat determinatam cauitatem: quamuis aphorismus possit quoque ampliari ad alios ventres, vt ad cor, iecur, lienem, & renes: non tamen applicari potest ad pulmonem, cerebrum, & vesicam: quia illæ partes hyberno tempore sunt frigidiores.

„ *Hyeme.* Pro intelligentia aphorismi sciendum est, annum diuisum esse ab Hippocrate in his aphorismis in quatuor partes, & in lib. de hebdomadibus in septem, vt refert Galenus primo epid. primo cōm. primo.

Prima anni diuisio, quę est in quatuor partes, desumpta est à duobus solstitijs, & à duobus ęquinoctijs: ideo Galenus primo epid. & 3. aphorismorum 14. vult, quod ver incipiat ab æquinoctio, quod est circa vigesimum diem Martij, & perduret vsque ad ortum pleiadum seu virgiliarum idest circa octauam diem Maij.

Æstas verò incipit ab ortu pleiadū vsque ad ortum arcturi idest vsque ad octauam diem Septembris circiter, itaut æstas per quatuor menses perduret.

Autumnus ab ortu arcturi vsque ad occasum pleiadum excurrit, qui occasus fit circa decimumquintum diem Nouembris.

Hyems verò deinde producitur vsque ad æquinoctium vernale, videlicet vsque ad vigesimum diem Martij circiter.

Antiqui tamen, & ipse Hippocrates subdiuidebant æstatem in duas partes. Hyemen verò in tres, itaut annus illorum esset diuisus in septem partes.

Prima pars æstatis erat ab octaua Maij vsque ad ortum caniculæ, videlicet vsque ad principium Iulij: hanc partem vocabāt oram: ideo fructus, qui maturabantur in hac parte, vocabantur orarij: ora significat solem, qui tunc præcipuè dominatur.

Secunda pars æstatis erat ab ortu caniculæ vsque ad ortum arcturi, videlicet ad octauam diem Septembris, & vocabatur opora: fructus verò qui maturabantur in hac parte vocabantur oporari, quasi autumnales: opora enim apud Græcos significat autumnum.

Deinde diuidebant hyemen in tres partes. Primam vocabant sementum, idest tempus serendi.

Secundā vocabant solstitium brumale.

Tertiam vocabant tempus inserendi arbores.

Hippocrates per hyemen intelligit omnes has tres partes, & præcipuè mediam: quia in prima parte idest in mense Nouembris ventres adhuc non sunt calidissimi: calidissimi enim sunt in media.

Per ver Hippocrates intelligit præcipuè illā partē veris, quæ hiemi adnectitur.

Natura calidissimi. Pro intelligentia sciendum, calidum aliud esse innatum, & aliud ascititium: innatum duplex est, aliud quod est implantatum, quod vt dicit Galenus in hoc comm. est natura animalium. Præterea est forma partium similarium quia vocatur à Galeno primo de Vsu P. 9. temperamentum substantiale, per quod os est os, & caro est caro. Similiter Gal. 3. de temp. 4. vult hoc temperamentū substātiale esse naturam, & vniuersam substantiam partium. De hoc calido innato implantato loquens Galenus in hoc comm. confirmat sacramento, dicendo non per Iouem separari à suis partibus, nec ab ipsis refugere quia est implantatum. De hoc calido innato intellexit Hippocrates in superiori aphorismo, dum dixit „ qui crescunt plurimum habent calidi innati: quod tamen (vt probauimus) à prima generatione vs-

quę ad obitum diminuitur, vt oleum in lucerna.

Datur aliud calidum innatum, quod à corde transmittitur per vniuersum corpus & vocatur innatum ab Hippocrate in hoc aphorismo, & à Galeno in comm. A medicis vero vocatur influens: hoc enim reuera non est forma partium, sicuti est implātatum: quia hoc influens hyberno tempore augetur, dum per andiperistasim refugit ad partes internas, vnde fit quod ventres sint calidiores, æstate verò frigidiores. Calor innatus seu implantatus nunquam augetur; sed semper minuitur ad instar olei in lucerna: nec sequitur anni tépora, vt scilicet hyeme suscipiat augmentum, æstate decrementum: hic calor sequitur ætates, quæ nunquam reddeunt: de hoc non intelligit Hippocrates in aphorismo.

Calor verò de quo intelligit est ille, qui sequitur anni tempora, qui dicitur influens, quippe à corde, & à cerebro effunditur in totum corpus: vnde hyeme actiones vitales, & animales sunt robustiores: æstate debiliores: hic sequitur anni tempora: hyeme enim est robustior ob andiperistasim: ideo eget copiosiori cibo: æstate oppositum obseruatur. De hoc loquens Aristoteles 2. Probl. 33. dicit, hyeme calorem intus se contrahere, ideo melius concoquere: æstate verò diffundi per corpus; ideo minus concoquere.

De hoc influente calore Hippocrates 5. aphoris. 21. loquens de conuulsione habet hanc sententiam „ larga frigidæ perfusione æstate media reuocat calorem ad intus, & sanat conuulsionem. De hoc calore intelligit Hippocrates in hoc aphorismo. De hoc Galenus 3. de causis pulsuum 6. & lib. 8. de plac. 7. loquens, inquit, tempore hyemis, & veris plurimum esse calidi natiui, & parum ascititij: contra in æstate plurimum ascititij, & parum natiui.

Notandum tamen per calorem ascititium intelligendam esse qualitatem immoderatam caloris naturalis, seu natiui, & non substantiam calidi natiui, quæ non est alterabilis, sicuti neque aliæ substantiæ alterabiles sunt, quia alteratio solum est in prædicamento qualitatis.

Notandum, aphorismum verificari de robustis, hac duplici lege seruata.

Prima, vt hyems seruet suam naturam, itaut non habeat aliquem insolitum excessum.

Secunda vt non comittantur errata in victu, & alijs sex rebus non naturalibus: quia ob errata etiam corpora robustissima refrigerari possunt: robusta enim propter errata tendunt ad morbum: debilia verò ad mortem. Obseruatis igitur in robustis his conditionibus, calor influens dispersus per ambitum corporis hyberno tempore retrahitur ad ima, vnitusque cum implantato acquirit vires, propter quas cibus promptius concoquitur: ideo hyeme plus cibi dandum.

Qua ratione verò calor hyeme augeatur, dicimus ex Galeno lib. de causis morborum cap. 2. calorem augeri ob quinque causas, nempe per adhæsum rei calidæ, vel per putredinem, vel per motum, vel per constipationem, vel per alimentum. Ob quatuor ex istis causis tempore hyberno calor augetur. Prima per motum, quem facit antiperistasis: quia calor ob frigus recurrens ad viscera ob motum istum factum in ipso corpore excitat maiorem calorem: itaut, dum fit constipatio, & simul antiperistasis fiat febris, sed primò ephimera, deinde sequitur putrida, vel hectica, prout corpus est præparatum.

Quod verò per antiperistasim calor augeatur, docet Aristoteles 8. Physicorum. Hippocrates 5. aphoris. 2. verò inquit, conuulsionem sanari posse frigidę perfusione.

Similiter Galenus in hoc comm. & experientia ipsa animaduertitur, dum fabri ferarij volunt vigorare ignem, aquæ tantillum aspergunt.

Secunda causa augens calorem tempore hyemis est adhæsus idest vicinitas corporis calidi, dum scilicet influens sua natura calidum retractum ad ima, & vnitum implantato tangit viscera, illaque ex necessitate calefacit.

Tertia est constipatio à frigore facta ob quam duobus modis corpus incalescit. Primò impediendo ne calidum è corpore ita facilè exhallet. Secundò detinendo acria excrementa, quibus retentis calor

calor solet maximè excrescere.

Quarta causa augmenti caloris est alimentum: quia hyberno tempore ob antiperistasim calor maior factus maiorem excitat appetitum, magis concoquit, & conuertit alimentum in substantiam nutriti, vnde augetur calor.

Notandum antiperistesim non solum calefacere, sed etiam roborare, sicuti colligitur ex hoc Galeni comm. vbi inquit, corpora aqua frigida lota per antiperistasim robustiora fieri, quod non solum robusti, sed etiam debiles, si exiguo spatio lauentur maximè iuuantur, sicuti obseruat Galenus in hectica febre laborantibus, qui reuera nulla alia via sanari possunt, nisi hac proposita 10. meth. cap. 10. qui tali ordine illos sanat, primò vsu balnei tepidi, vt humores effundantur, & acres fuligines exhalent; deinde vsu balnei frigidi, quod ita roborat, vt postea sanentur.

Ex his nos duo colligimus. Primum cur frigidissimæ perfusione facta in carnosis illicò dolores collici, & nephritici tollãtur. Immo cardialgia quæ est affectus magni momenti aquæ frigidæ perfusione remouetur: est enim Galeni præceptum 9. meth. 5. vbi habet hanc sententiã „ Aqua frigida cardialgiam momento temporis sanat intus, vel extra: vtimur. n. (vt tutius agamus) pano lineo madefacto aqua frigida, illumque affatim applicamus parti dolenti: vel pro auferenda cardialgia orificio vẽtriculi: panumque celerrimè amouetur: sed ne aquæ frigiditas imprimat aliquam noxam in partem læsam applicamus linteum aliquod actu calidum, ne actualis humiditas aliquid mali efficiat.

Parimodo Hippocrates 5. aphoris. 25. dicit, frigida largè effusa dolores podagricos, & conuulsiones sanat.

Alium tamen modum meliorem adinuenimus pro auferendo dolore, & cardialgia non sine astantium admiratione, talisque est. Accipimus vesicam bouinam multa niue, vel glacie impletam, illamque sudariolo obuoluimus, ne ab ægris, vel astantibus animaduertatur: deinde parti dolenti sudariolum improuisò applicando, statim dolor aufertur: mirificè tamen iuuat, si paulo antè patientes inunctiones actu calidas fuerint experti: De hoc modo sedandi dolores egimus in commentarijs nostris Auicennæ doc. 5. cap. 1. tex. 25. Vtimur vesica sudariolo inuoluta: quia hoc est miserrimum in humanis rebus, quod facilia, si cognoscantur, spernantur.

Sexta dubitatio: colligimus ex dictis, quomodo possint conciliari duo loca Hippocratis: dicit enim primo de natura humana tex. 32. & 36. hyeme pituitam augeri. In hoc loco verò hyeme ventres esse calidiores. Quomodo augebitur pituita, si ventres sunt calidiores?

Soluitur, quia pituita in debilibus, & robustis augetur, sed in robustis augetur, & concoquitur, in debilibus verò excrescit, & sic cruda, & incocta relinquitur: Quare Hippocrates 1. de natura humana locutus est de debilibus: in hoc aphorismo verò de robustis.

Præterea dicere possumus, hyeme in robustis generari plurimum pituitæ naturalis, quæ est semisanguis, quæ facilè concoquitur ad differentiam pituitæ excrementitiæ, quæ sunt vitrea, gypsea, acida, & salsa, quæ facilè in debilibus cumulantur, & non concoquuntur.

Quinta dubitatio: si hyeme calidissimi sunt ventres: ergo bilis generabitur, & non plurima pituita, vt tenet Hippocrates 1. de natura humana tex. 36.

Respondet Galenus in comm. ventres esse calidissimos naturali calore, qui est temperatissimus, qui non bilem, sed sanguinem, & pituitam naturalem, quæ est semisanguis, adauget.

Tertia dubitatio: in vere non possunt ventres esse ita calidi, vt hyeme: ergo non sunt calidissimi.

Respondetur, in vere ventres esse calidissimos respectu æstatis, & autumni, non respectu hyemis. Vel respondemus per ver intelligere partem veris, quæ adnectitur hyemi: vel dicimus in vere esse moderatiorem temperaturam, ratione cuius ventres dici possint calidissimi, intelligendo per calidissimos calorem moderatissimum & temperatissimum, qui in concoquendo tenet primum locum.

Quarta dubitatio: Galenus dicit in com.

ventres hyeme esse calidissimos, quia ob antiperistasim augetur substantia calidi innati, namque Galenus lib. de tabe cap. 4. & alibi dicit, si augeretur substantia calidi innati, animal esset æternum, animal enim est mortale, quia hoc calidum semper diminuitur vsque ad mortem, sicuti oleum lucernæ accensæ, in qua diminuitur, donec lucerna oleo priuata extinguitur.

Respondetur, augeri calidum influens, & non innatum, quod est forma partis, qua os est os, & caro est caro. Præterea calidũ influens non augetur simpliciter, sed in relatione ad alia tempora: si enim calidum influens augeretur, pari modo animal esset æternum; sed reuera augetur per accidens, quatenus calidum diffusum iterum reuocatur ad viscera, & vnitur cum implantato, vnde virtus vnita redditur fortior, & caloris videtur esse factum augmentum.

Quo ad ver. Notandum diuidi in tres partes, nempè in priorem, posteriorem, & mediam. In priori parte dicit Galenus in comm. conuenire victum similem victui hyemali. In posteriori similem æstiuo. In media conuenire victum veri proportionatum.

Philotheus vult, cibum esse exhibendum in vere pleniorem, quam in æstate, tum ratione partis prioris, in qua contrahitur calor, tum ratione partis mediæ ipsius v ris, in qua non est facta caloris resolutio, ideo adhuc calor robustus conseruatur. Sed nos addimus, dummodo non adsit aliqua plethorica dispositio, quę tempore veris, vt dicit Galenus vt plurimum obseruatur: quia tempore hyemis cumulatur sanguinis multitudo: ideo cibus tenuis conuenire debet: hac de causa non sine ratione tempore veris ieiunium est institutum.

QVÆST. LXI.

An ver sit medium inter hyemem & æstatem per negationem, vel per participationem extremorum.

HIc tractatur illa quæstio, an ver sit tempus medium per participationem extremorum, videlicet hyemis, & æstatis: vel per negationem. Galenus 1. de alimentis cap. 18. vult, ver esse mediũ per participationem extremorum: attamen potest probari argumento efficaci desumpto ab Auerroe 4. Cæli 26. quo probat ver, non esse medium per participationem hyemis, & æstatis: ibi enim probat leuitatem, & grauitatem mediorum elementorum non esse medias per participationem: quia si hoc esset, darentur solum duo elementa.

Auer. sic probat, quæ sunt talia per participationem specie non differunt inter se: sed sic est quod grauitates, & leuitates sunt formæ elementorum: ergo erunt specie differentes. Accedit quod ver respondeat aeri, æstas igni, autumnus terræ, & hyems aquæ: sed elementa inter se differunt specie, ergo aer, & aqua, quæ sunt elementa media non erunt media per participationem, sed per negationem extremorum.

Præterea ver respondet sanguini, æstas bili, autumnus melancholiæ, & hyems pituitæ: sed sic est, quod quatuor humores differunt specie inter se: ergo humores medij, vt sanguis, & pituita, non erunt medij inter melancholiam, & bilem per participationem, sed per negationem extremorum.

Ad Galenum respondemus, non totum ver esse medium per participationem, sed mediam partem veris, quæ est media inter priorem, & posteriorem partem esse mediam per participationem videlicet prioris, & posterioris partis: totum ver, quod est medium inter æstatem, & hyemem esse medium per negationem extremorum.

Somni longissimi. Pro intelligentia nonnulla sunt consideranda pertinentia ad naturam somni: secus intelligi non potest, cur hyeme, & vere longissimi sint. Conueniunt, & dissentiunt inter se Aristoteles & Hippocrates cum Galeno de somno.

Galenus cum Aristotele conuenit, somnum esse affectionem, & non opus: affectio est res in fieri, quia in somno virtus sensitiua non influit in partes externas: dicit enim Aristoteles 2. de part. animalium cap. 7. & lib. de somno, & vigilia, sensus externos in somno esse ligatos. Idem quoque

que videtur afferere Galenus lib. de instrumento odoratus.

QVÆST. LXII.

De somno in quibus Galenus conueniat, & differat ab Aristotele.

PArimodo conueniunt Galenus & Aristoteles, quia ambo putant, dum fit vigilia, moueri calorem influentem ad corporis circumferentiam: dum fit somnus moueri à circumferentia ad centrum: hoc fine, vt duo calores, nempè natiuus, & influens vniantur, vt dicit Aristoteles 2. probl. 33. in gratiam concoctionis: fine qua vnione, nec cibus in chylum, nec chylus in sanguinem, nec sanguis in carnem possent vnquam conuerti: quoniam istæ transmutationes substantiales ab vno tantum calore fieri minimè possunt.

Præterea ambo conueniunt tempore hyemis ob frigiditatem extraneam facilius retrahi calorem influentem ad ima, & difficilius reuocari ad extrema, quam ęstate: ideo hyeme somnos esse longiores.

Immo Aristoteles 14. sec. probl. 11. quærit, cur in locis palustribus homines sint somnolentiores.

Respondet, quia ibi magis refrigeramur: quare cum refrigeratio sit quædam requies, facilè suboritur somnus: ideo longior est tempore hyemis, quam æstate.

Sed vbi fiat somnus, & quæ affectio sit, & à qua causa fiat valde dissentiunt Aristoteles, & Galenus. Primò Aristoteles putat in somno cor esse affectum: Galenus vult in somno cerebrum esse affectum.

Secundò Aristoteles vult radicem omnium sensuum esse cor. Galenus cerebrum.

Tertiò Aristoteles putat in somno cor refrigerari: ideo hyeme somnos esse longiores propter frigus. Galenus vult cor in somno calefieri.

Quartò Aristoteles lib. de somno, & vigilia cap. 2. & Auerroes 2. coll. cap. 12. putant, somnum esse omnimodam quietem. Galenus verò lib. de motu musculorum 4. & primo de symp. causis primo negat esse omnimodam quietem: quia inquit, aliquos dormientes ambulasse.

Quintò Aristoteles lib. de somno cap. 5. vult somnum fieri à vaporibus incrassatis à frigiditate cerebri: illosque descendere ad refrigerandum cor. Galenus verò primo de symp. causis octauo vult fieri à vaporibus humectantibus cerebrum, & non crassefactis à frigiditate cerebri.

Præterea comprobari potest per ipsam practicam, veram esse opinionem Galeni, somnum naturalem fieri à vaporibus humectantibus cerebrum. Tertio enim de loc. aff. 5. somnus, qui fit à vaporibus condensatis à frigiditate cerebri non est naturalis, sed est comatosus, qui est somnus præter naturam.

Quod hoc sit verum patet, quia frigida, vt opium, altercum, stramonium excitant somnum non naturalem, quia sunt frigida, ideo boni Medici sobriè istis narcoticis vtuntur.

Dum verò Medici somniferis vtuntur, illa corrigunt: sicuti si syrupo de papauere vtendum sit, faciendus est syrupus ex capitibus papaueris antea maceratis in aqua vitæ, quæ est veluti antidotus contra papaueris frigiditatem, vt colligitur ex Galeno 2. de antidotis cap. 7. & 3. simp. 20. & alibi, vbi admonet, quod ijs qui bibunt opium copiosum, merum dandum sit: sed nos fælicius aquam vitæ eligimus.

Vel loco syrupi de papauere vtimur puluere eorum capitum, quippè caret sapore, sæpèque vsi fuimus drachma absque eo quod æger animaduertat.

Vel vtimur oleo seminum papaueris in aqua vitæ prius maceratorum.

Vel pane dulciario ex amygd. cum puluere capitis, vel cum lacte sem. papaueris.

Vel pillulis de cinoglosa ad mediũ scrupulum.

Vel pillulis de citro ad gr. ij.

Parimodo laudantur requies Nicolai, Theriaca recens, & magna triphera, quæ omnia sanè sunt præstantissima in excitando somnum, qui reuera non est naturalis.

In eundem vsum proposuimus in commentarijs Auicennæ instrumentum, per quod vapores narcoticorum, qui inter hęc omnia tenere videntur primum locum in excitando somno non naturali quidem, sed potius commatoso.

Quæ verò conciliant somnum naturalem,

lem, vel sunt humectantia, vel mentem distrahentia, quæ sunt in causa, vt calor faciliè recurrat ad intus. Humectantia sunt lac amygdalinum, oleum amygdalinum, balneum aquæ dulcis, lotiones pedum & vapores humidi ex violis, & maluis effusi per instrumentum propositum, quæ reuera excitant somnum naturalem.

Distrahentia mentem sunt cantus suaues, tenebræ, quæ non solum distrahunt mentem, sed spiritus, qui sunt sua natura lucidi, & ob tenebras retrahuntur ad intus, quia fugiunt suum contrarium.

Præterea blandus tactus digitorũ pedũ.

Motus circularis qui fit in cunis puerorum, vel in lecto pensili.

Strepitus aquarum decurrentium, & stillantium.

Pilla ex ære aurata quæ edit sonum suauissimum distrahit, & somnum naturalem conciliat.

Quo ad somni definitionem, quæ inuenitur apud Paulum Æginetam lib.1.cap. 47. mihi maximè probatur, quæ est „ somnus est quies virtutũ animalium causata ex vtili humiditate madefaciente cerebrum. Addimus solum nos adiuta quoque à distrahentibus mentem. Hæc definitio consentit doctrinæ Galeni locis superius citatis.

Inde colligitur, Aristotelem non posse à medicis defendi, dum tenet cor, & non cerebrum in somno esse affectum. Similiter dum dicit, cor esse radicem omnium sensuum, & omnium neruorum, atque dum dicit, cor in somno refrigerari.

Primò non potest defendi Aristoteles, dum dicit, cor esse originem omnium neruorum: quia in corde solum inuenitur quædam neruea propago sexti paris quæ est adeo exilis, vt vix conspici possit.

Quidam peripatetici pro defensione Aristotelis insulsè quidem dicunt, ab illa exigua propagine neruea habere originem non solum sextum neruorum truncum, sed omnes alios crassissimos neruos, qui à cerebro, & spina dependent: Quod certè est ridiculum: quia perinde est, ac si dicerent magnum arboris truncum pendere ab aliquo folio in summitate arboris existente. Immo idem est ac si dicerent, plures arbores oriri à folio vnius arboris: quia neruorum capita sunt loco dissita.

Præterea patet, neruos non oriri à propagine neruea, quæ inuoluit cor: quia hic neruus cordis potest separari à neruo recurrente, vt non semel in canibus fuimus experti: quo casu virtus sensitiua, vel motiua aliarum partium corporis nõ tollitur. Respondeant si possint huic experimento.

Insuper dũ Aristoteles dicit, cor in somno refrigerari reluctantur experientiæ, & auctoritati Hippocratis: Experientiæ quia pulsus dormientium sunt celeriores, & vehementiores: ergo in somno cor calidius. Parimodo respiratio, & inspiratio maior, & frequentior fit: ergo cor calidius.

Auctoritati Hippocratis aduersantur, qui 6.epid.4. tex.14. dicit, in somno interna calefieri, & externa refrigerari: reddit rationem 6.epid.5.tex.3.his verbis „ sanguis per somnum ad interiora magis abit, Galenus 4. in sextum 23. ait „ sanguis per somnum partes internas petit: inferimus nos, ergo sanguis in somno calefaciendo efficiet viscera calidiora.

Quare per ea tempora alimenta copiosiora exhibenda. etenim tunc calor natiuus plurimus est.

Tres sunt causæ, cur hyeme plus sit natiui caloris, quam alijs temporibus. Prima quia virtus sensitiua tunc promptè refugit ad intus, & præcipuè tempore somni, & tardè redit. Prompè refugit ad intus propter frigus externum: tardè redit propter tenebras factas ob noctium longitudinem: dicimus propter tenebras: quia ex Galeno 7. de plac. cap.4. spiritus sunt lucidi, tenebrasque effugiunt: quia sunt tenebris contrarij: hyeme tardè redit: quia ex Galeno 1. de symp.causis 8. aer frigidus inspiratus penetrat cerebrum, & densat meatus; quibus densatis, tardius remeat facultas animalis ad sensiteria: hac occasione robustior fit.

Secunda causa, cur hyeme sit plus calidi natiui est, quia à frigido externo prohibetur caloris influentis exhalatio: ideo non sine ratione Olimpiodorus in meteorol. dicebat, calidum natiuum hyberno tempore geminare vires.

Ter-

Tertia causa desumitur à Galeno 3. de temper. 5. ab Auerroe 3. coll. 7. ab Aristotele 2. probl. 33. qui dicunt, hyeme esse plus calidi natiui, quia natura per somnum longiorem melius concoquit, melius assimilat, & calorem magis multiplicat.

Cæterum tria occurrunt consideranda pro intelligentia aphorismi. Primum an tempore veris alimentũ debeat esse ita copiosum, vt tẽpore hyberno. Occasio illius quæstionis est, quia in aphorismo Hippocrates dicit hyeme, & vere. Secundum cur dandus sit cibus copiosior hyeme, quam æstate, cũ maior sit difflatio æstate, quam hyeme. Tertium qua ratione sit plus calidi natiui hyeme, cum corpora robusta quoque ex ipso Hippocrate tunc magis abundent pituita.

QVÆST. LXIII.

In quo anni tempore cibus debeat esse copiosior.

PRimò quæritur, an tempore veris alimentum debeat esse ita copiosum, sicuti tempore hyemis.

Montanus putat, alimentum debere esse ita copiosum vere, vt hyeme: quia Hippocrates in hoc aphorismo indifferenter loquitur, dum dicit, hyeme, & vere plus cibi dandum. Addit Montanus, licet in vere tanta non sit caloris concentratio, quanta hyberno tempore; tamen in vere temperatura est melior, itaut defectus concentrationis compensetur beneficio melioris temperaturæ.

Primò fallitur Montanus, quia Hippocrates 3. de ratione vic. lib. de salubri diæta, Galenus in hoc comm. & Auicennas non vno in loco tenent, plus cibi dandum esse hyberno tempore, quam vere.

Secundò Hippocrates aphoris. 18. imperat, minus cibi dandum esse vere, hæc sunt verba „ Æstate, & Autumno cibos difficillimè ferunt: secundum locum ver habet. Mirandum igitur est, quomodo Montanus versatissimus in Hippocratis aphorismis fuerit oblitus huius sententiæ Hippocratis.

Demum cõcedimus esse meliorem temperaturam vere: attamen natura in difflatione non est valentior: quare cum cibus, vt probatum est, ex Hippocrate & Galeno multis in locis proportionetur difflationi, plus cibi hyeme, quam vere conueniet, quia hyeme difflatio maior est, vt in staticis nostris probauimus.

Deinde quæritur, an plus cibi hyeme, quam æstate conueniat. Prima facie videtur plus cibi dandum esse æstate: quia corpora videntur magis difflare.

Præterea corpora hyeme pluribus scatent sudoribus & meatus apertiores redduntur: hyeme verò neque sudores, neque meatus aperti consistunt.

Immo est argumentum Plusquamcommentatoris contra hũc aphorismum Hippocratis: taleque est: quantò maior est dissolutio humidi substantifici, tantò maiori copia alimenti indigemus, sed maior dissolutio est in æstate: hyeme enim meatus sunt constipati; ergo æstate maiori copia alimenti indigemus.

Primò respondemus, aliud esse maiorem alimenti necessitatem, & aliud actu dandam esse maiorem copiã alimenti: exempli causa in languidis opus est plurimo alimento, tamen plurimum non damus, quia vis cõcoctrix est debilis: eadem ratione in æstate, cum vires sint languidæ, non plurimum damus, sed parum, & sæpè nutrimus.

Nos tamen auctoritate Galeni, & experiẽtia moti putamus cõtra Plusquamcommentatorem, maiorem fieri dissolutionem hyberno tempore in robustis, quam ęstate. Auctoritate Galeni qui 1. de ratione vic. 44 & 6. de tuen. sanit. 6. & in hoc comm. proponit hanc famosam propositionem, quam nos in staticis obseruauimus: alimentum proportionari difflationi: sed sic est, quod ex Galeni comm. & experientia à nobis non semel in staticis facta maior sit difflatio tempore hyemis, quam tempore æstatis.

Ex Galeno, qui habet hæc verba in hoc aphorismo „ corpora robusta per foramina insensibilia magis difflare, quam æstate: ergo tunc plus alimenti: reddit rationem Galenus, quia alimentum debet proportionari difflationi.

Deinde dicit, hyeme corpora melius con-

concoquere: ergo difflatio maior est. Addit in comm.illo ,, nutritio est eius quod euacuatur repletio: sed hyeme maior est nutritio, ergo maior debet esse repletio: ergo plus cibi.

Insuper Galenus 1. de ratione vic. 44. habet hanc sententiam: si nihil efflueret è corpore nostro æqua moles substantiæ semper conseruaretur, & alimento non indigeremus: quare dum corpora pluri ndigent alimento magis perspirant, & imagis difflant.

Addit in hoc comm. Galenus per insensibilem perspirationem, & materiam inutilem, & ea quæ sunt secundum naturam difflare.

Dicimus nos tempore æstiuo maiorem copiam materiæ vtilis difflare: hyberno tempore verò maiorem copiam inutilis: hac distinctione posset defendi Plusquamcommentator, quamuis absolutè loquendo nos experientia cognouimus, maiorem difflationem fieri hyberno tempore, quam æstiuo.

Demum ipse Galenus 8. de plac. cap. 7. inquit, calorem fortiorem edere meliores actiones, atque insensibiliter magis euacuare: quare esto quod euacuationes sensibiles maiores sint æstate, quam hyeme, tamen difflatio insensibilis facta hyeme superat omnes alias euacuationes: ideo nos proposuimus aphorismum quartum primæ sec. staticæ nostræ, qui experientię certissimæ respondet, qui dicit, euacuationem insensibilem solam esse longè pleniorem, quam sint omnes sensibiles simul vnitæ.

QVÆST. LXIV.

Quomodo hyeme sit plus calidi innati, quam alijs temporibus.

QVæritur quomodo hyeme sit plus calidi innati, quam alijs temporibus.

Si ex Hippocrate hyberno tempore etiam in robustis dominetur pituita, nō videtur, quod sit plus calidi innati hyeme. Quod verò Hippocrates hoc dicat, patet ex primo lib. de natura humana tex. 35. vbi tenet, in omnibus corporibus hyberno tempore pituitam magis generari, quam alijs temporibus: ergo hyeme non erit plus calidi natiui.

Deinde hyems est sua natura frigida & humida vt pituita: ergo tunc minus calidi innati.

Postremo sol tempore hyemis magis distat à vertice nostri capitis, quam alijs temporibus: quare corpora fient quoque magis frigida: ergo tunc non erit plus calidi innati.

Montanus respondet, aphorismum dicentem hyeme esse plus calidi natiui esse verum de robustis: rectè quidem dicit: sed nō tollit difficultatem: quia argumentum Hippocratis, quo probat primo de natura humana, corpora constare ex quatuor humoribus, consistit in hoc, quod in quolibet anni tempore corpus nostrum magis vno, quam alio humore abundet; quare nisi intelligeret etiam de robustis argumentum Hippocratis esset vanum.

Saluus Solanus respōdet pituitam hyeme per se dominari: per accidens verò nempè ratione concentrationis dominari sanguinem. Sed Sclanus videns antiperistasim hyeme perpetuam esse, & propter ea potius sanguinem, quam pituitam cumulari: addit, pituitam in omnibus corporibus hyeme dominari in parte externa, vel interna: subdit in corporibus robustis dominari in parte externa tantum, in debilibus verò in interna, & externa.

Sed quomodo qui sunt bene vestiti erūt in parte externa pituita referti? Quare non potest probari opinio Salui Sclani, quod in corporibus robustis in parte externa hyeme prædominetur pituita.

Cardanus tenet, in corporibus quoque robustissimis non omnes partes internas esse calidiores hyeme, quam æstate: inquit enim non ne pulmo, cerebrum, vesica magis hyeme refrigerantur, quam æstate? Nonne propter hanc causam in his partibus magis dominatur pituita hyeme, quā æstate?

Hæc Cardani sententia certè non potest improbari: immo si ventriculus robustissimus non esset in corporis centro calefactus à tot visceribus esset frigidior hyeme quam æstate.

Sed cū ex Galeno 3. de facul. nat. 7. & 4. de

de Vsu P. octauo ventriculus sit tamquam olla inter plures focos, absque dubio tempore hyemis calidior est, quam tempore æstiuo: in parte enim dextra est iecur: in sinistra lien: in posteriori renes, magnæ arteriæ, & venæ: in anteriori omentum: in superiori cor: in inferiori intestina, quæ omnia viscera ex omnium consensu tempore hyberno calidiora sunt, quam æstiuo.

Quare meritò concludimus, quod magis possit concentratio caloris in calefaciendo, quam aer frigidus in refrigerando: itaut nocumentum frigiditatis hyemalis in corporibus robustis compensetur longè maiori beneficio concentrationis caloris.

Quinta dubitatio: postremò quæritur an calor natiuus hyeme possit augeri, vt affirmare videtur Hippocrates. Primo non videtur: quia ex libello cōtra Lycum cap 4. calidum natiuum semper vsque ad obitum minuitur: ergo hyeme non erit plus calidi natiui, quam in æstate præcedenti.

Deinde si posset augeri calidū natiuum sequeretur, vt ait Galen. in lib. de tabe cap. 4. quod homo posset reddi immortalis: immo non solum si posset augeri, verum etiam si posset conseruari, redderetur immortalis.

Respondent nonnulli, calorem natiuum augeri, quia concentratur. Primò reijciuntur, quia calor natiuus in carne est esse carnis, in osse est esse ossis, vt docet Galenus 1. de Vsu P. 9. at sic est, quod pars carnis, & ossis non possunt concentrari: ergo calor non poterit augeri.

Præterea Galenus docet in hoc comm. calidum natiuum nō moueri de loco ad locum his verbis „ Non per Iouem carnibus ad hæc sua sede derelicta confugientibus, sed spiritu, & sanguine: quasi diceret, non concentratur calidū natiuum implantatum, sed concentrātur spiritus, & sanguis quippe qui calidum implantatum fouent quare quando dixit Hippocrates plus natiui caloris esse hyeme, & vere intellexit de calore innato sanguinis & spiritus, qui calor non est implantatus, sed influens.

Indicio sunt ætates & Athleta. Probat in his postremis verbis Hippocrates, quod vbi plus fit caloris natiui, plus cibi dandum sit: probatque duplici experimento.

Primum est de pueris, qui & plus habent calidi natiui, & plus cibi assumunt.

Secundum experimentum est de Athletis, qui & plus habēt caloris natiui, & plus cibi assumunt intelligendo per calorem natiuum athletarum calorem influentem: habent enim isti plus caloris influentis, quia vtuntur exercitio, ex quo augetur calor influens: quippe qui est immediatum pabulum natiui caloris: ideo egent copiosiori alimento: quia vbi augetur calor influens, melior fit concoctio, & maior excrementorum exhalatio.

Quod verò exercitium augeat calorem, Galenus 1. de tuen. sanit. cap. 14. & 2. lib. eiusdem cap. 2. recitat tria exercitij iuuamenta.

Primum inquit per exercitium calorem augeri, quia motus est causa caloris.

Secundum propter exercitium musculi, & tendines fiunt duriores, quo fit, vt in exercitio minus fatigentur, & lædantur.

Tertium per exercitium spiritus efficiuntur velociores, tenuiores & ad actiones promptiores.

Sexta dubitatio: sed quomodo exercitium augere poterit calorem natiuum, vt dicit Galenus in comm. Non ne exercitium auget calorem ascititium? ergo non augebit natiuum. Deinde Galenus 3. de temper. cap. 4. præcipit quod nihil possit augere calorem, nisi illud quod conuertitur in substantiam nutriti: at sic est quod hoc est alimentum, & non exercitium.

Respōdetur, exercitium augere calorem natiuum, quatenus habet vim attenuandi sanguinem, & auferendi impedimenta nempe excrementa, quibus peractis alimenta facilè attenuantur, & facilè in substantiam conuertuntur.



APHORISMVS XVI.

VICTVS *humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & alijs, qui tali victu vti consueuerunt.*

Cum egerit Hippocrates à 4. aphorismo ad duodecimum de qualitate victus, qui conuenit solum ægris: atque in tribus præcedentibus aphorismis egerit, vt docet Galenus, de victus quantitate, quæ conuenit sanis. Reliquum erat, vt in hoc aphorismo ageret de illa quantitate victus, quæ, & ægris, & sanis conuenire potest. Victus vero qui sanis & ægris potest conuenire est victus medicinalis, qui indicatur à febricitantibus, à pueris, & ab ijs qui tali victu vti consueuerunt.

Prima dubitatio: proponitur argumentum, quod videtur efficacissimum probans, nullum victum indicari posse ab ægris, vt ægri sunt: taleque est, quod non indicat genus, non indicabit qualitatem ipsius generis: sed sic est, quod morbus non indicat victum: ergo non indicabit qualitatem victus: ergo victus humidus non indicabitur à febricitantibus. Maior est Galeni lib. de opt. sec. 45. vbi contra methodicos, qui dicebant qualitatem, & quantitatem victus indicari à morborum temporibus, sic argumentatur. Quod non indicat genus, non indicabit qualitatem, & quantitatem illius generis: sed sic est, quod neque morbus, neque tempora morborum indicant genus victus: ergo neque morbus, neque tempora morborum indicabunt qualitatem, vel quantitatem victus. Minor est Galeni 1. de ratione vic. 44. vbi vult, morbum, vt morbus est, prohibere victum: ergo victus humidus non indicabitur à febricitantibus: immo ipse Hippocrates 7. aphoris. 65. dicit, cibum ægrotanti fieri morbum: nihil enim magis nocet ægrotantibus: quam ipse cibus. Hinc si ægri possent perdurare vsque ad finem vigoris sine cibo facilè ab omni morbo liberarentur.

Respondemus ad argumentum, in victu medicinali duas esse qualitates: aliam, quę conuenit alimento, vt alimentum est: hancque dicimus non indicari à morbo, sed à sola virtute, vt docet Galenus 1. de ratione vic. 44. aliam verò qualitatem esse in victu medicinali, quæ non conuenit alimento, vt alimentum est: sed vt est medicamentum, hâcque qualitatem medicinalem dicimus non indicari à virtute, sed ab ipso morbo: huiusmodi qualitas medicinalis erit frigiditas, siue humiditas seri lactis, vel ptisanæ hordeaceę: sed de his paulo infra.

His positis dicimus, Hippocratem in hoc aphorismo intelligere de alimento humido medicinali, quod continet in se qualitatem alimentalem, & medicinalem: ideo indicari à virtute, & à morbo.

QVÆST. LXV.

An solus victus humidus sit medicinalis.

NEque credendum est cum Capiuaceo solum victum humidum esse medicinalem: quia, si de ratione victus medicinalis sunt duæ conditiones, vna alimentalis, & alia medicinalis: ergo dabitur victus medicinalis non solum humidus, sed calidus, frigidus, siccus, laxatiuus, seu purgatiuus, quod probatur ratione, & experientia.

Ratione probatur, quia animal constat ex calido, frigido, humido, & sicco: ergo si ex his nutrimur, ex quib. constamus: dabitur etia victus frigidus, siccus, vel calidus.

Probatur etiam experientia, quod detur alimentum medicinale calidum: non ne datur vinum de absynthio? quod habet qualitatem alimentalem, & medicinalem: vinum de sasaphras? quod sua qualitate medicinali cordis palpitationem aufert. Parimodo datur victus frigidus, vt serum lactis, lactuca, & alia id genus præter qualitatem alimentalem, quæ continet in se qualitatem medicinalem.

Nec valet, dum dicunt, frigidum esse naturæ inimicum, quia vt alimentale non est inimicum. Addimus etiam victum humidum in excessu esse naturæ inimicum: potest enim fouere putredinem. Similiter victus siccus, cuiusmodi est vinum ex salsa, & china, quod tollit cerebri destillationes est medicinale.

Demum datur victus laxatiuus, sicuti est

est vinum hyppocraticum, quod valet ad collicos dolores a flatu, & ad quartanam febrem, quod fit ex epithimo, esula, polypodio, garyophyllis, & cinamomo, & est Arnaldi. Et alia similia laxatiua alimentalia inueniri possunt. Hippocrates tamen solum de alimento humido medicinali mentionem fecit, quia hoc conuenit pueris, & febricitantibus.

Diuiditur hic aphorismus in duas partes. In prima agit de qualitate medicinali, quæ est febri contraria: & meritò, quia curatio perficitur contrarijs, vt Galenus asserit in hoc comm. & Aristoteles prima sect. probl. 2. vbi docet, curationes semper fieri per aliquem excessum.

In secunda parte agit de qualitate alimentali, quæ conuenit pueris, & illis, qui tali victu vti consueuerunt: itaut Hippocrates in hoc aphorismo tangat duo præstantissima Medici officia. Primū est curare febrē, de quo officio in prima parte, dū dixit, victum humidum febricitantibus conferre. Secundū officium est, conseruare vires, de quo intelligit in secunda parte dum dicit, victum humidum conuenire pueris intelligendo de humido alimentali.

QVÆST. LXVI.

Quid intelligat per victum humidum.

QVo ad verba dicit δίαιται idest victus. Per victum in hoc loco intelligit cibum, & potū: pót tamen nomen diętæ seu victus ampliari ad sex res nonnaturales, vt docet Galenus 3. in 3. epid. comm. 9. itaut per victum humidum intelligat omnes res nonnaturales, quæ habent vim humectandi, cuiusmodi sunt aer, balneum, quies, & alia id genus.

Præterea per victum humidum intelligit humidum actu, & potestate, vt explicat Galenus in comm. & Cælsus lib. 3. cap. 6. dicens, febricitantibus conuenire sorbitionem actu, & potestate humidam. Inueniuntur autem humida actu, quæ potestate sunt siccissima vt aqua vitæ, oleum sulphuris, & alia similia: dantur quoque actu sicca quæ potestate sunt humidissima vt glacies.

Quod verò illud humidum, quod est potestate, & actu tale febricitantibus conueniat, patet ex Galeno lib. de optima secta cap. 14. vbi reprehendit Petronam Medicum, qui in febricitantibus vtebatur carne porcina assata, & vino nigro: caro porcina assata humida quidem est potentia, & non actu. Vinum nigrum est humidum actu, & siccum potentia. Hippocrates igitur per victum humidum intelligit actu, & potestate humidum.

Hic obiter animaduerti debet erratum illorum qui febricitantibus dant hepar pulli assatum, cum sit siccum actu, & potestate.

Secūda dubitatio ex aphorismo suboritur, cur Hippocrates proponat victum humidum, & non frigidum: quia febricitantibus frigidus, & non humidus conuenire videtur.

Respondetur ex Galeno lib. de optima secta ad Trasyb. cap. 4. Hippocratem per victum humidum intelligere victum liquidum, qui potest esse frigidus, calidus, humidus, & siccus: ideo Galenus 1. de ratione vic. comm. 18. de ijs qui habent coctionem debilem ait esse offerendum cibum liquidum: quia liquidus facilius concoquitur.

Deinde potest responderi, Hippocratem per victum humidum primò intelligere victum alimentalem: deinde alteratiuum.

Hac distinctione tollitur illa famosa difficultas, quæ est inter Auerroem, & Medicos, an in febribus hecticis sit magis humectandum, quam refrigerandum. Auerroes 7. coll. cap. 15. tenet esse magis humectandum: medici verò magis refrigerandum: quia caliditas est magis essentialis febri hecticæ, quam sit siccitas.

Conciliantur hoc modo. Auerroem intelligere de humiditate alimentali: Medicos verò de humiditate alteratiua: itaut in hecticis febribus, si de alterantibus loquamur, sit magis refrigerandum, quam humectandum.

Demum ad dubium potest responderi, quod Hippocrates per victum humidum magis præcipuè intelligat de victu indicato à virtute, quam de victu indicato à morbo: quæ distinctiones non nihil ad fugam inseruiunt: sed quia dubitatio est

solutu difficilis, videndum est quid dicant Alij.

Philotheus respondet, Hippocratem prætermisisse victum frigidum, tamquam manifestissimum. Sed expositio Philothei non satisfacit, quoniam propria, licet sint manifestissima, non sunt omittenda.

Montanus respondet, victum humidũ comprehendere quoque victum frigidum: probatque hoc modo: omne humidum vel est aereum, vel aqueum: de aereo non intelligit: quia hoc non conuenit febricitantibus, cum calidum sit: ergo per humidum intelliget aqueum, quod sua natura frigidum est.

Hæc responsio est ita artificiosa, vt nihil valeat: dum enim dixit, humidum aereum non conuenire febricitantibus, fallitur: immò nil magis potest vincere ipsas febres, quam humectatio facta per humidum aereum.

Oribasius respondet, Hippocratem in hoc aphorismo proponere victum præseruatorium, & non curatorium: additque, siccitatem absumere humidum substantificum, & nocumentum febris potius procedere à siccitate, quam à caliditate: ideo Hippocrates de victu humido, & non de frigido egit.

Quæ responsio aduersatur Galeno & Auicennæ, qui non admittunt, siccitatem esse de essentia febris: Galenus enim lib. de diff. morborum cap. 5. loquens de intemperie calida simplici occupante totum corpus dicit hanc esse febrem, idest calorem præter naturam, nullam mentionem faciens de siccitate: quare si est simplex intemperies calida, est sine siccitate. Similiter lib. de causis morborum secundo dicit, febrem esse calorem immodicum, nihil dicens de siccitate. Parimodo 8. meth. in principio inquit, febrem lædere actionem ratione immodici caloris.

Ad eundem modum Auiccennas prima quarti in principio primi capitis definit febrem, quod sit calor extraneus accensus in corde, & procedens ab eo mediantibus spiritibus, & sanguine, itaut in definitione febris nihil dicat de siccitate.

Nec valet, dum dicunt, Galenum 1. de temperamentis 3. asserere febrem esse intemperiem calidam, & siccam, quia ibi id sumit disputãs cõtra sectatores Athenei, qui putabant, febrem esse calidã & siccam.

Nec valet dum dicunt ex Galeno 8. meth. cap. vlt. victum frigidum & humidum conuenire febri: quia respondemus Galenum vbique reprobasse sectatores Athenæi per fiduciariam reprobationem, quæ est dato, & non concesso, quod febris sit calida, & sicca non propterea sequitur, & cætera.

Præterea concedimus, febrem aliquando esse intemperiem siccam, dicimus aliquando, quia vt docet Galenus 1. de differentijs febrium 9. intemperies sicca, neque omnibus febribus hecticis conuenit, sed solum marasmo: quare si hectica febris interdum vt sicca non lædit actionem, non vocabitur morbus siccus, quia ad hoc vt morbus vocetur siccus, oportet, vt ratione siccitatis lædatur actio, secus inter siccos non connumerabitur.

Inde mirandum est, quomodo omnes ferè medici his temporibus hallucinentur dicentes, febrem esse intemperiem calidam, & siccam, cum febris, vt febris sit solum calida, & raro sicca: quia siccitas non solum essentialiter prædicatur de febre: sed neque sit accidens inseparabile ipsius febris hecticæ.

Hinc non ineptè Arculanus, Gentilis, & Arabes plurimi putant non esse vniuersaliter veram definitionem febris propositam à Galeno in hoc cõm. dicẽte, febrem esse conuersionem natiuæ caliditatis ad igneam, sed solum dicunt de aliquibus febribus verificari posse: ratio illorum est, quia febris vt sicca non semper lędit actionem, ergo caliditas febrilis non erit ignea, alioqui, vt sicca læderet actionem: sicut enim denominationes temperamentorum desumuntur à qualitate excedente temperatissimum: sic denominationes morborum desumuntur ab illa qualitate, quæ actionem lædit.

Nec valet siccitas est cum febre: ergo febris est sicca, quia ad hoc vt dicatur sicca opportet, vt ita prædominetur siccitas, vt lędat actionem.

Parimodo in butiro est siccitas, quia est compositum ex quatuor elementis: non tamen dicitur siccum: quia in ipso siccitas non prædominatur: sic siccitas est in quotidia-

tidiana, & in pluribus febribus, tamen, si vt sicca non lædat actionem, non dicetur sicca.

Sed redeuntes vnde digressi sumus dicimus, Hippocratem nō proposuisse victum frigidum, quia mentionem facit de victu, qui conuenit pueris febricitantibus, in quibus prædominatur humiditas, quæ est caloris frænum, vel dicimus Hippocratem per victum humidū intelligere liquidum, vt interpretatur Galenus loco superius citato de optima sec. ad Trasyb.

Tertia dubitatio: quæritur de victu humido, an conueniat omnib. febribus, ꝙ nō videtur, quia febri cum hydrope, & febri quotidianæ victus humidus non conuenit.

Respondet Galenus in comm. quando in ægro sunt affectus contrarij, & complicati attendendum esse vrgentiori, altero non neglecto. Ego sic me gero. Si febris insequatur hydropem, & non habeat alias radices: hydropi magis attendendum. Si verò febris habeat alias radices, & magis lędat ægrum, quam hydrops: tunc febri attendendum.

Pro hydrope, dum magis vrget, quam febris, vtimur pillulis de alicacabo cum elaterio: dum verò magis potest febris, pillulæ istæ læderent: tuncque eligimus mannam, quæ aquam fęlicius deducit.

Quo ad quotidianam febrem, quæ, vt febris est, indicat refrigerandum; atque vt humida exsiccandum: hoc est obseruandum; si febris quotidiana non valde vrgeat, veluti quando est in principio, tūc magis pituitæ attendimus, quo casu vtimur oleo chnicino, quod fit ex semine cartami, quod euacuat pituitam per aluum, & interdum per vomitum: si verò febris sit in fine augumenti, & statu, quo tempore febris aucta est, tunc magis vrget, & febri potius attendendum est, quam causæ.

QVÆST. LXVII.

Methodus curandi affectus complicatos.

Methodus curandi affectus complicatos consistit in consideratione trium affectuū, vt docet Galenus 3. meth. 9. & 7. meth. 12. Primus est eius qui habet rationem sine quo non, cuiusmodi sunt impedimenta, quæ nisi auferātur impeditur curatio. Secundus affectus est eius qui, est causa alterius affectus. Tertius eius qui magis vrget. Nisi igitur adsit vrgens, curatio incipienda est à causa, & ab eo sine quo non. Exemplum proponitur à Galeno 4. meth. 4. de vlcere cauo, et sordido, in quo debet caro generari: sed non potest generari, nisi sordes auferantur abstergentibus: abstergētia sunt remedia sine quibus non.

Quo ad vrgens, dum adest, spernuntur causæ, & impedimenta, esto quod illico causæ & impedimenta non possint auferri. Immò respectu vrgentis spernūtur partes viuentes, quæ tamen non sint factæ gratia vitæ: si pars aliqua esset demorsa à vipera, vel à cane rabido, dicimus ex Galeno esse amputandam, vel profundè inurendam. Famosus est casus à Galeno propositus de rustico, qui digitum à vipera demorsum falce amputauit.

Similiter si aura frigida exiliens è digito cerebrum obrepat, epilepsiamque faciat, digitus cauterio confoditur.

Sic Galenus 3. meth. 9. dat exemplum de punctura, de luxatione, & de fractura. Dicit, si fracto capite fiat musculi conuulsio, nisi ex toto musculus præcidatur, homo moritur, & vt plurimum in septima. Idem dicit de punctura nerui. Similiter in maxima luxatione si fiat magna inflammatio, etiam si reponatur membrum, non sedata inflammatione, homo moritur, vel ob conuulsionem, vel ob gangrænam: quare satius est, vt membrum remaneat luxatum, quam quod homo moriatur. Parimodo in magna ossis fęmoris, vel tibiæ fractura ex casu, vel cōtusione cum aliqua diæresi, si chyrurgi valdè astringant partem fractā cum fascijs, & ferulis, calor putredinalis non exhalat, vnde statim fit gangræna, & homo moritur.

Si verò nullum adsit vrgens, tunc cura incipienda est à causa: si verò plures sint causæ, ab illa, quæ magis lædit, cura est inchoanda. Hinc Galenus 3. meth. 9. dicit in vlcere phlegmonoso ab inflammatione, & non ab vlcere esse incipiendum.

Valeant igitur illi chyrurgi, qui in hoc casu applicant pulueres exsiccantes vlceribus

bus & relinquunt inflammationem, quia hac via nunquam sanant. Hæc doctrina consentit auctoritati Galeni 13. meth cap. octauo & tertio de temperamentis quinto vbi habet „ phlegmonem duplici ratione recedere à statu naturali, nempè feruore, & sanguinis multitudine, subdit in phlegmone indicationem euacuationis vincere indicationem refrigerationis: quia causa phlegmonis est sanguinis multitudo, itaut semper vera sit hæc doctrina, quod à causa sit incipienda cura, & ab jlla quæ maximè lędit.

QVÆST. LXVIII.

De serie omnium indicantium.

Restat, vt ordinem, & omnium vrgentium, omnium causarum, & impedimentorum seriem proponamus: quo ordine percepto statim elucescent omnia indicantia, nempe cui primo est ex illis, cui secundo, vel tertio loco sit attendendum. Nec satis est in febre cum hydrope, & in quotidiana scire, quod (vt animaduertit Galenus in comm.) sit attendendum vrgentiori: nisi ordo, & series proposita præintelligatur; neque satis est præscire, quod dictum est à Galeno tertio meth. nono & septimo meth. duodecimo, ante morbum esse auferenda hæc tria, vrgens, causam, & impedimentum: nisi affectuum complicatorum comparationem faciamus. Galenus enim primo methodi cap. 4. vult esse præcipuum methodi fundamentum vt in complicatis affectibus presciamus, cui primo, cui secundo, cui tertio loco sit attendendum.

In quolibet morbo varia affectuum complicatio fieri potest; in ipsa febre putrida sex obseruantur affectus, vt animaduertit Galenus 11. meth. 13. quorum primus est humorum multitudo: secundus crassitudo: tertius lentor: quartus obstructio, seu aliqua alia prohibita perspiratio: quintus putredo: sextus febris continua, qui affectus, vt dixit Galenus locis citatis sæpè sunt contrarij, & contraria indicant remedia.

Deinde consideranda sunt ea, quæ sunt secundum naturam, nempè temperatura, ætas, consuetudo, & reliqua, quæ eodem cap. à Galeno proponuntur. Hinc considerans Hippocrates indicationes contrarias 6. epid. 2. text. 9. inquit, in morbis curandis studeas, vt prorsus non noceas, intelligendo de his affectibus complicatis, in quibus adsunt contraria indicantia.

Notandum tamen proponi à medicis hanc sententiam Hippocratis sine vllo artificio, quasi quod sit præcipuum Hippocratis præceptum, quod medicus non debeat nocere: certè non nocebit, si nihil efficiet: cæterum præceptum Hippocratis est de complicatis; & contrarijs affectibus, nimirum, vt materiæ remediorum applicentur sine nocumento alterius affectus contrarij.

Quo ad affectuum complicationem dicimus, decem fieri posse omnium indicantium comparationes, & non plures.

Prima comparatio debet fieri inter vrgentia, si plura sint.

Secunda inter causas principales: Galenus enim 13. meth. cap. 8. considerans in phlegmone duas esse causas, nempe sanguinem, qui indicat euacuationem, & calorem: subdit, indicationem euacuationis vincere indicationem refrigerationis: In erisypelate vero indicationem refrigerationis vincere indicationem euacuationis.

Tertia comparatio debet fieri inter impedimenta, quæ reducuntur ad causam, sine qua non.

Quarta inter morbos.

Quinta inter vrgens, & causam.

Sexta inter vrgens, & impedimenta.

Septima inter vrgens, & morbum.

Octaua inter causam, & impedimenta.

Nona inter causam, & morbos.

Decima inter impedimenta, & morbos. Istę decem comparationes pertinent ad curatricem: neque dantur aliæ] indicationes, licet corpus centum ægritudinibus esset vexatum: omnes enim ad dicta capita reducerentur.

Quo ad comparationes, quæ fiunt inter vrgentia: sciendum est, dari quattuor vrgentium classes: quarum prima continet illa vrgentia, quæ vires è vestigio prosternunt; cuiusmodi sunt syncope, sanguinis

totius

totius profluuium, apoplexia, conuulsio, cardialgia virulenta, &c. alij affectus, si qui sint, qui statim vires prosternunt, & derepentè interimere solent.

Secunda vrgentium classis continet illos affectus, qui non actu prosternunt vires, sed impendet periculum, ne breui spatio vires extinguātur, sicuti sunt vigiliæ, lienteria, diarrhæa, dysenteria, magni dolores, & plures alij affectus, qui non illicò, sed paulo post virtutem prosternunt.

Tertia continet affectus diuturnos, qui non vitam tollunt, sed ipsi ægri vrgent medico, vt studeat breuitati sanationis, spernendo causas, & impedimenta. De his Galenus 4. meth. 2. habet hæc verba „ sūt quidam, qui malunt quid vis subire, quam diutissimè pati: sicuti illi, qui malunt, vt testiculus tumidus euellatur, quam toto vitæ curriculo illud pondus sufferre. Similiter sunt, qui malunt, vt auferatur gonorrhea, quod faciunt Empirici puluere de charabe exhibito cum ouo sorbili, vel sunt qui malunt, vt vlcera, aut vulnera potius ducantur ad cicatricem, quam expectare, vt causæ internæ superentur.

Quarta classis vrgentium pertinet ad decorationem: veluti sunt qui petunt adstringentia pro retinendis capillis, ne cadant in Alopeciam, & despiciunt causas, cuiusmodi est decoctum sem. acaciæ, hypocistidis, & licij cum pauxillo tragacāthi cum aceto, quo pericraneum madefaciunt, quod remedium detinet quidem capillos, luem tamen coercet, sed non sine periculo.

Tertia & quarta classis dependet potius ab ægroto, quam à vera methodo: quia medicus debet prius tutò mederi: quod respondet vrgentibus primæ & secundæ classis: deinde citò, quod respondet tertiæ. Demum iucundè, quod respondet quartæ nempe decorationi.

Quo ad primam & secundam classem vrgentium Galenus tradit hoc præceptum 9. meth. 13. „ virtutem omnium primam esse custodiendam. Quod verò vrgentibus primæ classis magis sit attendendum, quam alijs vrgentibus, quam causis, & morbis, patet ex Hippocrate & Galeno.

Ex Hippocrate 2. epid. vbi refert, dedisse polentam cum succo granatorum mulieri cardialgia laboranti: vbi Hippocrates spreuit causam principalem, & impedimenta, quæ certè non tolluntur adstringentibus, sed laxantibus, & euacuantibus.

Ex Galeno 7. meth. 12. vbi admonet prius syncopem esse auferendam, quam alios affectus: in syncope enim à febre quoque prodeunte, Galenus 12. meth. cap. 4. aliquid vini præbet, spernit enim febrem, & causam principalem febris propter vrgēs primæ classis, quod est syncope. Similiter Galenus 3. meth. 9 inquit in curādis vlceribus phlegmonosis prius esse attendendum conuulsioni, quā causis phlegmonis. Hinc conuulsio, vt vrgens indicabit, quod neruus transuersim incidatur, quod ab vlcere, & phlegmone valde prohibetur.

Post vrgentia primæ classis, magis est attendendum vrgentibus secundæ classis, quam alijs affectibus: sicuti Galenus 10. meth. cap. 3. præcipit, picrocholos nutriēdos esse in principio paroxysmi, ne magis exsiccentur, & in hecticam cadant: in istis magis potest imminens periculum hecticæ febris, quam causa principalis febris, & quam ipsa febris, quæ omninò cibum prohibet. Parimodo primo ad Glauc. 14. in febre cum alui fluore quoque diminuto damnat phlebolomiam, & pharmacum, ne vires labantur: sed vt conseruentur.

Ecce quod Galenus spernit causam principalem propter vrgens secundæ classis, quæ causa principalis potest auferri pharmaco, vel phlebotomia.

Similiter Galenus 1. ad Glauc. citato in febre cum plethorica dispositione & cum morsu oris ventriculi prius corroborat stomachum, deinde euacuat: habet enim hæc verba „ si os ventriculi læsum non roboretur ante euacuationem, imminet vitæ periculum, quamuis roborantia augeant causam morbi, & morbum ipsum.

Hinc valde errant, qui in affectibus splenis pluris faciunt indicationem præseruatoriam, quam vitalem: quare debemus roborare prius splenem adstringentibus: in parte illa laxa, & debili magis potest indicatio vitalis, quam præseruatoria. Hac ratione Galenus 11. meth. 16. præcipit in remedijs pro liene esse admiscenda

scenda astringentia: quia aperientia virtute astrictoria destituta semper magis inflant ipsum lienem.

Hinc dulcia omnia, vt mel, & saccharrum, quæ sunt efficacia aperientia, sed virtute adstringente omninò destituta, lienem, & partes alias debiles reddunt tumidiores.

Hinc fit, quod astringentia, cuiusmodi sunt aqua calybeata, tamariscus, scolopendria, & chalybs iuuant lienosos: roborato enim liene non amplius in ipso recipitur quod influit, & influxum facilius vincit.

Si verò fiat comparatio inter causas principales, tria sunt obseruanda. Primum quænam ex causis principalibus magis lædat. Secundum quæ causa ex illis sit magis reducibilis ad vrgentia. Tertium quæ causa magis foueat morbum.

Quo ad primum nempè, quæ causa magis lædat; consideranda sunt, quæ à Galeno propo nuntur 13. quth. cap. 8. & 3. de temperamentis 5. de erysipelate, & phlegmone: vbi dicit in erisypelate feruorē magis lædere, quam sanguinis multitudinem: ideo vult refrigerandi indicationem vincere indicationem euacuandi: è contra verò in phlegmone, in quo sanguinis copia magis lædit, quam feruor: quia posset ob copiam fieri gangrænam.

Quo ad secundum nempè, quæ causa sit magis reducibilis ad vrgentia, ante oculos obijciendus est casus Pythionis, in quo duæ erat causæ principales. videlicet catarrhus tenuis, & putridi humores: cui dubium, quod putridi humores erant magis reducibiles ad vrgentia? quia citius poterant vires auferre, quam catarrhus: ideo Hippocrates in Pythione magis attendebat putridis humoribus, quam catarrho.

Quo ad tertium: inter causas videndum est, quę foueat magis morbum: quia in medicina curatrice à causa magis fouente est exordienda cura: sic in Pithione humores putridi magis fouebant catarrhū, quam catarrhus putredinem, ideo cura à putredine incæpta est.

Si verò comparatio fiat inter impedimenta, statim videndum est quodnam ex impedimentis sit magis reducibile ad vrgentiora, quia vrgentioribus semper magis est attendendum. Exempli gratia in vulnere capitis possunt esse hæc duo impedimenta, pilli incisi detenti in vulnere; & ossis fragmentum supra duram matrem, absque dubio magis potest fragmentū, quia minatur cōuulsionem, quæ pertinet ad vrgentia primæ classis. Similiter in vulnere thoracis thrombus colligitur in cauitate: potest quoque in eadem cauitate esse costæ fragmentum: quod magis potest? sine dubio thrombus: cur? quia minatur lypothimiam, & syncopem: ideo illicò est attendendum thrombo, deinceps costæ fragmento: seu eodem tempore, si fieri possit, ambo auferenda.

Similiter si fiat comparatio inter causas, & impedimenta, inter causas, & morbos, inter impedimenta & morbos, nisi adsint vrgentia, cura prius auspicanda est à causa, mox ab impedimentis, tandem à morbis, si verò simul omnia possent auferri, quod esset fælicitatis specimen, illico, & eodem tempore omnia mala essent auferrenda. Non negamus tamen neque vnquam negauimus in methodis, quod impedimenta non debeant tolli etiam ante ipsa vrgentia, si facile, & sine detrimento aliorum indicantium auferri possint.

Hinc notātur errores quorundam chirurgorum, qui in ipsis vlceribus licet non sint, vel causæ, vel impedimenta ablata, vtuntur exsiccantibus, cuiusmodi sunt vnguētum de thucia, triapharmacum, diapalma, lenimentum simplex, vnguentū de pomo citri, quibus lędunt, & nunquam sanant, nisi ipsa natura corrigat ipsorum erratum, ac tollat sensim causas, & impedimenta: sed præcipuè lædunt propositis topicis vlcera phlegmonosa: huius doctrinæ fundamenta colliguntur ex Galeno 3. meth. cap. 9. & aliis in locis.

Causæ verò cur non sanentur vlcera ex Galeno 4. meth. 1. & cap. 4. non sunt ipsa vlcera. Sed vndecim sunt causæ, quæ impēdiunt sanationem vlcerū seu vulnerum.

Prima est affluxus humorum ob plethoram.

Secunda ob cacochymiam vitio hepatis, vel lienis factam.

Tertia est tumor partis vlceratæ.

Quar-

Quarta est intemperies simplex partis circumstantis.

Quinta est intemperies cum materia, quando scilicet partes circunstantes vlcerum sunt humoribus imbibitæ.

Sexta est tumor.

Septima est varix aliqua in parte læsa: in Galeno cap. 4. citato in antiquis Græcis legitur κιρσὸς, idest varix.

Octaua est scyrrhus: quia apud Linacrum in tex. Galeni σκιῤῥος legitur: quare & varix, & scyrrhus partis possent impedire vlcerum sanationem.

Nona est labiorum durities.

Decima est aliquid tertij generis in vlcere, vel vulnere quod impedit sanationem, vt pilli, ossis fragmentum, vel aliquid huius generis.

Vndecima est vlceris cauitas, qua non impleta non sanatur vlcus.

Tunc à qua causa, cum sint vndecim, est auspicanda cura? ab illa certè quæ fouere potest alias causas: quænam est ista? ex Galeno est affluxus vel ob plethoram, vel cacochymiam factus vitio hepatis, vel lienis: quæ causa nisi auferatur, actum est de vlceris, & vulneris sanatione. Amoto affluxu, & correcta viscerum dyscrasia non statim confugiendum est ad sarcotica, vt chirurgi Plebei faciunt, sed oportet videre quænam ex illis foueāt cauitatem, quæ vera re sunt intemperies simplex, vel composita, tumor, varix, scyrrhus partis, impedimentū tertij generis & durities labbiorū. His solū ablatis cauitas sarcoticis impletū.

Sed quia pars vicina sana est illa quæ est opifex sanitatis, ideo si materia est imbibita circa partem, vel sit tumor, confugiendum est ad diuinum præceptum ipsius Galeni 3. præsag. comm. 29. vbi concludit, partem debilem non esse tractandam digerentibus, & insensibiliter euacuantibus, sed suppurantibus: habet enim ibi hanc sententiam „ si vires sint validæ, & humores calidi, hi per excretionem terminantur: pergit Galenus „ si vires sint validæ, & humores frigidi per absc ssum humores imbibiti suppurantur: si verò pars sit debilis, & humores calidi, similiter per abscessum: si debiles, & humores frigidi, vel moriuntur, vel vix longo tempore liberantur: quare nullo modo exsiccantia semper conuenient vlceribus: quia, si pars circumstans detenta sit intemperie cum materia, non conuenient remedia exsiccantia, sed suppurantia, quibus conuertitur in pus humor in illam partē confluxus, quo suppurato natura statim vlcus sanare pôt.

Denique si fiat comparatio inter morbos, cura auspicanda est ab eo, qui magis nocet, & ab eo, qui fouet alium. Hinc Galenus 8. meth. 8 admonet, in morbis complicatis auspicandam esse curationem ab illo morbo, qui fouet alium, quia morbus fouens se habet per modum causæ: sicuti si esset febris, & obstructio, febris est morbus in intemperie, obstructio est morbus in mala compositione; ab obstructione est auspicanda cura, quia obstructio fouet febrem.

Quare dum Hippocrates dicit in aphorismo, victus humidus omnibus febricitantibus confert, intellexit dummodo non adsint vrgentia, quæ trahant ad se curationem: dummodo nō adsint causæ principales, vt pituita in quotidiana, hydrops cum febre, & insignis putredo febriū pestilentium: dūmodo non sint impedimenta, quia hæc est suprema medicinæ curatricis lex, vt semper vrgentiori secundum seriem à nobis propositam magis sit attendendum, qua serie non intellecta, nec aphorismus, nec Galeni commentum, nec ipsa medendi methodus intelligi potest.

QVÆST. LXIX.

An contraria contrarijs curentur.

Restat vt declaremus, quomodo aphorismus suffultus sit duobus communissimis medicinæ principijs: quorum alterum est, contraria contrarijs curantur: alterum, similia similibus conseruantur. Dum, dixit, victum humidum febricitantibus conuenire, ea ratione credendum est conuenire posse, qua contraria contrarijs curantur. Dum dixit, victum humidum conuenire pueris, & ijs qui tali victu vti consueuerunt: dicendum est ea ratione conuenire, qua similia similibus conseruantur.

Multi tamen negarunt hæc duo axiomata. Primum negarunt moti ratione, auctoritate & experientia. Ratione: quia humores biliosi valde calidi tolluntur pharmaco: at sic est, quod ex Galeno comm. 23. huius primę sec. omnia pharmaca sunt calida: ergo non est verum, quod contraria contrarijs curentur: calidi enim sunt humores biliosi, & calida sunt pharmaca, quæ illos euacuant.

Idem confirmant auctoritate: quia Hippocrates 6. epid. 2. tex. 9. inquit dolorem sedari dolore: at sic est quod dolor est similis: ergo non contrarijs: sed similibus omnia curabuntur.

Præterea Hippocrates 5. aphoris. 21. admonet, tetanum, qui est affectus frigidus in iuuene benè carnoso æstate media frigidæ perfusione sanari: at sic est, quod aqua, & tetanus sunt frigida: ergo similia curabuntur similibus, & non contrarijs.

Insuper Amonius in Porphirij introductione ait, medicos errare, dum putant semper contraria contrarijs esse remedia.

Denique per experiētiam probant, contraria non tolli contrarijs: quia vesicantibus, quæ dolorem excitant in parte dolente, facilè tollimus dolorem coxendicum: sed dolor dolori non est contrarius.

Porrò in variolis, quę pertinent ad morbum valde calidum, vtimur aqua nosturtij balneo mariæ stillata, quæ calida est, & benè sanat.

Similiter oleo de Kerua idest ricino sanantur vlcera capitis, & psoræ: sed sic est quod hoc oleum, & hæc vlcera calida sunt: ergo similibus tolluntur morbi, & nō contrarijs. Quamplurima alia exempla possent proponi idem ostendentia, sed his declaratis, cætera quoque euadent clara.

Pro solutione notandū, dū dicimus contraria cōtrarijs curari: per contraria dicimus Galenū 10. meth. 9. velle, intelligenda esse opposita, vel per se, vel per accidens, vel potentia, vel actu. Hoc posito respondemus ad primum argumentum, pharmacum euacuare humores calidos, & deobstruere, & inde auferre calorem: sed sic est, quod addere, & auferre, euacuare, & replere, obstruere, & deobstruere sunt contraria: ergo.

Ad secundum argumentum desumptum ab Hippocrate 6. epid. 2. tex. 9. dicimus cum Galeno in illo comm. dolorem sedare dolorem per accidens, & dolorem esse contrarium dolori: quia distrahitur facultas sensitiua ab vno situ partis ad alium situm contrarium: itaut si dolor sit in parte superiori, dolor nouiter excitatus sit in inferiori: vel si dolor sit in parte interna, nouus dolor excitatus sit in externa, sicuti in dolore coxendico contingit, dum parti exteriori dolenti applicatur phenigma, quod phenigma non solum tollit dolorem coxendicum, quia euacuat, sed quia distrahit facultatem sensitiuam ad situm contrarium: Octo enim sunt differentiæ ipsius situs contrariæ, nempè, ante, retro, sursum, deorsum, intus foras, dextrum & sinistrum. Simili modo ex Galeno 2. in 6. epid. 9. vomitus vomitu, & fluxus fluxu tollitur, quatenus per vehementiorem euacuationem euacuatur quod non poterat euacuari: euacuatur enim quod replebat aliquam partem; atque euacuare, & replere sunt duo contraria.

Quoad tertium argumentum de tetano desumptum ab Hippocrate 5. aphorismorum 21. Respondemus cum ipso Hippocrate in eodem aphorismo vbi dicit ob frigidæ perfusionem calorem reuocari ad partes internas: deinde ab ipso calore superari frigiditatem tetanum efficientem: quare contraria contrarijs curantur.

Quo ad experimenta proposita de aqua nasturtij pro variolis. Dicimus, aquam illam esse pręstantissimum diureticum; ideo maximè iuuare non calefaciendo, sed euacuando, præsertim in principio variolarum.

Quo ad oleum de Kerua, quod sanet vlcera capitis, & psoras. Respondemus vlcera sanari exsiccantibus: quia vlcera vt vlcera sunt humida, & humida tolluntur exsiccantibus: oleum verò de Kerua est calidum & siccum.

Ad dolorem coxendicum, qui tollitur vesicante affixo parti dolenti. Respondemus per dolorem excitatū à vesicante trahi humorem à parte interna ad externam: sed sic est, quod intus, & foris sunt duæ differentiæ positionis contrariæ. Hinc Hip-

po-

pocrates inquit, dolorem coxendicum sanari ferro ignito, vel caustico: immo subdit Hippocrates, nisi comburatur illa pars claudicant: ratio est, quia dum in parte interna detinetur humor, articulus ad motũ redditur ineptus: ideo foras humor trahendus est.

QVÆST. LXX.

An similia similibus conseruentur.

QVoad secũdum Axyoma, quod similia similibus conseruentur. Nõnulli negarunt hoc principium, ratione auctoritate, & experientia moti. Ratione, quia simile non agit in simile, quod est in primo de generatione & corruptione sumptum ab Aristotele tãquam axyoma: ergo simile non conseruabit simile.

Confirmatur auctoritate Hippocratis, & Galeni, quod similia non conseruẽtur similibus: Hippocrates enim lib. de flat. cap. 6. vbi definit medicinam tam curatricem, quam conseruatricem, inquit, medicinam esse additionem & ablationem: ergo similia in medicina non habent locum: quia medicus semper addit, vel aufert. Similiter lib. de aere, aquis, & locis asserit, corpora calida melius conseruari in frigidis regionibus: ergo similia non conseruantur similibus.

Præterea confirmatur Galeni auctoritate in Trasyb. cap. 20. vbi probat exemplo duorum doliorum, totam medicinam esse artem correctiuã Diciteque, esto, quod sint duo dolia exiguis foraminibus terrebrata, plena tamen: sed hac lege, vt aliquis vni dolio assistat, & quantum liquoris egrediatur, tantum illicò vicissim immittat. Alteri verò dolio nemo assistat, & nemo infundat liquorem, nisi quando notabiliter dolium est exinanitum: dicit Galenus primum dolium assimilari conseruatrici: secundum verò curatrici: Ecce inquit Galenus, quod conseruatrix, & curatrix pertineãt ad artem correctiuám, quæ non per similia, sed per contraria procedit.

Nonnulli respondent ex Galeno 3. de simp. medicina cap. 11. vbi inquit, simile triplex esse, videlicet simile minus, simile maius, & simile æquale, qua posita distinctione dicũt, simile æquale nullo modo agere in simile: simile verò minus, & simile maius agere, & pati inter se: addunt igitur similia conseruari similibus nõ æqualibus, sed maioribus, vel minoribus: sicque dicunt tolli omnem difficultatem.

Hæc responsio non addimit difficultatem. Primo quia simile maius, & simile minus quando agunt, & patiuntur inter se sunt contraria: sicque sufficient in arte medica vnum axyoma, quod est cõtraria contrarijs curantur: quia omninò simile non potest conseruare.

Deinde proposita responsio reluctatur Galeno in tertia parte artis med. tex. 20. vbi docet, remedia conseruantia corpora parum recedentia à temperatissimo esse duum generũ: aliqua cõseruare in eodem statu, & hæc sunt similia æqualia: aliqua verò conseruare reducendo ad meliorem statum: certum est, quod illa quæ conseruant in eodem statu non possunt esse similia maiora, vel minora, sed æqualia: primo quia similia maiora, vel minora sunt remedia reducentia corpora ad temperatissimum. Deinde ibi loquitur Galenus de corporibus parum recedentibus à temperatissimo.

Insuper Galenus lib. de tuen. sanit. cap. 3. loquens de corporibus sanis habet hæc verba „ corpora calida, & frigida tutius cõseruari per contraria: sed quæ sunt ista cõtraria in parte conseruatrice? similia maiora, & minora: quia impendet periculum, ne qualitates actiuæ similes corporibus applicatæ efficiant aliquem morbum; corpora verò sicca, & humida inquit Galenus, esse conseruanda per similia æqualia: ergo hoc principium, quod similia similibus conseruentur debet intelligi de similibus æqualibus.

Nonnulli alij supponentes, quod simile æquale nullo modo agat in simile, dicunt, quod cõtraria, quæ tollunt exiguos lapsus, debeant dici similia in latitudine, & sic similia conseruari similibus in sua latitudine.

Cæterum per hanc responsionem incidunt in eundem scopulum: quia difficultas adhuc persistit in suo robore; quod scilicet

conseruatio fiat per contraria: quoniam ipsi non admittunt, simile æquale per similia omninò æqualia conseruari: quia licet in eadem latitudine contineantur simile maius, & simile minus, tamen hæc re vera sunt contraria.

Nos respondemus concedendo, quod simile æquale, quod est omninò eiusdem gradus, & eiusdem mansionis non possit agere in simile. neque possit corrigere suum simile: quia omne quod agit, agit in contrarium vel vincendo vel moderando passum.

Nos verò inuenimus modũ, quo omninò simile æquale conseruet simile, esto quod sit eiusdem gradus, eiusdem mansionis, & eiusdem virtutis: sed quomodo? quatenus hoc simile auget eandem molem quæ aucta magis resistat, & per consequẽs magis conseruet, neque datur alius modus conseruandi similia.

Hinc ignis in maiori mole melius conseruatur quam in minori, magisque resistit contrarijs. Parimodo aqua maris in sua immensa mole, melius conseruatur, quam aquæ pauxillum: quia in sua magna mole multum resistit. Hinc Aristoteles 4. Meteorum cap. 2. in fine ait „ pars maris quæ separatur à toto citius fætet: quia destituitur natura totius maris: ideo in pauca mole facile destruitur: sic vinum in magnis dolijs melius conseruatur, quam in doliolis.

Itidem manus nostra stomacho applicata, vel omentum ventriculo superpositum conseruat ventriculum; tum quia prohibet, ne calor exhalet, tum quia omentum est simile, & quanto similius, eo melius conseruat: quia per simile æquale augetur moles caloris, vnde ventriculus magis resistit, & melius conseruatur. Similimodo similia omninò æqualia (si inuenirẽtur) applicata hæpati, spleni, pulmoni, cerebro, vel cordi maximè cõseruarent: quia aucta moles rei similis nõ agit, sed magis resistit.

Quod verò conseruatio non fiat per inæquale, patet per argumentum ex oppositis: quia si per simile non conseruatur simile: ergo conseruabitur per dissimile, quod dici non potest: sicque probatur, calidum vt duo certè per calidum vt vnum non conseruari in eodem statu, sed refrigerari: ratio est quia calidum vt duo habet duos gradus frigiditatis: calidum verò vt vnum habet tres gradus frigiditatis: quare dum permiscebitur calidum vt duo cum calido vt vnum fient quinque gradus frigiditatis, & tres gradus caliditatis: quare hoc modo corpus refrigerabitur, & non conseruabitur in eodem statu: quia magis possnut quinque gradus frigiditatis quam tres gradus caliditatis: ergo vera cõseruatio neque per similia minora, neque maiora fiet, sed solum per similia æqualia, quæ omnino sunt similia.

QVinta dubitatio circa tex. Gal. lib. de salubri diæta comm. 7. inquit, puerorum corpus plus humiditatis continere, quam salubris habitus postulet: ergo victus humidus pueris febricitantibus non conueniet.

Respondent nonnulli, Hippocratem lib. de diæta locutum esse de pueris non febricitantibus, qui sunt humidiores: in hoc aphorismo verò de pueris febricitantibus.

Nos autem respondemus cum Galeno lib. de opt. sec. ad Trasyb. cap. 4. per victum humidum Hippocratem in hoc aphorismo intelligere victum liquidum, qui potest esse frigidus, & magis & minus humidus.

Sexta dubitatio: Galenus in comm. præter ætatem, & consuetudinem, quæ sunt duo coindicantia ipsum victum, proponit anni tempus, & regionem, quæ similiter indicant similia.

Triuerius Galenum reprehendit, dum inquit tempus anni indicare similia: tenet enim Triuerius tempus anni indicare contrarium, quia æstas nõ indicat cibum calidũ, nec hyems frigidũ: ergo malè Galenus.

Triuerius primò fallitur: quia saltem ver indicat simile, & non contrarium. deinde tempus anni semper indicat simile quando morbus est contrarius tempori anni, veluti si in æstate esset hydrops, tunc æstas indicat simile. Similiter si in hyeme esset febris ardens, hyems indicaret frigidum. Demum aer æstiuus respectu cerebri est frigidus: quia Galenus 8. de Vsu P. cap. 2. dicit, cerebrum esse calidius aere æstiuo: ergo cibus respectu nostri corporis

tem-

tempore æstatis eligendus erit frigidus: ergo similis.

Addit Hippocrates, *& ijs qui tali victu vti consueuerunt:* ex Galeno enim 8. meth. 9. & lib. de assuetudine natura gaudet consuetis. Hippocrates 2. de ratione vic. 33. asserit, melius concoqui consueta cibaria, quamuis mala sint, quam insolita, licet vitio careant. Similiter Hippocrates 2. sec. aphorismorum 50. vult, consueta deteriora esse minus molesta insuetis melioribus, suauioribusque.

Galenus verò 6. de loc. aff. 4. refert de quodam homine lugente mortem vxoris & à concubitu, quo ante creberrimè vsus fuerat, abstinente, qui cibi cupiditatem ita amiserat, vt cibum tenuem, & exiguum coquere non poterat: refert Galenus ad pristinam consuetudinem coitus hunc hominem redeuntem, quam celerrimè fuisse liberatum. Quare non est mirum, si victus humidus solitus, & consuetus non solum conferat pueris illi assuetis, sed etiam omnibus alijs, qui tali victu vti consueuerunt.

APHORISMVS XVII.

ET quibus semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora particulatim oporteat afferre considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, & regioni, & ætati, & consuetudini.

Cum superius egerit Hippocrates (vt ait Galenus in comm.) de quantitate, & qualitate victus. In hoc aphorismo agit de modo vtendi victu, seu de cibi partitione, seu de tempore exhibendi cibum.

Diuiditur aphorismus in duas partes. In prima proponit esse considerandum, in quibus ægrotantibus semel, aut bis, aut per plures vices sit cibandum, & an plura, vel pauciora cibaria danda sint.

In secunda parte vbi dicit » *condonandum aliquid est tempori,* proponit quatuor scopos cibandi minus principales, qui sunt, tempus, regio, ætas, & consuetudo: ex quibus colligimus modum cibandi, an scilicet parum, vel multum, vel raro, vel sæpè sit cibandum: dicimus esse scopos minus principales, quia vt inquit Galenus in comm. scopi principalès in præbendo cibo sunt duo, nempè virtus, quæ est illa quę propriè indicat cibum, & morbus, qui cibum permittit: refertque, dixisse condonandum: quia neque totum, neque maximum his quatuor scopis minus principalibus in præbendo cibo est deferendum.

Dicit condonandum est aliquid tempori: quia (vt inquit Galenus) hyeme multum, & raro sunt cibanda corpora: quoniam ventres hyeme sunt calidiores, & validiores. Æstate verò parum, & sæpè: quia ventres sunt frigidiores, & imbecilliores. In veris principio, quod sapit naturam hyemis, corpora sunt nutrienda, vt hyeme. In fine quod sapit naturam æstatis, sicuti in æstate: in media parte veris, quia corpora sunt plena, parum & raro, ne in plethoricam, & morbosam dispositionem cadāt.

Hinc qui instituerunt ieiunium cum esu piscium in media parte veris, rationabiliter id fecerunt consentientes principijs & fundamentis medicinæ Galeni dicentis, in vere parum, & raro edendum, parum significat alimentum minus plenum, quod in piscibus, & non in carnibus inuenitur: raro verò significat ieiunium.

In autumno verò, si vires sint validæ, multum, & raro nutriendum: si inualidæ parum, & sæpè cibandum. Accedit, quod Galenus in comm. dicat, autumnum esse similem corporibus ortis ex corruptella cum virium languore: ideo parum, & sępè alendum, intelligendo de debilibus.

Quo ad Regionem, par est ratio, vt dictum est de tempore: quia in regione calida parum & sæpè: in frigida multum, & raro: in sicca, vt in autumno: in temperata non vt in vere: quia in vere parum, & raro est cibandum, non ratione veris; sed ratione hyemis præteritæ, in qua multus collectus fuit sanguis: in regione verò temperata id non consideratur: quia in regione temperata, si corpora sint temperata, & per

per consequens robusta, multum, & rarò, vt in hyeme cibandum est.

Quo ad ætatem: in pueris multum, & sæpè: quia virtus concoctrix est validissima, & difflatio est maxima. In iuuenibus multum & rarò: quia difflatio non est tam magna, vt in pueris. In senibus in primo senio parum & rarò, quia sunt referti pituita dulci, quæ in sanguinem conuertitur: quod enim in iuuenibus difflatur, in his magna ex parte in pituitam dulcem degenerat. In decrepitis parum & sæpè: quia eorum pituita est vitrea & coctioni rebellis.

Prima dubitatio ex dictis occurrit: si senes non possunt conuertere pituitam in alimentum, tantò minus cibum, qui antequam nutriat, prius conuertitur in pituitam.

Responsio est, cibos conuerti in quatuor humores, itaut illa cibi portio, quæ conuertitur in sanguinem, sit illa quæ decrepitum nutriat. Similiter illa cibi portio quæ in iuuenibus conuertitur in bilem, in senibus conuertatur in sanguinem nutritioni maximè aptum: hanc doctrinam à Galeno desumpsimus lib. 2 de facul. nat. 8. vbi agens de melle inquit, mel in iuuenibus conuerti in bilem: in senibus verò in sanguinem; vnde quoque colligimus, quod omnes cibi, qui in iuuenibus conuertuntur in bilem, in decrepitis sint salubres, & ita proportionati, vt in bonum sanguinem conuertantur.

Quo ad consuetudinem, cui certè, vt optimè admonet Hippocrates, aliquid est condonandum: sciendum, quod tempore Hippocratis aliqui semel in die, aliqui bis, & ter soliti erant cibum sumere, sicuti refert Hippocrates in hoc aphorismo, dum dicit *quibus semel, aut bis, aut pluribus vicibus*: illorum consuetudo, quæ dum erant sani fruebantur, certè est conseruanda: quia consuetudo antiqua est ferè altera natura.

Hinc Galenus semper magni faciens antiquam consuetudinem 11. meth. 3. 8. meth 9. & 9. meth. 14. admonet, ægros esse reducendos ad temperamentum, quo, dum nuper erant sani, fruebantur: neque vult ægros esse reducendos ad temperamentum primigenium: causa est, quia sæpissimè accidit, vt temperamētum aduentitium magis distet à temperamento primigenio, quam distet morbus ab aduentitio salubri.

Sic natura Mitridatis Regis vsu veneni reddita erat similis veneno, tēperamētum aduentitium Mitridatis fortasse magis distabat à suo temperamento primigenio, quam ab ipso veneno.

Sic temperamentum aduentitium vetulæ atheniensis, quæ ex Galeno 3. de simp. medicina cap. 18. nutriebatur cicuta, fortasse magis distabat à suo temperamento primigenio, quam ab ipsa cicuta.

Hinc Galenus 2. de temperamentis cap. 4 dicit, mutari temperamentum frigidum in calidum, & humidum in siccum: itaut graciles *fieri possint* pingues, & viceuersa: quare temperamentum primigenium non solum potest esse diuersum ab aduentitio, sed etiam omninò contrarium: immo dum Hippocrates inquit, condonandum esse consuetudini, id dixit: quia consuetudo potest restituere illud temperamentum, quo ægri, dum erant sani, fruebantur. Valeant illi, qui solum à latitudine venarum, & ab alijs signis temperamenti primigenij colligunt recessus à naturali statu aduentitio, sano tamen.

Quare ex consuetudine sex rerum non naturalium colligemus, & rectã ciborum & remediorum administrationem, & futuros euentus, quod probari potest ratione, & experientia, hoc modo: sit vir temperamenti calidi in primo gradu, qui ob ciborum calidorum consuetudinem factus sit calidus in secundo gradu: sitque alter temperamenti calidi in tertio factus vsu frigidorum calidus in secundo: in vtrisque idem erit temperamentum aduentitium acquisitum per consuetudines contrarias. Esto quod ambo in morbum frigidum corruant, & quod ambo debeant calidis præsidijs sanari, quem creditis citius sanatum iri? patet experientia, & ratione, illum citius sanari, qui solitus erat vti calidis, quãuis alter fuerit calidior: ratio hæc est, quia ille, qui erat solitus vti calidis, potest derepentè, & sine periculo liberius vti calidis, cùr? quia transitus ad soli-

solita est facilis, ad insolita verò difficilis.

Hinc Hippocrates 2.de ratione vic. tex. 21. habet hanc sententiam „ melius est vti vitiosa victus ratione,quę solita sit,quā subito ad meliorem insolitam transire:melior sanè erat pro vetula Atheniensi vsus cicutæ solitus, & consuetus,quam caro vituli, vel perdicis omninò insolita: quare qui inciderit in morbum frigidum, anteaque vsus fuerit calidis,citius liberabitur.

Deinde colligimus,his hominibus liberius esse danda calida: quia per hæc citius sanabuntur. Quod diximus de morbis frigidis intelligimus de calidis,& omnibus alijs morbis. Ecce quod ex consuetudine sex rerum non naturalium non solum colligendus est modus cibandi, sed etiam futurus euentus.

Secunda dubitatio circa aphorismum, Hippocrates in aphorismo 10. & 11. egit de modo cibandi,& de cibi partitione: ergo hic aphorismus,qui agit de eadem re,est superfluus.

Respondetur, Hippocratem superius egisse de modo vtendi cibo solum in ægris morbo acuto laborantibus: in hoc verò aphorismo de modo vtendi cibo in sanis, & ægris, vt docet Galenus in comm.

Præterea respondemus, Hippocratem in hoc aphorismo intelligere de cibo medicinali, & non de nutriente.

Alij respondent, Hippocratem superius egisse de quantitate continua alimentorum. In hoc verò aphorismo de discreta,idest de numero oblationum alimentorum particulatim.

Vtraque responsio mihi probatur: Hippocrates sanè est accuratissimus in declarando modo vtendi ipsis cibis: carēt enim arte medica, qui vtendi modum non percipiunt. Galenus lib. de vsu theriacæ ad Pamphilianum habet hanc sententiā, qui vsum medicinæ non habet,quāuis medicinam intelligat,idem est,ac si lyram habeat, & eius vsu careat.

Tertia dubitatio: Hippocrates in aphorismo proponit quatuor cibandi scopos, nempè tempus,regionem,ætatem,& consuetudinem: sed sic est, quod duo tantūmodo sunt cibandi scopi: quorum primus est virtus,quæ sola indicat cibum, vt docet Galenus primo de ratione vic.44.secundus scopus est morbus,qui nullo modo est indicans: sed dicitur, vel permittens, vel prohibens ipsum cibum: cibus enim ex Hippocrate & Galeno 7. sec. aphoris.65. ægrotanti sæpissimè morbus fit.

Respondetur de virtute nihil dixisse: quia supposuit tamquam notissimum virtutem indicare cibum: proposuit tamen quatuor propositos scopos, qui declarant, quando virtus indicet, & quantum, nempè an semel, vel bis sit cibandum, & an plura,vel pauciora cibaria sint exhibenda: quæ omnia primariò colliguntur ex virtute: secundariò ex tempore,regione, ætate, & consuetudine: morbus verò est tamquam prohibens ipsum cibum, vel permittens.

Quarta dubitatio: Hippocrates inter scopos proponit tempus, ætatem, regionem,& consuetudinem, quæ variant numerum oblationum ciborum: omisit tamen temperaturam, Cæli statum, & symptomata varia,quæ mutare possunt cibandi modum,& numerum oblationum:ergo de doctrinæ imperfectione Hippocrates est arguendus.

Respondetur,temperaturam reduci ad virtutem: symptomata verò ad morbum: virtus enim,& morbus sunt duo scopi, de quibus Hippocrates superius egit. Deinde dicimus, Cæli statum ad tempus reducendum esse. Addimus quod omnia alia, quæ oblationum numerum variare possint, redigantur ad morbum & virtutem, vel ad quatuor propositos scopos in aphorismo.

Quinta dubitatio: in aphorismo loquitur de febricitantibus: sed sic est, quod morbus prohibet cibum ex Hippocrate loco citato: ergo nec bis, nec pluribus vicibus cibandum est. Præterea ex Hippocrate aphoris.10. 2.sec. „ Impura corpora quo magis nutries, eo magis lędes: ergo nec semel,nec bis erunt ægri cibandi.

Respondetur,cibanda esse corpora ratione virium: ratione verò morbi cibum prohiberi: sed hac lege, quando magis pōt virtus ad indicandū cibū quam morbus ad prohibendum, tunc bis,ter,& quater æger cibandus erit: quando verò magis

gis potest morbus ad prohibendum, quam virtus ad indicandum, sicuti accidit in robustis, tunc in morbis perperacutis nec bis, nec semel ægri cibandi sunt.

Vel respondemus, Hippocratem in hoc aph. intelligere de victu medicinali. In aphorismo 9. de nutriente.

Sexta dubitatio: Hippocrates in aphorismo 7. dicit in peracutis ægros non esse cibandos: ergo dum dicit in hoc aphorismo semel & bis, & pluribus vicibus esse cibandos, sibi contradicit.

Respondetur Hippocratem in 7. aphorismo intelligere de ægris robustis. In hoc verò aphorismo de debilibus.

QVÆST. LXXI.

De quatuor regulis pro cibandis ægris.

SEd accedamus ad Galeni comm. in quo tradit quatuor pulcherrimas regulas, quæ docet quibus parũ, & sæpè, & quibus multum, & sæpè: quibus parum & raró ac quibus multum, & raró sit dãdus cibus.

Prima regula à Galeno in comm. proposita, hæc est, si vires sint languidæ, & morbus sit cum corruptella humorum, vel cum defectu humorum, ægri parum, & sæpè cibandi sunt. Parum (ait Galenus) ratione virium: quia vires languidæ parum cibi possunt concoquere: dicit sæpè, quia vbi est humorum defectus, debemus multum reponere, sed virtus debilis hoc non permittit; ideo ait Galenus, parum, & sæpè nutriendum; quia alimentum parum, & sæpè exhibitum equiparatur multo.

Secunda regula: si vires sint validæ, & morbus sit cum corruptella, & defectu humorum, multum, & sæpè cibare oportet multum, quia vires sunt validæ: sæpè ratione defectus humorum, & sæpè ratione corruptellę: quia intelligit de victu medicinali, qui tollit corruptellam, cuiusmodi sunt prisana hordeacea, serum lactis, & alia id genus, & quia ex Galeno 9. meth. 12. sanguis corruptus amplius nutrire non valet: ideo sæpè alendum.

Tertia regula: si vires sint languidæ, & humores sint mediocres aut multi, boni tamen, parum, & raro cibandum. Notandum intelligere Galenum de virtute facta languida per suffocationem: virtus enim potest fieri languida duobus modis, vel per resolutionem, vel per suffocationem, quæ suffocatio pendere potest ab humoribus alimentalibus, si multi sint: ideo vt suffocatio prohibeatur, parum & raro cibandum.

Quarta regula: si vires sint validæ, & humores sint multi, & boni, parum, & raro cibandum, secus æger incideret in plethoricam dispositionem, & tandem in suffocationem. Sed multæ se offerunt difficultates circa has regulas.

Septima dubitatio: hæc est circa primam regulam: quæ prima facie videtur falsa, nempe quod in morbo cum corruptella sæpè sit cibandum, vt dicit Galenus in comm. quoniam corruptella omninò prohibet ipsum cibum; quandoquidem impura corpora quantò magis nutriuntur, tantò magis lęduntur.

Respondetur ex Galeno 11. meth. cap. 10. putredinem duplicem esse, aliam in fieri, & aliam in facto esse: hoc posito dicimus, putredinem in facto esse prohibere cibum, & non putredinem in fieri. Præterea in hoc loco Hippocrates, vt animaduertit Galenus in comm. intelligit de victu medicinali, qui resistit putredini, vel impedit, ne humores ex toto corrumpantur.

Octaua dubitatio: non videtur, quod secunda regula sit vera, quod scilicet vbi sint vires validæ cum corruptella, multum, & sæpè sit nutriendũ: primo quia Hippocrates videtur oppositum asserere 2. aphoris. 10. dum dicit, impura corpora quo magis nutries, eo magis lædes. Deinde ex Galeno in hoc loco quando humores sunt corrupti, alimentum exhibitum conuertitur in naturam humorum corruptorum: ergo vbi erit corruptella, nec multum, nec sæpè erit cibandum.

Præterea Galenus 1. de ratione vic. in ac. 44. asserit, in morbis acutis virtute existente valida cibum esse minuendum: virtute verò existente inualida potius cibum esse augendum, quam minuendum. Hinc Galenus in comm. 9. huius sect. admonet, si virtus possit perdurare vsque ad vigorem, nihil cibi dandum esse: ex his colligimus,

mus, non esse veram Galeni sententiam, quod in virtute valida cum corruptella multum, & sæpè sit cibandum.

QVÆST. LXXII.

Quomodo interpretandus sit aphorismus decimus secundæ sec. „ impura corpora quanto magis nutries &c.

VGo Senensis dat duas solutiones interpretando duobus modis aphorismum vndecimum secundæ sect. Prima solutio est: dum dicit Hippocrates, impura corpora quo magis nutries, eo magis lædes, dicit magis lædi, dum corpora nutriuntur vltra conuenientem quantitatem.

Hæc prima solutio reijcitur, quia aphorismus Hippocratis esset vanus. idem enim posset dici de robustissimis, & sanissimis corporibus, si nutrirentur vltra conuenientem quantitatem, quod scilicet magis læderentur.

Secunda solutio Vgonis est, quod corpora impura considerentur, vel quatenus impura, vel quatenus habent aliquos humores bonos: quoposito inquit, quatenus sunt impura lædi, sed quatenus continent humores bonos, sæpè esse cibanda, & non lædi.

Primo reijcitur, quia vnicum indiuiduum simul, & eodem tempore non potest nutriri, & non nutriri: neque simul stare possunt duo scopi cibandi contrarij.

Deinde illud multum, & sæpè, vel nocet, vel non nocet: non est dicendum nocere, & non nocere in vnico indiuiduo: quia de quolibet est affirmatio, vel negatio vera, quod est axyoma indubitatum.

Tadeus Florentinus, & Paternus dicebant, aphorismum vndecimum secundæ sect. esse verum ante euacuationem, non post euacuationem: itaut, si vires sint validæ post euacuationem, multum, & sæpè sit cibandum.

Hanc solutionem refellimus hoc dilemate: post factam euacuationem in febribus putridis, vel adest corruptella, vel non adest: si adest, ergo corpora sunt impura, si non adest, de his non loquimur.

Montanus videns vndique difficultates, nesciensque nodum soluere decreuit hanc secundam regulam à Galeno propositam in comm. reprehendere dicendo esse impossibile, quod cum defectu humorum, & corruptella vires possint esse robustæ.

Hallucinatur sanè Montanus: idque probamus ratione, auctoritate, & experiētia. Ratione quia non valet, virtus deficit in humoribus & spiritibus, ergo & in solidis.

Auctoritate id confirmatur, quia dum Hippocrates 7. aphoris. 2. sectionis habet Quæ longo tempore extenuata sunt corpora lentè reficere oportet, quæ breui breuit r: dum dicit, quæ longo tempore extenuantur, vult Galenus, quod intelligat de extenuatione solidarum partium: ideo in comm. inquit, dum breui tempore extenuata sunt corpora, potest esse defectus in spiritibus, & humoribus: in solidis verò virtus potest conseruari robusta: si verò longo tempore sint extenuata, vires quoque solidarum partium deficere incipiunt.

Experientia quoque comprobatur, quia interdum ægrotantes spatio septem vel octauo dierum maximè extenuantur, tamen robur in solidis benè conseruatur: virtus enim solidarum partium consistit in calido implantato, à quo omnes vires, & omnes actiones dependent vt testatur Galenus in comm. 15. huius sectionis.

Præterea nisi vires sint validæ, non fit sanguinis missio, vt admonet Hippocrates 4. de ratione vic. tex. 19. sed sic est, quod in febribus putridis, vbi reuera viget corruptella, præcipuè conuenit sanguinis missio: ergo vires possunt in suo robore conseruari, licet in corpore reperiatur humorum corruptella.

Demum nonnulli tenent, aphorismum „ Impura corpora quantò magis nutries esse verum de corruptella ventriculi: quo casu quantò magis nutries, tantò magis lædes: negantque aphorismum esse verum de corruptella facta in ipsis venis: Galenum verò in hoc comm. (dicunt) intelligere de corruptella facta in ipsis venis, & non in ventriculo.

Cæterum hæc solutio patitur instantias insolubiles: quia ægri ex quacumque corruptella, multum, & sæpè nunquam sunt cibādi: Galenus enim 1. de ratione vic. 44

inquit, de ratione morbi esse cibum prohibere.

Nos dicimus Galenum in hoc comm. intelligere de victu medicinali, qui vt est alimentalis succurrit defectui, quatenus verò est medicinalis sucurrit corruptellæ: ideo Galenus in comm. ait, defectum humorum exigere additionem: corruptella verò epichrasim, idest contemperamẽtum.

Sciendum quod duplex est epichrasis, altera, quæ venit à verbo ἐπισχεῖν idest cohibeo, seu retineo: de hac mentionem fecit Galenus 9. meth. 10. dum dixit; in debilibus facienda est euacuatio, per ephichrasim idest partim euacuando, & partim cohibendo, & nutriendo: altera verò epichrasis est, quæ venit à verbo ἐπικεράω idest, attempero. De hac mentionem facit Galenus multis in locis: sicuti 12. meth. cap. 8. vbi habet hæc verba „ si corpus ob copiam acrium humorum incidat in syncopem, alterum de duobus facere oportet, nempè vel euacuare humores acres, vel vti epichrasi idest, attemperatione. Parimodo Galenus locutus est de his epichierasticis idest attemperantibus acres, & mordaces humores lib. 2. de simp. medicina cap. 12. & 13. & 4. de ratione vic. in acutis. comm. 29.

QVÆST. LXXIII.

Quando conueniant epichierastica, & quæ sint, & quomodo multum, & sæpè illis vti liceat.

SEd tria occurrunt consideranda de epichierasticis, idest de contemperantibus. Primum in quibus morbis conueniãt. Secũdum quęnam sint materiæ auxilij epichierastici. Tertium cum dicat Galenus multum, & sæpè cibandum, si virtus sit robusta, quæritur in morbis ex corruptella & defectu humorum quid intelligat per illud multum, & per illud sæpè.

Quo ad primum sciendum, epichierastica esse illa, quę temperando, calorem moderantur: Galenus in comm. vult, conuenire omnibus morbis ex corruptella: ratio est: quia in omni corruptella adest acrimonia, ergo vbicumque erit acrimonia, conuenient epichierastica: sicuti in omnibus febribus hecticis, ephemeris, & in omnibus morbis, qui fiunt à bile, & à melancholia adusta.

Quo ad secundum: quęnam sint materiæ victus epichierastici Galenus 2. de simp. medicina cap. 12. & 13. proponit lac, vel eius serum, & ptissanam hordeaceam: sed inter ista, lac est præstantissimum, & præcipuè asininum, vt arbitratur Galenus 4. de ratione vic. comm. 29. Post asininum est muliebre: deinde caprillum, separata aliqua ex parte substantia caseosa, & butyrosa, quod fit, vt primo ebulliat lac, mox que colletur, & separetur à parte crassa, quod adhuc apparet lac, sed valde tenue. Dicimus aliqua ex parte separata substantia caseosa, & butyrosa, quia serũ omninò depuratum non est ita epichierasticum, sicuti est aliqua ex parte butyro permixtũ: pars enim nitrosa in ipso continetur, quę est alicuius salsedinis particeps: habet vim detergendi, & in infantibus mordicandi: si verò est permixtum aliqua ex parte butyro inter epichierastica collocatur.

Lacti præterea respondent quatuor humores: sanguis respondet butyro: melancholia caseo: bilis, & pituita sero, in quo sunt duæ naturæ, videlicet pars nitrosa, quæ est calida, & pars aquosa, quæ est frigida.

Post lac sunt iuscula parui pulli, quæ certè æquant humores, & acrimoniam non solum moderantur, sed etiam succurrunt defectui. Si verò in iusculo ebulliant lactuca, borago, indiuià, & alia id genus, quę attemperant calorem, habent vim epichierasticam.

Similiter iusculum Lymacium, amputatis capitibus, quæ reddunt iusculum valde mucilaginosum, & abiectis intestinis, si plena sint, calorem benè attemperant.

Insuper iusculum testudinum, & ranarum, lac amyg. dulciũ ex tractum aqua Lymacium, seu aqua violarum, hac lege, vt amygdalæ sint recentes, optimum est. Itidem lac sem. melonum, & inter fructus præcipuè sunt poma.

Quo ad tertium: quo pacto videlicet multum, & sæpè (vt ait Galenus in comm.) dari debeat victus medicinalis, & quid per sæpè intelligat, non conueniunt Expositores.

res. Hippocrates 4. de rône vic 29. loquẽs de lacte, quatenus est cibus medicinalis, putat vna die dari posse duodecim lactis hæminas: hæmina efficit nouem vncias: ita ut hæminæ duodecim efficiant nouem libras: Galenus in illo comm. inquit, Hippocratẽ intelligere de lacte asinino: illudque dedisse in magna quantitate: tum quia lac asininum non coagulatur: tũ quia quatenus victus medicinalis succurrit (vt dicit Galenus in comm.) defectui, & corruptellæ: sed casu quo esset corruptella sine defectu, ita copiosum non conueniret.

Præterea, dum Hippocrates tam copiosum lac exhibebat, non vtebatur alijs cibis: ideo Nos debemus Hippocratẽ immitari in magnis caloribus, in febribus putridis vel hecticis solum præbendo victum medicinalem: atque amouendo carnes, & oua, quæ sanè augent calorem: quia carnes, & oua pertinent ad victum plenum, qui ex Galeno 8. meth. 2. & 3. de facul. nat. 4. in nulla quantitate, quamuis minima, dandus est febricitantibus: ibi Galenus ait, in pane carne & ouo duas esse partes, nempè vtilem & inutilem: de vtili inquit, licet concoquatur in ventriculo, tamen in venis ipsis non concoqui: quia pars vtilis in febricitantibus admittur: inutilis verò, quæ est in pane, carne, & ouo est acris & fumosa, & non frigida, & humida: ideo febribus præcipuè acutis non conuenit.

Per quot vices verò dandus sit victus medicinalis, dicimus ter & quater in die: dummodo accessiones non prohibeant, & cibus exhibitus concoquatur.

Quod verò multoties dari debeat cibus medicinalis, præcipit Galenus in comm. cum inquit, multum, & sępè idest per plures vices, si digeratur per vrinam, vel per aluum, & pars alimentalis in substantiam conuertatur.

Restat, vt consideremus tertiam regulam à Galeno propositam in comm. quæ erat, si vires sint languidæ, & humores sint mediocres (addit) vel multi boni, parum, & raròcibandum.

Montanus contra hanc regulam insurgit, probatque, in medicina non habere locum: quia vbi humores sunt multi, & boni, ibi fiunt multi, & boni spiritus: vbi sunt multi, & boni spiritus, ibi virtus debilis esse non potest: quare infert contra Galenum, stare minimè posse virtutem debilem cum multis, & bonis humoribus.

Instantia hæc Montani non euertit hanc Galeni regulam: primò quia habitus Athletarum est in vltimo termino bonitatis, & cum multitudine bonorum humorum: tamen Athletæ parum & raro sunt nutriendi, secus suffocarentur: habentque virtutem debilem non propter resolutionem, sed propter suffocationem: ergo stare possunt multi, & boni humores cum virtute debili.

Deinde Galenus lib. de plenit. cap. vlt. concludit, in maxima plenitudine bonorum humorum sequi tensionem & grauitatem cum totius corporis lassitudine: Ecce quod dari possunt multi boni humores cum lassitudine, & debilitate saltem per breue aliquod spatium.

Demum vires possunt esse debiles, humoribus quoque mediocribus existentibus, quando committuntur errata in coitu, vel alijs sex rebus non naturalibus.

Contra quartam regulam, quæ est quod in virtute robusta cum bonis, & multis humoribus parum, & raro sit nutriẽdum, proponitur argumentum efficacissimum, quod in hoc consistit: quia virtus valida indicat multum, & non parum esse cibandum.

Galenus in hoc comm. de medio tollit hanc difficultatem dicendo, parum & raro esse dandum non ratione virtutis, sed ratione corporis, ne cadat in plethoricam dispositionem: quia loquitur Galenus in hoc comm. de corpore habente plenitudinem quo ad vasa.



APHORISMVS XVIII.

Estate, & autumno cibos difficillimè ferunt. Hyeme facillimè. Secundum locum ver habet.

Hippocrates in superiori aphorismo loquens de cibi partitione dixit esse condonandum aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini. In hoc aphorismo similiter considerans ciborum partitionem docet, quid sit condonandum tempori, nihil tamen dicit quid sit condonandum regioni, ætati, & consuetudini, mira, & artificiosa vtens breuitate; quoniam qui cognoscit quid sit condonandum tempori, statim cognoscet quid sit condonandum regioni, ætati, & consuetudini: quia regio, ætas, & consuetudo proportione respondent tempori, vt colligitur ex Hippocrate 1. de natura humana, & alibi.

Quatuor enim anni temporibus respondent quatuor regiones, quatuor ætates, quatuor temperamenta primigenia, quatuor aduentitia, quatuor humores, quatuor elementa, & quatuor diei partes, vt alibi ostendimus ex Hippocrate & Galeno: ideo Hippocrates solum mentionem fecit de quatuor anni temporibus.

Neque hic aphorismus coincidit cum 15. „ Ventres hyeme: itaut secundum opinionem nonnullorum Hippocrates incidat in ταὐτολογίαν idest in eiusdem rei repetitionem, & aphorismus sit superfluus. Non coincidit cum 15. aphorismo quia in illo agit de cibi quantitate continua: in hoc verò de discreta: quia persistit in eodem proposito, quod est de cibi partitione.

Præterea in decimoquinto aphorismo egit de quantitate cibi sanorum: in hoc de portione cibi ęgrorum. In decimoquinto egit de maiori, vel minori copia. In hoc verò de facili, vel difficili tolerantia. In decimoquinto dixit, hyeme esse dandum multum cibi. Hic verò persistit in eodem proposito, an videlicet illud multum propositum in superiori aphorismo sit dandum vna vice, vel pluribus vicibus.

Diuiditur aphorismus in duas partes. In prima ponit hanc conclusionem: æstate, & autumno præcipuè ægros difficillimè ferre cibi copiam. In secunda ponit aliam conclusionem, quæ est, hyeme corpora cibos facillimè ferre: vere minus facile.

Quo ad primam conclusionem, cur ęstate, & autumno difficillimè ferant cibos: ratio est, quia calor naturalis æstate, & autumno languidus est: languidus est in ęstate: quia à calore ambiente trahitur calor naturalis ad corporis superficiem.

QVÆST. LXXIIII.

Vnde morbi autumnales, & malignæ febres oriantur.

Languidus verò est in autumno naturalis calor ob tres causas. Prima ob aeris inconstantiam: corpora enim modò frigore, modò calore vexantur: vnde propter istos motus oppositos vires facillimè dissoluuntur; quia motus oppositi non fiunt sine maxima violentia: atque hæc est ratio, cur Auicennas fen.4. lib.1. doc.5. cap.20. vbi agit de phlebotomia, dicat post somnum phlebotomiam statim factam esse malam: quia efficit in membris cum fractionem, neque post phlebotomiam statim est dormiendum. Quod verò dormitio, & phlebotomia sint motus oppositi, patet: quia in phlebotomia sanguis mouetur ad exteriora: in somno verò ad interiora: natura quidem à motibus oppositis facillimè opprimitur.

Hinc ita possunt motus oppositi, & pręcipuè in autumno, vt corpora ad malignas febres, & ad mortem disponant: motus oppositi sunt, vt aer æstiuus feruidus coniunctus cum nimio cibo, vel cum maximo animi mærore: aer enim æstiuus feruidus pellit sanguinem ad circumferentiam: nimius cibus, nimius somnus, vel mærores, & timores ad centrum. Aer gelidus copulatus cum nimia vigilia, vel cum nimio coitu, vel exercitio violento disponit ęgrotantes ad malignas febres: quia sunt motus oppositi: nimius cibus, somnus, mærores, & nimij timores compellunt malos humores ad cor, siue ad cẽtrum, in quo arma

ma hostilia occultantur: nimia vigilia, nimius coitus, & nimium exercitium pellunt ad exteriora malos humores, immo & calorem ipsum influentem, quo diu separato ab implantato, membrorum vires dissoluuntur: quia ibi transmutatio in chylum, & sanguinem, & sanguinis in spiritus fieri non potest, nisi à calore influente vnito cum implantato, vt probatum est aphoris. 15.

Hinc motus symptomatici, si in ægrotantibus, oppositi sint, vt plurimum minantur mortem: sicuti si eodem tempore ægri vexentur alui fluxu, & sudore, vel eodem tempore sudor, & principium paroxysmi fiant, vel fluxus & vomitus, vel fluxus sanguinis per hęmorrhoidas, & per nares: hi sunt qui indicat finem exitiosum; tunc enim natura est victa, & de ægrotante iacta est alea, quia dum ipsa vincit, vnus motus vniformis fit, & non oppositi. Inde fit, quod medici maximè lædant ægrotãtes, si eodem die, quo aluum purgant, faciant frictiones, & applicant cucurbitulas, vel hyrrhudines hęmorrhoidibus, ac eadem die vomitoria præbeant, sed de his egimus libro sexto meth. nostræ cap 2.

Secunda causa, cur in autumno virtus sit languida, est, quia tunc omnia sunt corruptioni obnoxia: ideo Galenus in comm. superiori inquit, autumnum assimilari corporibus ortis ex corruptella; autumnus enim dicitur φθινόπωρον φθίνω significat corrumpo: ὀπώρα autumnum.

Tertia causa, cur vires in autumno sint languidæ est, quia tunc corpora sunt referta humoribus adustis tempore æstiuo collectis: ex quibus non possunt fieri multi, & boni spiritus: causa enim immediata virtutis robustæ sunt humores temperati, & non adusti.

Prima dubitatio: Galenus in comm. superiori dixit, cibi partitionem primariò desumendam esse à viribus, & à morbo: secundariò verò à tempore, regione, ætate, & consuetudine. At hæc doctrina non videtur principijs methodi medendi consentire: quia in methodo sumitur hoc principium certum, ratum & minimè dubium, quod vnum indicet vnum, & vnum indicetur ab vno, & non à duobus, quod principium, si destruatur, ruet tota medendi methodus: cibi partitio est vna res: ergo non indicabitur à duobus, nempe à viribus, & à morbo.

Respondetur, cibos esse duum generum: alios esse solum nutrientes, hosque solum indicari à viribus: alios verò esse cibos medicinales; istosque indicari à viribus & à morbo, à viribus quatenus sunt præditi virtute nutriente; à morbo quatenus sunt præditi virtute medicinali.

Hac posita distinctione respondemus Galenum dixisse, cibi partitionem esse desumendam à viribus, & à morbo intelligendo de cibo medicinali, qui est ille qui habet duplicem qualitatem, id est nutrientem, & medicinalem.

Victus medicinalis non solum est ille cibus, qui habet virtutem epichierasticam, cuiusmodi sunt, lac, ptissana, & alia id genus: sed qualiscumque victus, qui habet qualitatem nutrientem, & medicinalem, licet non habeat virtutem epichierasticam dici potest medicinalis. Exempli causa diamoron, quod fit ex succo mororum, & melle, dicitur medicinalis, quia nutrit, & simul tollit oris vlcuscula, ac reprimit inflammationem. Similiter hydromel siue mulsa, que fit ex aqua, & melle præparat pituitam ad expulsionem & bene nutrit: Immo Galenus 3. de ratione vic. in ac. comm. 21. vult hydromel duplo magis nutrire, quam vinum oligoforum. Quod diximus de mulsa intelligimus de multis alijs, vt de loch de pino, quod est bechechium præstantissimum in asthmate, & tussi diuturna: bene nutrit propter nucleos pini. Parimodo saponea, quæ fit ex amygdalis, amylo, & saccharro nutrit, & simul incrassat tenuem catarrhum. Aquæ similes medicinales nutrientes innumeræ afferri possunt, quæ inter cibos medicinales collocantur. Fusius de his egimus propter illos medicos, qui putant solos cibos virtute epichierastica præditos, esse medinales, & non alios.

Secunda Dubitatio: Hippocrates ait, æstate cibos difficillime ferri: Galenus tamen primo de ratione vic. in ac. 44. præcipit in ægris debilibus, & tempore æstiuo,

stiuo, in quo debiles sumus, cibum esse augendum, hyeme verò minuendum. Quomodo in æstate cibus est augendus, si sani, & lõgè magis ægri illum difficillimè ferũt.

Respondetur: cibum duobus modis considerari: vel quatenus datur in vnica cibatione, vel quatenus datur in toto morbo: posita hac distinctione dicimus, in ęgris debilibus, vel tempore æstiuo, cibum esse augendum nõ in vnica cibatione, sed in toto morbo: itaut plus cibi sit dandum debili in toto morbo, quam robusto; & æstate, plus, quã hyeme, sed in toto morbo. Exempli gratia: Socrates est robustus, Plato verò debilis: vterque eadem febre laborat: dicimus quod spatio totius morbi plus cibi Platoni debili sit dandum, quam Socrati robusto. In vnica verò cibatione plus Socrati robusto, quam Platoni debili: quando verò dixit Galenus primo de ratione vic. 44. cibum in debilibus esse augendum, intelligendum est in toto morbo, & non in vnica cibatione.

Rationes verò, cur in ægris tempore ęstiuo in toto morbo plus cibi sit dandum, quam hyeme, tres sunt. Prima quia æstate fit maior spirituum resolutio in ægris debilibus, quam hyeme.

Secunda causa est, quia hyeme humorum plenitudo obscurat indicationem, quæ desumitur à viribus: quia vires ob plenitudinem diu stare possunt sine cibo: ideo minus hyeme, & vere.

Tertia ratio est, dato, & non concesso, quod hyeme nulla esset plenitudo, dicimus hanc propositionem esse semper veram, quod virtus ægrorum quo robustior, eo tenuiorem cibum indicet: quo debilior eo pleniorem, hoc fine, vt possit perdurare ad finem vigoris: in æstate in ipsis ægris virtus debilis pleniorem cibum coindicat.

Tertia dubitatio exoritur, quomodo virtus in ægris quanto est robustior, tanto tenuiorem cibum exigat: non ne Galenus superius dixit si vires sint robustæ cum corrupella, & defectu, multum & sæpè esse cibandum?

Respondetur Galenum locutum esse de cibo medicinali, qui tanto plenior esse debet quanto corruptella maior est, virtute tamen existente robusta.

Quarta dubitatio: Hippocrates inquit autumno cibi copiam difficilimè ferri. Contra hoc dictum Hippocratis duæ sunt rationes: prima quia Galenus 3. aphorismorum 22. dicit autumnum esse frigidum: si frigidus, ergo à frigore fiet repulsio caloris ad partes internas: vnde calor naturalis fiet robustior: si robustior, cibi copiam facile feret. Secunda ratio est, quia nulla est differentia inter ver, & autumnum, quia in vere sol æque distat à vertice nostri capitis, ac in autumno: ergo corpora æquè calida erunt in vere, & autumno, ergo æquè difficile ferent cibi copiam in vere, ac autumno.

Respondetur, esse differentiam veris, & autumni: quia in autumno à præcedenti calore æstiuo corpora facta sunt debiliora: id eo non ita facile ferunt cibi copiam.

Deinde aer autumni ob præcedentem calorem æstiuum redditus est tenuior, & magis dispositus ad suscipiendum frigiditatem & caliditatem, idcirco esse varium, & valde mutabilem: quod de alijs temporibus dici non potest.

Præterea in autumno aer est refertus vaporibus & exhalationibus adustis, quæ nõ contigunt tempore veris: inde igitur patet veris, & autumni varietas.

Quinta dubitatio: Hippocrates & Galenus in comm. dicunt, æstate parum cibi: hyeme verò ex Hippocrate *aphoris.* 15. multum, quia tunc plurimum est innati caloris: attamen 1. de ratione vic. 44. Galenus præcipit, æstate plenius alendum, hyeme verò tenuius: similiter Auicennas 1. quarti tract. 2. cap. 8. vbi de febricitantium cibis tractat ait, æstate plus cibi dandum esse ob maiorem corporum resolutionem: hyeme verò minus ob cutis constipationem à frigore factam, ob quam minor fit resolutio, atque per consequens minor requiritur restauratio.

Respondemus duplicem esse causam, cur plus, vel minus cibi sit exhibendum. Prima est necessitas. Secunda est facilis tolerantia: hoc posito, dicimus cibandi necessitatem maiorem esse in æstate, quam hyeme: hyeme tamen tolerantiam esse faciliorem.

Præterea dicimus hyeme in robustis, & sanis

caris hominibus esse quoque maiorem necessitatem cibandi, quia maior fit resolutio, vt ostendimus aphoris. 15.

Præterea, si verum est, quod alimentum debeat proportionari difflationi, hyemeque difflatio maior sit, quia concoctio maior est: absque dubio hyeme maior fiet resolutio insensibilis, quam tempore æstiuo. Hoc in staticis satis superque probauimus.

H*Yeme facilimè. vere minus*. Hæc est secũda conclusio: rõ verò, cur hyeme corpora facilimè ferant cibos, deinde ver, est, quia calor hyeme robustior est, deinde ver. Ex hac conclusione infert Galenus, hyeme multum & raro corpora esse cibanda: vere autem parum, & raro.

Sexta dubitatio: sed quomodo parum & raro in vere cibandum, si tunc corpora facilimè ferunt alimentum? Montanus soluit hanc apparentem contradictionem hoc modo: Galenum dixisse parum comparatiuè, videlicet respectu hyemis, & non absolutè.

Hæc Montani solutio non explicat Galeni mentem: quia quando dicit, in vere parum, & raro esse cibandum: Galenus statim reddit hanc rationem, ne corpora incidant in plethoricam dispositionem: quia tunc venæ sunt plenæ ob multum & copiosum sanguinem hyberno tempore coaceruatum; hæcque est vera solutio.

Septima dubitatio: sed quomodo ver ferre potest cibi copiam & non autumnus, non ne autumnus est similis veri? sicuti enim ver in principio sapit naturam hyemis sic quoque autumnus in fine sapit naturam hyemis: sicuti ver in fine sapit naturam æstatis; sic quoque autumnus in principio sapit naturam æstatis: quare nulla videtur esse differentia inter ver & autumnum.

Responsio paulò superius est proposita de differentia inter ver & autumnum, quæ pendet ex præcedenti calore æstiuo: aer enim autumnalis est refertus adustis exhalationibus, estque tenuior, & maximè dispositus ad refrigerandum, & calefaciendum corpora vnius diei spatio, quod non conuenit veri.

APHORISMVS XIX.

H*Is qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere: sed subtrahere ante indicationes.*

Nonnulli sic introducunt aphorismum: dicunt Hippocratis propositum esse in hac prima sec. de triplici instrumento medico tractare, videlicet de pharmaceutico, chirurgico, & diætetico: dicuntque egisse in 2. aphorismo de pharmaceutico, in tertio de chirurgico, in quarto verò vsque ad decimumoctauum inclusiuè de diætetico. In hoc verò aphorismo dicunt, Hippocratem proposuisse epilogum illorum, quæ hactenus dicta sunt de fonte diætetico.

Primo hallucinantur: quia Hippocrates in 2. aphorismo non egit de instrumento pharmaceutico, sed de qualitate euacuationis in communi, quæ consideratio pertinet tam ad pharmaceuticum, quàm ad chirurgicum fontem. In tertio verò aphorismo non agit de instrumento chirurgico, sed de norma circa nimias euacuationes, & nimias repletiones: quę consideratio æquè pertinet ad pharmaciam, chirurgiam, & diætam. A quarto autem aphorismo vsque ad hunc inclusiuè (vt dicit Galenus in comm.) Hippocrates agit de qualitate, quantitate, & de modo administrãdi ipsum victum, videlicet à quarto aphorismo vsque ad duodecimum inclusiuè de qualitate victus ægrorum: in tribus sequentibus de quantitate victus sanorum: in decimosexto de victu medicinali, qui potest sanis, & ægris conuenire: in tribus verò sequentibus de modo administrandi victum, videlicet in decimoseptimo de partitione cibi: in decimooctauo de præbendo cibo in varijs anni temporibus: in hoc verò decimonono de hora cibandi ægros.

Ex hac continuatione à nobis proposita primo intelligimus, ad victum pertinere hæc tria, qualitatem, quantitatem & modum administrandi. Secundo intelligimus, ad modum administrandi victum similiter pertinere hęc tria, cibi partitionem,

cibi

cibi oblationem in varijs anni temporibus & horam cibandi, de quo agit Hippocrates in hoc aphorismo: Ecce quam mirificam, & Diuinam doctrinam non solum ex ipsismet aphorismis, sed ex illorum continuatione colligere possumus.

Præterea falluntur, qui dicũt, hũc aphorismum esse epilogum eorum quæ dicta sunt. Primò si esset epilogus contineret, quæ superius dicta sunt. sed sic est, quod nihil eorum continet, vt patebit in verborum declaratione: ergo non est epilogus. Insuper epilogus ponitur in fine libri, & non multò ante finem. Addimus nos, Hippocratem neque in fine huius primæ sect. nec in fine totius operis vnquam vsum esse epilogis: ac merito, quia breuitas, seu dicendi grauitas ipsius Hippocratis non admittit epilogos.

Cõtinuatio igitur aphorismi hæc est: dixit in superiori aphorismo æstate, & autumno corpora difficillimè cibos ferre. In hoc aphorismo excipit accessiones, & tẽpus paulo ante iudicationem ipsorum morborum; in quibus accessionibus sit hyems, aut ver nihil cibi dandum est: quia in omni anni tempore paroxysmi, & tempus paulo ante crisim cibum prohibent.

Diuiditur aphorismus in duas partes. In prima proponit hanc conclusionem: in accessionibus nihil dandum: ratio conclusionis est, quia natura est occupata in expellenda materia morbifica: ideo cibis non est distrahenda. In secunda parte, vbi dicit (nec cogere) ponit secundam conclusionem, quæ est ante iudicationem ægros ad cibum non esse cogendos, sed cibum esse demendum.

Quo ad explicationem verborum dicit „ *His qui per circuitus.* Sciendum, circuitum esse illud spatium, quod à principio vnius paroxysmi vsque ad principium alterius excurrit. Galenus lib. de morborum temp. cap 6. diuidit circuitum in accessionem, & remissionem: accessionem in principium, inæqualitatem, augmentum, & statum; remissionẽ verò in declinationem, & interuallum. Dum dicit Hippocrates nihil dãdum in accessionibus, intellexit nihil esse dandum in principio, nihil in inæqualitate, augmento, & statu, sed solum esse cibandos in declinatione, vel interuallo circuitus.

In principio accessionis nihil cibi dandum, quia impediretur transmissio peccantis humoris è venis maioribus ad minores, vnde febris intermittens fieret cõtinua, & continua maligna, & fortasse lethalis: sicuti obseruauit Hippocrates in ægro innominato, qui cęnauit calescens, ac propter hunc errorem ex humanis decessit.

Similiter filia Philonis, quia intempestiuè cęnauit, mortua est.

Filia Eurianactis ob vuæ racemum in principio paroxysmi comestum incidit in phrenitidem.

Insuper nihil dandum est in principio paroxysmi: quia ex Galeno lib. de morborum temporibus cap. 3. & 3. pręsag. comm. 3. tunc virtus est suffocata: atque à cibo magis suffocaretur.

Postremò nihil dandum in principio paroxysmi: quia Hippocrates 1. de ratione vic. tex. 40. prohibet tunc ipsam ptissanam, quæ inter cibos tenues, & medicinales continetur. Demum quarto de ratione vic. 39. loquens de accidentibus principij paroxysmi Hippocrates habet hæc verba „ Venter de necessitate calet, fastiditque cibum, intenditur hypocondrium: subdit, dolet æger, lancinatur, velicaturque vomere affectat: ergo nihil dandum cibi in principio paroxysmi.

Præterea nihil dandum est in augmento paroxysmi, quia tunc augetur calor, & ex cibo eleuãtur vapores admodum acres, qui magis perturbant, quam alijs temporibus. Hinc Celsus lib. 3. „ satius est dare cibum instante febre, quam incipiente, & satius est consistente, quam increscente.

Insuper nihil dandum est in statu, quia tunc natura est in magno certamine cum morbo: ideo Galenus ex Hippocrate 1. de ratione vic. 46. inquit, cibum non esse præbẽdum, nisi caliditas reliquerit thoracem, & ad pedes descenderit, quod solum in declinatione, vel interuallo euenire solet. Notandum tamen, peccatum grauius esse cibum dare in principio accessionis, quàm in vigore: tùm quia in principio cibus suffocationem minatur: tùm quia errata principij communicantur augmento, & vigo-

vigori, sed non vice versa: præsens enim communicatur futuro, sed non præterito: vigoris verò peccatum non communicatur declinationi; quia declinatio non est peccati capax: ægri enim in declinatione sunt in tuto.

An verò cibus dandus sit paulò ante accessionem, vel multo ante colligitur ex his sex cōditionibus à Galeno propositis, nempè ex parte affecta, ex affectu, natura ægrotantis, natura principij, ex quantitate, & qualitate cibi.

Ex parte affecta: quia ex Galeno 10. meth. vlt. habetur, quod si iecur, & ventriculus grauiter afficiantur, multo ante esse cibandum.

Ex affectu ipso: quia in omni graui affectu multo ante est cibandū, nisi adsint contraindicantia, quæ sunt octo, nimirū morsus ventriculi, lūbrici, pestis, vel sint picrocholi, & cætera, de quib. egimus superius.

Ex natura ægrotantis, quia in biliosis paulò ante accessionem; in pituitosis multo ante est cibandum.

Ex natura principij paroxysmi, quia si in principio paroxysmi diu durat rigor, vel extremarum partium frigus, multo ante: si somnus sit profundus, multo ante: si verò ista non sint, paulò ante.

Parimodo ex quantitate, & qualitate: quia si quantitas cibi vel qualitas coctu difficilis danda sit, multo ante: si coctu facilis, paulò ante.

Preterea Hippocrates intelligit de morbis in hoc aphorismo, qui inuadunt per circuitus, atque habent plures accessiones: neque intelligit de illis, qui vnicam accessionem habent vsque ad finem, vt est febris synochus: quæ reuer. non iudicatur per crisim: quoniam Galenus 9. meth. 4. loquens de synocho dixit „ se per sanguinis missionem in principio vsque ad animi deliquium factam iugulasse febrem: quod certè fieri non posset, si per crisim terminaretur: immo subdit, prætermissa venæ sectione, ad potum frigidæ ad saturitatem esse accedendum: quippe impedit crisim, nihilominus calorem præter naturam de repentè extinguit.

Nec valet, dum dicunt Nōnulli, sanguinis eruptionem per nares esse crisim febris synochæ: quia est symptoma plenitudinis sanguinis, qui non est coctionis capax, quæ coctio in crisi perfecta necessariò requiritur.

Prima dubitatio circa primam partem aphorismi occurrit: quia aphorismus prima facie videtur superfluus, quoniam Hippocrates idem docet in aphorismo 11. dum dixit in ipsis paroxysmis abstinere oportet.

Respondetur in aphorismo 11. Hippocratem docuisse, abstinendum esse à cibo: in hoc verò aphorismo docet nihil dandum in paroxysmis: sed sic est, quod nihil dare, & abstinere valde differunt inter se. Similiter in 11. aphorismo egit de victus quantitate: in hoc verò de vtendi modo. Præterea in hoc aphorismo loquitur de iudicatione naturæ, additque non esse cogendos ægros: in 11. verò de his ne verbum quidem.

Secunda dubitatio: non videtur quod in accessionibus nihil dandum sit: quod sic probatur: tunc est cibandum, quando calor influens ad interna recurrit: sed in principio paroxysmi recurrit: ergo tunc est cibandum: maior patet, quia dum influens recurrit ad intus corpora fiunt robustiora.

Respondetur, calorem recurrere quidem ad partes internas, sed in igneam naturam conuerti, corporaque efficere debiliora, & ad concoquendum ineptissima.

Insuper notandum, hoc præceptum Hippocratis, quod nihil in accessionibus sit dandum, possit ampliari ad chirurgiam, & pharmaciam, idest in accessionibus, neque esse sanguinem mittendum, neque esse administranda lenientia, vel præparantia, vel pharmaca, vel corroborantia: ratio potissima est, quia hæc omnia maximè distrahunt naturam à certamine cum morbo: quare remedia chirurgica, & pharmaceutica solum conueniunt in declinatione, aut interuallo, & non in accessione.

Tertia dubitatio: in accessione epileptica, vel apopletica, vel in comate somnolento, & lethargo cōueniunt ligaturæ in partibus extremis: in occipitio vesicantia, & ferrum candens; ergo non est verum quod in accessionibus nihil sit dandum.

Respondetur per proposita remedia in dictis morbis non distrahi naturam à certamine: sed ipsam sopitam ad certamen excitari : magisque posse hoc indicans , vt excitentur à sopore,quam prohibeat remedium applicitum in ipsa accessione.

Quarta dubitatio augetur, quia vtimur remedijs in principio paroxysmi , quando natura non est sopita , veluti quando in principio paroxysmi febrilis vtimur vomitorijs , summo sanè cum ægrotantium beneficio.

Respondemus non conuenire vomitoria,nisi quando ipsa natura disposita est ad vomitum,ipsamque adiuuamus, illamque à certamine minimè distrahimus . Immo vt exemplis idem confirmetur , nos in principio accessionis quartanæ febris interdum assari puluerizati drachmam vnam & semis in vino albo generoso exhibemus, quo remedio plurimos,qui ad vomitum erant procliues, breui spatio sanauimus: magis enim potest indicans expellendi causam antecedentem, quam possit prohibens,ne natura distrahatur.

Præterea in principio accessionis summo cum ægrotantium beneficio vtimur in principio cardialgiæ repellentibus , quod desumpsimus etiã ab ipso Galeno 4.aphoris.25. vbi inquit, frigidæ perfusionem soluere dolores articulorum, & podagricos , hebetando videlicet. Similiter Galenus 9. meth.5. docet , aqua.n frigidam momento temporis intus,vel extra sanare cardialgiam. Parimodo in alijs plurimis affectibus licet vti varijs remedijs in principio accessionum.

Demum sciendum , naturam per repellentia non distrahi à certamine: sed repellentia ipsam partem tueri, ne à morbo lædatur .

Amplius dum Hippocrates ait, in accessionibus nihil dandum, intelligendus est, dumodò non adsint vrgentia, quæ magis possunt,quam ipsi morbi : hac ratione in picrocholis damus cibum: quia magis potest imminens febris hectica, quam paroxysmus febrilis.

In pestilentibus febribus in ipsa accessione datur cibus iusto copiosior, quia magis potest virium casus, quam morbus pestilens: in illa enim pestilentia,de qua Hippocrates locutus est, solum illi sanabantur, qui ad comestionem cogebantur : cæteri verò parum, vel nihil sumentes ob virium casum moriebantur.

Quare aphorismi Hippocratis, nisi ordinentur , & disponantur secundum Galeni methodum, quam satis superque declarauimus in aphorismo 16. omnes videntur falsi: ostensum enim est ex Galeno loco citato,prius vrgentibus esse attendendum, quam causis ,& prius causis, quam morbis ipsis. Parimodo Hippocrates aphorismo 8. vbi habet ,, Quando morbus in vigore constiterit,vel tenuissimo victu vtẽdum,aphorismus sine proposita distinctione est falsus, quia si vires sint debiles, per victum vel tenuissimum ægri moriuntur . Similiter 15.aphorismus,qui dicit ,, Ventres hyeme calidissimi, falsus est de debilibus: decimussextus,qui dicit victus humimidus febricitantibus conuenit , falsus est in quotidiana febre: vigesimussecundus qui dicit concocta medicari, falsus est de aqua hydropicorum vigesimustertius: vbi dicit euacuandum esse vsque ad animi deliquium, in debilibus est perniciosus aphorismus: ordinati tamen secundum Galeni methodum intellecti doctrinam quidem diuinam continent.

Quinta Dubitatio: Nec cogere Hæc est 2. pars aphorismi. Nonnulli sunt ita audaces, vt reprehendat Hippocratem ; quod vsus sit verbo superfluo, dum dicit (nihil dare nec cogere) quia si nihil est dandum, supponitur, ægros esse cogendos .

Responsio facilis est: quia verbum nihil dare pertinet ad primam partem, verbum nec cogere ad secundam,itaut hic sit sensus in accessionibus nihil est dãdum neque ante iudicationem ægri sunt cogendi : quasi quod Hippocrates reprehendat medicos triuiales,qui dum vident ægros ante iudicationem cibum non sumere, illos cogunt ad sumendum,licet morbus sit in vigore.

Ante indicationes Galenus per iudicationes intelligit morbi vigorem & præcipuè accessiones , siue iudicationes quæ fiunt in accessione,& morbi vigore .

Triuerius & Montanus reprehendunt Galenum, quod dicat per iudicationem Hip-

Hippocratem intelligere morbi vigorem, & accessionem: ratio istorum est, quia si in hoc loco Hippocrates prohiberet cibum in accessione, & in morbi vigore, aphorismus esset superfluus, quia coincideret cum octauo, vbi ait, in morbi vigore tenuissimo victu vtendum, & coincideret cum vndecimo, vbi inquit in ipsis paroxysmis nihil dãdum: quare Triuerius vult Hippocratem per iudicationem intelligere ipsam crisim in qua, paulo antequam fiat, cibus dandus non est.

Quod verò Hippocrates per iudicationes præcipuè intelligat paroxysmos, primo patet ex Galeni comm. dum dicit melius est, quod per iudicationes intelligamus accessiones, seu paroxysmos, quod idem est: quia de alijs duobus superius dictum est, nempe de morbi vigore, & per consequens de iudicatione, quæ fieri solet in ipso vigore. Deinde adest ratio potissima, quæ idem persuadet: quia ex Galeni comm. in hoc aphorismo agit de modo cibandi ægros: sed sic est, quod ægri quotidiè sunt cibãdi: ergo per iudicationes intelliget iudicationes, quæ quotidie fiunt, talesque sunt accessiones, seu paroxysmi, & non perfectæ crises: quam Galeni artificiosam expositionem, nec Montanus, nec Triuerius intellexerunt.

Sexta dubitatio pulchra occurrit: inquit Hippocrates, nihil dare in accessione, nec cogere, sed demere cibum ante iudicationem, idest ante accessionem, & ante vigorem: quando igitur ægri erunt nutriendi? nunquam: quia non vult dare cibum in paroxysmis, neque ante paroxysmos, neque in vigore: neque ante vigorem: ergo nunquam: ergo aphorismus erit vanissimus.

Solutio colligitur ex tex. Græco: quia dicit: ἀλλ᾽ἀφαιρέειν τῶν προσθεσίων ἀφαιρέειν cum genitiuo significat aliquid demere: si dixisset τὰς προσθεσίας cum acusatiuo intellexisset totalem cibi ablationem: sed dixit τῶν προσθεσίων quod significat aliquid tantum esse demendum, & non omninò cibum esse demendum, itaut dicendo Hippocrates ἀφαιρέειν cum genitiuo, magno vsus sit artificio: quia significat aliquid parum dandum esse, & non omninò ægros sine cibo relinquendos.

APHORISMVS XX.

QVÆ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.

Cum Hippocrates à 4. aphorismo ad hũc vigesimum distinctè & particulatim egerit de ratione victus ægrorum & sanorum, ac de modo administrandi cibum: reliquum erat, vt ageret de præceptis pertinentibus ad euacuationem, quæ fit per chirurgiam, & pharmaciam: quod facit in sex sequentibus aphorismis.

Connectitur hic aphorismus cum superiori, quia in superiori docuit quid agendum sit in crisi imperfecta, quæ fit in ipsis accessionibus, dicendo in accessionibus nihil esse dandum, & paulò ante crisim cibum esse demendum.

In hoc verò aphorismo docet quid agendum sit in crisi perfecta, non amplius intelligendo de ratione victus, sed de remedijs chirurgicis, & pharmaceuticis: itaut Hippocrates mira occasione colligat & connectat tractatum de ratione victus cum tractatu chirurgico, & phamaceutico.

In hoc tractatu ab hoc aphorismo vsque ad finem huius sectionis hæc considerat. In hoc aphorismo 20. docet quando medicus nihil agere debeat: illa sanè est magna medicorum sapientia, dum intelligunt quando in ægris nihil sit agendum, seu quando totum negotium sit naturæ permittendum ac quando medicus solum debeat esse spectator naturæ rectè operantis. In 21. aphorismo docet per quæ loca medicus debeat euacuare. In 22. quando sit facienda euacuatio. In 23. vsque ad quem terminum. In 24. quando in acutis corpora purganda sint. In 25. docet illam esse optimam euacuationem, quæ fit qualiter fieri debeat. Ista sunt suprema capita pertintia ad euacuationem faciendam per instrumenta chirurgica, ac pharmaceutica.

Quæ iudicãtur. In hoc aphorismo dicit esse quiescẽdũ ab omni operatione chirurgica, & pharmaceutica, dũ crisis est perfecta.

Prima ratio aphorismi est, quia si medicus tempore perfectæ crisis moueret, irritaret ad super purgationem, ac fluxum aliquem posset efficere, qui mouendo alium lapidem ægri fabricam euertere posset.

Secunda ratio, diuerteret naturam rectè operantem ab opere suo.

Tertia, posset diuertere humores, qui per regionem conuenientem mouentur: eosque deducere ad regionem inconuenientem.

Quarta dum velent auxilium afferre naturæ promptè operanti, auxilioque non indigenti, illam æque præcipitem redderet, ac qui æquo currenti calcharia adderent. Hinc Auicennas prima quarti protulit illud famosum dictum „ si natura non mouet, moue tu motu eius: at si ipsa mouet, & actu mouet, dimitte eam, & operationem eius.

Quo ad diuisionem. Cum aphorismus sit vnica sententia sine ratione prolata non patitur diuisionem.

Quo ad verborum explicationem dicit, *quæ iudicantur, & iudicata sunt*: quia ex Galeno tertio de crisibus tertio crisis dupliciter consideratur, vel vt fiens, vel vt facta est: dum dicit quæ iudicantur, intelligit de crisi quæ fit: dum dicit, quæ iudicata sunt, intelligit de crisi quæ facta est.

Prima dubitatio occurrit, dicit quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè. Contra hoc dictum habemus hanc instantiam; crisis, quæ fit, & adhuc non est facta, non est integra & perfecta: ergo illud integrè in hoc aphorismo non habet locum: ergo malè Hippocrates.

Respondetur, crisim perfectam dupliciter cōsiderari, vel quo ad terminum, & finem crisis, vel quo ad conditiones perfectæ crisis: dicimus, crisim quæ fit esse perfectam quo ad conditiones perfectæ crisis, de quibus paulò infra.

Dicit ἀρτίως idest integrè. Nonnulli ante Galenum; & Nōnulli post Galenum, vt Cardanus per ἀρτίως explicabant nuper: quia apud Græcos ἀρτίως interdum significat nuper: sed Galenus reprehendit istos: quia licet dictio nuper possit accommodari ijs quæ iudicata sunt: non tamen potest ita benè accomodari ijs quę actu iudicantur, quæ actualis iudicatio est in fieri, nuper enim significat rem præteritam, & factam. Præterea sententia Hippocratis esset falsa; quoniam non semper est verum, quod nihil sit mouendum & innouandum in ijs quæ iudicata sunt nuper, quando crisis esset imperfecta.

Nonnulli Alij per ἀρτίως intelligunt dies pares, in quibus neque mouere, neque nouare licet: quia reuera ἀρτίως apud Græcos dicitur de numero pari. Reijciuntur à Galeno, quia in die pari aliqua crisis imperfecta fieri potest: quo casu medicus debet mouere, & nouare.

Galenus per ἀρτίως præcipuè intelligit perfectè, & integrè, qua occasione medicus nihil agere debet: quia sufficit vt in crisi integra, & perfecta totum opus relinquatur naturæ. Quod verò hæc sit Hippocratis mens colligitur ex lib. 2. de humoribus tex. 13. vbi repetens hunc aphorismum loco dictionis ἀρτίως ponit ἀπαρτί; quæ dictio indicat integrè & perfectè.

Secūda dubitatio, qui explicat aphorismū verbis æquiuocis est damnandus: sed Hippocrates hoc facit in aphorismo: ergo. Maior patet: quia vbi est æquiuocatio, ibi est ignorātia. Minor probatur: quia per illud aduerbium integrè in aphorismo Græco legitur ἀρτίως: sed artios habet tria significata. Primo significat integrè. Secundo dies pares. Tertio significat nuper: ergo est vox æquiuoca. Responsio est, quod dū plura significata vocis æquiuocæ magis explicant sensum aphorismi, æquiuoca esse maximè desideranda, sic artios primo significat integrè, & hæc significatio est magis propria, quia in crisi integra nil omninò nouandum. Secundò artios significat dies pares, quia in diebus paribus medicus non debet mouere: quia ex Galeno 3. de crisib. 2. in crisi fiunt vigiliæ, anhelitus difficiles, & deliria: quare prius vires recreantur, & deinde est mouendum. Credimus tamen per artios præcipuè intelligere integrè: sed illud aduerbium posse artificiosè ampliari ad alia duo significata.

Parimodo Hippocrates vtitur illa dictione. πόνος. & pluribus alijs, quæ multa significata comprehendunt, vt superius explicauimus: neque alio modo paucis, ros

medicinæ archana poterat explicare.

3. Dubitatio. Qui vtitur verbis superfluis in aphorismis non est laudandus. sed Hippocrates id facit, dum dicit nil mouendum vel nouandum. Respondeo singula verba habere varia significata, (vt infra) deinde voluit efficaciter nobis comédare diuinum eius perceptum.

4. Dubitatio. Qui consultat de præteritis non est audiendus. sed hoc facit in aphorismo Hippocrates: dum dicit quæ iudicata sunt, quod verbum est præteritum. Respódeo ex Galeno quarto aphorismorũ 21. tria requiri, vt fit factum iudicium, coctio, separatio, & euacuatio: quibus factis fit consultatio de præsentibus & non de præteritis.

5. Dubitatio: hic aphorismus aduersatur sequenti, quia hic dicit nil mouendũ & in sequenti, quo natura vergit eo ducere. Respondeo in hoc aphorismo intelligere de perfecta crisi: in sequẽti de imperfecta.

Neque mouere. Ratio est, quia dum natura iudicat, semper cum impetu mouet: ideo Galenus 3. de crisibus cap. primo, habet, quod de ratione crisis sit cum impetu mouere: ideo medicus non debet addere alium impetum: quia æquo currenti adderemus calcharia, atque ægrum præcipitem ageremus.

Dicit *Neque nouare*, nempè vt non vtamur medicamentis insolitis. Montanus tenet, hanc dictionem nouare ampliari posse ad omnia externa non naturalia, quæ accidere possunt, veluti sunt aperire fenestras: talamum nimium calefacere, & alia id genus, quæ mutationes possunt impedire perfectam crisim.

Neque medicamentis soluentibus. videlicet vtimur in perfecta crisi, *Neque irritamentis*, idest lenientibus, clysteribus, suppositorijs, sudorificis, & diureticis, vel alijs similibus: ne immeritò æger vexetur: sed sinere oportet: non tamen sinere quo ad victus rationem: quæ requiritur tenuissima quidem, ne natura ab incepto opere diuertatur: immo & post crisim per duos dies eadem ratione victus obseruanda, sicuti admonet Galenus primo acutorum commento 25.

Accedit, quod vt optimè admonet Galenus 11. meth. cap. 11. quod vix inueniri possit remedium, quod citra noxam iuuet: dat exemplum de exymellite, quod iuuat quidem, radit tamen intestina, & partes neruosas lædit: immo lib. de optima sec. ad Trasyb. circa finem concludit, nullum remedium posse in ęgris impunè administrari, cum omnia sint præter naturam: quare si remedia blanda, & leuissima nó possunt impunè administrari, quando etiam opportunè applicantur: quanto magis applicita quando non oportet, nocebunt?

Galenus & in hoc comm. & primo de diebus decretorijs cap. 2. proponit sex conditiones optimæ crisis: sed antequam illas declaremus, sciendum ex Galeno 1. de diebus decretorijs cap. 1. & 3. de crisibus cap. 2. nomen crisis fuisse translatum à iudicio, quod fit in foro: quia sicuti in foro, dum agitur de vita, & morte, omnes timẽt; similiter dum agitur de vita & morte ęgrotantis vocatur crisis, idest iudicatio, quasi quod æger sit sub iudice constitutus, debeatque expectare iudiciũ de vita, aut morte. Quod nomen crisis (ait Galenus) non fuit inuentũ à medicis, sed ab astantibus: optimi enim medici tempore crisis præuident salutem, vel mortem ægrotantis: neque hæsitant de rerum euentu.

Insuper sciendum ex Galeno 3. de crisib. primo, quod ægritudo sex modis terminari possit: tribus ad salutem: & tribus ad mortem. Primus ad salutem est dum ægri cum subita mutatione ad salutem terminãtur. Secundus ad salutem est, dum ægris aliqua subita cótingit mutatio ad melius: non tamen statim, sed sensim ad sanitatem, & dicitur crisis imperfecta. Tertius modus mutationis ad salutem est dũ morbi terminantur non per subitam mutationem, sed per morbi dissolutionem, atque iste modus non pertinet ad crisim: secundum hunc modum hecticæ primi gradus & ephemera terminantur.

Similiter tribus modis ad mortem terminantur ægritudines. Primus est cum subita mutatione ad mortem. Secundus cum subita mutatione ad peius, & deinde ad mortem. Tertius est cum virium dissolutione, sicuti hectica, & omnes morbi, qui solum sunt in facto esse. Hinc Hippocrates

videns,

videns, duos modos non pertinere ad crisim 1. epid. 3. tex. 16. quatuor differentias crisis solum proponit. Prima dum fit cum subita mutatione ad salutem. Secunda cum subita mutatione ad mortem. Tertia cum subita mutatione ad melius. Quarta cũ subita mutatione ad peius; hac lege, quod illud, quod remanet paulatim interimat.

Præter hos quatuor modos Saxonia mentionem facit de quinto modo, qui est, dum morbus in deteriorem morbum mutatur: veluti, dum mali humores à loco ignobiliori ad nobiliorem transitum faciunt: hunc modum desumit ab Hippocrate 7. aphorif. 11. vbi ait, à morbo laterali pulmonis inflammatio, malum: Galenus verò aphorif. 12. à pulmonis inflammatione phrenitis, malum. Sed reuera iste quintus modus non est separatus à quarto, quia ad ipsum reducitur. Ad primum modum reducitur crisis perfectissima, de qua Hippocrates in hoc aphorismo intelligit, cuius perfectissimæ crisis conditiones ex Galeno in hoc comm. sex sunt.

QVÆST. LXXV.

De conditionibus perfectissimæ crisis.

PRima conditio perfectissimæ crisis est, quod fiat per affluxum, & per partem inferiorem & non per abscessum. Secunda quod fiat per euacuationem solius, & totius humoris peccantis. Tertia quod fiat κατ' ἴξιν idest secundum rectitudinem. Quarta cum tolerantia. Quinta quod humor, qui euacuatur sit concoctus. Sexta vt fiat in die critica. Addimus septimam, quæ colligitur ex tertio de crisibus cap. 6. quod crisis optima fiat in statu morbi. Vnica deficiente ex his, crisis est infida, obscura, & cum periculo recidiuæ.

Quo ad primam conditionem optimæ crisis, notandum particulam per partem inferiorem esse delendam: quia in cod. Græco ipsius Galeni non inuenitur: immo Galenus 3. de crisibus cap. 2. proponens hanc primam conditionem crisis: dixit quidem fieri per affluxum: sed non dixit quod fiat per partem inferiorem, vel superiorem.

Præterea si de ratione optimæ crisis esset euacuatio per partem inferiorem, sequeretur, quod crisis facta per partem superiorem non esset perfecta, quod non est dicendum: quia crisis per sudorem vniuersalem est omnium perfectissima, tamen non est per partem inferiorem.

Similiter febris ardens, dum terminatur per sanguinis eruptionem è naribus inter perfectissimas numeratur, tamen est per partem superiorem.

Quo ad secundam conditionem, quod scilicet perfecta crisis fiat per euacuationem solius, & totius humoris peccantis, patet experientia: quia si in quotidiana vel quartana fieret euacuatio humoris biliosi, tantum abest quod hæc esset perfecta crisis, vt & infida, & certum recidiuæ periculum indicaret.

Hinc errant illi, qui in quartana, vel quotidia, vel hydrope vtuntur medicamento euacuante bilem, sicuti est rhabarbarum: Galenus enim libello de purgantium medicamentorum facultatibus dicit medicamentum euacuans bilem in morbo pituitoso esse tamquam venenum. Idem testatur Auicennas, vbi agit de hydrope quod rhabarbarum quod euacuat bilem in hydropico sit tamquam venenum: quia in hydrope bilis desideratur. Parimodo qui in febre ardente vtuntur medicamento euacuante pituitam, committunt errata, quæ sunt tanti momenti; vt ægros ad recidiuam & interdum ad mortem perducant.

Deinde si humor peccans non euacuetur solus, sed permixtus alijs humoribus non peccantibus, crisis quoque est valde imperfecta: Galenus enim 4. aphorif. 22. proponit tres conditiones bonæ crisis. Prima est concoctio. Secunda separatio humoris peccantis à bonis humoribus. Tertia est euacuatio.

Insuper nisi totus humor peccans euacuetur, periculum recidiuę impendet: *Hippocrates* enim 2. aphorif. 12. habet hunc famosum aphorismum: quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere consueuerunt.

Quo ad tertiam conditionem, quæ est quod

quod euacuatio fiat secundum rectitudinem siue κατ᾽ ἴξιν non omnes intelligunt quid indicet hæc particula κατ᾽ ἴξιν.

Petrus Brisotus in libro apologetico de pleuritide. Curtius, Fernelius, & Leonicenus per rectitudinem intelligunt rectitudinem respectu partium, quæ sursum & deorsum sunt: negantque à dextris ad sinistras partes, ab internis ad externas, & ab anterioribus ad exteriores esse rectitudinem.

Nos verò arbitramur rectitudinem inueniri in omnibus positionis differentijs. Primò quia Galenus 3. de fracturis comm. 10. interpretatur κατ᾽ ἴξιν è regione: sed sic est quod pars dextra è regione respicit sinistram: sic de alijs positionis differentijs dicendum est. Deinde Galenus 5. meth. 3. & 4. meth. 6. asserit partem anteriorem ita aduersari posteriori, sicuti superior inferiori: quare κατ᾽ ἴξιν, siue hæc rectitudo conueniet omnibus differentijs positionis.

Demum est experientia, quæ indicat rectitudinem significare è regione: quia ex Hippocrate frontem laborantem remedium appositum occipitio sanat: quia occipitium è regione respicit frontem. Hinc in magnis oculorum doloribus nullum est præstantius remedium setaceo, seu cauterio, quod & oculorum dolores à fluxione factos tollit, & mentagram, quam nos non semel eodem setaceo sanauimus.

Quo ad quartam conditionem, quæ est, quod optima crisis fiat cum tolerantia, videtur esse aliqua difficultas: quia Galenus 3. de crisibus 3. inquit, crisim fieri cum vehementibus symptomatis, cum dolore capitis, cum difficili respiratione, & alijs accidentibus. Quomodo ergo crisis optima erit cum facili tolerantia?

Respondetur ex Galeno 3. de crisibus 3. & ex hoc comm. crisim dupliciter considerari, vel vt fit, vel vt facta est: prima est cum labore: secunda est cum tolerantia, & cum virium leuamine.

Quo ad quintam conditionem, quæ est, vt fit cum humorum peccantium coctione, clara est: Galenus enim 4. aphoris. 22. habet hæc verba ,, Vbi est cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuare est impossibile: siquidem oportet coctionem præire, subsequi separationem, & postea euacuationem, vt optima sit crisis.

Quo ad sextam conditionem, quæ est, vt fiat in die critica. Galenus 1. de diebus decretorijs cap. 7. inquit, nullum signum futuræ recidiuæ fortius esse, quam dum crisis fit in die non critico.

Qui nam verò sint isti dies critici, sciendum in peracutis exactè qui vocantur perperacuti, esse tertium, quartũ, & quintum. Tertium Hippocrates obseruauit in Critone. Quartum in Pericle. Quintum in Erasino, & Metone.

In peracutis non exactè, critici sunt sextus, septimus & vndecimus. Sextum Hippocrates obseruauit in virgine Larissæ. Septimum in Adolescente decumbente in foro mendacij. Vndecimum in Sileno, & Melidia.

In acutis exactè sunt dies decimusquartus, & decimusseptimus. Decimumquartum Hippocrates obseruauit in muliere trimestri fætu grauida. Decimum septimum in Horofonte.

In acutis non exactè sunt vigesimus & vigesimusprimus. Vigesimum Hippocrates obseruauit in vxore Philini. Vigesimum primum in vxore Dealcis.

In acutis ex decidentia exactè sunt 24. 27. 34. & 40. Hippocrates quadragesimum obseruauit in Nicodemo. Vigesimumseptimũ in Hermocrate. Trigesimũ quartum in Anaxione Quadragesimũ in Pithione.

In acutis ex decidentia non exactè est sexagesimus: sed in hac die raro fit iudicium. In chronicis sunt 80. 100. & 120. Hippocrates 80. in Cleonactide obseruauit, 100. in Heropito. 120. in Pario.

Addita est septima conditio optimę crisis à Galeno 3. de crisibus cap 6. quæ est, quod crisis fiat in statu: in augmento verò licet cocti quoque sint humores, crisis fieri non potest: quia vt fiat crisis, requiruntur hæ conditiones, quarum prima est, vt humores peccantes separentur à non peccantibus. Secunda vt crisis fiat per euacuationem, quæ non in augmento, neque in principio status sed solum in fine ipsius status fieri solet.

Dubitatio: conditiones optimæ crisis superius propositæ videntur insufficientes: quia

quia Galenus 1. de diebus decretorijs cap. 2. vult, quod de ratione optimæ crisis sit hæc conditio, vt in diebus indicatorijs sit præostensa. Sic in septimo non fiet crisis nisi sit præostensa in quarto, neque fiet in 14. quę non sit pręostensa in 11. sicuti Hippocrates nos docet 2. sect. aphoris. 24. vbi inquit, quod quartus sit index septimi & vndecimus decimi quarti.

Ideo Auerroes 4. coll. 4. proponit quinque conditiones optimæ crisis, prima vt fiat in statu. Secunda vt fiat post coctionem. Tertia in die laudabili. Quarta vt euacuetur humor peccans. Quinta verò vt sit præostensa.

Respondemus in die critica non fieri crisim, nisi prius sit præostensa, quod licet Galenus in hoc comm. nihil dixerit, supposuit tamen non fieri crisim, nisi sit præostensa.

Quo ad Auerroem, quem Nonnulli magis laudant in proponendis crisis conditionibus, quam Galenum.

Respondemus quod potius Auerroes sit insufficiens, quoniam omisit quartam conditionem, quæ fortasse est magis præcipua, quæ est, quod crisis fiat cum tolerantia.

Sed quatuor occurrunt consideranda antequam vlterius progrediamur. Primum quid agendum sit in die decretoria, si natura nihil agat. Secundum quid agendum in die decretoria, quando natura imperfectè operatur. Tertium quid agendum quando motus sunt symptomatici, & an sint vtiles, & sint adiuuandi. Quartum vnde desumantur dies critici, & dies indicatorij, & de eorum numero.

QVÆST. LXXVI.

Quid agendum in die decretoria, si natura nihil operetur.

Qvantum attinet ad primum, quid agẽdum sit in die decretoria, quãdo natura nihil operatur. Multi putãt, quod tunc medicus in die decretoria dare debeat pharmacum. Id confirmant auctoritate Hippocratis, Galeni & Auicennæ. Hippocratis & Galeni 4. de ratione vic. 76. qui dant pharmacum in pleuritide quarta die, quando natura nihil operatur: sed sic est quod quarta dies potest esse decretoria in peracutis exactè: ergo potest dari pharmacum in die decretoria, quando natura nihil operatur.

Auicennas verò in tractatu de cura febrium putridarum in genere habet hæc verba „ Quando natura non mouet, moue tu: sed sic est quod motus naturæ est in die decretorio: ergo tunc pharmacum dari potest.

Nos putamus in die decretoria, si natura nihil prorsus operetur, nullo modo pharmacum dandum esse: quia tempus exhibendi pharmacum non desumitur à die decretoria, sed à materia per concoctionem disposita ad euacuationem: hæc verò dispositio ex necessitate cadit in aliquam diem decretoriam: sed non in quamlibet diem decretoriam.

Contra hanc solutionem disputat Capiuaceus contra Paternum: sed nihil boni affert, sicuti in eius expositione potest videri.

Nos ad auctoritatem Hippocratis & Galeni 4. de ratione vic. 76. respondemus Hippocratem & Galenum fuisse locutos de materia turgente, quæ illicò, & quacumque die appareat, si habet propensionem ad intestina, esse repurganda.

Ad Auicennam respondemus eius verba hoc modo esse legenda „ Quando natura non mouet, moue tu motu eius: scilicet conuenienti ipsi naturæ, qui motus conueniens solum fit quando humores euacuandi sunt cocti. Hæc expositio confirmatur ex Hippocrate, aphorismo 22. huius sect. dicente „ concocta medicari.

Dubitatio: sed aliquis posset obijcere, non ne dum humores sunt cocti euacuantur ab ipsamet natura? si à natura: ergo medicus nihil agere debet.

Respondemus ex Galeno 4. aphorismorum 22. naturam prius concoquere, deinde subsequi discretionem, & postea euacuationem: quare si natura non separat humores concoctos, separa tu: si verò natura illos non euacuat, euacua tu: quare medicus nullo modo vti debet medicamento, nisi humores sint concocti, & separati: ideo si apparuerint in die critico signa optimæ cra-

concoctionis,& separationis, quod in vrina animaduerti potest, vti poterimus medicamento.

Quo pacto verò signa coctionis cognoscantur, Galenus 9.meth.5.non solum proponit id ex vrina, sed etiam ex pulsu dignosci, sed de hac re egimus comm.12.

Quo ad secundum, quid agendum sit in die decretorio, quando natura diminutè,& imperfectè mouet. Ex vna parte non videtur, quod medicus tunc aliquid agere debeat: Galenus enim 1.ad Glauc. cap.14. dicit „ In febre cum alui fluore diminuto, neque purgandum, neque sanguinem mittendum: ergo quando natura diminutè, & imperfectè mouebit, nihil erit agendum. Præterea est Auicennæ dictum satis famosum, ventrem soluere supra ventris solutionem esse timorosum. Ex altera parte Galenus 9. meth.5. sic dirimit hanc litem „ si fluxus sanguineus hæmorrhoidum, vel mensium fuerit diminutus, tantum sanguinis esse detrahendum, quantum tibi videbitur sufficere.

Respondemus pro solutione omnium difficultatum: motus vel esse criticos, vel symptomaticos, criticos vel esse perfectos, vel imperfectos. Quibus positis dicimus, in motu critico perfecto nihil esse agendum: in diminuto verò critico medicum semper debere auxiliari naturæ, vt docet Galenus 9. meth. cap.5. motus verò symptomaticos non esse adiuuandos. Quo posito dicimus Galenum 1. ad Glauc.14. dum dixit, in febre cum alui fluore non esse euacuandum, intellexisse de fluxu symptomatico,& non critico: quia illud caput decimumquartum inscribitur de febribus cum symptomatis.

Quo ad Auicennam respondemus dixisse, ventrem soluere supra ventris solutionem esse timorosum: quia id faciendum est cum præmeditatione: non tamen negat esse adiuuandum motum diminutum: immo non solum ex Auicenna fluxus fluxu,& vomitus vomitu tollitur: sed etiam ex ipso Hippocrate & Galeno 2.in 6.epid. 9. qui saltem ex accidenti concedunt vomitum vomitu, fluxum fluxu,& dolorem dolore sedari.

QVÆST. LXXVII.

An motus symptomatici sint adiuuandi?

QVæritur in hoc loco, an motus symptomatici sint adiuuandi. Ex vna parte si considerentur ægrotum historiæ Hippocratis in Epidemicis, ex quibus sanè desumpta sunt præcipua medicinæ fundamenta, dicimus motus symptomaticos esse adiuuandos: quia multi ægri ex illis per ipsos motus symptomaticos fuerunt liberati.

Primò in Metone id clarissimè obseruatur, qui die quinta liberatur à febre acutissima vrina existēte adhuc cruda, cui iussu Hippocratis fuit lotum caput, vt sanguis è naribus largius effluerет: quia paulo ante exigua sanguinis quantitas è naribus effundebatur.

Secundò in muliere trimestri fætu grauida morbo existente crudo in decimaquarta per sudorem liberatur. Hæc sunt Galeni verba in illo comm. „ Paulò ante; alius ægrotus per sanguinis eruptionem fuit iudicatus, & modò mulier per sudorem: cum tamen in vtrisque eadem die morbus esset incoctus, quę res effecit, vt iudicatio minus absoluta facta sit. Ecce quod ægrotantes ex motibus symptomaticis fructum non spernendum colligant.

Tertiò in Sileno mors erat expectanda die nona, sed quia papulæ rubræ die octaua apparuerunt, delatum fuit iudicium ad vndecimam diem: ex hoc casu quoque colligi potest, motum symptomaticum aliquid opis afferre.

Quartò in Herophonte, in quo, prima die,& vrina nigra & extrema frigida apparuerunt: hic æger ad summum in quinta debebat mori, sed quia die quinta intumuit lien morbo existente crudo, delatum fuit iudicium ad salutem quidem in die nona, propter motum symptomaticum, & in 17. perfectissimè iudicatur.

Quintum exemplum obseruatur in historia Simonis proposita 6. epid.2. tex.29. quia hic vir iuuabatur vnctionibus, & fotionibus calidis trahentibus materiam crudam, nempè frigidam & crassam à centro ad circumferentiam, quæ ad cutim

symptomaticè mota faciebat pustulas latas; vnde morbo interno liberatur. Ecce quod hic æger à motu symptomatico iuuatur. Quod iste motus in Simone fuerit symptomaticus, patet: quia dum cruda mouentur, non critici, sed symptomatici motus vocantur.

Demum Valesius lib.5.contro.cap.13.sequitur eandem opinionem dicens, quod omnis euacuatio mali humoris, quamuis symptomatica, sit vtilis.

Ex alia parte Conciliator, Plusquamcommentator, & plurimi Alij tenent, motus symptomaticos esse inutiles, & interdum perniciosos: ideo nullomodo esse adiuuandos. Hæc opinio comprobatur auctoritate & ratione. Auctoritate Galeni in Philisco dicentis „ Decretoria non iudicãtia, aut lethalia, aut difficilis iudicij: ergo non adiuuanda. Parimodo Galenus primo aphorismorum 12. habet hæc verba „ iudicatoria non iudicantia aliqua mortem, aliqua verò difficilem iudicationem portendere.

Ratione idem probatur: quia humores crudi, dum symptomaticè mouentur relinquunt locum, in quo quiescebant, atque amittunt occasionem coctionis: coctio verò solum quiete fit: ac natura solum cõcoquendo moderari potest calorem præter naturam, & per cõcoctionẽ illum vincere.

Dum verò humor crudus mouetur, non amplius coquitur, sed loco coctionis acquirit acrimoniam, per quam vincere, & interrimere potest illas partes, per quas transit: sicuti dum excitatur vomitus in cardialgia facta à bile æruginosa, vel dũ euomitur atra bilis illa, quæ exulcerat, & inde exanimat: ideo 4. aphorismorũ 21. & 22. Hippocrates ait, atram bilem sursum, vel deorsum euacuatam lethale ob eãdem rationem ex Hipp.6.aphorismorum 38. „ Cancri citius curati, quam non curati, interimunt.

Ego meditatus sum quid posset dici in re tam difficili: & tandem amplexus sum hãc distinctionem, quam etiam proposui in lib. nostro de indicantiũ æquilibrio, qui est liber decimusquintus methodi vitãdorum errorũ, nempe euacuationem symptomaticã duplicem esse, aliam esse syncerè symptomaticam: hãcque dicimus semper nocere: atque esse malam vt signum, & vt causam: vt signum: quia indicat naturam esse domitam, & non dominantem: vt causam quia dum cruda mouentur, omnes partes, per quas transeunt, læduntur: aliã verò esse euacuationem mixtam ex motu critico & symptomatico: tuncque dicimus, crudos humores participare aliquam coctionem: hosque motus mixtos, vel maximè participare de critica, & parum de symptomatica, & sic euacuationem symptomaticam vtilẽ esse: vel dicimus parum participare de critica, & multum de symptomatica, & sic parum vtilem esse: vel nihil de critica participare, & sic euacuationem esse perniciosam: & lethalem, de qua Galenus loco citato dixit, vel mortem, vel difficillimam iudicationem portendere.

Alia quoque vagatur per scholas *distinctio* euacuationis symptomaticæ, quæ est quod euacuatio symptomatica vel fit ratione temporis, vel ratione exeuntis: ratione temporis est quando in morbo bilioso euacuatur bilis, morbo existente crudo; hæc euacuatio non est ita mala, vt non adferat aliquid opis: euacuatio verò symptomatica ratione exeuntis, illa semper est perniciosa, & vel mortem, vel difficilem portendit iudicationem; euacuatio symptomatica ratione exeuntis si in morbo bilioso cruda existente materia fiat euacuatio materiæ pituitosæ: vel in morbo pituitoso, in quo bilis potius desideratur, fiat euacuatio bilis in principio morbi, vel morbo existente crudo: hæc euacuatio symptomatica ratione exeuntis semper est mala.

His positis distinctionibus dicimus in Metone, sanguinem fluentem ẽ naribus esse mixtum ex motu critico, & symptomatico, & maximè participare de critico: quia erat propè finem morbi.

Vel dicimus euacuationem illam esse symptomaticam ratione temporis admodum propinqui salutij & non ratione exeuntis.

Idem dicimus de sudore mulieris trimestri fætu grauida.

Sic dicimus de papulis Sileni quod maximè participarẽt de motu symptomatico, & parum de critico: ideo perijsse.

Idem

Idem potest dici de tumore lienis Horophontis: sed ob virium robur fuisse saluatum præter rationem, vt dicit Galenus.

Tandem de Simone, quod fuerit liberatus interno morbo inunctionibus trahentibus materiam crudam ad cutim; diximus maximè de critico fuisse participem.

Demum reuocandæ sunt ad memoriam quatuor differentiæ crisis propositę ab Hippocrate 1. epid. 3. tex. 16. quæ sunt, vel ad salutem, vel ad mortem, vel ad melius, vel ad peius. Meton, & mulier trimestri fœtu grauida habuerunt crisim ad melius, ac quod reliquum erat, fuit aliquo dierum interuallo paulatim à natura superatum.

QVÆST. LXXVIII.

An critici dies pendeant a mense medicinali.

QVo ad quartum, nempè à quibus principijs desumantur dies critici, & numerus dierum criticorum. Auctores non consentiunt. Prius Galeni opinionem considerabimus, an scilicet defendi possit: deinde propriam sententiam proponemus.

Quo ad Galeni opinionem 3. de diebus decretorijs 9. Galenus desumpsit dies criticos à mense medicinali, qui an sit realis, vel chimericus, paulò infra.

Vt igitur intelligatur, vnde oriatur mensis medicinalis, sciendum ex Galeno loco citato dari quatuor menses.

Primus est mensis coniunctionis, qui est, dum Luna redit ad coitum Solis, qui fit diebus 29. & horis 12. atque hic mensis est realis.

Secundus mensis vocatur periodicus, qui fit, dum Luna peragrat duodecim signa Zodiaci, quod fit diebus 27. & horis 8. & est realis.

Tertius mensis dicitur manifestæ visionis, qui perdurat, donec Luna nobis appareat, de quo mense loquēs Galenus loco citato dicit esse 26. dierum cum horis duodecim: sed quomodo Galenus agens de hoc mense manifestæ visionis decipiatur, paulò infra.

Quartus mensis est medicinalis: quem Galenus hoc modo componit: sumit mensem manifestæ visionis, qui est dierum 26. cum horis duodecim: deinde sumit mensem periodicum, qui constat ex 27. diebus & horis 8. iungit hos duos menses, vnde dicit resultare dies 53. & horas 20. deinde Galenus diuidit hunc numerum in duas partes æquales, itaut pro qualibet eueniāt dies 26. & horæ 22. hūcque Galenus vocat mensem medicinalem: quem putat esse insignitum duplici influxu, solari videlicet, & influxu signorum Zodiaci: solarem dicit: recipere à mense coniunctionis: signorum vero influxum dicit recipere à mense periodico.

Ex hoc mense medicinali Galenus colligit omnes dies criticos, hoc modo: primo diuidit hunc mēsem medicinalem in duas partes: itaut quælibet constet ex diebus 13. & horis vndecim. Deinde iterum subdiuidit hanc partem in duas septimanas: itaut quælibet septimana constet ex sex diebus & horis 17. cum dimidia, quo fit, vt secunda septimana terminetur diebus 13. & horis 11. Tertia septimana diebus 19. & horis 19. vnde fit, quod dies vigesima & non 21. sit critica: quia de vigesima die solum relinquūtur quinque horæ: quo fit vt quilibet dies huius mensis medicinalis constet horis 25. & quatuor minutis.

Arbitror, quod neque in medicina, neque in alijs facultatib. inuenta sit chimera magis euidens, quam sit ista. Primò hæc opinio, quæ Galeno adscribitur, est falsa, & reprehensione digna: quia mensis manifestæ visionis, ex quo componunt medicinalem, non est 26. dierum cum dimidio: quia Luna interdū apparet die coitus cum sole: interdum secunda die post coitum, & rarò tertia, vel quarta die.

Hæc apparitio lunæ post coitum variatur propter tres causas. Prima ob velocitatem, vel tarditatem cursus Lunæ.

Secunda ob breuitatem, vel longitudinem ascensionum signorum.

Tertia ob latitudinem, vel obliquitatem Lunę respectu lineæ eclypticæ: itaut, si omnes causæ citissimę apparitionis lunæ in vnum conspirēt, Luna eodem die, quo iungitur cum Sole videri possit. Similiter si

causæ tardissimæ apparitionis in vnum cócurrant, Luna incipiet apparere solum quarta die post coitum cum Sole.

QVÆST. LXXIX.

De causis cita, & tarda apparitionis Luna.

CAusa verò citissimæ apparitionis sunt hæ tres. Prima est velocitas motus Lunæ, quæ contingit, dum Luna est in perigeo.

Secunda est quando Luna progreditur per signa breuis ascensionis.

Tertia quando Luna est in latitudine boreali respectu ecliptica.

Quando igitur Luna fuerit in perigeo eccétrici, ac fuerit in Capricorno, Aquario, Piscibus, Ariete, Tauro, & Geminis, habueritque latitudinem quatuor siue sex graduum: dicimus tunc Lunam in regionibus Septentrionalibus sicuti sunt Hybernia, & Dania, eodem die, quo coit cum Sole apparere posse, ita ut Luna vetus videatur summo mane, vesperi verò appareat noua: ita ut tunc mensis manifestæ visionis constet ex viginti nouem diebus, vel saltem ex 28. In nostris vero regionibus, tunc Luna appareret secunda die post coitum.

Causæ verò tardissimæ apparitionis sūt hæ tres. Prima est, quando Luna est in apogeo.

Secunda, quando Luna est in signis tardę ascensionis.

Tertia, quando Luna est in latitudine australi.

Quando igitur Luna erit in apogeo, eccentrici, nempè in Cācro, Leone, Virgine, Libra, Scorpione, vel Sagitario, tunc in nostris partibus neque primo, neque secundo neque tertio die post coitum apparebit: sed solum quarto die: tunc certe mensis manifestæ visionis constabit ex 25. diebus, & non ex 26. cum dimidia; rarò tamen accidit, quod Luna videatur quarta die post coitum, vel eadem die coitus: dicimus rarò, quia luna solum singulis quatuor annis est in perigeo, vel in apogeo eccentrici; non loquor modo de apogeo, & perigeo epicycli, quia hoc apogeum, vel perigeum epicycli singulis mensibus habetur, idest singulis 14. diebus semel apogeum & perigeum habentur.

Ex his patet, mensem medicinalem compositum ex mense manifestæ visionis, & ex mense motus periodici esse chimericum, ac pertinere potius ad arithmeticos, quam ad medicos, & astronomicos.

Cogimur igitur discedere à Galeni opinione, non solum in ijs, quæ dependent ab hoc mense medicinali: sed etiam dum putat dies iudicatorios & indicatorios à Lunæ aspectibus prouenire, nempe à sextili, quadrato, trigono, vel opposito Lunæ respectu principij ęgritudinis: putat enim quartum diem esse indicatorium ob aspectum sextilem, qui fit quatuor dierum spatio. Sed fallitur, quia hoc non respondet theoricæ lunę: quoniam quando luna est in perigeo, sextilis fit ante quartum diem: quando est in apogeo, sextilis est in quinto. Quare quartus dies propter aspectum sextilem non erit index septimi.

Pari modo hallucinari videtur Gal. dum putat, quadratum semper fieri septem diebus, & ideo septimum esse criticum.

Similiter fallitur, dum putat trigonum fieri spatio vndecim dierum: ideo ratione aspectus trigoni diem vndecimum esse indicatorium decimiquarti.

Itidem dum putat aspectum oppositum fieri spatio 14. dierum: idcirco decimumquartum diem esse iudicatorium: hæc certè non respondent theoricæ planetarum: quia supponit, non dari motus lunæ retrogrados, non dari eccentricos, & epicyclos: quasi quis neget phænomena, quæ quotidiè ab astronomis obseruantur de luna, & alijs planetis.

Præterea Hippocrates nullibi dixit, indicatorios, & iudicatorios habere originem à lunæ aspectibus, siue à mense medicinali. Insuper si vnus dies mensis medicinalis constaret ex horis 23. & 4. minutis, sequeretur, quod 80. 100. & 120. non essent critici: sed 81. 101. & 121. quia tertia hebdomada secundum opinionem illorū, qui instituerunt mensem medicinalem perficitur diebus 20. & horis quatuor cum dimidia: quare in 80. dieb. excessi erunt hó-

horæ 18. & in die 100. excrescerent horæ 22. cum dimidia „ & in 120. excrescerent horę 27. quæ omnino destruerent experimenta, & doctrinam ipsius Hippocratis, qui obseruauit, Cleonactidem, mulierem habitantem ad frigidamaquã, vxorem Epicratis, & multos alios fuisse iudicatos in die 80. & non in 81. Heropitum esse iudicatum in 100. & Parium in 120. & non in 121. die.

Accedit, quod isti, qui admittunt dies indicatorios, & iudicatorios fieri à Luna, & ab eius aspectibus sibi ipsis contradicunt: quia asserunt, motiones bonas, vel malas oriri ab aspectibus: bonas videlicet ab aspectu sestili, & trigono: malas verò à quadrato, & opposito: quia deinde conãtur fateri ex Hippocrate, & Galeno motiones malas fieri die 6. 8. 10. 12. 16. & 18. in quibus diebus certè luna non est opposita, vel quadrangularis.

Demum quod 4. dies qui est index 7. non recipiat virtutem à luna, patet: quia licet 4. sæpè sit index 7. & 11. decimiquarti & 17. vigesimi: attamen vltra 20. quaterni non habent vim indicandi: sed septeni: itaut 24. non possit esse index 27. neque 31. trigesimiquarti. Vltra verò 40. dicunt, & rectè non septenos, sed 20. esse criticos, sed sic est, quod à luna, vel ab aliquo aspectu hæc prouenire non possunt: ergo tantò minus à mense medicinali.

Sunt tamen ex vna parte plurimi medici Astrologiæ defensores, inter quos est Lodouicus septalius vir alioqui doctissimus in suis commentarijs de aere aquis. & locis qui conatur confirmare ex Aristotele, dies indicatorios, & iudicatorios virtutem sumere ab aspectibus cęlestibus, & ab ipsa Luna. Ex alia parte est Maginus Astronomus, qui edidit libellum, in quo defendit Galenum de mense medicinali.

Quo ad Aristotelis auctoritatem ipse primo Meteorum in primis verbis habet „ Oportet mundum hunc inferiorem esse continuum superioribus lationibus, vt inde eius virtus gubernetur: ergo & dies indicatorij & iudicatorij à Cælo habent virtutem. Similiter Aristoteles secundo Cæli inquit, propter motum solis in obliquo circulo fieri generationes & corruptiones: immo secundo de generatione & corruptione addit, propter motum Solis & aliarũ planetarum in obliquo circulo fieri generationes, & corruptiones: sed clarius Philosophus 4. de generatione animalium cap. vltim. declarat Solis, & Lunę influxum in hæc inferiora his verbis „ Luna est principium propter Solis societatem: fit enim Luna quasi alter Sol minor: ideo conducit ad omnes generationes, & perfectiones: calores enim & refrigerationes cum quadam moderatione faciunt generationes: sine moderatione verò faciunt corruptiones. Demum primo Meteororum cap. 2. inquit, Cælum esse causam efficientem eorum impressionum, quæ fiunt circa elementa: elementa verò esse causam materialem: hæc sunt illa fundamenta quæ desumunt ab Aristotele.

Ad prædictas Aristotelis auctoritates primò respondemus, Aristotelem secundo de Cælo tex. 42. determinasse, Cælum agere lumine, & motu in hæc inferiora, & non influxu, & figura, vt putant Astrologi. Qui igitur negant, Cælum agere in hæc inferiora influxu, & figura, negabunt quoque istas motiones in 7. 14. & 20. fieri à Luna, & syderum aspectibus.

Secundò respondemus, Aristotelem locis citatis intelligere Cælum agere in hæc inferiora tanquam agens commune, & vniuersale, non vt priuatum & particulare: Cælumque esse causam remotam, & non proximam: atque à remota nihil concludi affirmatiuè, sed solum negatiuè in camestres.

Tertiò respondemus, Aristotelẽ 3. de generatione animaliũ asserere, sole accedente ad nos fieri generationes, nepè vere, & æstate generari herbas, & alia plura: recedente verò Sole .i. autumno, & hyeme fieri corruptiones. Dum verò dicebatur ex Aristotele, Lunam propter Solis societatem conducere ad generationem. Respondemus, conducere ratione luminis, & motus: non ratione influxus, & figuræ. Ad postremum, dum dicebant ex Aristotele Cælum esse causam efficientem ipsarum impressionum: elementaque esse materiam recipientem impressiones, concedimus esse causam communem, & vniuersalem,

lem, sed non priuatam, & particularem, atque efficere in elementa impressiones ratione luminum & motuum, & non ratione influxus, & aspectuum, à quibus dicunt dies indicatorios, & iudicatorios particulares in ægritudinibus pendere.

Quo ad Maginum, qui pro defensione Galeni & mensis medicinalis edidit libellum, in quo dicit Galenum proposuisse quartum, & non tertium & quintum esse diem indicatorium: quia voluit solum proponere motum medium, qui cadit in quarta & non in tertia, vel quinta die. Similiter inquit Maginus Galenū proposuisse septimum & nō sextum & octauū diem esse iudicatorium: quia in septimo cadit motus medius: pari ratione dicit, proposuisse vndecimum, & nō decimum & duodecimum: sic decimumquartum & non decimumtertium & decimumquintum, quia voluit tangere motum medium lunæ & non motū lunæ velociorē, vel tardiorē.

Credimus Nos Maginum dupliciter hallucinari: primò quia supponit Galenum cognouisse motum medium, quod non potest admitti: illi enim qui non cognoscunt eccentricos, vel epicyclos nō possunt cognoscere motum medium: sed sic est quod Galenus hæc nō cognouit: quia de his ne verbum quidem in suis libris. Deinde Maginus ostendit, se Galenum non legisse, quia Galenus semper negat, octauum esse iudicatorium: atque negat decimum & duodecimum esse indicatorios, atque absolutè negat decimumquintum esse iudicatorium: quod non esset negandum; si dies indicatorij, & iudicatorij penderent à lunæ aspectibus. Præterea si Galenus cognouisset motum medium, cognouisset motū retrogradum, stationarium, & directum, ac per consequens cognouisset eccētricos; & epycic los, sed de his neque somniauit Galenus.

QVÆST. LXXX.

Ostenditur quemlibet diem esse posse indicatorium, & iudicatorium.

NOs tamen experientia Hippocratis suffulti putamus, quemlibet diem esse posse indicatorum, & iudicatorium: quamuis in acutis frequentius sint quartus septimus, vndecimus, decimusquartus, & vigesimus. Quod reuera ita sit, facilè colligitur ex ægrotantibus Hippocratis in Epidemicis propositis, ad quos, tamquam ad exemplaria sufficientissima reduxit omnia experimenta, quæ desumpsit à tabulis, quæ erant in templo Æsculapij innumerabiles.

Hinc prima dies obseruatur indicatoria in Phrenetico, qui prima die virulentum vomuit. tertia vero die iudicatur ad mortem.

Secunda dies obseruatur indicatoria in Pericle: quia in 2. habuit vrinas crassas, & in quarta per sudorem copiosum iudicatur ad salutem.

Tertia dies obseruatur indicatoria in Adolescente decumbente in foro mendacium: quia in tertia habuit extrema frigida, quæ indicabant mortem in quinta: tamē ob robur delatum fuit iudicium ad septimum.

Quarta dies obseruatur indicatoria in Sileno: quia in quarta die notabiliter omnia fuerunt exacerbata: in septima debebat mori, obmutuit tamen: ob robur fuit delatum iudicium ad nonum: sed quia die octaua eruperunt papulæ: ideo delatum fuit iudicium ad vndecimum, ita ut octaua fuerit index vndecimi.

Quinta dies obseruatur indicatoria in Horophonte in qua die intumuit lien, & in 17. iudicatur ad salutem.

Sexta dies obseruatur indicatoria in ægroto, qui cænauit calescens in qua multum delirauit, & iudicatur ad mortem in vndecima.

Septima obseruatur indicatoria in muliere decumbente in foro mendacium, in qua die extrema apparuerunt frigida, sed ob maximum robur delatum fuit iudicium ad decimumquartum diem, in quo moritur.

Octaua dies obseruatur indicatoria in Pythione, quia in octaua die maior commotio fuit facta, & die decima iudicatur ad mortem.

Nona obseruatur indicatoria in ægro innominato, in quo die friguit, indicauitque quid erat euenturum in vndecima, in qua die moritur.

De-

Decimaseptima obseruatur indicatoria in muliere decumbente in L10, in qua irritatur aluus & iudicatur in 21.

Sed aliquis instare poterit: si quilibet dies potest esse indicatorius, quomodo poterit inueniri in quolibet ægrotante certus & determinatus dies indicatorius? Pro qua re dignoscenda medicus in prima visitatione statim debet ideam, & motum morbi inuenire: nempè, an morbus sit peracutus exactè, an peracutus non exactè, an acutus exactè, an acutus non exactè.

Dignoscemus peracutum exactè (qui solet terminari in primo quaternione) si primo, vel secundo die notabiles fiant mutationes ad bonum, vel ad malum: si igitur istæ notabiles mutationes apparuerint primo die, primus erit indicatorius, vt dictum est de Phrenetico, & de Critone. Tertius verò in his erit vt plurimũ iudicatorius: dies enim iudicatorius nihil aliud est, quã dum fiunt grauiora symptomata cum aliqua notabili mutatione ad bonum, vel ad malum.

Dignoscemus peracutum nõ exactè, qui in secundo quaternione terminari solet, si grauia symptomata appareant tertio, vel quarto die, vt contigit Philisco, de quo Galenus loquens habet hęc verba „ Vbi tertius & quartus dies habent grauia symptomata, iudicium expectandum est in sexta vel septima die.

Acutum verò exactè, qui solet terminari 14. die, dignoscemus, si æger mutationes habeat graues in sexto, vel septimo die, qui dies sunt indicatorij vndecimi, vel decimiquarti, & sic de alijs, vt plurimum contingere solet.

Quo ad dies iudicatorios, seu criticos, quod idem est, similiter dicimus, quemlibet diem posse esse criticum.

Quod quilibet dies possit esse criticus probatur per obseruationes ab Hippocrate desumptas in Epidemicis, & alibi. Ex Hippocrate 3. prognost. 16. angina grauissima interdum primo die interimit, & prima die interdum ad salutem terminatur. 2. epid. Coi soror laborans hepatis inflammatione secundo die moritur: ergo primus & secundus dies possunt esse critici.

Nec valet, dum dicit Valesius, illos dies non esse vocãdos criticos, qui mori solum, sed illos qui sanari etiam possint. Nec putat dari exempla morborum perperacutorum, qui sanentur prima, vel secunda die.

Fallitur, quia ipse Galenus 5. aphoris. 1. citat casum iuuenis, qui liberatur prima die per vomitum bilis æruginosæ morbo lethali. Præterea innumeri anginosi prima, vel secunda die sanantur. Deinde 3. epid. 3. habetur, Critonẽ, & Phreneticum iudicari, & mori in tertio die.

Larissam caluum mori in quarto.

Periclem liberari in quarto.

Erasinum mori in quinto.

Metonem liberari in quinto.

Philiscum mori in sexto.

Virginem Larissæ liberari in sexto.

Adolescentem decumbentem in foro mendacij mori, seu iudicari in septimo.

Quod dictum est de prima septimana potest applicari secundę, & tertiæ septimanæ: quia tertia dies respõdet decimæ, quarta respondet vndecimæ, quinta, duodecimæ, sexta decimetertiæ, & septima decimequartæ.

QVAEST. LXXXI.

A quibus causis proueniant dies critici.

Causæ verò dierũ criticorum nõ proueniunt immediatè à Cęlo, vt probatum est: sed à maiori, vel minori virtute agentiũ particulariũ, & à maiori vel minori dispositione patientium. Innumerabilia sunt discrimina agentium, & patientium. Hinc est quod patiens modò vincitur ab agente horæ spacio, vt epilepsia: modò diei spacio, vt ephimera: modò vnius hebdomadæ cursu, vt febris ardens: modò duarum hebdomadarum interuallo, vt febris acuta exactè, modò in vigesima die, vt febris acuta non exactè: modò vnius anni spatio, & vltra, vt quartana; & modò nunquam, vt podagra nodosa.

Parimodo ex ouis incubatis sub glocienti galina spatio 22. dierum paruuli nascuntur, nec citius, nec tardius. Similiter bubo, qui fit ex sanguine syncero in parte temperata septem diebus suppuratur, non propter lunæ aspectum quadrangularem: sed quia

quia eius natura talis est: si verò sanguini fuerit mixta bilis citius suppurabitur, si pituita, tardius.

Hinc Galenus 3. presag. 29. protulit hanc diuinam sententiam „ si vires sint robustæ, & humores peccantes sint calidi, cito iudicantur per excretionem; si verò vires sint robustæ, & humores sint frigidi, tardè iudicantur, & per abscessum: si vires sint debiles, & humores sint calidi, similiter per abscessum: si vires sint debiles, & humores frigidi, vel moriuntur, vel vix tandem coquuntur. Hæc Galenus.

Amplius excara facta à ferro cādenti separatur spatio sex dierū in temperamento humidiori: in sicciori paulò maiori interuallo, nempè septem dierum: quare non ratione aspectuum syderum, sed ratione naturæ particularis.

Ad eundem modum sanguis menstruus in aliquibus mulieribus citius, in aliquibus tardius fluit, non ratione Lunæ, sed ratione diuersitatis virtutis temperaturæ, conformationis, & dispositionis sanguinis. Neque fluunt menses solum in Lunæ coitu cum Sole, vel in plenilunio, vt medicorum vulgus supponit: sed qualibet die, & qualibet mensis hora prout varia est virtus, & varia est corporis dispositio.

Eadem ratione fructus citius, vel tardius maturescūt: quia eorum natura particularis id efficere potest. In principio mensis Aprilis maturescunt asparagi. In mense Maij cinera. In Iunio, vel paulò ante cerasa. Ficus in Iulio. Vuę in Augusto, tardius, vel citius, prout regiones sūt calidiores, vel frigidiores: quia à natura particulari, & à virtute agētium, & patientiū particularium hæc omnia fiunt. Hinc si vires in cerasum inserantur, vuæ maturescunt multo ante, in Iunio videlicet: quia vites à ceraso citius, quam à terræ solio alimentum sumunt.

His igitur hunc in modum constitutis cessare debēt admirationes de muliere decumbente in foromēdacij, cur in septima habuerit extrema frigida & septimus fuerit index 14. ꝙ non fuit Galeni principijs consentaneum, qui tenet quando dies indicatorius est in sextili, diem iudicatorium debere esse in fine quadrati, intelligendo per sextilem, & quadratum respectu principij ægritudinis, & non respectu nouilunij.

Pari modo cessare debent admirationes de Pythione, de filia Euryanactis, de Hermocrate, & de alijs. De Pythione, qui iudicatus sit in decima & non in vndecima quod cum Galeni principijs reluctetur, dixit Galenus mendum esse in codice Hippocratis, itaut debeat legi iudicatum esse in vndecima & non in decima.

De Filia Euryanactis Galenus miratur, cur mortua sit die 19. quæ neque est critica, neque vllo pacto ex mense medicinali colligi potest. Deinde miratur, cur habuerit exacerbationes in die pari: videns igitur Galenus hanc Hippocratis historiam suis principijs non semper consentire, vt tollat difficultates, inquit in 19. mortuam fuisse filiā Euryanactis ob destillationes, & innatā tabem, quæ ordinem dierum criticorum permutarunt: nihilominus Galenus refert non fuisse tabidam, sed solum ad tabem fuisse propensam.

De Erasino miratur Galenus: quia omnia erāt in secūda die exacerbata: tamen nō fuit iudicatus in quarta, sed in quinta. Videns Galenus etiam hunc casum non respondere suis principijs protulit hæc verba „ Si primam diem in casu Erasini non enumeres, cum fuerit quietus, illud iudicium erit in quarta, quod non tollit difficultatem: ex Hippocrate enim 2. aphorismorum 30. in principio & fine morbi omnia quietiora: quare in principio, & præcipuè prima die morbus semper est quietus, & hac ratione nunquam esset enumeranda prima dies, quod numerum criticorum dierum destrueret.

De Hermocrate Galenus, mirari videtur, quod non fuerit mortuus vigesima die quia omnia in 17. erant ita exacerbata, vt indicarent moriturum vigesima: tamen in vigesima bene habuit: solumque moritur 27.

Respondet Galenus cur Hermocrates in vigesima non fuerit iudicatus, dicendo decimamseptimam fuisse exacerbatam à putredine absque eo quod calor natiuus operetur: Ecce quod ipsemet Galenus veritate coactus tādem refert dies iudicatorios

rios ad calorem natiuum, vt nos quoque superius probauimus: veritas enim habet hanc prærogatiuam, vt semetipsam ostendat: & vt dicit ipse Galenus 2. de simp. medicina cap.27. „ ipsam veritatem celerrimam inuentionem obtinere.

Hinc Galenus 3. de diebus decretorijs cap. 10. rectè sentit, dies per accidens decernere, & indicare: subdit, nec tertium, nec quartum numerum esse auctorem crisis, quæ sententia destruit quidem mensem medicinalem, qui factus est ex numero, & non ex re numerata.

Parimodo veritati consentiens secundo de præsagijs comm.28. dicit, febrem reddi longam, aut propter particulam malè affectam, cui ægrè curatio adhiberi possit, aut ob crassos, & viscidos humores, aut ob errorem commissum. Quare prout maius, vel minus est robur, & prout materia siue humores sunt magis, vel minus dispositi, quilibet dies potest esse indicatorius, & quilibet dies poterit esse iudicatorius, seu criticus: concedimus tamen, aliquos dies frequentius iudicare, sed non propter Lunam, sed propter particulares dispositiones superius allatas, quæ frequentius accidere solent.

Demum pro defensione Galeni dicimus, quod quæ dicta sunt ab illo de mense medicinali tertio de diebus decretorijs non fuisse proposita secundum propriam opinionem: quia ipsemet Galenus cap. 10. eiusdem libri habet hæc formalia verba „ Primus liber huius operis sufficit. Quod si non laboris fugitantior sit, secundum quoque adijciat, à tertio autem abstineat: quia inuito illũ scripsimus: subdit vos ò Dij Immortales nouistis, vos in testimonium voco, hæc me amicorum quorundam precibus vehementer adactum scriptis mãdasse.

Ex his colligimus, quod ea, quæ continentur tertio libro de diebus decretorijs non esse proposita ex propria sententia, sed omnirò à mente Galeni fuisse aliena. Inde factum est quod Galenus nullibi in suis voluminibus mentionem faciat de mense medicinali: quia reuera illum tamquam chimericum, vt quibusdam amicis satisfaceret, proposuit.

APHORISMVS XXI.

Væ ducere oportet, quo maximè natura vergit per loca conferentia eò ducere conuenit.

Docuit superius Hippocrates, quando medicus debet permittere totum negotium naturæ, dum dicebat quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè. In hoc verò aphorismo docet, per quæ loca debeant euacuari humores, qui neque iudicantur, neque iudicata sunt integrè, sumendo indicationem à duplici scopo. Primus à locis conferentibus. Secundus ab humoris inclinatione: itaut Hippocrates in hoc aphorismo breuissimè tradat artem inueniendi ipsa medicamenta in quauis ægritudine. Si quis enim de inuentione medicamenti centum scriberet volumina non posset aliud in medium adducere, nisi hos duos scopos duobus verbis ab Hippocrate prolatos, videlicet humoris inclinationem, & loca conferentia.

Quod verò per hos duos scopos cognoscantur medicamenta, patet: quia dum cognoscimus humores inclinare ad vesicam statim intelligimus medicamentum debere esse diureticum: si ad ventriculum, esse vomitorium, si verò ad aluum, esse catharticum.

Alia continuatio huius aphorismi cum superiori vagatur per scholas non spernenda quidem, sed non ita artificiosa: talis est: euacuatio vniuersim cõsiderata est duplex, naturalis, & artificialis. Prima est dum natura spontè euacuat indicando perfectè ipsum morbum. Secunda est artificialis, quæ à medico molitur. In superiori aphorismo egit de euacuatione facta à natura integrè, & perfectè: in hoc verò agit de euacuatione artificiali, quæ à medico fit: quare intentio Hippocratis in hoc aphorismo est duo docere. Primum quid agendum sit à medico, quando natura rectè mouet humorem, sed euacuat imperfectè. Secundum docet, quid agendum à medico quando natura non rectè mouet humores

videlicet per loca conferentia: suffultus est aphorismus hoc principio, esse imitandam naturam benè operantem, quando mouet humores habentes propensionem, & per loca conferentia: secus natura non est imitanda: sed vt dicit Galenus in comm. à motu prauo distrahenda.

Prima dubitatio: videtur Hippocrates inordinatus, quia in hoc aphorismo agit per quæ loca sit facienda euacuatio. In sequenti aphorismo agit de tempore. In 23. de quantitate: sed sic est quod quantum antecedit tempus, & tempus antecedit locum, per quem fit euacuatio: ergo Hippocrates agens prius de loco est inordinatus.

Præterea quantum antecedit tempus, & tempus locum ex sententia ipsius Hippocratis, qui 6. epid. 6. tex. 32. hoc ordine rectam remediorum administrationem proponit, quantum, quando, quomodo, & vbi, seu locum: ecce quod in fine proponit locum.

Respondemus ad instantiam, Hippocratem in hoc aphorismo non agere de loco, sed de inuentione medicamenti, quæ desumitur à duplici scopo, quorũ alter desumptus est ab humoris inclinatione: alter verò à loco, per quem euacuatio fieri debeat. Quod verò, qui cognoscunt hos duos scopos, statim intelligãt quodnam debeat esse medicamentum, patet ex continuatione aphorismi superius allata: dum enim cognoscimus humores peccantes propensos esse ad vesicam. inde colligimus remedium debere esse diureticum, & sic de alijs, vt dictũ est superius: ideo Hippocrates non agit in hoc aphorismo de recta medicamẽti administratione, in qua absque dubio locus non præcedit alias conditiones: sed agit de inuentione medicamenti desumenda ab humoris inclinatione, & à locis conferentibus, vt dictum est.

Diuiditur aphorismus in duas partes. In prima vult euacuandi occasionem esse desumendam ab inclinatione humoris peccantis. In secunda verò à locis conferentibus.

Quo ad verba „ *Quæ ducere oportet*. Galenus in comm. per ea quæ ducere oportet, intelligit illa, quæ neque iudicantur, neque iudicata sunt integrè, & hæc sunt illa, quæ indigent medico auxilio.

Quo natura maximè vergit. In græco codice Cænomani dictio (natura) non reperitur: ideo illam remouet à suo tex. sed reuera poni debet, quia inuenitur in libro de venæ sectione aduersus Erasistratum, vbi Galenus exponens hunc aphorismum proponit dictionem (natura) alioquin aphorismus esset de motu symptomatico facto videlicet à morbo, & non à natura: atque aphorismus esset falsus: quia motus symptomatici, vt tales semper lædunt, & vt tales non sunt adiuuandi.

Dicit *quo maximè vergit*. ponit illud maximè, vt amplectatur non solum motum, & impetum humorũ euacuandorũ, sed etiam motum naturæ, idest facultatis expultricis, vel attractricis: quia si humores solo suo impetu mouerentur nõ concurrente naturali expultrice, dicerentur turgentes: humores verò, si non turgeant, non mouentur à se & proprio impetu, vt colligitur ex Galeno 2. de diff. feb. vltimo, & tertio de facul. naturalibus 13. secus omnis fluxio humorum ad inferiora fieret: mouentur enim vel à parte mittente expulsi, vel à recipiente attracti.

Eo ducere oportet supple, si loca sint conferentia. Ad locos affectos humores non sunt ducendi: neque per partes læsas euacuandi, nisi totum corpus prius sit benè purgatum, alioqui plura essent illa excrementa, quæ confluerent ad partem læsam, quam illa, quæ euacuantur. Galenus 2. in sextum epid. comm. 29. loquẽs de Simone his verbis exprimit hanc doctrinam „ Per fomenta plus attrahitur in non purgato corpore, quam resoluitur.

QVÆST. LXXXII.

Quando topica applicantur corpori non purgato.

HInc neque topica applicantur corpori non purgato, nisi in septem casibus: quorum primus est quando affectus est ita leuis, vt sine purgatione tolli possit, vt docet Galenus primo de comp. medicorum S. L. cap. de alopetia: ac 2. aphorismorum 15. Galenus animaduertit, quod

si om-

si omnia excrementa deposita sint in partem læsam corpore existente illis libero, quod cognoscitur per vrinā, & alui excrementa, topica applicari possint absque alia præcedenti euacuatione: hac ratione moti nos tollimus, & impetigines succo limonum cum crisochola, & mortuorum basia, faciē abluendo aqua, quæ sic præparatur. Recipe aquæ cōmunis lib. sex sublimati ʒ. 2. therebentinæ lib. mediam: bulliant donec therebentina fundum petat.

Secūdus casus, dum materia est venefica, vel ex morsu, vel venenatis armis: tunc sine præcedenti purgatione adutimus partem: quia venenum non dat inducias.

Tertius casus, in apostematum principio vtimur repellentibus ante totius purgationem.

Quartus ex Galeno primo ad Glauc. 14. ante aliam purgationem os ventriculi, si imbecilium sit, roborandum est.

Quintus casus ex Galeno primo ad Glauc. 9. in terriana legitima conuenit balneum ante euacuationem totius: hoc fine, vt humores contemperentur: dum enim Galenus 11. meth. 9 prohibet balneum, nisi humores sint concocti: dicimus ibi proponere balneum non ad temperandum, sed ad expurgandum corpus per sudorem.

Sextus casus, dum adsunt vrgentia, sicuti sunt magni dolores, vel syncopes: ante alias euacuationes applicamus topica.

Septimus, applicamus fomenta, vt periculum faciamus, an morbus pendeat ex flatibus, vt fecit Hippocrates in Anaxione.

PEr loca conferentia, vt dicit Galenus in comm. Hippocrates intelligit os, nares, aures, ventriculum, intestina, hemorrhoides, vterum, vesicam, & demum meatus insensibiles, qui sunt maximè conferentes, vt in statica probauimus.

QVÆST. LXXXIII.

Sex conditiones requiruntur, vt loca sint conferentia.

NOtandum ad hoc, vt loca sint conferentia, quod requirantur sex conditiones.

Prima, vt loca, per quæ fieri debeant euacuationes, sint illæsa: ratio est; quia excrementa ad partes læsas non sunt ducēda: hoc præceptum est Galeni 13. meth. cap. 11. vbi asserit, si intestina sint inflammata, vel alio affectu correpta, non esse purgandū per aluum, sed potius per vrinam. Subdit, si læsi sint renes, non esse euacuandum per vrinam. Idem præcipit Galenus 2. in sextum epid. comm. 7. his verbis „ Vesica & renibus vitiatis præstat per aluum euacuare: intestinis vero malè habentibus per vrinam. Quare nisi adsint duo scopi propositi ab Hippocrate in aphorismo, quorum primus desumitur à natura habente inclinationem ad illam partem, secundus verò à loco conferente, per eam partem non trahimus: sed diuertimus, & reuellimus.

Eandem doctrinam tradit Hippocrates 6. epid. 2 tex. 29. vbi inquit „ Reuellere, si quo non oportet, vergat, si autem quo oporteat aperire, vt singula vergant. Valeant igitur, qui in dysenteria, & collica passione vtuntur pharmaco, & qui in nephritica passione vtuntur diureticis, quando renes sunt inflammati, quo casu neque diuretica frigida conueniunt, quia & ipsa ad inflammatos renes ferunt excremēta. Parimodo ex Galeno 5. aphorismorū 46. colligitur, menses non esse mouendos, si os vteri ab omento, vel aliquo tumore comprimatur, quia tumor magis excresceret.

Secunda conditio locorū conferentium est, vt loca per quæ facienda est euacuatio non possint ita lædi ab humoribus, qui per illam partem euacuari debent, vt potius incōmodum, quam comodum recipiant; vt Galenus in comm. animaduertit.

Hinc si in vētriculi fundo esset atra bilis, vel bilis æruginosa, vomitus nō conueniret, quia humoris venefici trāsitus per os posset derepentè interimere, ꝙ animaduertit Hippocrates cum Galeno 4. aphorismorum 22. his verbis „ atram bilem supra vel infra, lethale. Parimodo Galenus 5. aphorismorum 1. facit mētionem de quodam iuuene, qui euomuit æruginosa, statimque eius corpus redditum fuisse cōuulsum, ac nisi tota fuisset expulsa, & fuisset

robustissimus, eadē die perijsset. Idem dicimus de fæce melancholica adusta, quæ non sit mouenda per vomitum, nisi prius eius acrimonia contemperetur, quod obseruare videtur Galen. 1. ad Glauc. cap. de quartana, qui, dum vult per vomitum reijcere adustam melancholiam, admonet à cibo id faciendum, qui acrimoniam humoris, & ellebori, quo vtitur ad vomendum, moderetur. Nos verò ante vomitum vtimur epichierasticis, cuiusmodi sunt serum lactis, vel lac asininum, quæ acrimoniam retundunt: vel vtimur vomitorio cum iusculo pingui, vel oleo amygd. quæ attemperant, & simul vomitum prouocant.

Tertia conditio locorum conferentium est, quod partes vicinæ principes non possint ab humoribus, qui euacuātur, notabiliter lædi, veluti in phrenitide, in qua præstat bilem euacuare per secessum, quam per vomitum: quia læso orificio ventriculi ab ipso vomitu, cerebrum per sextum par neruorum habēs sympathiam cum stomacho maximè læderetur.

Quarta conditio est, vt loca conferentia sint proxima humoribus euacuandis, quod ratione & auctoritate cōfirmatur. Ratione quia de natura omnium medicatū operationum sunt tres scopi, qui fuerunt inuenti ab Asclepiade, & à Galeno maximè celebrati, quippe sunt, cito, tuto, iucūdè: cito: ergo per proxima, nisi aliquid impediat.

Idem patet Galeni auctoritate 2. in sextum epid. comm. 22. vbi laudat sabini sententiam, qui in fluxu sanguinis è naribus, secabat venā cubiti eiusdem lateris ob vicinitatem. Eādem doctrinam Galenus proponit 7. meth. vlt. vbi inquit, si vitium sit in parte concaua ipsius hepatis, facienda est euacuatio per intestina: si in conuexa per vrinam: hoc fine sane, vt per proxima fiat euacuatio. Addit per vrinam, dummodo non sit vitiosi succi magna copia in renibus: quia tunc prius per cathartica facienda est euacuatio, deinde per diuretica, quæ præcepta sanè maximè sunt obseruanda, antequam diureticis vtamur, quod nostratum plurimi non animaduertunt.

Demum idem confirmat Hippocrates secundo in 2. epid. tex. 27. in casu Bionis, qui per vrinæ profluuium lienis tumore liberatur. Consensus lienis cum renibus est per lienis arterias, quæ arterijs emulgentibus implantantur. In casu Bionis natura depleuit lienem per vrinæ vasa: quia & erant loca conferentia, & proximiora. Hinc medici sepissimè citius sanant splenenticos diureticis, quam catharticis.

Quinta conditio est, vt conferentia sint respectu humorum euacuandorum recto tramitte dissita: citius enim sanātur corpora, vbi est rectitudo vasorum: quia linea recta est omnium breuissima. Hinc Galenus lib. de curandi ratione per sang. missionem cap. 15. præcipit seruandam esse rectitudinem, vt ęgri citissimè sanentur.

Sexta conditio est, vt vasa sint communia inter humores euacuādos, & loca conferentia, vt euacuatio fiat (vt docet Galenus 13. meth. 11.) per vasa communia. Non omnes conueniunt quid intelligat Galenus per vasa communia.

Curtius lib. de venæ sect. & Alij plures per vasa communia intelligunt venas, eo quia nulla est corporis particula, quæ venis careat, itaut omnes venæ habeāt societatem cum caua, vel porta.

Reijcitur hæc opinio: quia præter venas, plurimi sunt canales & emissaria, & plurimę scatebræ, vt ventriculus, intestina, vterus, vreteres, vesica, arteriæ, spatia varia inter carnes, sunt nerui, membranæ, & cutis totius corporis.

Ego autem puto per vasa communia intelligi posse non solum venas, sed omnes meatus, tam sensibiles, quam insensibiles. Hinc Galenus 1. meth. cap. 2. dicit ex Hippocrate totum corpus esse εὔπνουν καὶ διάῤῥουν, idest, transpirabile, & confluxile per vasa nobis omnino incognita.

Quis enim est ille qui per scientiam anatomicam penetraret vias, quæ sunt intèr processus mamillares, qui sunt instrumenta odoratus, & vterum?

Quod vero euidentissimus sit iste consensus inter vterum, & odoratus instrumenta patet experientia, quia odores gratissimi alliciunt vterum ad partes supernas ingratissimi illum deorsum depellunt.

Immo Aristoteles 8. de historia animalium cap. 24. refert „ Odore extinctæ lucernæ interdum sequi abortum: itaut à

ma-

malo odore extinctæ lucernæ possit depelli fœtus extra vterum.

Præterea alij innumerabiles dantur cōsensus per meatus occultos, quod sæpè numero obseruauit Hippocrates: sicuti 6. epidemiorum, & lib. de humoribus refert, pleuritidem interdum per hæmorrhoidas solui pellendo humores conuersos in pus per meatus insensibiles ad illas venas. Pręterea pleuritis, vel aliqua alia inflammatio supra septum, dum fit suppuratio, pus interdum per vrinam euacuatur.

De hac mirabili transumptione per meatus incognitos mentionem facit Galenus 7. sec. aphorismorum comm. 35. & 54. de eadem re satis fusè 6. de loc. aff. cap. 4. & 5. meth. cap. 8. quem mirabilem euacuandi modum medici plebei neque intelligunt, nec mente fingere, vel comminisci possunt.

Similiter admirandus est casus Clozomenij quomodo parotides fuerint per vrinas expurgati.

QVÆST. LXXXIV.

Quænam sint conditiones, quæ reddunt loca magis, & minus conferentia.

DEmum sunt quatuor conditiones, quę reddunt loca magis & minus conferentia. Prima est habitus corporis, quæ cōditio proponitur ab Hippocrate 4. aphorismorum 6. & 7. vbi dicit „ habitus gracilis per vomitum facile euacuatur, carnosus & pinguis per aluum: ratio est quia in gracili peccant humores biliosi, qui leues sunt: in carnoso lenti, & ponderosi.

Secunda conditio pertinet ad anni tempora, de qua Hipporates 4. aphorismorum 4. ait „ Æstate per superiora, hyeme per inferiora purgandum. Montanus tamen nescio qua ratione ductus potius laudet vomitum faciendū esse tempore hyberno quam æstiuo: idque colligit ex Auctore de salubri dieta 15. Cæterum mirandum est, cur Montanus reliquerit aphorismos, & receperit libellum de salubri diæta: cuius auctor non est Hippocrates, sed Polybij.

Hæc Montani opinio ob tres rationes reici pōt, prima, quia hyeme abūdant humores crassi, qui deorsum tendunt: ergo non per vomitum. Secunda quia venæ superiores tempore hyberno sunt magis refertæ: itaut inter vomendum possint in partibus superioribus excitari inflammationes. Tertia ob vomitus impetum, venæ hyeme, cum sint densiores, & magis repletæ, facilè rumpi possent.

Tertia conditio est magna excrementorum quantitas: Galenus enim 7. meth. vltimo: si in gibba est multa excrementorum viscosorum quantitas per pharmaca deijciuntur: si mediocris quantitas per vrinales meatus: ratio est: quia copiosa excrementa per pharmaca educuntur, ne diuretica ferant ipsa excrementa in vasa tenum minora, & inde ita infarciantur, vt nephritica affectio fiat. Valeant igitur illi, qui non benè purgato corpore, vel aquis diureticis thermalibus vtuntur, vel lacte sem. melonum, vel similibus, quæ introducunt affectiones malas, & curatu difficiles.

Quarta conditio pertinet ad proprietates indiuiduantes: aliqui enim ita respuunt soluentia medicamenta, vt nullo modo ipsa admittant.

Alij phlebotomiam pati non possunt.

Alij syrupum rosatum solutiuum propter rosarum odorem in animi deliquium labuntur.

Atque alij alias habent proprietates, quæ certè innumerabiles quotidie in indiuiduis obseruantur.

Quare medicus debet ad examē reuocare conditiones indiuiduantes, & in singulis ægrotantibus perquirere, an aliqua inueniatur noua, & omninò ab alijs diuersa: quo peracto, deinde proponere id quod est proportionatum & quod certè iuuet, & non noceat.

PRima dubitatio: Hippocrates proponit in aphorismo duas conditiones optimę euacuationis: quarum prima est, vt euacuentur humores habentes propensionem, & inclinationem ad euacuationem. Secunda vt euacuentur per regionem conuenientem. Ex alia parte totum oppositum videtur asserere Hippocrates 4. sect. aphoris. 41. vbi habet hunc aphorismum „ sudor multus per somnum factus copiosiore cibo corpus vti significat: quod si partius epulanti hoc accidat vacuatione indigere.

Si-

Similiter Auicennas 2.4.tract.1.cap.68.inquit: in multo sudore ex repletione facto per aluum esse euacuandum: ergo non est verum, quod euacuatio facienda sit per regionem conuenientem: quamuis humores sint inclinati,& propensi ad illam euacuationem.

Respondetur, aphorismum esse verissimum, dummodo aliquid non prohibeat: dum igitur corpus perfusum est copioso sudore ex pluri cibo, inde resultat materia tenuis,& crassa: crassa certè per aluum est euacuanda, secus obstructiones,& putredines excitarentur: si tota materia peccans esset tenuis, & inclinaret ad sudorem, aluus non esset mouenda: sed cum in corpore materia tenuis permixta sit crassę: nisi fieret euacuatio per aluum, tenuis quidem euacuaretur: sed crassa relinqueretur tanquam multorum malorum soboles. Praeterea separando tenuem à crassa curatio redderetur difficilior.

Secunda dubitatio: succus crudus interdum mouetur per aluum, interdum per vrinam: medici igitur non debent vti medicamento euacuante humorem crudum: quia ex Hippocrate in sequenti aphorismo concocta, & non cruda sunt medicanda. praeterea ex Galeno 4. de tuenda sanit. c. 5. deiectio crudorum efficit tormina, cruda angustas vias reddunt & sunt impedimento, ne praui humores euacuentur. Deinde esto, quod cruda moueantur per regionē conuenientem, efficient decretoriū non iudicans, quae decretoria non iudicantia ex Galeno comm. 12. huius sect. & in Philisco vel sunt lethalia, si iungantur cum aliquo signo lethali, vel saltem sunt difficilis iudicij. His positis, sequetur quod duae conditiones propositae ab Hippocrate in aphorismo indicantes optimam euacuationem, quarum prima est humoris euacuandi propensio,& locus conueniens, per quem fit euacuatio, non sufficiant: ergo aphorismus erit diminutus.

Respondetur, Hippocratem in hoc aphorismo non proposuisse omnes conditiones optimae euacuationis, sed tantum duas praecipuas: supponit enim Hippocrates in omni affectu, humores vergentes per loca conferentia esse euacuandos, nisi aliquid prohibeat; cruditas inter prohibentia euacuationem collocatur.

Praeterea respondemus, cruditatem esse duum generum, aliam esse aquosam, aliam verò crassam,& viscosam. De aquosa dicimus, si inclinet ad loca conferentia commodè euacuari posse, sicuti in hydropicis aquosa excrementa elaterio euacuari solent: cruditas verò crassa,& viscosa est immobilis, neque ad loca conferentia habet propensionem, quemadmodum animaduertit Galenus 2. de humoribus comm. 11. vbi habet haec verba „ Humores incocti sunt stabiles, & ita infixi, vt difficulter dimoueri possint medicamentis purgantibus, nisi coquantur: immo dum cruda & infixa, medicamēto euacuari tentamus excitantur tormina, & clauduntur viae per quas excrementa praua ab ipsa natura possent euacuari. Deinde possent medicamenta efficere alia grauiora symptomata, vt refert Galenus multis in locis. Quarę pro solutione dicimus, dum succus crudus habet inclinationem ad intestina, vel ad vasa vrinaria, quod tunc medicus commodè vti possit medicamento, vel diuretico proportionato.

Denium Galenus in comm. declarans quando medicus debeat ducere, quò natura vergit,& quādo reuellere debeat, habet haec verba „ Oportet Medicum naturae motum animaduertere, & si idoneus fuerit, ei subministrare: si verò contrarius, diuertere, seu reuellere. Nisi igitur aliquid intelligamús de natura deriuationis, quae est illa, quae sequitur naturae motum,& humorum peccantium inclinationem, atque aliquid intelligamus de natura reuulsionis, quae sequitur motum contrarium ipsi naturae,& inclinationi humorum, aphorismus certè intelligi non poterit.

QVAEST. LXXXV.

De Reuulsione.

QVantum attinet ad reuulsionem. Ex Hippocrate & Galeno de ratione reuulsionis quatuor sunt conditiones. Prima quod fiat per distantissima. Secunda quod reuulsio fiat per rectitudinem. Tertia quod trahantur humores versus originem. Quarta quod fiat per vasa communia.

Quo

Quo ad primam conditionem, quod scilicet reuulsio fiat per distantissima, colligitur ex Galeno multis in locis, sicuti 13. meth. cap. 11. vbi habet hæc verba „ in inflammationibus esse reuellendos humores longissimè à partibus inflammatis. Deinde 2. ad Glauc. 2. habet hæc „ si morbus est in genu sanguis est mittendus ex brachio gratia reuulsionis. Insuper in arte medica cap. 99. ait, reuulsionem esse faciendam per loca maximè distantia.

Nihilominus non credimus, hanc primam conditionem per se, & essentialiter conuenire reuulsioni. Quod confirmatur ratione, & auctoritate Galeni & Hippocratis. Ratione sic probatur: quod nō conuenit alicui de omni, non conuenit per se & essentialiter: sed euacuatio per distantissima non conuenit reuulsioni de omni: ergo non conueniet per se, & essentialiter. Maior est clarissima: quia valet hæc: conuenit per se, ergo de omni: de omni: ergo semper & in omnibus: non conuenit de omni: ergo neque per se, neque essentialiter. Minor probatur auctoritate Galeni & Hippocratis: Galeni qui 5. meth. 14. applicat commissuræ coronali ceratum ex tapsia, vt reuellat in contrarium humores, qui sunt in capite, & actu fluunt, & sunt fluxuri in pectus.

Deinde confirmatur ex ipso Galeno 2. in 6. epid. comm. 9. vbi inquit, reuellens locale reuellere ad locum proximum.

Similiter confirmatur ab Hippocrate 5. aphoris. 68. vbi habetur hæc sententia: secta vena frontis aufertur dolor ocipitij videlicet per reuulsionem.

Nec valet, dum dicunt, hanc esse reuulsionem localem, & non communem: quia locus non facit, quod res ipsę inter se specie differant.

Hæc distinctio sanè est vanissima: quia dum Philosophi, vel medici tradunt essentiales distinctiones volunt quod res ipsæ sint natura & specie distinctæ. Postremò confirmatur ex Hippocrate 6. epid. 2. tex. 31. vbi habentur hæc verba „ In oculorum fluxu in fauces reuellere oportet: ergo reuulsio fiet per proxima.

Quo ad Galenum qui dixit, reuulsionem fieri per distantissima. Respondemus duobus modis. Primo dixisse reuulsionem fieri per distantissima ratione prohibentis idest ratione partis affectæ, ne scilicet multis excrementis obruatur, non ratione indicantis, idest humoris euacuandi: indicans enim semper indicat per proxima esse reuellendum: ratio est quia indicans semper indicat, vt cito sanetur.

Hinc reuulsio ratione diuersorum interdum fit per proxima: interdum per remota, & interdum per remotissima: per proxima, dum magis potest indicans, quam prohibens: sicuti dum applicatur ceratum ex tapsia comissuræ coronali, quod licet lædat aliquo modo ipsum cerebrum, magis tamen potest imminēs phthisis, quæ potest fieri à catarrho salso, quam illa læsio pericranei.

Per remota reuellimus dum magis potest prohibens: veluti dum in pleuritide ex brachio eiusdem lateris sanguinem euacuamus.

Per remotissima. dum prohibens maximè potest, veluti dum in pleuritico maxima est sanguinis plenitudo, in quo casu prius sanguinem euacuamus in latere opposito: deinde in eodem latere.

Præterea possumus sustinere, reuulsionem ratione humorum euacuandorum semper fieri per proxima: quamuis pars affecta maximè distet à loco euacuationis: exempli gratia inflammatio est in genu: humores irruentes, qui debent reuelli non sunt in crure, sed in vena caua; & respectu venæ cauæ nulla est proximior, quæ tamen fit sectioni cōmodior, quam vena cubiti. Quare ostendimus nos vbi egimus de reuulsione in meth. vitandorum errorum, non solum reuulsionem, sed omnem medicam operationem per se seu ratione indicantis faciendam esse per proxima: quia de ratione omnium medicarum operationum sunt isti tres scopi, cito, tuto, & iucundè.

Quo ad secundam conditionem, quod scilicet reuulsio fiat secundū rectitudinem, omnes admittunt, hanc conditionem per se, & essentialiter conuenire reuulsioni: sed per rectitudinem, vt interpretatur Galenus 3. de fracturis comm. 10. intelligimus è regione: quæ conditio non est solum partibus

bus

bus superioribus, &, inferioribus conuenit, sed etiam dextris, & sinistris, anterioribus & posterioribus, interioribus, & exterioribus vt docet Galenus 4. meth. 6. quod non intellexerũt Fernelius, Curtius, & Petrus Brisotus.

Quoad tertiam conditionem, quæ est, quod in reuulsione trahantur humores ad originem, quæ proposita est à Galeno 1. ad Glauc. cap. 14. non est essentialis. Primo probatur ex Hippocrate 5. aphorismorum 68. vbi dicit „ secta vena frontis auferri laborem posterioris partis ipsius capitis, humores reuellendo in contrarium. Nemo certè asseuerabit, frõtem esse fluxionis originem.

Deinde Hippocrates 6. epid. 2. tex. 31. inquit in oculorum fluxione reuellimus in fauces: fauces tamen nõ sunt fluxionis origo. Similiter in iecoris inflammatione secamus cubitum, & secando sanguinem reuellimus: tamen cubitum non est fluxionis origo: quare hæc conditio non conueniet per se reuulsioni, quamuis sæpissimè in ipsa reuulsione obseruetur.

Quo ad quartam conditionem, an reuulsio fieri debeat per vasa communia: hæc sine dubio est essentialis: quia nisi essent communia, nihil euacuaretur.

Sed notandum est per vasa communia nos non intelligere solum venas: sed arterias, ventriculum, renes, vesicam, vterum, spatia inter vasa, carnes & alias partes.

Præterea adsunt multa vasa latentia, nobisque ignota, per quæ excrementa, licet crassa sint, fluunt, & refluunt in corpore viuente. Quod confirmat Galenus 7. aphorismorum 54. his veerbis „ Hippocrates opinatur naturam validam semper inuenire viam materiebus maximè crassis, & per angustissima foramina illas permeare, qui materierũ seu excrementorum transitus fit per transumptionem, de qua fusè Galenus non solum loco citato: sed etiam in comm. 35. septimæ sec. Parimodo 5. meth. 8. & 6. de loc. aff. cap. 4.

Colligimus ergo duas ex dictis conditionibus conuenire per se reuulsioni: quarũ prima est, ꝙ fiat reuulsio per vasa communia: secunda ꝙ fiat secundum rectitudinem: alias duas scilicet per distantissima: & quod ad origininem trahendi sint mores, non per se conuenire reuulsioni: ex accidenti, nimirum ratione prohiben non tamen semper, & per se.

QVÆST. LXXXVI.

An reuulsio indicetur non solum à mate fluente sed à fluxa, & fluxura.

QVantum attinet ad illam difficul tem, an scilicet reuulsio solum ind cetur à materia, quæ est in motu vel à materia quoque fluxa, & fluxura: qua stio est difficillima. Communis opinio e quod solum indicetur à materia, quæ est i motu.

Credimus nos moti ratione, & auctori tate, reuulsionem non solum desumi à ma teria, quæ est in motu, sed etiam à fluxa, & fuxura. Primò patet, quod desumi possit non solum ab humoribus actu fluentibus, sed à fluxis, & fluxuris, quatenus apti sunt in contrarium moueri. sicque argumentamur: Medici, & artifices omnes scientifici quærunt quod est possibile, & non solum quod actu est: sed sic est quod non solum est possibile, vt fluentes humores in cõtrarium moueantur, sed etiàm fluxi, & fluxuri: ergo. Maior probatur auctoritate Galeni lib. de morb. differentijs cap. 1. vbi docet ipsam sanitatem non esse definiendam per operationem actualem, sed per potentiã ad operandum: Galenus ibi habet hanc sententiam „ dormiens non videt, tamen non dicitur cæcus: quia licet careat actu videndi, tamen non caret potentia: ideo definitiones sumuntur à potentijs, & non ab actuali operatione. Parimodo homo dicitur rationalis, quia habet potentiam ratiocinandi, non quia actu ratiocinetur: phrenetici enim sunt rationales, licet actu non ratiocinentur: sic risibilis dicitur quia potest ridere, quamuis rideat nunquam.

Definientes igitur nos reuulsionem dicimus, esse auersionem humorum, qui possunt retrahi in contrarium: sed sic est quod tales non solum sunt fluentes: sed interdum fluxi & fluxuri. Minor propositio, quod scilicet humores fluxi possint reuelli præcipuè quando sunt in capillaribus, quia

quia

quia si essent in spacijs non reuellerentur: à spacijs enim ad capillares venas non datur transitus.

Patet ex Hippocrate & Galeno 4. de ratione vict. 30. vbi habet hæc verba „ medicamenta circumposita ceruici in angina reuellent humorem, qui in partem anteriorem fluxit: Ecce, quod reuulsio humoribus fluxis potest conuenire.

Quod verò reuulsio possit quoque conuenire humoribus fluxuris, patet ex Galeno 5. meth. 14. qui applicat ceratum ex tapsia commissuræ coronali gratia reuulsionis, ne scilicet catarrhus quiescens in capite moueatur, & ad pectus descendat: sed inde reuellatur.

Demum probatur argumento desumpto à natura motuum oppositorum, reuulsionem posse conuenire humoribus quiescentibus, hoc modo: non ne dum fit reuulsio trahimus humorem in contrarium? at sic est, quod inter duos motus oppositos semper mediat quies: ergo reuulsio conuenire poterit humoribus quiescentibus, dum scilicet humores, qui sunt in motu, trahuntur in contrarium.

QVÆST. LXXXVII.

In quibus reuulsio, & deriuatio conueniant & differant.

POstremò videndum est, in quibus reuulsio, & deriuatio conueniant, & in quibus differant inter se.

Primò conuenit reuulsio cum deriuatione: quia vtraque est auersio.

Secundò conuenit, quia causa efficiens reuulsionis, & deriuationis est æquiuoca: modo enim fit deriuatio & reuulsio à facultate attrahente: modo à facultate expellente, & modo ob vtraque.

Tertiò conuenit, quia vtraque fit per vasa communia & secundum rectitudinem.

Quartò conuenit, quia non solum humores fluxi, sed etiam fluentes, & fluxuri apti sunt vt reuellantur, & deriuentur.

Quod verò deriuatio conueniat fluxis, omnes concedunt.

Quod possit conuenire fluxuris patet: dum enim supprimuntur menses, si voluetis deriuare per venam tali promptè fluent menses, qui antea erant fluxuri.

Quod verò conueniat fluentibus patet, quia dum diminutè fluunt menses, si vena tali secabitur promptius fluent: Ecce igitur quod reuulsio, & deriuatio respiciūt humores fluxos, fluentes, & fluxuros.

Differt reuulsio à deriuatione: quia reuulsio vt plurimum fit per distantissima: deriuatio verò vt plurimum per proxima: dicimus vt plurimum per proxima, quia interdum deriuatio fit magis per longinqua, quam reuulsio. Pro hac opinione apud Galenum inuenimus 100. exempla: Etenim 2. ad Glauc. cap. 2. dicit, cucurbitulam applicatam mammis ab vtero reuellere, atque venam tali ab vtero deriuare: cui dubium, quod vena tali ab vtero magis distat, quam mammillæ.

Differt reuulsio à deriuatione: quia reuulsio magis conuenit fluentibus, quam fluxis, & fluxuris humoribus.

Deriuatio verò magis fluxis.

Differt quia deriuatio sequitur motum, & humorum inclinationem: reuulsio verò contrarium.

Differt quoque, quia reuulsio vt plurimum trahit humores ad originem fluxionis, deriuatio verò longè ab origine abducit.

APHORISMVS XXII.

COncocta medicari, atque mouere, non cruda neque in principijs, modo non turgeant: plurima verò non turgent.

In superiori aphorismo egit de duobus locis inseruientibus pro inueniendo medicamento, alter erat desumptus ab humorum inclinatione: alter vero à locis conferentibus. Cognito medicamento. In hoc aphorismo agit de tempore exhibendi medicamentum.

Hic aphorismus, licet in aliquibus codicibus non inueniatur: Galenus tamen &

hoc comm. & 4. de sanitate tuenda tenet non solum esse Hippocratis, sed in arte medica esse tamquam oraculum.

Diuiditur hic aphorismus in duas partes. In prima ponit hanc conclusionem: concocta esse medicanda, & mouenda: sed non in principio morbi.

In secunda parte excipit materiam crudam, nisi turgeat dicēs, quod rarò accidat, supple, quod ita turgeat, vt per medicamenta possint purgari: quia sæpissimè dantur materiæ turgentes: sed tamen rarò accidit, quod possint expurgari, idest, quod habeant inclinationem ad intestina: quia, vt dicit Galenus 4. de ratione vic. in ac. 64. turgentes humores sunt purgandi, si circa ventrem murmurauerint: secus purgandi non sunt, quamuis in morbis peracutis sæpè turgeant. Vtinam in peracutis rarò turgerent: modò enim turgentes humores ex Galeno loco proximè citato efficiūt tumores circa fauces, modò circa pedes & crura, modò erumpunt in cutem & faciunt peticulas tuberculosas: quo casu certè turgentes humores purgandi non sunt per aluum, cum ad intestina nullam habeant inclinationem.

Quo ad verba: dicit *(concocta)* græca dictio est πέπονα deinde dicit (non cruda) idest μὴ ὠμά: nisi igitur confugiamus ad Aristotelem 4. lib. Meteor. cap. de concoctione, vbi distinctè de coctione & cruditate loquitur, hic aphorismus nullo modo intelligi potest.

QVÆST. LXXXVIII.

De speciebus coctionis.

Aristoteles 4. Meteororum commēto de coctione definit coctionem in cōmuni hoc modo: coctio est perfectio à proprio, & naturali calido ex oppositis passiuis. Deinde diuidit coctionem in tres species, idest in elixationem, maturationem, & assationem. Notandum ex Aristotele, quod hæc tria nomina, elixatio, maturatio, & assatio non explicant proprias, & vltimas differentias trium coctionum, quæ fiunt in animalibus, sed solum per metaphoram illas declarat.

Patet de elixatione: quia elixatio propriè conuenit arte elixatis, solumque per trāslationem (vt ait Aristoteles) conuenit coctioni ventriculi: addimusque coctionem hepatis, & partium, quę multa affluunt humiditate, licet sint innominatæ, assimilari elixationi.

Idem Philosophus de maturatione, quæ propriè conuenit fructibus: per translationem verò tuberculis, puri & pituitæ: itaut maturatio naturalis sit innominata: atque maturatio apostematis, & peccantium humorum nomine careant.

Idem docet de assatione, quæ similiter propriè conuenit arte assatis: assatio verò naturalis est innominata.

Videns igitur Aristoteles non esse adhuc inuenta nomina propria trium coctionum naturalium, illas descripsit per causas efficientes hoc modo: coctio, quę est similis elixationi, est perfectio, quæ fit à calido & humido externo: atque hæc ex Aristotele conuenit coctioni ventriculi.

Hæc coctio, quæ est similis elixationi, ex Aristotele loco citato habet excessum & defectum: excessus caret nomine: defectus verò est μόλυνσις à Teophrasto vocatur inquinatio: sed reuera molinsis est cruditas (sicuti illa, quæ fit in ventriculi coctione) quæ nomine latino caret: fitque ob defectū caliditatis, vel humiditatis externæ: dicimus externæ, quia caliditas interna est illa natiua, & implantata, quæ non deficit vsque ad obitum, quæ est essentialis temperatura, & est veluti forma in ventriculo vel in quauis alia parte: caliditas verò quæ deficit est influens, quæ respectu calidi implantati dicitur externa.

Concoctio vero, quæ est maturatio, quæ conuenit propriè maturationi fructuum, per similitudinem verò maturationi tuberculorum & humorum, est perfectio, quæ fit à calido interno, adiuuante tamen calore externo. Hæc quoque concoctio, quę dicitur maturatio habet suum defectum & excessum. Defectus dicitur omotis, qui fit ob defectum caliditatis internæ, vel externæ: atque hæc cruditas (vt dicit Aristoteles) obseruatur in natura & in arte. In natura obseruatur in vrinis, egestionibus, destillationibus, In tuberculis in pure, & in hu-

humoribus. Hinc cruditas vrinæ, fæcum alui & destillationum prouenit à defectu caloris interni, vel externi. Vnde oriuntur omnes catarrhi. Hinc tubercula, & apostemata cruda, pus nō mutatum, & humores pituitosi & crudi proueniūt à calore interno & externo diminuto: per externum intelligimus influentem, qui est externus respectu naturalis implantati. In arte, vt in vasis fictilibus, dum ignis defectu manent cruda: excessus verò est innominatus.

Coctio verò quæ est similis assationi est perfectio, quæ fit à calido & sicco externo: hæc coctio parimodo habet suū excessum, & defectum: excessus est tostio: defectus caret nomine, & dicitur non assatio: nullum enim habet nomen.

Quærunt hic Philosophi & Medici, quęnam sit assatio naturalis. Nonnulli dicunt, vt Piccolhomineus, ructus nidorosos fieri per assationem naturalem: sed quia ructus isti sunt præter naturam, non mihi eius sententia probatur.

Quærimus enim nos, quid sit assatio naturalis. Plurimi dicunt, coctionem factā in partibus siccis, vt in ossibus, & cartilaginibus esse assationem naturalem: quia à calido, & sicco externo fit: rectè quidem: quia coctio in ossibus non est elixatio: ossa enim sunt sicca: neque est maturatio: quia finis maturationis est mollities: ergo ex sufficienti partium enumeratione erit assatio.

Quantum attinet ad elixationē ex Aristotele 4. Meteororum, coctio facta in ventriculo est similis elixationi: rectè quidem: quia sicuti in elixatione hæc tria requiruntur, olla, caro, & humiditas externa: sic in coctione ventriculi, ventriculus est sicuti olla ex Geleno 3. de facul. nat. deinde est cibus, qui est sicuti caro, quæ coquitur in olla, & humiditas ipsius ventriculi, quę respectu cibi est externa, & in ipsa, caro coquitur.

Idem dici potest de coctione, quæ fit in hepate: hepar est olla, chylus est vt caro, sanguis hepatis est humiditas externa, in qua fit elixatio. Idem dicimus de qualibet parte humida, quod coctio in ipsa fit, sicuti est elixatio.

Differentia verò inter coctionem naturalem & artificialem est, quia in artificiali olla non assimilat: ventriculus vero & aliæ partes assimilant: ideo elixatio per similitudinem conuenit coctioni ventriculi, hepatis, & aliarum partium humidarum.

Hinc Valesius in comm. suo supra quartum Meteororū dum reprehendit Aristotelem dicentem, coctionem ventriculi esse similem elixationi, incidit in plurimos errores, vt infra. Ratio Valesij est, quia inquit in ventriculi coctione deficere externam humitatem.

Primò errat Valesius: quia humiditas interna ventriculi respectu cibi est externa. Similiter interna humiditas hepatis respectu chyli est externa: idem dici potest de qualibet alia parte humida.

Secundò errat, quia similitudo non est identitas.

Tertiò errat, quia ex Aristotele, & omniū Philosophorum consensu tres sunt species coctionis: ideo valet dicere, quod coctio ventriculi, vel fit similis elixationi, vel assationi, vel maturationi: non assationi: quia assatio fit à sicco: non maturationi, quia hęc ex Aristotele conuenit fructibus, & tuberculis: ergo erit similis elixationi.

Quarta species coctionis non datur: si n. daretur, daretur quartū efficiens, quod reuera dari non potest: quia coctio naturalis semper fit à calido: calidum verò solum tribus modis naturaliter variare potest: nempe vel quia fiat à calido externo: vel à calido interno adiuuante externo, vel fit à calido & sicco externo: quare tres solum erūt species coctionis.

Hinc valde hallucinatus est Capiuaceus dum in explicatione huius aphorismi enumerat quatuor species coctionis, dicens, duas species fieri à natura, & duas ab arte: duas à natura, ait esse coctionem, & maturationem: duas ab arte, elixationem, & assationem.

Capiuaceus tria ni fallor committit errata. Primum quia sumit nomen generis loco speciei, dicendo, coctionem esse speciem diuersam, cum sit genus, quod sub se habet solum tres species, nēpe elixationem, maturationem, & assationem: triangulus sub se habet tres species, nēpe Isoschielem, ęquilaterum, & scalenum: ipse verò triangulus non est species, sed genus,

Secundum erratum est, dum dicit, quatuor esse coctiones, cum Aristoteles ponat solum tres.

Tertium dum dicit, maturationem conuenire fructibus per metaphoram, cũ Aristoteles totum oppositum dicat, maturationem scilicet propriè conuenire fructibus: per metaphorã tuberculis, puri, & pituitæ.

HIs declaratis facilè est videre quid intelligat Hippocrates per πέπονα, & quid per μὴ ὠμά. Dicimus per πέπονα intelligere matura, & non concocta. Primò, quia Aristoteles inquit, quod concoctio, quæ conuenit humoribus, & tuberculis sit maturatio, & non elixatio, vel assatio: itaut πέπονα non deriuetur à verbo πέπτω idest concoquo, sed à verbo πεπαίνω idest maturo.

Secundo per pepona intelligit illam coctionem, cuius defectus est illa cruditas, quæ dicitur omotis, idest immatura: sed sic est, quod coctio, cuius defectus dicitur ὠμότης est maturatio: ergo per pepona intelliget matura, & non concocta. Maior est, Hippocratis in tex. dum dicit μὴ ὠμά. Minor est Aristotelis 4. Meteorum citato, vbi dicit, quod maturatio est illa coctio, cuius defectus dicitur omotis.

Tertiò si per pepona intellexisset concocta in genere, aphorismus esset falsus: quia cõcocta, vt cõcocta non purgãtur: elixata certè, & assata non indigent purgatione. Similiter chylus perfectus, qui pertinet ad illam concoctionem, quæ dicitur elixatio, non indiget pharmaco.

Quartò si per πέπονα intellexisset concocta non dixisset μὴ ὠμά, sed dixisset μὴ πέπτονς, quia apepsia est defectus coctionis, vt coctio est.

Quintò si per pepona intelexisset elixationem, quæ est similis coctioni ventriculi non dixisset μὴ ὠμά, sed μὴ μεμόλυσμένα.

Sextò, πέπων significat molle, quod est terminus, & finis maturationis: & non coctionis: sic tubercula, & apostemata, dum sunt matua fiunt mollia: Similiter fructus, dum sunt maturi, fiunt molles: similiter dum excrementa purganda fiunt fluida sunt matura: hæc non possunt dici de concoctis per elixationem, & assationem, quoniam hæc quantò magis sunt concocta, tantò magis crassescunt, & durescunt.

Insuper sciendum, pepon significare vltimum terminum coctionis, quia nomina adiectiua desinentia in ων, significant rem in habitu, & in esse suo perfecto: quare pepona significat res exactè coctas, quod accidere solet in fine status, & in principio declinationis, quando scilicet natura incipit separare, & mouere humores ad intestina: dum enim materia est perfectè cocta morbus est in statu, vt docet Galenus 3. de crisib. cap. 5. dum verò post coctionem natura separat, & euacuat cocta incipit esse in principio declinationis, vel in fine status, quo tempore dandum est pharmacum electiuum, & non ante.

Quod verò πέπονα apud Galenum sumatur pro maturis patet ex lib. 8. de simp. medicina cap. de cucumere, vbi habet hæc verba σίκυες ἢ πέπονες ἢ μὴ πέπονες idest cucumeres vel maturi, vel non maturi. Ecce quod πέπονα est nomen æquiuocum & quod mirificè declaratum est ab Hippocrate per μὴ ὠμά significando matura, non concocta: quasi dicat Hippocrates aduertas, quod πέπονα potest pendere à verbo πέπτω & à verbo πεπαίνω, sed vt de medio auferatur æquiuocatio seu ambiguitas apposui illam dictionem μὴ ὠμά idest non cruda, quæ cruditas est defectus (vt dictum est ex Aristotele) maturanis, & non coctionis.

Notandum quod licet idioma Græcum incredibili nominum varietate abundet, tamen interdum destituitur verbis vniuocis declarantibus propria significata: vnde Cicero 2. Tusc. quæst. reprehendit linguam Græcam, quæ solet verbis abundare, nihilominus ait in aliquibus deficere, citatque dictionem πόνος, qua Græci multa significant: sic nos citare possumus hanc dictionem πέπονα, quæ potest significare & concocta, & matura: in hoc aphorismo tamen significat matura: quia solum maturatio est illa, cuius defectus est omotis, vt dictum est.

Notandum tamen de maturatione, quod maturatio triplex sit.

Prima est, dum sanguis conuertitur in pus, quæ conuersio ab Aristotele vocatur nu-

maturatio, vt dictum est.

Secunda maturatio est, dum humor fit semiputridus: potest tamen ad pristinam bonitatem reuerti: hic humor non est ille, qui pharmaco debet euacuari: quia dum redactum est ad pristinum statum, potest quoque nutrire: estque sicuti docet Galenus 11.meth. quemadmodum vinum acescens, nempè antequam acescat, quod potest reduci ad pristinam bonitatem.

Tertia maturatio est humoris in putrefacto esse, qui est omninò putridus.

Humor verò putridus antequam pharmaco euacuetur duobus modis præparari potest: prima præparatio fit aperiendo meatus, per quos possit fluere, & per pharmacum educi: quam præparationem tangunt Hippocrates & Galenus 2.aphoris.9.

Secunda præparatio est, vt amittat acrimoniam, & feruorem antequam purgetur, ne lædat partes, per quas transit: de hac præparatione locutus est Galenus 2.de ratione vic. in ac.45. Hippocrates verò in hoc aphorismo solum intelligit de hac tertia maturatione.

Cruda verò quæ sunt opposita huic maturationi non sunt purganda: immo ex Hippocrate & Galeno 4 de ratione vic.44. si purgarentur frangerentur vires: impediretur concoctio, & morbus diuturnior fieret: Hinc Hippocrates in tex. ibidē dicit,, medicamenta purgantia in principio cruda existente materia non admouebis, secus vrina non maturabitur: subdit, febrē citra iudicationem in longū protrahi.

,, Φαρμακεύειν idest purgare medicamento electiuè soluente: sicuti inter pharmaca bilem electiuè purgantia sunt rhabarbarum, scamonium, folia, & flores arboris persicæ, semina psilij, &c.

Inter purgantia pituitam sunt agaricus, hermodactilus, turbit, colocintis, peplus, gratiola, semina cartami, flores cartami, catapucia, &c.

Inter melancholiam purgantia sunt elleborum nigrum, & album, epithymum polipodium, semina cartami & sena.

Inter purgantia serosos humores sunt elaterium, gūma gutæ, flores sambuci, mecoachan, salappa, succus Ireos non clarificatus. Hæc sunt præcipua pharmaca electiuè soluentia ad differentiam lenientium, cuiusmodi sunt cassia, tamarindi, mana, & alia id genus.

Alia plura & purgantia & lenientia ad vsum nostrum accommodata inuenietis in Giorgij melichij antidotario nuper edito, addita ab Alberto stechino ad signum struccij, qui in hoc suo obeundo afficio in hac amplissima ciuitate est adeo clarus, vt inter tot peritissimos pharmacopolas nemini secundus reputetur.

,, *Et mouere non cruda*. Quidam dicunt, Hippocratem per verbum mouere intelligere de minoratiuis; leguntque hoc modo aphorismum,, Concocta medicari, & faciunt punctum: deinde dicunt & mouere non cruda, intelligendo per non cruda quæ partim sunt cocta, & partim cruda, itaut hic sit sensus aphorismi: purganda sunt atque eradicanda quæ ex toto sunt cocta: quæ verò sunt non cruda, idest partim cocta, & partim cruda sunt minoranda: addunt quæ verò sunt omninò cruda, neque purganda, neque minoranda, nisi turgeant.

Dicunt hanc expositionem colligi ex Galeno 4.de ratione vic. 8.vbi citat hunc aphorismum.

Primo reijciuntur: quia Galenus loco citato nihil dicit de hac re: immo neque somniauit sic exponere aphorismum.

Deinde si materia partim cocta, & partim cruda esset minoranda, pharmacum minoratiuum esset dandum in augmento morbi, & non in principio, quod reluctatur Hippocrati 2. aphoris.29. vbi vult, quod inchoantibus morbis potius sit mouendum, quam in augmento.

Ratio desumitur ab ipsomet Galeno 2. de humoribus comm.13. vbi dicit non esse dandum medicamentum, quando natura est occupata: sed sic est quod in augmento est occupatissima: ideo Galenus 2. de humoribus comm.21. dicit iudicationem præuenire malum: quare exhibendo medicamentum in augmento est præuenire iudicationem, quod non est faciendam.

Tertio falluntur isti: quia Galenus in hoc comm. vult per mouere Hippocratem intelligere euacuationē per sudorē & per vrinam: ergo nō intellexit de minoratiuis.

Præ-

Præterea dum Hippocrates 2. aphoris. 29. dicit „ si quid tibi videtur mouendum, moue in principio, Galenus in cõm. per mouere præcipuè intelligit missionem sanguinis: dicimus præcipuè: quia dum dicit, si quid tibi videtur &c. dictio mouere potest ampliari ad alias euacuationes, quæ in principrio fieri possunt, & non in augmento: in quo solum quies desideratur.

QVÆST. LXXXIX.

Quid intelligat per non cruda.

NOnnulli alij sic legunt „ concocta medicari, & mouere. Et faciunt punctum: deinde legunt „ non autem cruda: vt hic sit sensus, cruda neque medicanda, neque mouenda.

Isti non possent omninò improbari, nisi admitterẽt in Hippocrate vanam eiusdem sententiæ repetitionem: satis enim fuisset, si dixisset, concocta esse medicanda: quia cruda reuera neque sunt purganda, neque mouenda.

Hinc Galenus 4. de tuenda sani. cap. 5. & 6. dicit „ quando corpora abundant crudis humoribus, abstinendum esse ab euacuatione effatu digna: ab omni motu violento, à balneo, exercitio, cucurbitulis, frictionibus, & ab ijs quæ habent vim trahendi humores ad cutem: vultque omnimodam quietem esse obseruandam: quia per quietem fit concoctio, vt docet Hippocrates 4. de ratione vic. 44. & Aristoteles 4. Meteororum.

Similiter Galenus 1. de humoribus comm. 2 vult, ineptos esse ad purgationem, qui habent hypocondria flatibus distenta.

Valeant igitur, qui corpore existente pleno crudis humoribus in ipso morbi principio vtuntur pharmaco electiuè soluente, frictionibus, cucurbitulis, inunctionibus, balneis, sudorem excitantibus: humores enim agitantur, atque agitati fiunt coctioni magis rebelles. Idem confirmatur ex Hippocrate & Galeno 4. de ratione vic. 44.

Parimodo ægros lædunt, dum in principio putridæ febris blandis lenientibus permiscent electuaria scamoneata, cuiusmodi sunt diaphinicon, electuarium de succo rosarum, confec. hamech, electuarium eleosc of. & alia id genus.

Causæ verò, cur in principio febris non conueniant pharmaca, quatuor sunt: prima quia cruda non admittunt purgationem.

Secunda causa est, quia in principio morbi humores sunt firmati, vt per pharmaca dimoueri non possint: Galenus enim 2. de humoribus 15. dicit excrementa ex toto incocta stabilia, & infixa esse.

Præterea 4. de ratione vic. 76. docet, dum humores sunt firmati, expectandam esse coctionem.

Tertia, quia ex Hippocrate 4. de ratione vic. 44. concoctio quiete fit.

Quarta est, quia omnia pharmaca calida sunt: vnde augent calorem febrilem: quare solum danda sunt, quando præparatis humoribus, cessat calor.

Montanus interpretatur illam dictionem *non cruda*, dicendo quod sit nomen infinitum, sicuti est non homo: per non homo omnia intelliguntur præter hominem: paries quoque est non homo: sic dicit Montanus per mouere non cruda esse mouenda omnia præter cruda.

Hæc Montani expositio à multis laudatur, essetque admittenda, si inter coctum & crudum essent multa media, vel saltem vnicum: sed tantum abest, quod sint multa media, vt omnis humor non crudus sit coctus, & omnis coctus humor sit non crudus: quare crudum & coctum sunt opposita priuatiua, habent tamen vim cõtradictoriam: valet enim hæc consequentia, est humor non crudus, ergo est coctus: nomen infinitum dicitur, quod præter illud, infinita comprehenduntur.

Pręterea expositio est inepta: quia admittit vanam eiusdem sententię repetitionem: idem enim est coctum & non crudum.

Demum est falsum, quod non cruda sint purganda: inter non cruda collocantur sanguis perfectè coctus, optimus chylus, quæ certè non sunt purganda, vel mouenda.

Nonnulli alij dicunt, Hippocratem bis

Re-

repetere hanc sententiam dicendo, concocta medicari, & mouere, & non medicari, & mouere cruda: quia quæ sunt magni momenti bis repetita placent.

Hæc expositio est omnium vanissima quia hac ratione singula Hippocratis verba essent repetenda: singula enim sunt misteriosa, & magni momenti: quare non est dicendum, Hippocratem committere hanc vanissimã taftologiam: quia idem est dicere concocta, & non cruda.

Præterea laconismus Hippocratis, grauitas, & aphoristica doctrina non admittunt eiusdem sententiæ repetitionem.

Zechius, & nonnulli alij arbitrati sunt, Hippocratem per cruda intelligere illa, quæ possunt conuerti in substantiam, & de his intelligendo dicunt nõ esse mouenda.

Sed valde falluntur: quia cruditas quæ potest conuerti in substantiam, dicitur molinsis, & non omotis, vt dictum est superius. Quare si per non cruda intellexisset illa quę possunt conuerti in substantiam Hippocrates dixisset μὴ μεμολυσμένα & non μὴ ὠμά.

Dicimus igitur Nos, Hippocratem dixisse non cruda idest μὴ ὠμὰ vt tolleret ambiguitatem, & æquiuocationem, quæ continebatur in illa dictione πέπονα quæ potest significare cocta, & matura, quia potest prouenire, vt dictum est à πέπτω, & à πεπαίνω: ideo dixit μὴ ὠμὰ vt indicaret se intelligere de maturatione: quia omotis est cruditas maturationis. Propterea putamus nos in aphorismo Latino dictionem non cruda esse superfluam: quia habemus nomen distinctum, in quo nulla continetur æquiuocatio, dicendo matura: itaut aphorismus sit hoc modo legendus „ matura medicari, & mouere delendo dictionem non cruda tamquam superfluam.

Insuper omnes errarunt, qui interpretati sunt per μὴ ὠμὰ non cruda, quia oportebat interpretari non matura, cũ omotis sit defectus maturationis, & non coctionis.

Neque in principijs. Galenus 1. de crisib. c. 9. inquit principiũ morbi sumi tripliciter. Primo sumitur pro primo insultu. Secundo pro primis duobus vel tribus diebus. Tertio pro toto illo tẽpore, in quo nullum coctionis vestigium in vrina apparet. Hippocrates per principium intelligit hũc tertium modum, in quo nullum coctionis signum apparet: quasi diceret Hippocrates non solum esse purgandum, vel mouendũ, in augmento, sed neque in principio.

Prima dubitatio occurrit, quia oppositũ videtur dicere Hippocrates 2. sec. aphorismorum 29. vbi habetur „ inchoantibus morbis, si quid tibi videtur mouendum moue: ergo in principio licebit dare medicamentum.

Respondemus in aphorismo citato non intelligere de medicamento purgante: sed de venæ sec. & de blandis lenientibus. Prętereа non est purgandum in principio, nisi casu, quo materia turgeat, vt docet in hoc aphorismo Hippocrates.

Causa verò cur in statu morbi conueniãt pharmaca est: quia in statu materia est concocta, & concocta sunt medicanda pharmaco electiuè soluente.

Nisi turgeant, raro autem turgent, Per turgere Galenus vult, Hippocratem intelligere humores, qui non sunt firmati, qui vagentur modo huc, modò illuc.

Quod verbum turgere, vt ait Galenus in comm. est desumptum ab animalibus habentibus maximum pruritũ ad coitum, quæ animalia huc & illuc mouentur, loco stare nequeunt, & quærunt modum, quo egrediatur humor, qui proritat sic (ait) humores turgentes huc & illuc mouentur, loco stare nequeunt, & exitum quærunt: ideo illicò sunt purgandi, ne perant partem principem, & ægrum interrimant, vt dicit Galenus 4. aphorismorum 10. vbi legitur hic Hippocratis aphorismus „ medicamentum in morbis acutis eadem die dandum, si materia turgeat, nam tardare in istis noxium est.

Similiter Galenus 4. de ratione vic. 76. dicit in principio purgandos esse humores, si in aliqua parte corporis non sint firmati: quia quando sunt firmati, oportet expectare coctionem.

Rarò autem turget. Nos non interpretamur, quod humores rarò turgeant: quia in morbis peracutis humores sæpissimè turgent: sed raro ita turgent, vt per pharmaca possint purgari: sic in Critone, qui mor-

morbo peracuto moritur in tertia, humores erant maximè turgentes: sed ad pedes, & non ad intestina tendebant: dicit igitur Hippocrates, cum pes illos humores capere non poterat, retrocesserunt ad caput, vnde mors Critonis secuta est: in quo casu Hippocrates non dedit, nec dedisset pharmacum.

Similiter Larissa caluus moritur in quarta cum turgentibus humoribus ad femur irruentibus, qui humores turgentes ab Hippocrate pharmaco nō fuerūt expurgati, & meritò: quoniam illi solum expurgari possunt, qui habent aliquem impetum ad hepatis concauum, ad mesenterium, vel intestina, sicuti colligitur ex ipso Galeno 4. de ratione vic. comm. 64. vbi loquens de turgentibus admonet esse purgandos, si circa ventrem murmurauerint. Hinc si materia turgens mouetur ad caput, vt in Vxore Dromedæ, quæ moritur in sexta, pharmacum certè iuuare non potest, nisi tamen habeat aliquam inclinationem ad ventrem.

Parimodo, si humores turgentes moueantur ad crura, vt in Horofonte, vsus pharmaci Horophonti nocuisset; quia à cruribus fuisset factus retrocessus ad viscera superiora, & inde perijsset: sicuti contigit Critoni, & alijs ægrotantibus.

Ideo credimus nos non esse dandum medicamentum purgans in turgente materia, nisi aliquam habeat inclinationem ad ipsa intestina. Quare per rarò turgere intelligimus, quod rarò turgeant, vt per pharmacū humores possint euacuari. Hęc doctrina consentit aphorismo superiori, vbi vult duo esse obseruanda in vsu medicamēti, nempe inclinationem humoris, peccantis, & loca conferentia: quare si turgentes humores non haberent inclinationem ad venam portam, ad mesenterium vel intestina, pharmaca nullo modo essent exhibenda, si verus est aphorismus declaratus, quo natura vergit, &c.

Pro intelligētia aphorismi tria antequā quæstionem de minoratiuis agrediamur sunt intelligenda: primum cur in principio morbi, dū turget materia, sit purgandum. Secundum an de ratione materię turgentis sit tenuitas, itaut humores crassi nunquam turgeant. Tertium an materia tenuis sit incrassanda.

Quo ad primum, cur scilicet in principio, cum materia turget sit purgandum: Prima causa est, quia impendet periculum, ne humores petant partem principem, & interimant.

Secunda quia Hippocrates 4. aphorismorum 11. dicit „ medicandum esse in valde acutis, si materia inuitet ad excretionem eadem die: nam tardare in his malū est materia verò dum turget inuitat ad dandum pharmacum, dum habet inclinationem ad intestina.

Tertia quia Galenus in comm. vult, esse euacuandum eadem die, antequam virium robur dissoluatur.

Quarta causa desumitur à Galeno 5. meth. 15. vbi admonet, quando periculum est in mora, non à leuioribus sed ab extremis esse exordiendam curationem.

Quo ad secundum: an scilicet de ratione turgentis materiæ sit tenuitas. Moderni dicunt, materiam turgentem interdum esse posse crassam: sicuti in febribus pestilentibus, propter quas fiunt magnæ adustiones: humores tunc aduruntur, & crassescūt Confirmant hanc suam opinionem per casum Critonis, in quo materia furiosa erat crassa.

Dicimus nos materiam turgentem crassam esse non posse: quia de ratione materię turgentis est, vt in ipsa sit principium motus: sed sic est quod materia crassa non potest esse principium motus: ergo crassa non turgebit.

Præterea materia crassa non potest modò vnam partem, modò aliam inuadere: ergo turgens esse non poterit.

Ad rationem Respondemus, in pestilentibus febribus esse posse materiā tenuem, & materiā crassam. In pestilētibus verò febribus & in Critone, materiam turgentem non fuisse portionem crassam, sed tenuem.

QVÆST. XC.

An materia tenuis sit incrassanda.

QVo ad quæstionem, an scilicet materia tenuis sit incrassanda. Ex vna parte

parte Galenus lib. de const. artis cap. 19. inquit, si humores sint crassi, attenuandi, si tenues, incrassandi. Addit sic faciendo, vtrosque pariter concoques.

Deinde Auicennas in cura febrium putridarum in cõmuni vult, materias tenues esse incrassandas.

Postremò Hippocrates lib. de veteri medicina versus finem ait ,, concoqui, & praparari humores, dum redduntur mitiores: redduntur mitiores, si calidi à frigidis, & frigidi à calidis alterentur: si crassi fiant tenues, & tenues crassi. Immo Hippocrates ibidem loquẽs de crudis, & tenuibus destillationibus (ait) quando destillationes erunt superatæ à natura fient crassæ, & sine salsedine, & sine acrimonia: Ecce igitur quod tenues humores sunt incrassandi.

Ex alia parte Galenus 2. aphoris. 9. dicit humores crassos semper esse ita attenuandos, vt fiant fluxiles, atque Hippocrates in aphorismo dicit ,, corpora cum quis purgare voluerit oportet fluida facere: ergo humores potius erunt attenuandi, quam incrassandi.

Respõdemus ad instantias, quod humores dupliciter considerẽtur, vel vt sunt purgãdi: hac ratione, nunquam sunt incrassandi; sed semper attenuandi. Vel considerantur humores, vt sunt alterãdi, nempè si sint tenues incrassandi, non vt purgentur, sed ne ad penitiores partes excurrant, ad viscera videlicet ad pulmonem, cuiusmodi est catarrhus salsus, qui, vt tenuis est incrassansandus. Similiter sanguis tenuis, qui efficit hæmorrhagiam est incrassandus: sic in diarrhea, ne bilis exedat intestina, est incrassanda, videlicet tragacãtho, trociscis de carabe gumi arabica, amylo, polycri[illegible], syrupo de papauere, requie Nicolai, magna triphera, pilluiis de cynoglosa, diacodio in rotulis, vel liquido: hæc varia sunt, prout materiæ tenues vario modo, & varijs in locis corpora labefaciant: si verò bilis in diarrhea exedat, inter cætera iusculum pedum vituli, amylum, & tragacanthum impediunt ne fiat dysenteria: quare proposita distinctione omnia loca conciliari possunt.

Secũda dubitatio occurrit circa aphorismũ: quia Hippocrates inquit in principijs morborũ non esse medicandũ & mouendum. Oppositum tantum dicit aphorismo 29. secundæ sec. ,, si quid tibi videtur mouendum moue in principio, ergo vel male hic, vel ibi.

Respondetur in hoc aphorismo loqui de materia cruda, quæ non est purganda, nisi sit concocta, concoquitur verò perfectè solum in statu, vt docet Galenus 3. de crisibus cap. 5. in aphorismo verò 29. secundæ sec. loquitur de materia turgente, & de materia euacuanda (vt ait Galenus) per sanguinis missionem: sanguis enim euacuatur quatenus copia peccat.

Tertia dubitatio bilis est superfluè cocta: ergo in principio est purganda, quamuis non turgeat.

Respondetur bilem dupliciter considerari vel respectu sui, vel respectu naturæ, quæ læditur ab ipsa bile: primo modo est superfluè cocta: secundo modo considerata videlicet quatenus non est domita, & superata à natura: dicimus, quod si euacuaretur, vt talis exederet partes, per quas trãsit, & posset quoque ægrum interimere. Sic caro nimis cocta dum ingeritur in ventriculum respectu chyli est cruda: chylus respectu sanguinis similiter dicitur crudus: similiter sanguis optimè coctus respectus lactis, in quod debet conuerti, crudus est. Idem dicimus de bile, quæ respectu sui est cocta, respectu verò naturæ, quæ ab læditur, quia nõ est superata, dicitur cruda.

Quarta dubitatio: nõ videtur, quod medicamentum non conueniat in principio morbi, quod probatur hac ratione: tunc est dandum medicamentum purgans quando virtus est robustior: sed virtus est robustior in principio morbi: ergo in principio dandum est medicamentum purgans.

Respondetur tunc esse dandum medicamentum purgans, non quando virtus est robustior, sed quando materia euacuanda per medicamentum est dispositaad purgationem, seu euacuationem: sed sic est quod materia est dispofita, quando est concocta, nempè quando facta est fluida, & aperti sunt meatus, per quos transire, & uacuari debet: perfectè verò concocta

ex Galeno 3. de crisib. 5. est in statu: ergo tunc solum erit dandum medicamentum, & non in principio, nisi materia turgeat, & vnà inclinet ad ventrem.

Auerroes in colliget miratur, cur natura non vincat morbum in principio, sed solũ in fine status, cum in principio virtus sit valde robusta, & in fine status valde debilis. Respondet, & rectè quidem, virtutem valde debilem longè facilius vincere materiam dispositam, quam valde robustam materiam non dispositam.

QVÆST. XCI.

De minoratiuis.

QVæritur, an in principio morborum materialiũ, qui fiunt ex vitiosis humoribus, liceat vti minoratiuo idest pharmaco electiuè soluente: dicitur minoratiuum: quia datur pro diminuenda materia cruda: diximus in principio morbi: quia ex omnium cõsensu in principio morbi tota materia est cruda: dicimus morborum materialium, quia morbi sine materia, cuiusmodi sunt hecticæ, & omnes intemperies sine materia quatenus tales nullo indigent pharmaco: dicimus, qui fiũt quia etiam morbi materiales, qui facti sũt, & non amplius fiunt, vt tales nullo indigẽt pharmaco: quia morbi, vt facti, non tolluntur ad ablationem causæ antecedentis, per pharmacum videlicet.

Quinque in hac quæst. sunt animaduertẽda. Primum non est dubitandum de medicinis laxantibus, vt de cassia, tamarindis, & similibus: quia hæc omni tempore iuuant, non enim purgant electiuè: sed solum reddunt aluum lubricam, & humectam.

Secundò quæstio non est de turgentibus, quia turgẽtes humores sunt tenues, & tenues, quãuis sint crudi, purgari possunt.

Tertiò quæstio est de minoratiuo portionis materiæ crudæ, & non de minoratiuo portionis materiæ perfectè coctæ: quia de hoc non est dubium: Galenus enim 1. ad Glauc. c. 11. loquẽs de quartana habet hæc verba „ si apparuerint signa perfectę coctionis semel, & sæpius, si oportuerit, corpus erit purgandum pharmaco.

Quartò quęstio est de materia cruda, quę tamẽ sit apta coctioni, sicuti est crassa, viscida, non de inepta, cuiusmodi sunt hydropicorũ serositates, quæ coctioni sunt ineptæ.

In venenis, & humoribus omnino coctioni rebellibus non est expectanda coctio sed valde tempestiuè pharmaca efficacissima sunt præbenda: sicuti in illa exitiali cynanche, quæ eadem prorsus symptomata profert, quę canina rabies: de qua Iosephus de Aromatarijs affinitate vir & arte medica, & facunda insignis libro suo doctissimo & curiosissimo de rabie contagiosa probat priscorum sapientum auctoritate, longa periclitatione, & experimento certissimo ab illo obseruato in quodam Sacerdote, rabidum virus esse Cynanchem.

Quinto quæstio est de minoratiuo, non de eradicante: Immo si de eradicante loquamur medicus in tali euacuatione omni tempore debet infra terminum subsistere, neque vnquam vti debet exactissimo eradicante. Hinc ex Hippocrate & Galeno 6. aphorismorum 27. medici neque totum pus in suppuratis: neque tota aqua, immo neque multa' pro vice in hydropicis 'euacuant. Vnde Mesues, & Græci ferè omnes expresè admonẽt, in omni euacuatione satius esse aliquid naturæ permittere, quam exactissimè euacuare.

In hac quæstione de minoratiuis variæ sunt opiniones.

Rasis 10. ad Almansorem. Manardus, & quamplurimi alij putant, in principio morbi, quando cruda materia est copiosa semper vtendum esse pharmaco minoratiuo.

Fernelius, & Montanus dicunt, humores crudos melius purgari in augmento quã in principio, & longè melius in statu.

Rasis & Alij dicunt, solum tenues humores ante coctionem esse purgandos & non crassos: quia dicunt serosos esse ineptos coctioni.

Alij dicunt, Hippocratem & Galenum non esse vsos minoratiuis. Nos tamen illis vti posse: quia habemus pharmaca bene dicta, quibus carebat antiquitas.

Demum sunt, qui tenent, minoratiua conuenire pro illis humoribus crudis, qui sunt

sunt in intestinis,& meseraicis venis.

Illa sunt opiniones, quæ vagantur per scholas de minoratiuis. Nos prius proponemus fundamenta,quibus ex Hippocrate & Galeno ostendere possumus, minoratiua in arte medica non habere locum. Deinde argumenta aduersariorum,& eorum solutiones proponemus.

Quo ad fundamenta pro nostra opinione contra minoratiua,hæc sunt. Primum desumitur ab Hippocrate in hoc aphorismo dum dicit ,, concocta medicari: si cócocta medicantur: ergo non cruda erunt medicanda. Nec valet dum dicunt ex Cóciliatore differentia 161. Hippocratem loqui de euacuatione eradicatiua, & non de minoratiua:quia dum subdit Hippocrates & mouere non cruda)dicũt excludere non solum diuretica,sudorifica,& minoratiua, sed omnia illa quæ aliquo modo possent mouere cruda.

Secundum fundamentum desumitur à Galeno 2.aphorismorum comm.9. vbi dicit,purgationem ante coctionem materiæ esse malam:quia sequuntur colliquationes, mali pulsus,aliquando vertigines, & alia praua symptomata. Rationem Galenus proposuit 2. de humoribus comm.14. vbi dicit ,, Quæ sunt incocta sunt stabilia, & infixa, itaut maxima cum difficultate trahi possint: quare quando pharmaco electiuè soluente humores crudi,qui stabiles, & infixi sunt, à suo loco dimouentur,suboriuntur ob illam violentiam colliquationes,mali pulsus,vertigines,febres,& varia symptomata,prout corpora sunt ad varia mala propensa, & disposita.

Tertium desumitur à Galeno 4. aphorismorũ 22. vbi dicit ,, Quãdo materia: est cruda,impossibile est aliquid rectè euacuare; dicit aliquid vt excludat euacuationem minoratiuam : quia minoratiua euacuant non totam materiam crudam, sed aliquid materiæ crudæ.

Quartum desumitur ab Hippocrate lib. 4.acutorum tex. 22. vbi leguntur hæc verba ,, Qui conantur in principio morborum corpus soluere medicamento, partes inflãmant,& nihil adimunt à parte inflammata. Immo per medicamenta colliquant partes sanas: si verò corpus sit imbecillum, morbus præualet, & mors subsequitur.

Præterea patet experientia, humorem crudum esse impactum,& infixum, vt docet Galenus 4.de ratione vic.79.& 2.de humoribus 15.

Idem quoque euenit,dum chirurgus incidit apostema crudum,ac licet illud maximè aperiat,nihil humoris crudi foras effunditur, sed solum portio sanguinis tenuis, quæ non pertinet ad ipsum apostema:ergo multo minus medicamentum euacuabit humores crudos infixos, & impactos in aliqua corporis parte.

Quintum fundamentum desumitur à lib.4.de tuen.sanit. cap.5. vbi loquitur de humoribus crudis existentibus in mesenterio: habet hæc verba ,, Purgãs medicamentum,vbi sunt humores crudi, erosiones,& tormina efficit, atque nihil notatu dignum euacuat: quia crudi succi ob crassitiem vias obstruunt,itaut nec ipsi exeant nec alios exire permittant: subdit ,, Vbi adest copia crudorum succorum non licet exercitare, vomitum mouere, nec lauare, nec fricare.

Præterea 4. acutorum 44. habet hanc sententiam ,, sicuti quies iuuat coctionẽ: sic quælibet agitatio impedit coctionem: pharmaca enim maximam excitant agitationem:vnde maximum suboritur malum, tum quia natura ob agitationem incalescit: tum quia distrahitur ab opere suo.

Hinc Galenus 2. de humoribus 13. inquit, non esse dandum medicamentum purgans in augmento,vel in principio status: quia tunc natura est occupata in certamine cum morbo.

Sextum desumitur à Galeno secundo in secundum prorrhet. comm.57. vbi hæc dicit aluus in quo vis morbo spõtè profluens sine signis coctionis nihil iuuat: si vero implacidius operetur, præterquã quod nihil iuuet,nocumentum etiam affert: quare si aluus profluens materia existẽte cruda, nó iuuat, tantò minus iuuabit pharmacum.

Septimum desumitur à Galeno comm. 24. huius sect. vbi habet ,, In morbis longis semper oportet expectare coctionem: in acutis verò solum dum materia turget in principio licet purgare,& hoc cum multa cautione.

Deinde alijs verbis prægnātibus quidem damnat omnia pharmaca, si materia non sit concocta.

Immo secundo de humoribus comm. 21. proponit etiam hanc diuinam sententiam ,, prope iudicationem expurgare malum. Similter addit, iudicationem præuenire malum: sed sic est, quod propè iudicationem materia adhuc nō est cōcocta, & magnum malum est iudicationem præuenire, sicuti nostratum plurimi faciunt, qui transacto 7. die, vel 14. nulla facta consideratione, an bene cocta sit materia preueniunt iudicium ante coctionem.

Errant præterea, dum putant, humores totius morbi esse coctos, dum vident coctionem in aliqua parte corporis: sæpè enim ex humanis decedunt ægri, qui habent humores crudos in toto, & in parte coctos, vt refert Galenus 2. in 1. epid. 84. de Cratistonacte, & Ancilla pictoris, qui mortui sunt, cum parotides suppurassent; in illis coctio erat in parte: cruditas verò erat in toto.

Octauum desumitur ab Hippocrate & Galeno 4. de ratione vic. 44. vbi dicit ,, in principio morbi licet vti clystere, & non pharmaco: Galenus verò in illo comm. inquit, non pharmaco, quia impediretur concoctio: Ecce Galenum intelligere de minoratiuo, quod non ex toto euacuat: si enim de eradicante intelligeret: euacuatio non impediretur: quia tota materia esset iam euacuata.

Ratio verò cur non conueniant minoratiua materia existente cruda, est quia per minoratiua euacuantur solum materiæ tenues: crassæ verò solum agitantur: vnde duo magna incommoda sequuntur: primum ex agitatione crudorum fiunt maiores obstructiones, vt animaduertit Galenus 4. de tuen. sanit. 5. secundum, crassę materiæ fient magis rebelles, & inobedientes coctioni, & expulsioni: coctioni, quia per quietem humores coquuntur, & superantur: expulsioni, quandoquidem euacuato tenui per minoratiuum, relinquitur crassum expulsioni ineptum, quia tenue est vehiculum crassi.

Quare minoratiua quinque nocumenta præcipua adferunt.

Primum partes sanas colliquant.

Secundum humores vtiles euacuant, & inutiles relinquunt.

Tertium ob agitationem augent calorem febrilem, & obstructiones.

Quartum impediunt coctionem, quę sola quiete fit.

Quintum euacuant tenues humores, qui sunt crassorum vehiculum: crassi verò vehiculo destituti, deinde non possunt expelli.

Cognita veritate, videlicet minoratiua non habere locum in medicina, consideranda sunt aduersariorum argumenta.

Primum argumentum illorum tale est: si licet purgare materiam turgentem in principio morbi, hoc fine, ne petat aliquam partem principem, multo magis licebit purgare materiam crudam non turgentem, quæ actu habet raptum ad partem principem; quare minoratiuum conueniet in cruda materia non turgente.

Ad hoc argumentum respondemus, materiam quæ habet raptum ad partem principem, vel habere in seipsa principium motus, vel habere principium motus extra se, idest à parte principe nimium excalefacta, quæ ratione caloris attrahat. Posita hac distinctione: dicimus omnem materiam habentem in se principium motus esse turgentem: de hac re non est dubium, vt superius explicauimus.

Si verò materia peccans habet principium motus extra se, dicimus, non esse turgentem, & propterea non esse purgandum, si cruda sit: quia si agitaretur euaderet perniciosior.

Deinde dicimus secundum veram Galeni methodum esse remouendum calorem partium principum, ratione cuius fit attractio: sed calor certè non remouebitur pharmaco: quia ex Galeno comm. 23. huius sectionis, omnia pharmaca calida sunt.

Secundum argumentum desumunt à Galeno 1. de comp. med. secundum locos cap. 2. vbi fatetur, se curasse adolescentem alopecia correptum in prima visitatione medicamento ex colocintide: atque sine alijs localibus illum liberasse.

Respondemus, materiā, quæ est in corpore dupliciter considerari posse: vno modo,

do, vt est in toto corpore cocta, & in aliqua tantum parte cruda, alio modo, vt est in parte cocta, & in toto cruda. Hæc distinctio est Hippocratis & Galeni 1. epid. 2.tex. & comm.84. vbi proposuit illos infirmos, in quibus apparuerunt parotides, quæ ad suppurationem deuenerunt, nihilominus mortui sunt. Galenus in comm. ait, illos mortuos fuisse propter materiam crudam existentem in toto, & non propter parotides, in quibus materia erat cocta.

Præterea patet, materiam esse posse in toto coctam, & in parte crudam, veluti dum morbus totius corporis resoluitur in abscessum: quo casu totum liberatur materia cruda: pars tamen eadem materia cruda correpta est.

Similiter dum pars corporis vulneratur, humor confluxus dicitur crudus: egetque maturatione: attamen in toto potest esse materia cocta, totumque optima sanitate gaudere.

Posita hac distinctione, dicimus in Adolescente alopecia correpto exiguam portionem melancholiæ fuisse transmissam ad caput, & in toto fuisse materiam coctam; qua expurgata per pharmacum, deinde à natura id quod confluxit ad caput fuisse facile resolutum per localia: ideo poterat Galenus date medicamentum in prima visitatione, materia in toto existente cocta.

Tertium: Galenus 2.aphoris.29.in comm. dicit, in principijs morborum vtendum esse venæ sectione, & interdum purgatione: ergo minoratiuum interdum conueniet in principio.

Respondemus, Galenum locutum fuisse in illo comm. de materia turgente, quia dixit (interdum).

Deinde respondemus, in principijs morborum posse quoque reperiri materiam coctam, sed non illius morbi, sed alterius præcedentis dispositionis, quæ in principio noui morbi pharmaco purgari possit. Hæc doctrina est Hippocratis 4.de ratione vic. 43.his verbis, quibus in principio vrinæ, & nebulosæ, & crassæ existunt, hos annuentibus cæteris, purgare conuenit. Quod si vrinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis.

Quare præter materiam, quæ facit morbum, quem curare intendimus, potest esse aliqua materia cocta alterius morbi præcedentis, vel malę dispositionis illius patientis, quæ materia in principio noui morbi sit euacuanda. Hinc dum Hippocrates 2. aphoris.29 dixit ,, Inchoantibus morbis si quid tibi videtur mouendum moue, non solum id proposuit propter excrementa contenta in primis vijs, & propter turgentem materiam: atque vt sanguis euacuetur; sed id quoque dixit propter materiam coctam alterius affectus antecedentis, quod sæpè accidere potest.

Quartum argumentum: Hippocrates lib.2.de ratione vic.10. loquens de principio pleuritidis dat nobis hoc præceptum: si dolor infestet partes infernas, dandum esse elleborum: ergo conueniet minoratiuum in principio.

Respondet Triuerius, Hippocratem vsum fuisse pharmaco in illo dolore descendente non ratione euacuationis illius humoris: sed ratione reuulsionis. Dicit præterea Hippocratem in hoc aphorismo (concocta medicari) locutum fuisse de euacuatione, & non de reuulsione: quasi quod reuulsio fiat sine euacuatione, & sit ens rationis, & chimera.

Nos tamen respondemus, Hippocratem loco citato dedisse pharmacum, vel quia materia erat turgens, vel quia materia erat concocta secundum partem, vel quod fuerit materia cocta, sed non illius morbi, sed alterius præcedentis dispositionis.

Quintum argumentum desumunt ab Hippocrate 4. de ratione vic.64. vbi loquens de materia cruda ait ,, circa diem quintum, si venter murmurauerit, licet it corpus mediocriter purgare scamonio: ergo minoratiua conuenient.

Respondemus, Hippocratem fuisse locutum de materia turgente: quod patet ex tex. superiori, in quo proposuit ægros, qui modo patiebantur tumores circa pedes, modo circa genua, modo circa crura, & modo humores delitescebant circa fauces, qui deinde suffocabant ægros: quare est luce meridiana clarius, quod Hippocrates loco citato locutus sit de materia turgente.

Duo tamen in hoc loco ex dictis sunt colli-

colligenda: primum quænam sint symptomata turgentis materiæ.

Secundum, dum Hippocrates subdit, dandum esse scamonium, si venter murmurauerit, colligimus non velle esse dandum pharmacum in turgente materia, nisi ipsa habeat inclinationem ad ventrem.

Sextum Galenus lib. quos & quando purgare oportet docet, humores peccantes ostendere tempus purgandi: quia si humores sint crassi,& viscidi,vt est pituita,& atra bilis coctionem esse expectandam: si tenues, & serosi inter initia esse purgandos. Ecce (dicunt) ex Galeno vtendum esse minoratiuis, si crudi humores sint tenues.

Respondent Nonnulli,Galenum intelligere per tenues,& serosos humores ichores, seu serositates, quæ non sunt coquendæ, sed euestigio euacuandæ.

Falluntur, dum dicunt ichores serosos non esse coquendos: Galenus enim 2. de ratione vic.44. asserit, ichores interdum esse crudos,& interdum coctos. Nos credimus quod serosi humores, licet sint crudi, possint purgari: negamus tamen, quod à virtute robusta non possint coqui.

Alij respondent ad argumentum, Galenum loqui de materia turgente, quod reuera nos non admittimus: quia ibi mentionem facit de crassitie, & subtilitate materiæ peccantis.

Alij dicunt, vt de medio tollant argumentum,& rectè quidem, librum quos & quando purgare oportet non esse Galeni sicuti nos quoque credimus.

Septimum desumitur ab ægrotantibus Hippocratis quia nonnulli, vt Meton fuerunt liberati per narium hemorrhagiam cruda existente materia. Similiter Mulier trimestri fœtu grauida liberatur acuta febre per sudorem, cruda existente materia: ergo & medicus naturæ imitator minoratiuo poterit purgare cruda.

Respondemus hæmorrhagiam Metonis, & sudorem mulieris trimestri fœtu grauidæ non fuisse motus merè symptomaticos: sed mixtos ex critico & symptomatico, atque illo die non fuisse à febre acuta omninò liberatos: sed sensim reliquias fuisse à natura superatas.

Octauum argumentum desumunt à Galeno 3.epid.3.comm.76. vbi loquens de Larissa, inquit: si vehementes dolores non possint anodynis sedari, vtẽdum esse pharmaco electiuè soluente: ergo Galenus concedit minoratiuum: materia enim cruda, & non cocta est illa, quæ efficit dolores vehementes.

Hinc Galenus 6.meth.2.loquens de punctura nerui ait ,, si maximus excitetur dolor, statim vtendum est medicinis purgantibus,ne humores confluant ad puncturam, & conuulsionem efficiant.

Similiter 6 de loc.aff.3.loquens de dolore vehementi ipsorum renum admonet: in principio sine aliqua humorum præparatione vtendum esse pharmaco, hoc fine ne humores ad renes fluant. Quamplurima alia argumenta similia possunt inueniri, in Hippocrate & Galeno, quæ facile de medio tolli possunt propositis solutionibus.

Ad hoc argumẽtum Altimarus respondet in vehementissimis doloribus nos posse vti minoratiuis: sicuti docere videtur Galenus in sequenti aphorismo.

Fallitur Altimarus, quia Hippocrates & Galenus in sequenti aphorismo agunt de sanguinis missione, non de purgatione.

Quidam alij dicunt, dum dolores sunt vehementes, materiam esse turgentem. Parimodo falluntur isti: quia de ratione turgẽtis materiæ est, vt in seipsa sit motus principium: sed sic est, quod in punctura nerui excitatur dolor conulsiuus: materia est firmata,& non turget, licet dolores sint vehementissimi.

Respondemus non esse purgandos humores coctos, & fluidos, qui sunt in corpore sano, ne scilicet fluant ad partem dolentem.

Neque accipienda est solutio Nonnullorum dicentium, Hippocratem & Galenum non fuisse vsos minoratiuis: quia carebant medicamentis purgantibus, quæ sunt apud nos,& quæ vocantur purgantia benedicta, cuiusmodi sunt Diacatolicum, diaphinicum electuarium de succo rosarum, & alia blandiora, quibus nos vtimur. Sed nescio quidem à quo Pontifice fuerint benedicta.

Contra istos sic argumentor: si Hippocra-

crates & Galenus putant, cruda non posse purgari purgantibus validissimis sine grauissimis accidentibus: quia materia cruda est infixa, & impacta, quæmadmodum in crudo apostemate apparet: tantò minus poterunt purgari purgantibus benedictis, quæ sunt inferioris virtutis.

APHORISMVS XXIII.

DEiectiones non multitudine sunt extimandæ: sed si talia deijciantur, qualia conueniunt, & ægri facile tolerant. Atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.

In superiori aphorismo egit Hippocrates de tempore purgationis, & euacuationis: quia dum dixit (concocta medicari) intellexit de euacuatione, quę fit per pharmacum. Dum dixit „ (*& mouere non cruda*) intellexit de quacumque alia euacuatione, quod scilicet cruda vt cruda non sint mouenda.

In hoc verò aphorismo agit de quantitate euacuationis, quatenus est communis euacuationi quę fit per pharmacum, & quę fit per venæ sectionem, sumpta indicatione à qualitatē euacuationis, & à virium tolerantia.

Prima dubitatio statim oritur, quia hic aphorismus videtur superfluus: quia est inclusus in tertio aphor. in quo egit de quantitate euacuationis.

Respondetur, hunc aphorismum differre à tertio, quia ibi egit de quantitate euacuationis pertinētis ad chirurgiam, pharmaciam, & diætam: hic verò solum agit de quantitate euacuationis ad pharmaciam, & chirurgiam pertinentis, & nequaquam ad diætam.

Secunda dubitatio occurrit: quia Galenus in comm. 3. aphorismi huius sect. asserit, magnam quantitatem humorum indicare magnam euacuationem: modicam quantitatem modicam euacuationem. Hippocrates verò in hoc aphorismo inquit, magnam quantitatem euacuationis indicari à qualitate euacuationis, quod stare non potest: quia in indicationibus non est transeundum de genere in genus: indicans enim & indicatum sunt duo contraria: at contraria sub vno genere proximo continentur: ergo quantitas euacuationis non indicabitur à qualitate, quod est genus omninò diuersum.

Montanus, & Capiuaceus soluentes hanc difficultatem dicunt, quantitatem purgationis, seu euacuationis dupliciter considerari posse, vel ante euacuationem, vel in tempore euacuationis: addunt ante euacuationem magnam quantitatem euacuationis indicari à magna quantitate humorum & modicam à modica quantitate. In tempore verò purgationis, seu euacuationis (addunt) magnam quantitatem euacuationis non indicari à quantitate humorum, sed ab humorum qualitate & à virium tolerantia.

Idque probant Auctoritate Hippocratis & Galeni: Hippocratis 2. de ratione vic. tex. 10. vbi vult, in pleuritide terminū euacuationis sanguinis esse mutationem coloris sanguinis ad liuidum: sed sic est, quod mutatio coloris pertinet ad qualitatem, & non ad quantitatem: ergo.

Deinde probant ex Galeno primo ad Glauc. cap. de cura quartanæ, vbi dicit: „ si sanguis sit crassus, & niger permittendus est vt fluat, si serosus, & rubeus supprimendus.

Primò Montanus, & Capiuaceus falluntur: quia si ante euacuationem quantitas euacuationis indicatur à quantitate humorum euacuandorum: ergo & in tempore euacuationis: quia res ex Aristotele 2 metaphys. sicuti se habent ad esse, ita & ad cognosci, & operari.

Ad auctoritatē Hippocratis in hoc aphorismo respōdemus Hippocratem nō agere de quātitate humorum euacuādorum, sed de qualitate euacuationis, secus aphorismus interdū esset falsus: quia sępissimè accidit, quod ægri paulo ante obitū euacuent excrementa venefica, & qualia oportet cū optima tolerantia: tamen paulo post moriuntur: causa est: quia licet euacuatio facta

cta sit excremẽtorum qualia oportet, tamẽ non est facta qualiter idest quantum, quãdo, quomodo, & vbi oportet: dicimus quãtum, quod scilicet euacuatio facta sit totius humoris peccantis, & quod facta sit in die critica, facta coctione, & cum virium tolerantia, & quod non adsint prohibentia, & vbi oportet, nempe per regionem conuenientem.

Quare dicimus Hippocratẽ in hoc aphorismo agere de qualitate euacuationis, qualiter videlicet fieri debeat in chirurgica & pharmaceutica parte, & non de qualitate humorum euacuandorum.

Ad auctoritatem Hippocratis & Galeni quod quantitas euacuationis indicetur à qualitate idest à mutatione coloris. Respondemus quantitatem purgationis, seu euacuationis primariò indicari à quantitate humorum: secundariò verò à qualitate, non tamquam ab indicante, sed tamquam à signo ostendente indicans esse præsens, vel non præsens.

Diuiditur aphorismus in duas partes: in prima docet quãtitatem euacuationis in pharmacia, & chirurgia esse desumendam à duobus locis videlicet à qualitate bonæ euacuationis (idest quod fiat qualiter fieri debeat intelligendo per qualiter quod fiat tempore oportuno, videlicet facta coctione, & in die critica) & à virium tolerantia.

In secunda exemplificat de euacuatione facienda per phlebotomiam vsque ad animi deliquiũ, si vires ferant, quæ solum temtari potest per phlebotomiam: quia stat in potestate medici eam supprimere quando vult: quod fieri non potest in euacuatione facta per medicamenta purgantia, quia eam sistere non possumus, quando volumus.

Quo ad verba dicit τὰ χωρέοντα: quod verbum significat excretiones in communi: fiant per aluum, per venas, vel per alias partes: Galenus enim 2. aphorismorum comm. 18. ait, excretionem, quæ fit per aluum vocari ὑποχώρησιν idest subductionem, & non χώρησιν idest excretionem communem omnibus excretionibus: ideo errant qui per τὰ χωρέοντα explicant deiectiones quæ significant alui deiectiones: melius sanè interpretabimur per τὰ χωρέοντα eorum quæ euacuantur intelligendo de quacumque excretione.

Deinde dicit ἀλλ' ὡς ἂν χωρέη οἷα δεῖ idest sed si qualiter oportet euacuentur. Per οἷα intelligit qualiter, & non qualia: quia apud Græcos omnia neutra adiectiua sine articulis sumuntur aduerbialiter.

Pari modo Hippocrates aphorismo 13. per εὐφορώτατα intelligit facilimè & non facilima, quamuis εὐφορώτατα sit neutrum plurale attamen, quia est sine articulo, & est neutrum adiectiuum sumitur aduerbialiter idest facilimè. Similiter δυσφορώτατα in 18. aphorismo significat difficilimè, tamẽ est neutrum plurale sine articulo: ideo sumitur aduerbialiter.

Præterea apud Herodotum & Tucididem, vt animaduertit Io. Scapula in suis annotationibus, hęc dictio οἷα sumpta est aduerbialiter, significando qualiter, & non qualia.

Sic Hippocrates primo de ratione vic. 23. ait, si quæ à pulmone excernuntur sint qualia oportet augenda est sorbitio. Galenus in comm. per qualia interpretatur qualiter, quia dicit, Hippocratem per qualia intelligere excretionem factam à pulmone cum notis concoctionis.

Demum multi ex praua intelligentia istius dictionis οἷα sæpissimè incidunt in errata magni momenti. sed hoc vnum liceat afferre, quod legimus in Saxonia in illa disputatione, an euacuatio symptomatica, quæ fit in principio diarrheæ, quæ est cum tolerantia, & quæ respondet morbo, idest quod in morbo bilioso biliosa euacuẽtur, sit supprimenda, vel fouenda, Saxonia tenet esse fouendas, hac praua intelligentia motus: si qualia opportet purgari interpretando per οἷα qualia, & non qualiter. Amplius in principio diarrheæ non potest fieri euacuatio qualiter fieri deberet: quoniã Galenus 4. aphorismorũ 22. inquit „ ante vtilem euacuationem præire coctionem, & deinde separationem: sed sic est quod in principio diarrheæ nulla coctio obseruari potest: ergo non est facienda euacuatio.

Demum licet in principio morbi in euacuatione symptomatica obseruetur aliqua tolerantia, id euenit ratione principij morbi:

bi: quia ex Hippocrate 2. aphorism.30. in principio,& fine morbi omnia remissiora.

Insuper Cristoforus Vegha veritate ductus in suis commentarijs inquit per οἷα Hippocratem intelligere non solum speciem peccantis humoris,sed omnes conditiones, quæ requiruntur ad optimam euacuationem:in qua,si adsint ,, euacuatio fit qualiter fieri debeat,quod nostrę expositioni maximè respondet.

Vsque ad animi defectionem. Galenus declarans quid sit intelligendum per animi defectionem, inquit,Hippocratem non intelligere illam animi defectionem, quæ fit ob timorem, vel morsum oris ventriculi: sed illam quæ fit ob nimiam euacuationem.

Præterea notandum, Hippocratem per animi defectionem non intelligere syncopem, sed lipothymiam.

Differentia non parua est inter syncopem, & lipothymiam: quia syncope omninò tollit sensum & motum: lipothymia verò non aufert omnino sensum: immo tales ægri recordantur, ꝙ in syncope, nequè recordantur,neque in syncope vlla animalis operatio, vel vitalis viget:ideo Galenus 12. meth. 5. definiens syncopem dixit, esse præcipitem omnium virium lapsum: primo verò ad Glauc.14. ait, lipothymiam esse viam ad syncopem: Eclysim verò esse viam ad lipothymiam. Eclysis significat resolutionem.

Insuper notanda sunt hæc tria vocabula Italica,quæ respondent tribus latinis: ambastia, fastidio,angossa. Ambastia est illa Eclysis,quæ latinè dicitur anxietas. Fastidio dicitur, lypothimia, seu animi defectio:angossa dicitur syncope.

Causa immediata syncopes & lipothymiæ est defectus spiritus vitalis,& non innati,& implantati: quia deficiente innato,seu implantato, statim sequitur mors: remanente verò innato,licet vitalis extinctus sit,potest tamen redire.

Causæ extinctionis vitalis caloris, & deinde innati quatuor sunt.

Prima est alteratio à causa contraria, vt ab opio,aqua frigida,vel aere frigidissimo.

Secunda est suffocatio, quæ fit vel à sanguinis nimietate, vel ab angustia in vena arteriosa,vel arteria venosa, vel à catarrho suffocante.

Quod calor per suffocationem extinguatur,declaratur à Galeno & Hippocrate 4. acutorum 23. vbi dicit, per venarum interceptiones factas à sanguinis multitudine extingui calorē. Similiter Galenus 2. de naturalibus faculta.8.ait, ex suppressis mensibus calorem suffocari posse, & hydropem fieri. Parimodo Hippocrates 6. aphoris.12. inquit ,, Diuturnas curanti hemorrhoidas, nisi vna seruetur, impendet periculum suffocationis, & hydropis; idem confirmat Galenus in comm.

Tertia causa extinctionis caloris est defectus alimenti,qui accidere potest, vel ob nimiam euacuationem,vel ob prauum succum nutritioni ineptum,vt in hydropicis, vel ob pabulum immoderatum post nimium coitum assumptum: de hoc modo extinctionis Galenus mentionem facit 2. de facul.nat.cap.8. Nimius cibus impedit, ne debiles alantur, immo calorem debilem extinguit suffocando.

Quarta causa est resolutio caloris, quæ fit,vel à vehementi calore,cuiusmodi est in causone: quia maior flamma extinguit minorem, vel à causa nimium rarefaciente, vel nimium mordicante, quæ calorem maximè resoluit. De hac causa loquitur Hippocrates 2. prognost.tex.1. & Galenus fusius in comm. vbi Hippocrates proponit hæc verba ,, aqua inter cutem à morbo acuto mala.

Tertia dubitatio: in sanguinis euacuatione requiruntur vires, sine quibus medicorum nemo auderet sanguinem mittere: ergo nunquam erit facienda sanguinis euacuatio vsque ad animi defectionem: ergo æger nunquam par esse poterit in simili euacuatione toleranda: quia & in animi defectione, & paulo ante, vires non permittunt.

Respondetur, tolerantiam duplicem esse: aliam actualem,aliam potentialem: in lipothymia tolerantia potentialis adest: quia adhuc conseruatur potentia generandi nouos spiritus,& nouas vires, in syncope verò neque est potentialis,neque actualis.

QVÆST. XCII.

An euacuatio sanguinis vsque ad animi deliquium fieri possit.

QVæstio est in hoc aphorismo ab alijs considerata, an euacuatio sanguinis aliqñ vsque ad animi deliquiũ fieri possit.

Auerroes 2.coll.cap.8. probat tribus efficacissimis argumentis contra Hippocratem & Galenum, euacuationem sanguinis vsque ad animi deliquium nullo modo in medicina habere locum.

Primum argumentum Auerrois tale est. Medicus debet naturam rectè operantem imitari: sed natura rectè operans nunquam euacuat vsque ad animi deliquium: ergo nec medicus.

Respondemus, assumptũ esse falsum, quod scilicet medicus solum imitari debeat naturam rectè operantem: quia interdum medicus potest facere, quæ ab ipsa natura fieri non possunt, vt dicit Galenus lib. de const. artis med. cap. 12. sicuti dum luxata reponit: carnem supercrescentem remouet: deponit cataractam: vrit, vel abscindit membrum sfacello correptum: vel calculus è vesica à lithotomo extrahitur.

Præterea negamus minorem, quod scilicet natura rectè operans nunquam euacuet vsque ad animi deliquium: Auerroes ostendit se non esse versatum in medicina: quia interdum natura per nares in causone euacuat sanguinem vsque ad animi deliquium: interdum per vterum, vel per hęmorrhoidas: & æger sanatur: immo Auicennas 17. tertij vult, sanguinem hemorrhoidalem non esse sistendum, priusquam æger animo deficiat.

Secundum argumentum Auerrois contra Hippocratem tale est: medici intentio solum est euacuare superfluũ: sed euacuatio vsque ad animi deliquium, euacuat non solum superfluum, sed etiam vtile: ergo.

Respondemus negando, quod medici intentio sit auferre superfluum: quia medici intentio est sanare: medici offitium est addere, & auferre: & abscindere neruum punctura correptum, & vrere partem à cane rabido demorsam. Quod verò medicus tollat etiam illud quod non est superfluũ gratia sanitatis patet in ijs qui cadunt ab alto, vel vulnerantur, in quibus secatur vena, licet nulla adsint signa plenitudinis.

Tertium argumentum Auerrois. Medicus debet habere pro scopo non solum sanitatem: sed etiam vitæ custodiam: sed euacuatio vsque ad animi deliquium deducit ęgrum ad graue vitę periculum: ergo non est facienda.

Respondemus negando, quod per sanguinis missionem vsque ad animi deliquium ducantur ægri ad maximum vitæ periculum. Aliud enim est animi deliquium, & aliud syncope, quod Auerroes confundit, neque intelligit Auerroes beneficia, quæ afferre solet animi deliquium: Galenus enim in hoc comm. & 9. meth. 4. loquens de lipothymiæ vtilitatibus hēt hęc „ Celerimè per lipothymiam corpus refrigeratur: subdit nemo potest inuenire remedium lipothymia iucundius, & vtilius naturæ, & ægris: sequuntur enim à lipothymia alui deiectiones, vomitiones bilis, madores, sudores, & refrigerationes.

QVÆST. XCIII.

In quibus casibus conueniat sanguinis euacuatio vsque ad animi deliquium.

QVæstio non spernenda proponitur in declaratione huius aphorismi. In quibus casibus conueniat sanguinis euacuatio vsque ad animi deliquium.

Galenus in comm. proponit tres casus, in quibus conuenit euacuatio vsque ad animi deliquium: quorum primus est in febribus ardentibus. Secundus in vehementissimis doloribus. Tertius in maximis inflammationibus.

Montanus, & nonnulli alij ponũt quartum casum idest in febre synocha.

Isti tamen errarunt: quia Galenus 2. de diff. feb. 2. & 2. de crisibus 6. collocat febres synochas inter ardentes: quare non dabitur quartus casus, cum synocha sit inter ardentes.

Deinde Montanus, & alij plures fuerunt decepti à praua interpretatione leoniceni, & Cenomani, qui interpretati sunt in febribus ardentibus: cum in Græco codice legatur ἐν θερμολάτοις πυρετοῖς, idest in febribus calidissimis, & non ardentibus: neque in vllo Galeni tex. legitur

tur ἐν πυρετοῖς καυσώδεσιν idest in febribus ardentibus. Addimus febrem synocham esse febrem calidissimam: ergo in illis tribus casibus est quoque inclusa synocha febris.

Insuper si Galenus dixisset in ardentibus febribus, sanguinem esse mittendum vsque ad animi deliquium, non potuisset defendi: quia in exquisitis ardentibus peccat bilis, & non sanguis: ideo non solum in febribus ardentibus euacuandus est sanguis vsque ad animi deliquium: sed neque omninò tutum est aliquã moderatam quantitatem sanguinis euacuare.

Hinc Auicennas in cura febrium putridarum in communi cap. de phlebotomia non euacuat sanguinem in ardentibus exquisitis, ne succedat cholericorum ebbulitio: quam causam Aliqui non omninò admittunt: quia in febribus ardentibus nunquam sanguis esset mittendus, quod est contra Galenum 11. meth. 15. vbi vult, in omnibus febribus putridis sanguinem mitti posse, si vires permittant. Neque Galenus in febribus biliosis inter prohibentia phlebotomiam vnquam posuit cholericorum ebbulitionem.

Dicimus tamen nos in ardentibus exquisitis parum sanguinis esse euacuandum: quia sanguis est frenum bilis, illo enim euacuato, vires cadere possent. Quare vt ad propositum nostrum reuertamur, dum Galenus proponit in febribus ardentibus sanguinis euacuationem vsque ad animi deliquium, per febres ardentes debemus intelligere febres calidissimas, sicuti in tex. Græco legitur; inter quas calidissimas, febris synocha præcipuè collocatur: atque ideo dicimus Galenum præcipuè de synocha non putrida intelligere: in qua nisi fieret insignis sanguinis euacuatio, tota massa putresceret, fieretque synocha pestilens, vnde mors.

Causa verò, cur euacuatio sanguinis vsque ad animi deliquium in febribus calidissimis maximè iuuet, proponitur à Galeno 9. meth. cap 4. vbi habet hæc „ Celerimè per lipothymiã totum corpus refrigeratur: subdit nemo potest inuenire remedium lipothymia iucundius & vtilius ægris, & natura: sequuntur enim à lipothymia alui deiectiones, bilis vomitiones, madores, sudores, & refrigerationes.

Parimodo hæc sanguinis euacuatio vsque ad lipothymiam, seu animi deliquium quod id m est, valde conuenit in maximis inflammationibus, vt docet Galenus in hoc comm. Primò, quia totum corpus ex hac euacuatione maximè refrigeratur: deinde per hanc euacuationem fit maxima reuulsio à parte inflaminata: Galenus enim 13. meth. 6. dicit, quod omnis inflammatio vt inflammatio à sanguinis fluxu fit, qui tollitur sanguinem euacuando, & reuellendo à parte inflammata.

Istæ magnæ inflammationes, quæ hac euacuatione sanguinis vsque ad animi deliquium præcipuè tolluntur, sunt tres, videlicet ophtalmia, carbũculus, & pleuritis.

De ophtalmia patet: quia Galenus lib. de curandi ratione per s. m. cap. 17. in seruo Economi ophtalmico misit sanguinem ad quatuor libras, illumque citissimè liberauit.

De carbunculo Galenus 14. meth. cap. proprio dicit, in carbunculo, & antrace: quia est maxima inflammatio, conuenit hęc insignis sanguinis euacuatio.

De pleuritide Hippocrates 2. de ratione victus 10. dicit eo vsque esse sanguinem mittendum, quousque appareat coloris mutatio, sanguisque exeat liuidus à pleura videlicet separatus, & per venam sectam euacuatus: quod non fiet, nisi præcedat insignis sanguinis euacuatio.

Conuenit quoque euacuatio vsque ad animi deliquium ex Galeni comm. in vehementissimis doloribus: primò quia per hanc magnam euacuationem facultas sensitiua aliqua ex parte sopita redditur: vnde dolores mitigantur. Secundò quia fit reuulsio sanguinis facientis inflammationem, & dolorem. Hinc Galenus lib. de curandi ratione per sang. mis. cap. 17. citato in illo iuuene habente oculorum inflammationem cum vehementissimo dolore, euacuauit vna vice tres libras sanguinis, & post quatuor horas aliam libram, & statim dolorem superauit: noluit euacuare vsque ad animi deliquiũ: quia erant elapsi dies 20. quod illo affectu laborauerat: sed mirandum est, quod in euacuatione trium

librarum non deliquerit, vel animo defecerit & tanto magis, quanto importuna inedia per aliquot dies fuerit à medico diatritario vexatus.

Tertia dubitatio: Galenus 1. ad Glauc. 14. ait, vigilias, aut dolores internos prohibere subitas, & multas euacuationes: quomodo igitur in vehementissimis doloribus erit euacuandus sanguis vsque ad animi deliquium? vt in hoc comm. docet Galenus.

Respondemus, si dolor fuerit factus ab humoribus calidis in ipsis venis contentis, qui foueant ipsum dolorem, dolorem non impedire euacuationem vsque ad animi deliquium: si verò dolor fuerit factus ab humoribus frigidis, sicuti est dolor collicus à vitrea pituita, vel podagricus à causa frigida, dicimus nullo modo sanguinis euacuationem esse faciendam, licet dolores essent vehementissimi vsque ad animi deliquium: tum quia in his non peccat sanguis: tum quia vires non tolerant.

Præterea nisi adsint vires permittentes in vehementissimis doloribus, nulla, vel exigua sanguinis euacuatio fieri debet: supponitur enim præceptum Hippocratis 4. de ratione vic. 19. esse obseruandum tamquam oraculum, quod præter morbi magnitudinem requirantur vires permittentes, si sanguinis euacuatio fieri debeat.

Demum notãdum est errarum quorundam, qui tribus casibus à Galeno propositis addunt quartum, nempè sanguinem esse mittendum vsque ad animi deliquium in lassitudine tensiua: sed nisi adsit inflammatio nulla est occasio, quod tam insignis sanguinis euacuatio fieri debeat in lassitudine tensiua: quare sufficient tres casus propositi ab ipso Galeno in comm.

Duo præterea occurrunt consideranda pro intelligentia aphorismi. Primum quo tempore in maximis inflammationibus possit conuenire missio sanguinis vsque ad animi deliquium. An in principio inflammationis, vel augmento, vel in vigore. Secundum an in vehementissimis doloribus ante sanguinis missionem vsque ad animi deliquium conueniant anodyna externa, vel interna.

Quo ad primum, idest, quo tempore in maximis inflammationibus conuenire possit missio sanguinis vsque ad animi deliquium: prima facie non videtur, quod vllo tempore possit conuenire: non in principio, quia in principio inflammatio non est maxima: Hippocrates enim 2. aphoris. 30. ait „ In principio & fine omnia remissiora. Non in augmento & statu; quia tunc sanguis est confluxus in partem inflammatam: tuncque effugit tempus reuellendi in contrarium: ergo nunquam conueniet.

Respondemus missionem sanguinis vsque ad animi deliquium, præcipuè faciendam esse in principio, vel paulo post, quo tempore fluit sanguis. Præcognoscitur, maximam fore inflammationem ex maxima plenitudine, ex celeritate confluxus, atque ex dolore vehementi.

QVÆST. XCIV.

An in magnis doloribus ante phlebotomiam conueniant anodyna.

QVo ad secundum, an in vehementissimis doloribus ante sanguinis missionẽ conueniant anodyna: controuersia videtur esse inter Galenum, & Auicennam, Auicennas vbi agit de inflammatione habet hæc verba „ si volueris euacuare, prius seda dolorem: itaut velit, ante sanguinis euacuationem prius esse sedandos dolores anodynis: Galenus verò in hoc loco in vehementissimis doloribus vult sanguinem esse mittendum vsque ad animi deliquium. Præterea in arte medica ante euacuationem topica non conueniunt: ergo neque anodyna.

Montanus conciliat Auicennam cum Galeno hoc modo dicendo curam secundum Auicennam, qui vult prius sedare dolorem, esse regularem: secundum Galenum verò esse coactam: & rectè quidem: quamuis Montanus non declaret, quomodo sit regularis.

Nos primo dicimus, Galenum non improbare, quod possit fieri sanguinis missio, & simul, & eodem tempore applicentur anodyna: Immo Galenus 2. in 6. epid. comm. 8. vult, ante sanguinis euacuationem

nem esse mitigandos dolores anodynis: hoc fine, vt à parte affecta fiat melior reuulsio, auxilio sanguinis missionis: quia quando in parte affecta non est dolor, pars nihil attrahit, vnde per phlebotomiam reuulsio redditur promptior. Hinc Hippocrates in Anaxione patiente pleuritidem, prius sedauit dolorem, deinde sanguinem euacuauit.

Dicimus igitur nos prius esse dolorem sedandum: sed eodem tempore sanguinem quoque esse mittendum, curamque esse regularem, si prius sedetur dolor: quia anodynum est remedium vrgentis: phlebotomia verò est remedium causæ: sed sic est quod vrgenti prius est attendendum, vt docet Galenus in comm. 16. huius sectionis.

Dum verò dicebant, topica non conuenire ante euacuationem totius. Respondemus reuocandos esse ad memoriam septem casus, in quibus licet applicare localia ante totius euacuationem.

Primus casus est, si affectus sit leuis, vt notat Galenus lib. 1. de comp. med. per locos c. 8. vbi agit de Alopecia, quam statim sanauit topicis adhibitis sine alia præcedenti euacuatione.

Secundus, quando materia est venefica, quæ illicò caustico, vel ferro candente, sine præcedenti corporis euacuatione superatur: sicuti in morsu viperæ, vel canis rabidi, vel ob arma venenata.

Tertius in apostematibus, in quorum principio statim vtimur repellentibus.

Quartus est, dum roboramus os ventriculi antequam pharmaco purgemus: hic casus proponitur à Galeno 1. ad Glauc. 14.

Quintus est, dum vtimur balneo contemperante, & est Galeni 1. ad Glauc. 9.

Sextus, dum vtimur anodynis.

Septimus, cum periculum facimus, an dolor à flatu, vel ab alia materia peccante exoriatur, vt Hippocrates expertus est in Anaxione.

APHORISMVS XXIV.

N acutis passionibus, rarò, & in principijs, medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum.

In 22. aphorismo docuit Hippocrates quo tempore purganda sint corpora: dixitque, vel quando materia est matura, vel quando turget. Duo adhuc de euacuatione relinquebantur consideranda.

Primum ad quam mensurã corpora possint euacuari, de qua euacuationis mensura & quantitate egit in aphorismo superiori.

Secundum erat declarandum, in quibus morbis, & quando, & quomodo materia turgens erat purganda: hoc facit in præsenti aphorismo docens hæc quatuor, quæ certè sunt magni momenti.

Primum inquit, in morbis acutis turgentem materiam esse purgandam.

Secundum dicit rarò hoc esse faciẽdum.

Tertium in principio morbi.

Quartum id esse faciendum cum permeditatione; sed infrà distinctè omnia declarabimus.

Diuiditur aphorismus in duas partes. In prima inquit, in morbis acutis rarò, & in principijs materiam turgentem esse purgandam.

In secunda parte docet id faciendum cum præmeditatione.

Quo ad verba dicit *in morbis acutis*, quia in chronicis, vt docet Galenus in comm. materia nunquam turget: quoniam morbi chronici fiunt ex humoribus crassis, & viscidis, quippe qui ob duas causas turgere non possunt: prima quia de ratione turgentis materiæ est quod in se habeat principium motus, quod frigidis humoribus non conuenit: hinc serosi humores in hydropicis, licet sint tenues, nunquam turgent: quia vt frigidi in se ipsis non habent principium motus.

Secunda causa est: quia de ratione turgentis materiæ est tenuitas: vnica igitur ex his causis deficiente humores turgere non possunt.

Dicit

Dicit *raro, & in principio*, supple materiam turgentem esse purgandam: non quod raro in peracutis humores turgeant, vt omnes alij exponunt: sed raro euenit, quod turgentes in peracutis habeant inclinationem ad intestina: quo casu tantummodo in principio vti possumus pharmaco, vt ostensum est in tractatu de moratiuis.

Quid vero intelligat per principium Hippocrates. Primo sciendum ex Galeno 1. de crisib. 9. & in com. 2. huius sect. principium morbi sumi tribus modis, vel pro primo insultu: vel pro duobus diebus, vel donec perseuerat cruditas sine vllo signo coctionis: Galenus in comm. vult, Hippocratem per principium intelligere primum diem, vel non vltra secundum: quare dum turget materia, purganda est prima die, vel ad summum secunda, & recte quidem: cum Hippocrates dicat 4. aphoris. 10. „ medicari in valde acutis eadem die, nam tardare malum: dicit in valde acutis: quia in his materia saepe turget, sed raro euenit quod habeat inclinationem ad mesenterium & intestina.

QVAEST. CXV.

Antequam materia turgens purgetur, quae sint praemeditanda.

Dixit cum praemeditatione, sed quid intelligat per praemeditationem; sciendum est, quod ad quinque capita reduci possunt omnia illa quae sunt praemeditanda, antequam pharmacum in materia turgente exhibeatur.

Primum caput continet illas praemeditationes, quae sunt faciendae circa aegrotantes. Secundum quae sunt faciendae circa morbum. Tertium quae circa medicamentum. Quartum quae circa humorem turgentem. Quintum quae circa virtutem.

Quo ad primum, idest quo ad praemeditationes, quae sunt faciendae circa aegrotantes, quatuor sunt, quae colliguntur ex ipso Galeno.

Primum quod aeger nec puer, nec senex sit: aetas enim ex Hippocrate 4. de ratione vic. 19. prohibet remedium magnum quod non solum est sanguinis euacuatio sed etiam medicamentum: non puer, quia vt docet Galenus 9. meth. cap. 17 „ Puerorum substantia omnium facilime dissipatur: ideo non eget praesidio euacuatorio, cum habeat ex seipsa, vnde naturaliter euacuetur, per halitum videlicet. Haec est ratio proposita a Galeno, cur in pueris, nec sanguis sit euacuandus, nec pharmacum sit exhibendum. Non senes pharmaco purgantur: quia senectus est viribus destituta.

Secundum, quod aeger non sit de illis, qui facile incidat in lipothymiam, syncopem, seu cardialgiam: quia talis aeger pharmacum pati non potest: euacuatio enim facta per pharmacum non potest supprimi quando volumus.

Tertium, videndum est, quod aeger non habeat hypocondria tensa, & supramodum calida: ideo Galenus in comm. vult esse ineptos purgationi, qui laborant multa cruditate, qui habent obstructiones, & qui paulo ante fuerint alti cibis crassis, & tenacibus. Similiter Galenus 1. de humoribus comm. 2. & com. 12. vult, qui habent hypocondria flatibus distenta ineptos esse ad purgationem.

Quartum addit Galenus in comm. quod si adsint inflammationes in ventre, vel circa ventrem, pharmacum nullo modo conuenire possit: tum quia omnia pharmaca, vt dicit in hoc comm. potentia calida sunt: tum quia agitatio facta circa partes inflammatas maxime auget morbum: quare licet materia in acutis saepe turgeat, raro tamen dandum est pharmacum.

Quo ad praemeditationes, quae sunt faciendae circa morbum, duo sunt consideranda. Primum, an morbus sit cum inflammatione ventriculi, hepatis, lienis, & partium vicinarum: quia ex Galeno 13. meth. 11. habemus haec verba „ quando iecur incipit phlegmone laborare, & aliquis tentet medicamenta exhibere, maximam excitabit inflammationem: quia per medicamenta excrementa ad partes inflammatas trahuntur. Quo pacto vero illarum partiu inflammatio dignoscatur, nos docet Galenus lib. quos & quando, in quo

loco

loco vult ex hypocondrijs calidis, & feruidis illarum partium inflammationes dignosci.

Secundum est cogitandum, an sint obstructiones, quæ si adsint, docet Galenus in comm. ante pharmacum dandum esse melicraton, in quo, decoctum sit aliquid hysopi, vel origani, vel tragorigoni, vel thimi, vel pulegij, quæ licet calida sint, maius tamen afferunt beneficium aperiendo, & attenuando, quam maleficium in calefaciendo: sed semel, vel bis vtendum est hoc decocto: quia illicò turgente materia eadem die, vel in principio alterius diei pharmacum exhibendum est: deinde statim exhibito pharmaco ex Hippocrate 2. de ratione vic. 12. datur ptissana, tum vt attemperetur medicamenti acrimonia, tum vt detergat, & deorsum pellat ipsum pharmacum.

Quod ad tertium: idest quoad præmeditationes, quæ debent fieri circa medicamentum, quatuor sunt præmeditanda.

Primum, cum omnia pharmaca sint potestate calida & sicca, illud erit eligendum medicamentum, quod minus calidum sit, cuiusmodi sunt electuariũ de succo rosarũ, diacatholicum, & alia id genus. si vero calidiora requirantur: quia æger indigeat potentioribus, optimum est veratrum nigrum, si maiori indigeat, maius quoque debet esse medicamentum. Galenus 2. de ratione vic. 11. exhibet in pleuritide hierã diacolocintidos, quod medicamentum, vt ibidem docet Galenus in turgente materia est potentius veratro nigro.

Secundum est premeditandum, quodnã debeat esse pharmaci correctiuũ. Hippocrates & Galenus 2. de ratione vic. 11. docent admiscenda esse odorata, ne medicamenta sua venenositate lædant os ventriculi, cuiusmodi sunt spicæ, seu cinamomi pauxillum: nostrates tamen permiscent cum medicamento maluatici pauxillum: quod mihi non probatur: quia vinum maluaticum mixtum pharmaco non solum gratiã amittit, sed ad vomitum inuitat: nos potius sumpto pharmaco gratia corroborandi os vẽtriculi præcipimus, vt ęgri maluatico abluant os: quod pręstat duo beneficia: alterũ, sumpto pharmaco nullus pharmaci odor ea die percipitur: alterum maluatici pauxillum ita syncerum odoriferum, & incontaminatum minimum quod elabitur deorsum (licet adsit febris) mirificè os ventriculi corroborat.

Tertium est obseruandum Auerrois pręceptum 7. coll. cap. 9. vbi inquit, in acutis pharmaco esse admiscenda refrigerantia, vt temperetur eius acrimonia: hac ratione Hippocrates 2. acutorum 12. post sumptũ medicamentum, illicò exhibet ptissanam.

Præterea notãdum, quod refrigerantia, quæ cum pharmaco, vel assumpto pharmaco sumuntur, sint epichierastica quod confirmatur ex Hippocrate & Galeno qui vtebantur lacte asinino cum scamonio: Hinc Galenus 14. meth. 17. sanauit Matronã Romanam vlceribus pedum correptam lacte, in quo clanculum coniecit scamonium: hinc communis vsus laudandus est, dum pharmaca in sero lactis infusa, vel in decoctione florum & fructuum, vel in aquæ endiuiæ vel acetosæ exhibentur.

Valeat igitur Oddus, dum dicit, frigida admixta pharmaco auferre pharmaci operationem, ideo non esse admiscenda, quasi quod pharmaca non alia ratione purgent, quam vt calida: cum purgatio dependeat à sua proprietate, seu ab idiosyncrisia: quæ resultat ex permixtione, & alteratione innumerabilium qualitatũ, vt ostendimus ex Galeno in lib. 8. meth. nostræ: sic Euforbium calidissimum attrahit phlegma, quod est frigidum: itaut medicamentum non attrahat simile in temperatura, sed simile in idiosyncrisia.

Quod verò frigida nõ impediant pharmaci operationem, patet experientia: multi enim vt effugiant medicinæ nauseam, niue ipsam refrigerant: attamen æquè purgat, ac si esset actu calida.

Quartum, præmeditãda est dosis medicamenti: quia in minori quantitate exhibitum parum euacuat, & multum agitat: agitati vero humores ex Galeno 2. de ratione vic. 11. maximè nocent: atque vt ipse docet 5. de simpl. med. 24. medicamentum conuertitur in humorem, quem euacuare natum erat: exhibitum vero medicamentum in maiori quantitate, quam pars sit, corpora colliquat: ideo hęc consideratio de medi-

medicamenti quantitate requirit medicũ exercitatum.

Demum notandum ex Galeno lib. quos & quando purgare oportet cap.24. quod medicamentum ob sex causas aluum mouere non potest.

Prima ob ægrotantis naturæ proprietatem.

Secunda ob medicamenti exiguitatem.

Tertia ob stercus densatum, quod propterea clystere prius est educendum.

Quarta quia natura antea mouit per vrinam.

Quinta quia medicamentum in prauum alimentum conuertatur, videlicet in illum humorem, quem trahere natum erat, vt 3.simpli.citato docet Galenus.

Sexta causa est, quia interdum medicina mutatur in venenum.

Quo ad præmeditationes, quæ sunt faciendæ circa humorem turgentem: medicus debet hæc duo obseruare. Primum in quam corporis partem turgentes humores inclinent. Secundum an in corpore adsit viscositas, & humorum crassities, quæ possit transitum turgentium impedire.

Quo ad primum, si humores inclinent ad alias regiones, quam ad aluum, pharmacum non iuuat: ideo dãdum non est: quodquidem colligitur ex ipso Hippocrate 4. de ratione vic.64. vbi loquens de materia turgente quorundam ęgrotantium, in quibus modo excitabat tumores circa pedes, modo circa crura, modo circa fauces, vnde strangulabantur: loquens de his ait, tales ægros esse purgandos si venter murmurauerit: si non murmurauerit, à medicamentis abstineto: Ecce quod Hippocrates non vult purgandam esse materiam turgentem, nisi habeat inclinationem ad intestina.

Quod vero Hippocrates in hoc tex. citató intelligat de materia turgente patet ex motu furioso humorum modò descendentium ad crura, modo ascendentium ad guttur cum ingenti febre, modò ad cerebrum delirium efficientiũ: hæc materia, quę stare loco non potest, quæ exitum quærit absque dubio turgentis materiæ conditionem habet: de hac igitur loquens Hippocrates dicit, nisi venter murmurauerit à pharmaco abstineto, quia nisi habeat aliquam inclinationem ad ventrem pharmaco nõ posset euacuari: esset sane medici euidens fatuitas, qui daret pharmacum, quo non posset humor turgens euacuari: quando videlicet esset in venis cauis, in venis pedum, vel gutturis, quæ nullum consensum habẽt cum ventre, vel cum parte concaua ipsius hepatis. Hinc Hippocrates dixit cum præmeditatione, nempè, vt præmeditemur, antequam demus pharmacum, an humores turgentes inclinẽt ad mesenterium, vel intestina, & an possint per aluum educi.

Hinc credendum est, Hippocratem non dedisse pharmacum Pericli, in quo materia turgebat, erat tamen inclinata, vt per nares sanguinis eruptione euacuaretur, & per vrinam, & sudorem, per quæ loca demum fuit liberatus.

Similiter in Metone humores turgentes habebant propensionem ad sanguinis eruptionem per nares, in quo casu non dedit pharmacum: immo si dedisset, naturam rectè operantem ab opere suo diuertisset.

Itidem in Muliere morosa, quæ 3. die liberatur, quia menstrua eruperunt: in quo casu humores turgebant: attamen Hippocrates non dedit pharmacum.

Parimodo in Virgine Larissæ sexta die eruperunt menses: nihilominus licet materia turgeret, nullum fuit exhibitum pharmacum: quia turgens materia nullam habebat inclinationem ad ipsa intestina.

Demum præmeditandum est, an corpora sint referta viscosis humoribus: quod Galenus in comm. admonet esse obseruandum, & rectè quidem: tum quia ex Hippocrate 2.aphoris.9. „ Corpora cum quis purgare voluerit oportet fluida facere: tum quia ob succos viscosos humores turgentes, licet sint tenues, ad ventrem non transirent.

Quo ad quintum, quod est de virtutę permittente ipsum pharmacum, Galenus 2.de humoribus 27. & 2. præsag. comm. 60.admonet, medicamenta interdum non operari ob aliquam ex tribus causis.

Prima quarũ est ob partium expurgantium imbecillitatem, quę imbecillitas à quacumque intemperie prodire potest, vt probat Galenus 7.meth.4.

Secunda ob angustiam meatuum, quæ fieri potest vel obstructione vel tumore comprimente, vel ab oclusione facta ob adra-

idoneatum germens. Tertia vel à vitio excrementi: vitium excrementi (addit Galenus) est crassitudo, aut viscositas, aut humoris multitudo.

APHORISMVS XXV.

I qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt: si contra difficulter.

Nonnulli putant, hunc aphorismum esse epilogum huius primæ sect. sic probant: Hippocrates in hac prima sect. egit de victus qualitate, quantitate, & de modo administrandi victum, & administrandi remedia pharmaceutica, & chirurgica euacuationem respicientia: addit: sed sic est, quod sub illis verbis (talia & qualia) continentur, qualitas, quātitas, & modus administrandi victū, & remedia euacuantia, de quibus omnibus egit in hac prima sect. ergo hic aphorismus est epilogus.

Reiciuntur illi: quia in hoc aphorismo non facit mentionem de victus ratione: at sic est, quod maiòr pars istius tractatus, qui habetur in hac prima sectione, est de victus ratione, de qua egit à quarto aphorismo vsque ad vigesimum exclusiuè.

Prætereà in hoc aphorismo solum mentionem facit de purgatione: quia dicit καθαίρεσθαι quod vocabulū solum pertinet ad purgationem, quæ fit per pharmaca.

Insuper in hac prima sect. non solum agit de victus ratione, & de purgatione, quæ fit per pharmaca, sed de quacunque euacuatione, siue fiat per vrinam, per vterum, per sudorem, per hæmorrhoidas, siue per alias regiones: idque probatur ex quatuor aphorismis præcedentibus: dum enim dicit in vigesimoprimo aphorismo, quo natura vergit, amplectitur indicationem humorum euacuādorum per quamlibet partem: dum verò dicit in aphoris. 22. concocta medicari, intelligit de purgatione: dum dicit mouere, intelligit de quacunque euacuatione chirurgica vel pharmaceutica: dum verò dicit in aphorismo 23. quæ euacuantur non multitudine metienda, parimodo intelligit de omni euacuatione per remedia ad pharmaciam vel chirurgiam pertinentia: quare in hac prima sect. non solum agit de victus ratione, sed de purgatione, & de quacumque alia euacuatione.

Postremò non est dicendum, Hippocratem vti epilogis, quia dicendi grauitas, & laconismus Hippocratis epilogum nullomodo admittunt.

Multi alij dicunt, hunc aphorismum esse superfluum; quia coincidit cum 2. probātque ex Galeno, qui in comm. habet hæc verba „ Hippocratem non piguit bis repetere ea quæ sunt magni momenti. Similiter Galenus 4. aphoris. comm. 22. habet hæc verba „ ea quæ sunt ad artem maximè necessaria sæpè tractare est melius.

Respondemus ipsum Galenum reuera Hippocratis doctrinam multoties repetere, quia Galenus erat Asiaticus, & non poterat se continere, quin Hippocratis dogmata multoties repeteret: negamus tamen Hippocratem eandem doctrinam, licet eadem verba sæpè proferat, repetere.

Quare dicimus verba Hippocratis repetita quidem; sed alio fine, & alia arte, vt proptereà hic aphorismus ratione finis sit nouus, & omninò diuersus à 2. aphoris. ratio est, quia hic potest applicari solum euacuationi faciendæ per pharmacum, de qua in proximis aphorismis locutus est: ille verò applicatur euacuationi faciendæ per pharmacum in communi: hic verò applicatur ijs quæ dicta sunt in 22. & 24. aphorismo, in quibus de purgatione locutus est.

Similis docendi modus inuenitur in Aristotele, qui in varijs libris eandem doctrinam repetere videtur, sed alio fine; non ne in lib. priorum agit de sylogismo in communi? in fine tamen primi post. agit de eodem sylogismo, sed applicato materiæ necessariæ. Parimodo in primo physicorum agit de materia prima: de eadem materia prima agit in primo de generatione, sed applicata generationi. In quarto physicorum agit de infinito: in

primo de Cœlo similiter agit de infinito, sed applicato mundo, quod scilicet mundus non sit infinitæ molis. In 12. metaphysices agit de Deo vt est prima substantia & caput omnium entium. In 8. physicorum agit de Deo vt est primus motor & vtitur vtrobique ijsdem ferè verbis. Similiter Hippocrates in secundo aphorismo intellexit de purgatione in communi qualiter fieri debeat: in hoc verò aphorismo protulit eadem verba: sed solum cum relatione ad purgationem: quasi diceret, si purgatio taliter fit qualiter dictum est in 22. aphorismo, vbi sumebat indicationem purgandi à materia concocta & à materia turgente: & purgatio fiat qualiter dictum est in 23. aphorismo, vbi egit de mensura purgationis, & euacuationis: & purgatio fiat qualiter dictum est in 24. aphorismo de tépore purgationis in morbis acutis, & quod fiat cum præmeditatione. In hoc 25. concludit quod si taliter fiat, qualiter dictum est in quinque dictis aphorismis, ægri facile ferent: si minus difficulter, non seruatis præceptis propositis in superioribus aphorismis.

Quod verò Hippocrates per talia & qualia intelligat qualitatem purgationis, & non qualitatem humorum purgandorum. Primò patet quia Galenus 4. aphoris. 2. inquit, Hippocratem in illo aphorismo locutum fuisse de euacuatione in communi, nempè vt est euacuatio.

Secundò patet ex verbis Hippocratis: quia dicit οἷα δεῖ: per quæ verba significatur qualiter, & non qualia: primò quia omnia neutra adiectiua sine articulo sumuntur aduerbialiter: vnde Hippocrates aphoris. 13. dicit εὐφορώτατα, idest facillimè, quod vocabulum, nisi sumeretur aduerbialiter, significaret facillima & sic aphorismus nullum haberet sensum. Similiter in aphor. 18. dicit δυσφορώτατα idest difficillimè, quia est neutrum adiectiuum sine articulo, & in numero plurali, quę adiectiua sine articulo, & præcipuè in numero plurali semper transeunt in naturam aduerbiorum: vt locis citatis probatũ est.

Insuper οἷα ab Herodoto, & Tucidide sumitur pro qualiter: sicuti quoque patet in annotationibus Ioannis Scapulæ. Demũ neutra numeri pluralis, vt οἷα, & τοῖα apud Græcos, si iungantur cum verbis numeri singularis possunt significare talia, & qualia: sed si iungantur cum verbis numeri pluralis semper aduerbialiter sumuntur. Modò in hoc aphorismo hæc dictio οἷα iungitur cum verbo numeri pluralis: quia dicit καθαίρονται: ergo aduerbialiter sumi debet: hæc enim satis clara, & manifesta sunt apud illos, qui in lingua Græca versati sunt.

F I N I S.

Errata nonnulla Corrigenda.

παλλατεσϑαὶ	lege	ἀπαλλάτεσθαι	columna	6.	linea	15
Quo	lege	quod	col.	13.	linea	3
Crux	lege	crus	col.	15.	linea	50
Stabo	lege	Strabo	col.	17.	linea	49
Extentes	lege	existentes	col.	20.	linea	44
Exhibentur	lege	exhibeatur	col.	23.	linea	44
ἐζύσ	lege	ὀξύς	col.	30.	linea	6
Quid igitum	lege	Qui digitum	col.	30.	linea	40
Verl	lege	Vel	col.	48.	linea	52
Vutiri	lege	Nutriri	col.	68.	linea	31
ἐσχάτω	lege	ἐσχάτῳ	col.	74.	linea	4
Alteratio	lege	Altercatio	col.	81.	linea	2
Conuindicans	lege	Contraindicans	col.	84.	linea	10
Cap. 4.	lege	Cap. 5.	col.	89.	linea	40
ἀιεὶ	lege	ἀεὶ	col.	113.	linea	27
Non didetur	lege	videtur	col.	116.	linea	27
Pieniori	lege	Tenuiori	col.	128.	linea	39
Et	lege	Vt	col.	177.	linea	3
Sectione	lege	Sectione septima	col.	177.	linea	50
Morbo acuto	lege	A' morbo acuto.	col.	197.	linea	16
A' quanto	lege	Quanto	col.	197.	linea	18
ὶπερκρίσις	lege	ὑπερκρίσις	col.	267.	linea	2
Andi peristasim	lege	Antiperistasim	col.	373.	linea	8
Eit	lege	sit	col.	378.	linea	44
Solanus	lege	Sclanus	col.	384.	linea	21
Peribus.	lege	Paribus	col.	440.	linea	40
Exymellite	lege	Oxymellite	col.	442.	linea	3
Tantum	lege	tamen	col.	498.	linea	4
Ab	lege	Ab ea	col.	498.	linea	34
Perti	lege	Aperti	col.	498.	linea	50
υποιωρησιν	lege	ὑποχώρησιν	col.	511.	linea	47

Digitized by Google